Eutymius

COMENTARIA

IN EVANGELIA

J.S.R.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
Biblioteca de Loyola
Sala
Estante
Plúteo 55

29,2

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO domino D. Frãciſco à Bouadilla Epiſcopo Caurienſi, Archidiacono Toletano &c. Ioãnes Hẽtenius Nechlinien. S. D.

SI BONVM eo prẽſtantius eſſe quanto communius, nemo eſt vel mediocriter morali philoſophia inſtructus qui dubitet Præſul ampliſſime, virtutum ac literarum antiſtes: non erit enim qui ambigat, cõmune bonum priuato eſſe præponendum. Idque adeo verum eſt, vt etiam Chriſtus ſacratiſſimam illam vitam ſuam, vilem habuerit, quo vniuerſi generi humano ſalus adempta poſſit reſtitui. Verum ne dicat quiſpiam Chriſti opera, vtpote diuina, nequaquam in numerum eſſe redigenda: age & ab Ethnicis quoque paucos de innumeris referamus, qui ſuam ſuorumque vitam communi bono poſthabuerunt. In primis autem occurrit Iunius ille Brutus, primus Romanæ libertatis aſſertor, qui proprios filios, quod fuiſſent conſilij de reducendis regibus participes, ſecuri iuſſit percuti: tametſi ex eorum cæde graui ipſe ſauciaretur vulnere: Quis enim amor æquari poſſit patrum erga filios amori? Nec id ſane Vergilium latuit, qui de eo loquitur in hunc modum:

Vis & Tarquinios reges, animamque superbam
Vltoris Bruti, faſceſque videre receptos?

Consulis imperium hic primus sæuasq; secures
Accipiet: natosq; pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infœlix, vtcunque ferent ea fama nepotes:
Vincet amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

P. Decius Mus cum consule T. Manlio Torquato cõtra Latinos pugnans, quum responsum esset oraculo, Vtrius exercitus imperator legiones hostium, seque super eas deouisset, eius populi partisque fore victoriam: seipsum pro communi exercitus salute deouit,

Idemque fecit filius eius, eodem appellatus nomine, quũ iam tertium Consul fuisset, semelque Censor: quorum etiam his verbis Poeta meminit:

Quin Decios Drusosque simul, sæuumq; securi
Aspice Torquatum & referentem signa Camillum.

Marcus Curtius præterea ob populi salutem sese equo inuectum in terræ hiatum iniecit. Sp. Posthumius Consul, qui ignominiosam pacem cũ Claudio Pontio Samnitiũ duce ad furcas Caudinas pepigerat ac spoponderat, autor fuit Senatui, vt se cum collega ac tribunis qui autores sponsionis fuerant, per fœciales nudos vinctosque Samnitibus dederet, quo populus Romanus ab illa pace solueretur.

Q. Ceditius Tribunus militum, quem videtur Titus Liuius Calphurnium Flammam vocare, primo bello Punico cum quadringentis militibus, vel, vt habet Liuius, cum trecentis, nisi fortassis hic alius fuerit, morti se tradidit, vt dum in eos, tumulum quendam capientes, auerterentur hostes, legiones cum Consulibus circumuentæ, incolumes ex obsidione liberatæ pertransirent. Simile quoque egit Decius Tribunus militũ cum Consule P. Valerio Coruino, iunctus hastatis vnius legionis (quanquam hos fortuna liberauerit) ne hostes Sãnites in eos pugnarent. Inter Lacedæmonios ingens est huiusmodi copia exemplorũ: verum præcipui sese mihi offerunt Buris & Spartis, qui ad Xerxen Persarum regem sponte profecti sunt: daturi pœnas quas Lacedæmonij iuxta oraculũ pendere debebãt, eo quod Oratores à Persa missos occidissent. Hi ergo quũ ad Xerxen venissent, iusserũt vt se quocunq; modo videretur, pro Lacedæmoniis interficeret. Quumq; rex pietatem in patriam admiratus, animorumq;

morumque fortitudinem, liberasset illos à pœna, peteretque vt apud se manerent, Qui possumus, inquiunt, hic viuere, relicta patria, patriisque legibus ac viris, quorum gratia tantum iter suscepimus morituri? Quid Codri Atheniensium regis mortem referam? qui quum videret regionem suam ferro ignique vastari, nec alio modo iuxta Apollinis oraculum tam graue bellum discuti posset, nisi ipse hostium manu occidisset, idque non solum in totis Athenien sium castris, sed etiam in contrariis percrebuisset, ideoque edictum esset, ne quis Codri corpus vulneraret: depositis imperij insignibus, familiarem induit cultum, ac palantium globo sese obiecit, vnumque ex his falce percussum in sui cædem compulit, vt patriam seruaret: huius siquidem interitu, ne Athenæ occiderent effectum est. Huic iam rei finem imponam, si prius hominis Ethnici, nempe Ciceronis de Somnio Scipionis dictum vere Christianum de communis boni magnitudine retulero, qui sic ait, Quo sis Africane alacrior ad tutandam rempublicam sic habeto: omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locũ, vbi beati quo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi deo, qui omnem hunc mundũ regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm cõcilia cœtusq; hominum iure sociati, quæ societates appellantur: harum rectores & conseruatores hinc profecti, huc reuertentur. His igitur qui vel seipsos fortiter pro republica morti tradiderunt, aut in eius vtilitatem artem aliquam quantũuis etiam illiberalem ac sedentariam, siue quippiam in ea præcipuum gratumque posteris adinuenerunt, vices rependere cupiens antiquitas: &, qua liceret, perpetuam eorum memoriam ab interitu vindicare, statuas æreas seu marmorea sepulchra erexit. Præterea ethnicorum libros ingenti redemptos precio magna fide vel religione potius descriptos, cedrinis inclusos capsulis, tum cedri succo oblitos, posteri in templis cautissime reponebant: partim vt rei tam sacræ, tamque diuinæ custodia non aliis quàm ipsis numinibus concrederetur: partim ne quid situs aut caries illa monumenta vitiaret. Alij ne hac quidem contenti diligentia, codices ceu thesaurum incomparabilem in altissimis terræ latebris recondebant tanta cura, vt nec incẽdiis, nec bellorum procellis, quibus omnia sa-

cra prophanaq; solent misceri, interirent, & posteris certe su peressent. Porrò si hic honos est habitus superstitiosis etiam voluminibus, veluti Numę ac Sibyllæ, aut rerū ab hominib⁹ gestarum memoriam cōplectentibus, quales erāt Aegyptiorum libri: aut aliquā humanæ sapientiæ portionem tradentibus, veluti Platonis & Aristotelis: quanto iustius est idem facere Christianos in seruandis illorū monumentis: qui sacro afflati spiritu, non tam libros, quàm oracula nobis re- querunt? quibus lectitandis, pectus non doctrina solum au dicendi facultate, sed virtutibus ac pietate erga deum impleatur: quum certe Ethnicorum librorum iactura id tantum efficiat, vt minus eruditi simus, aut minus eloquentes, non vt minus pij. In his itaque qui veterum autorum ac patrum scripta nobis tradiderunt, maxime autem Chrysostomi (quo nemo in enarrandis sacris voluminibus dexterius versatus est, & quo neminem inuenias magis accommodum his qui ad munus concionandi sese parant) non posteriores tulit Græcus quidam autor: qui cernens veteres sacros autores & præcipue eos qui plurimum laborauerant in enarrandis euangelicæ doctrinæ libris (ad quam docendam filius dei ad terram descenderat) nequaquam pro merito lectitari: siue id librorum multitudine, siue lectorum fastidio, siue temporis acciderit penuria: in vnum collegit volumen, quicquid illi magna codicū turba selectum, circa euangelia reliquerant. Et tamen quum posteris adeo vtile ac amplectēdum reliquisset opus, tanta fuit animi modestia (quod etiam passim ex eius scriptis luce clarius est perspicere) vt sibi id adeo non vindicauerit, quod nec proprium nomen adiiciendum censuerit, sed Chrysostomi potius cum cæteris, quorum ingenue fatebatur esse potissima, quæ in vnum ipse collegisset: quanquam & ipse suo marte plurima quæ & præstantissima erant, adiunxerat, vt hinc coniicias quantum animo dissideret ab iis, qui in modum corniculæ alienis sese ornant ac venditant plumis. Plurimis sane autor hic fuisse videtur Oecumenius is, qui similia commentaria ex eisdem collegit autoribus, in Acta Apostolorum, in epistolas quæ catholicæ nuncupantur, ac in Paulinas omnes, vt certis quibusdam argumentis colligitur, etiam si nec ibi voluerit suū nomē exprimere: qua de re plurib⁹ agemus, quum

quum tomum illum alterum propediem in lucem dabimus. Hunc itaque Græca manu descriptum ante multas ætates (quod præter ipsas Euangelistarum nouo modo depictas, iamque propemodum vetustate deletas imagines, multis nobis argumentis innotuit) quum casu repperissem in bibliotheca Cœnobij Deiparæ virginis à Guadalupe, ordinis diui Hieronymi in regno Castellæ, in qua etiamnum delite- (vt sunt eius sodalitij, præsertim autem celeberrimi illius monasterij cœnobitæ, non modo Christianæ nostræ religionis, verum etiam præstantissimorum semper autorum, potissimum tamen veterum, diligentissimi obseruatores ac cultores) visum est inuidi esse, ne dicam impij, re adeo frugifera pati diutius priuari Latinos. Nec tamen inscius eram quàm duram, quamq; arduam aditurem prouinciā: partim quidem, quod propriæ conscius imbecillitatis, inculq; ingenij, habueram semper in animo, nihil in publicum edere: partim vero quod mihi res esset cum eiusmodi libro, quem vel legere non mediocris foret negotij, vtpote ignotis vtplurimum exarato characteribus ac compendiis, maxima licet cura ac diligentia: literarum etiam figuris plerumq; vel carie ac situ obliteratis, vel tinearum ac blattarum iniuria semirosis, vel nouo adeo more depictis, vt in formis etiam noscitandis mihi foret repuerascendum. Omitto quod frequenter in orationis contextu non sunt à se inuicem separatæ dictiones: & ediuerso eiusdem dictionis literæ aut syllabę plus q̄ iusto à se inuicem separantur interuallo, adeo vt nec versus syllabam sæpius finiat: commata ac incisa vix adduntur, aut vbi nihil opus est apponuntur: quæ res plerumq; difficultatem gignit non paruam. Sciebā præterea quanto (vt in vniuersum dicam) sese exponant periculo, qui libros à peregrina lingua traductos in lucem edunt: quot & q̄ varios suscipiant iudices, quorum pleriq;, Græcis literis ne à limine quidem salutatis, ob id statim omnia damnant, quod mundum illum rhetoricum præ se non ferant, ignorantes quibus arctetur modis, is qui alienæ linguæ depositum fideliter reddere cogitur. Summopere enim curādum est ei, qui ab vna lingua quippiā transfert in aliam: ne dum sermoni quærit ornatum, repente pro interprete paraphrasten agat: rursumque ne ita verbis hæreat, vt prioris linguæ idiomata aut dialectos reti-

 neat: sed

neat: sed quæque lingua quod suum est habeat: alioqui nec Græce loqui videbitur, nec Latine: idq; quod in indoctum ia ctatum est Comicum, ipsi adaptabitur, ꝙ ex Græcis bonis, La tina fecerit non bona, Id quod de multis exulcerato hoc se culo apte quis dixerit. Quis enim sacras iam literas passim non sibi vindicat, antequam discat: torquet, lacerat: suoq; in tellectui, imò suis affectibus seruire cogit scripturam etiam repugnantem? Et quemadmodū scribimus indocti doctiq̃ue poemata passim, ita & pleriq;, quanquam in sua arena fœlici ter versarentur, proprios egressi limites (dum sutores, reli ctis crepidis, ignota quæq; diiudicare conantur) nō raro mi sere hallucinantur. Quid enim medico aut iurisperito cum versione aut interpretatione sacrorū mysteriorum? Quodq; longe magis deflendum est, dum animo prauis imbuti sunt dogmatis, quæ ex Græco vertunt in Latinum, non satis fide liter tractant: nunc quidem, quod frequenter accidit, cogen te harum rerum imperitia: quod tamen, nisi illotis accede rent ad contrectanda sacra manibus, facilius posset ignosci: nunc vero, ne suis repugnent dogmatis, aut truncatim, aut praue sensum nobis reddunt. Quod luce clarius ostendemus vbi alterum tomū deo propitio in lucem ediderimus, quod, vt spero, breui faciemus. Ob hæc igitur aliaq; plurima quæ versionem variis exaggerāt difficultatibus, non is sum qui nō intelligam, quantum huic autori dignitatis, quantumque splendoris tenebricosus interpres abstulerim. Sed vtcunque sit, sensum tamen me assequutum opinor, licet ipsum nullo cultu adornauerim: verum id nemo sanę mentis in commen tariis requiret, maxime ab eo qui, vt præfatus sum, peregrinę astrictus est linguæ. Quod si vniuersis satisfacere non potui, facile feram, quum ne mihi quidem ipsi in omnibus faciam satis. Attamen onus hoc, quanquam meis longe impar hume ris, subire aggressus sum, ꝙ alio sese nō offerente, grande du cerem piaculum, si fideles diutius tanto fraudarentur thesau ro. Quid enim, quod ad euangelicæ historiæ enarrationem attinet, in Chrysostomo potissimum, deinde & in Origene, Basilio, aut Nazianzeno inuenies, quod hic facillime & suc cinctissime non proferat? Et Chrysostomo quidem satis pa tet non eum fuisse scopum, vt euangeliorum aut actionum apostolicarum, seu Paulinarum epistolarum nudum nobis tra

deret

deret intellectum. Alioqui enim tam vasta in paucos sacræ scripturę libros non reliquisset volumina, sed plebis forman dos mores suscepisse magis videtur: & idcirco locos ad plæ bem tractat communes, & enarrationem homiliis distinguit. Quin & Theophylactus, quanquam is ad historię seriem ma gis accedat, nonnihil tamen subolet dictionis illum affectas se venustatem: quodque rhetorice dixisse satis cupiat vide ri, & non soli literæ enarrationi hærere. At noster hic autor vnicum hunc habuit scopum, vt euangelicam succincte cun ctis aperiret historiam. Quod si ad mores quoq; corrigendos nonnihil exhortationis exoptes, id etiam breuiter quidem ac rarius, sed fœlicissime tradit hic autor. Quam apte, bone deus, quum euangelistæ plurimum dissidere videntur, ita dis sidentia connectit loca, vt ab eodem plane illa videantur es se dicta. Et huic quidem rei nullus, meo iudicio, adeo vtili ter ac serio hactenus inuigilauit. In quo tamen, sicut neq; in cæteris, nolim quisquā meis fidem habeat verbis, nisi longe plura in hoc lectitando, laude digna repererit, quàm ego pos sim assequi enumerando. Hoc itaq; opus, vt tibi nuncupa rem amplissime Præsul, fecit inter innumeras tuas dotes, ma xima humanitas tua: quam, præter auditam famam longe la teq; dispersam, non semel in te sum expertus: qua, quum om nes etiam extremæ fortunæ homines, tum studiis potissi mum deditos, benignissime semper amplecteris: ipsaque stu dia, vbicunq; vel minima datur occasio, totis prouehis viri bus. Præterea id magis aggredi sum ausus, quod quum tibi forte fortuna nos inuisenti, primum hunc meum partum om nino adhuc informem demonstrassem, vnà cum Græco exem plari, nequaquā vt monstrum abhorruisti, sed veluti pulchel lum pusionem auide deosculabaris: mirabare nōnullas quoq; occultas in eo dotes, non cuiusuis oculis expositas. Quod ni si ita contigisset, qua temeritate tentassem, tam locupleti, hac etiam in parte, viro, tantillum offerre munusculum? Munus culum inquam: nam licet in se munus sit, fortassis non aspernandum, si tamen ad immensas ac preciosissimas tuas opes conferatur, indignum censebitur, quod in tuo thesauro, vel exiguum inueniat locum. Siquidem vt hæc interim fileam, quæ dicit Apostolus in episcopo non oportere desiderari: nempe vt irreprehensibilis sit, tanquam dei dispensator, vigi-

lans

lans super gregem, sobrius, non præfractus, non iracundus, sed modestus, hospitalis, aptus ad docendū, pius, temperans, tenax eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, vt potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere, non vinolentus, non percussor, non turpiter lucri auidus, sed æquus ac iustus, à pugnis & ab auaritia alienus, qui domui suę bene præsit. (Nam si quis, inquit, propriæ domui præesse non nouit, quo modo ecclesiam dei curabit?) non in fide nouitius, ne inflatus in iudicium incidat diaboli: qui & bonum habeat testimonium ab extraneis. Vt hæc, inquit, omnia sileam, quæ nullus qui te propius nouerit, in te desiderare poterit: quin pleraq; etiam abundantius inueniet, quàm exegerit Apostolus, cum pulcherrimo quoque & fulgentissimo illo castitatis cingulo. Verum quis nō admirabitur in viro tam præclaro genere orto, cui adeo semper arriserit ex omni parte fortuna, quæ nihil quod suarum est partium ipsi vnquam negasse videtur, tam variam, tamq; reconditam eruditionem, iudicium certissimum, ingeniū tam acre, peneq; diuinum, memoriam adeo tenacem? in quo prę-ter exactam vtriusq; iuris prudentiā, perfectam quoq; trium linguarum peritiam quis nō suspiciat? Nam in Græcis ac Latinis adhuc puer exercitatissimus erat: in Hebræis vero deus bone q̄ fœliciter versatus est, q̄ etiam erga suum præceptorē liberalis. Qui his igitur comitibus ita ad sacras iamdudū accessit literas, vt neq; naturalis philosophiæ, neq; Theologię, quam scholasticam vocant, destitueretur peritia, quis ambigat ipsum mira præstaturum? Itaq; nullum in eis quantunuis abstrusum inuenias locum, cuius exactissimam non possit ex tempore teddere rationem. Sed quid ego hæc non crediturus frustra denuncio? de homine potissimum qui nondum quintum & tricesimū attigit annum, in præclarissimo dignitatum opumq; splendore semper constituto, quæ non parum impedimenti studiis adferre solent. Spero equidem quod concredita sibi talenta nequaq̄ in terram defodiet. Quanquā enim etiam nunc lucerna sit non subtermodiū, sed super candelabrum posita omnibus qui in ecclesiæ domo sunt, vitæ ac morum integritate, librorumq; æditorū doctrina prælucens, ac vt probum præstet Christi ouiū sibi concreditarum pastorem, plurimis iisque maxime arduis distringatur negotiis: dabi

tiis: dabit tamen propediem, si diuinare licet, maius adhuc sui specimen in lucem, quo perspicuum omnibus fiet, me hęc assentandi gratia minime promulgasse, sed longe adhuc intra veritatis limites calamum continuisse. Quod si his è Græco vertendis vacare voluisset, superuacue nobis maximus hic labor sumeretur. Scio enim nonnulla eum quasi per ludum sibiipsi vertisse facillime, in quibus ego noctes atq; dies desudans, necdū omne id quod quærebam me opinor assequutū. O vtinam tales forent omnes episcopi ac dispensatores, quos dominus constituit super familiam suam, vt dent illi cibū in tēpore: profecto fœlicius ageretur cū Christi ouibus, imò cū tota Repub. Christiana. Præsulū nanq; & pastorum vitam ac mores grex vniuersus imitatur. Quapropter omnibus in rebus ornatissime Præsul, hoc aurium ornamentum ne fastidias, te per tuam orbi cognitam humanitatem etiam atq; etiā obtestor. Nosti enim ipsi præceptum fuisse Mosi, vt ad Tabernaculum ac Sanctuarium construendum non modo aurū & argentū, purpuram & byssum, lapides Onychinos ac gemmas acciperet: verumetiam viles inter cætera caprarum pilos. Scis & viduæ duo æra minuta non modo fuisse Christo gratissima sed omnibus quoq; splendidis diuitum muneribus ab eo præposita: & poculum aquæ frigidæ Christi nomine offerentem, nequaquam prēmio fraudandum. Si igitur munus hoc ad tuas domi repositas diuitias conferas, profecto vilius erit abiectissimis caprarum pilis: cui nihilominus, sicut & illis, locus erit ad exteriora tabernaculi domini asseruanda. Si vero animum quo munusculum hoc tuæ illustrissimæ offertur celsitudini cōspexeris, audeo asserere, auro & argento, purpura & bysso, lapidibus onychinis ac gemmis longe præstantius fore. Etenim si qua in re detur, vt propensi erga te mei animi facias periculum, nullam sibi recusauero sententiam, si me vllo modo te inueneris fefelliſſe. Ne ergo munus hoc in se consideres, nec ad vniuersam tui musęi supellectilem conferas: sed ad offerentis animum, quo id verecunde porrigit, parumper oculos deflecte, ac munusculum hilari fronte suscipe: vt dū hæc nō ingrata tibi fuisse deprehendero, maiores ad huiusmodi studia vires assumam. Vale Prę-sulum decus eximium, Louanij anno à partu virgineo. 1543. sexto idus Augusti.

Candido

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANDIDO LECTORI.

NE quid in hoc autore euoluendo hæsites candide Lector, paucis de rebus te duximus præmonendum. Id igitur primum sit, quòd in eo exemplari quod ad nostras manus peruenit, quædam annotationes interdum ponebãtur in marginibus: quas, quum nequaquam pœnitendas censerem, non fuit animus penitus abiicere, nevel hoc commodo fraudareris. Verùm ne huiusmodi annotationibus margines replerẽtur, nec esset spatium ponendis sacræ scripturæ locis, quæ passim ab autore citantur, eas in reliquæ scripturæ ordinem redegimus, atque post eius particulæ textus enarrationem, ad quam ponebantur, locauimus: certis tamen quibusdam notulis, hinc quidem annotationem ipsam, illinc verò locum cui respondeant designantibus. Alias autem, quæ duobus verbis capitum sententias demonstrabant, suis locis reliquimus. Quin & paucis in locis, vbi operæpretium visum est, nostras quoque annotatiunculas margini addidimus: præsertim quum literæ dictio aliqua Hebraicam aut Chaldaicam habet originem, quæ loca autor noster, vt qui Græcus tantum esset, aut omnino prætermiserat, aut infœliciter tractauerat. In primo statim cuiusuis faciei initio nomen euangelistæ, vnà cum capitis numero iuxta Latinorum enumerationem posuimus: supra ipsos autem paginę versus, maiusculis literis, numerum capitis iuxta Græcorum supputationem, quòd eam solã author noster toto opere prosequatur:

Loca verò è Bibliis citata, aut ea concernentia, in margine annotauimus, numeris iuxta Latinorum distinctionem capita designantibus, quòd hæc opinemur esse tibi notiora. Vbi autem locus quispiam citatus, nõ fuerit in margine expressus, ad eiusdem voluminis locum antea citatum recurrito: id enim de industria omisimus, ne idem caput eiusdem voluminis toties iteratis vicibus annotaremus. Ignosces etiam pro tua humanitate candide Lector, quòd voces quasdam non vitauerimus, à quibus nostro hoc fœliciori seculo abhorrent nonnulli: veluti sunt, Saluator, Saluare, Compati, Compassio, Incompassibilitas, Dispensatio, Dispensatorie ac similes: potissimum quum viderem doctissimos ac eloquentissimos

tissimos Christianæ religionis proceres ab his nequaquam abhorruisse, Tertulianum dico, Lactantium, Cyprianum, Hieronymum & Augustinum, qui etiam. 13. de trini. cap. 10. ita loquitur: Nisi infirmitas esset, medicum necessarium non haberent, qui est Hebraice Iesus, Græce Soter, nostra autem loquutione Saluator: quòd verbum Latina lingua non habebat, sed habere poterat, sicut habuit quãdo voluit. Et merito hæc dicit Augustinus. Quis enim dubitat, quin Cicero, si nostris fuisset temporibus, nostræque fidei recepisset dogmata, plurimis vsus fuisset vocibus quibus non est vsus: quãquam & ipso verbo Saluare vsus est in L. Pisonem, & eius voce passiua. 2. de natura deorum. Quintilianus quoque libro 12. cap. 10. vsus est eodem verbo: quod etiam annotauerunt ante nos viri doctissimi. Quanquam recentiores typographorum castigatores hæc immutare ausi sint: siue id suo fecerint arbitrio, siue aliorum suasu, qui hæc deprauata fuisse asserebant, quòd rara essent inuentu. Ego tamen vulgo me nonnihil accommodare debui. Quia verò locum quemuis occurrentem idem autor, nullo prætermisso ita explanat, vt quæcunque circa eam materiam, aut idem euangelista alio in loco, aut cæteri recensent, pariter edisserat, ad minima vsque singulorum interdum verba, vbi vero sese postmodum eadem res obtulerit, ad dictam interpretationem citato iuxta Græcorum supputationem capite transmittat: idcirco præstat antequam autoris verba aggrediamur præmittere ordinem ac numerum singulorum capitum modo quo apud Græcos distincta sunt, quem & nos vnà cum autore in nostra versione seruabimus. Deinde quia in Græco, in quòd incidimus, exemplari, contextus euangelij non raro discrepat à nouorum testamentorum editione, quę passim Græcis excusa typis circunferuntur: quòd vbi accidit, plerunque conforme est exemplar Græci huius autoris editioni Bibliorum, quæ dominus Franciscus Ximenez archiepiscopus olim Toletanus, ac S.R.E. cardinalis, immensis sumptibus, laboribus ac vigiliis, maxima cum diligentia Cõpluti curauit nostris temporibus variis linguis excudenda: accitis vndique terrarum tum viris in linguarum cognitione doctissimis, tum exemplaribus castigatissimis ac vetustissimis: vel ab ipsa Leonis decimi bibliotheca, vel à Venetorum sena-

rum senatu transmissis : aut aliunde , nulla expensarum seu laborum habita ratione conquisitis . Ne quis ergo euangeliorum contextum nos temere immutasse existimet, loca discrepantia annotauimus : quanquam frequenter res sit exigui momenti, quæ dissidium faciat. Vbi autem Complutense hoc citauerimus exemplar, Græcum intelligimus contextum non Latinum : nam in hoc nihil à vulgata editione immutatũ est . Porro in quibus dissideat vulgata editio ab vniuersis Græcorum exemplaribus , ex aliorum tum versionibus tum annotationibus, facile cuiuis perspicuum erit. Præterea ne quis protinus vulgatam , hac in parte damnet editionem, quod ea quæ Græce per tempus præsens aut præteritum efferuntur, habeat in futurum versa, sicut nonnulli frequenter feciſſe videntur : animaduertendum est Euangelistas & Apostolos, quum genere Hebræi essent , hac in re sicut & in aliis multis , Hebraicum sequutos idioma , quo illi frequentissime pro præsenti, quod proprium nõ habent, aut pro futuro, efferunt præteritum: vtque in vniuersum dicam, tempus vnum pro alio Hebræi sæpenumero collocant: quod etiam Euangelistæ non raro fecerunt , nec solus Matthæus, qui patria scripsit lingua , hoc est Hebræa, sed & cæteri, qui Græce scripserunt . Quædam ergo ex innumeris locis seorsim recensuimus, in quibus manifeste præsens, interdum etiã præteritum pro futuro locatum est: quorum & nos quædam exigente sententia , per futurum vertimus : alibi quoque id ex literæ contextu aut ex ipsis commentariis planum erit: interdum verò ob autoris nostri enarrationem immutare nõ licuit. Est & alia peculiaris Hebræorum phrasis, quam nõ raro æmulantur Euangelistæ, qua pro epitheto siue nomine adiectiuo, addunt genitiuum substantiuum, dicentes: Deus pacis, misericordiæ, iustitiæ, vltionis: hoc est, pacificus, misericors, iustus vlciscens: lex mortis, id est mortifera: filij inobedientiæ, inobedientes: Iudex iniquitatis, iniquus: mammona iniquitatis, iniquum: vox clamantis, clamans: fortassis & merces iniquitatis , iniqua. Sic Iudas dicitur filius perditionis, hoc est perditus, aliaque innumera. Id plerunque immutare non licuit propter autoris nostri scholia, quę literam per genitiuum interpretantur: interdum quoque non libuit, quod apud omnes iam olim alia recepta esset sententia.

Adhæc

dum Latinos vero principium subsistentię Spiritus sancti sicut & patrem. Et quoniam omnia quæ patris sunt, ipse pater vnigenito filio suo gignendo dedit, præter esse patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex filio, ipse filius à patre æternaliter habet , à quo æternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationem illorum verborum, Filioque, veritatis declarandę gratia & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositum. Et infra de operum retributione subiungit : Illorumque animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quę post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus , vel eisdem éxutę corporibus, in pœnis purgatorij, prout superius dictum est , sunt purgatę, in cœlum mox recipi , & intueri clare ipsum deum trinũ & vnum sicuti est , meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernũ, pœnis tamen disparibus puniendas. Porro de prima illa diuersitate diei quo Christus agnum paschalem ederit , & de eo quo pro nobis mortuus sit, longa semper fuit inter Græcos & Latinos contentio , dicentibus Græcis ipsum decimatertia luna agnum edisse paschalem, passum verò decimaquarta, vt veritas responderet figurę: & propter illud Ioannis, Et ipsi nõ introierunt in prętorium, ne contaminarentur, sed vt ederẽt pascha : ac illud, Erat autem parasceue paschę : &, Ibi ergo propter parasceuen Iudęorum , quia prope erat monumentum , posuerunt Iesum . Siquidem illa parasceue nihil aliud erat, quàm dies pręparationis , quo se pręparabant Iudęi ad edendum agnum paschalem. Latini vero asserunt eum decimaquarta luna agnum quidem edisse paschalem, sicut & cęteros Iudęos: quia vt habet etiam Græcus Chrysostomus, ad mortem vsque semper seruauit legem: passum vero aiunt decimaquinta luna, propter alios tres Euangelistas, qui adstruunt fuisse primum diem Azymorum , quo Christus postremam cœnam cum discipulis celebrauit . Et hi autem & illi repugnantem scripturam obtorto collo trahere quodammodo videntur ad suum sensum. Quapropter operępretium facturus videor, si in tui gratiam beneuole Lector hoc loco dilucide annotauero , quæ varia lectione magnisque sudo-

Ioã.18.15 Matt.26 Marci.14 Lucæ.22

ribus hac de re in compendium redegi. Primum itaque notandum est, quòd naturalis dies apud Hebræos incipit ab occasu solis, & desinit in eiusdem occasum diei sequentis, iuxta illud, Factum est vespere & mane dies vnus. Mensis verò à coniunctione media Luminarium: & durat triginta diebus, duodecim horis, & duabus tertiis vnius horæ cum tribus minutis, quæ supputatio inuariabiliter conformis est cum Ptolemæo aliisque astronomis secundum medium cursum Lunæ. Annus autem exordium sumit à Neomenia siue solis ac lunæ coitione proxima æquinoctio vernali, secundum medium cursum solis & lunæ. Præterea omnia festa Hebræorum, quæ à Mosaica lege habentur, præter sabbathum, suam numerationem ac variationē per diuersos hebdomadæ dies, sumunt à primo die prædictæ Neomeniæ, à quo iuxta legem omnia sua festa numerant Hebræi: puta decimoquinto die eiusdem primi mensis festum erat Azymorum, & pridie eius diei, id est decimaquarta luna ad vesperam, edebatur agnus paschalis: A festo autem Azymorum transactis septem hebdomadis, sequenti die, nempe quinquagesimo, festum erat Primitiuorum siue Pentecostes: Post sex vero menses lunares ab eadem prima Neomenia, id est post centum septuagintaseptem dies, sequenti die erat festum Tubarum, nempe in Neomenia proxima æquinoctio autumnali. Decimo inde die festum expiationis celeberrimum. Decimoquinto eiusdem mensis die, festum Scenopegiæ siue tabernaculorum. Et ab hoc festo, die octauo, id est post septem eiusdem festi dies, occurrebat vltimū eorum festum, nempe cœtus vel collectæ siue retentionis: quòd solum designabat fidelium in sancta ecclesia congregationem, ac retentionem siue perseuerantiam, quod factū est post veteris legis finitas figuras ac ceremonias. Deinde animaduertendum est quod quando iuxta vernale æquinoctium, coniunctio luminarium secundum medium cursum occurrebat post decimamoctauam diei horā, quia iam peractæ erant plusquam tres quartæ partes diei, & declinabat magis ad diem sequentem, ideo seruabatur quoque die sequenti, & ab hoc numerabantur omnia prædicta festa.

Præterea si dicta prima Neomenia occurrebat secundo, quarto, vel sexto hebdomadæ die seruanda, reiiciebatur in diem sequentem. Nam si secundo hebdomadæ die fuisset seruata, tunc festum Expiationis, quod erat celeberrimum, occurrisset die sexto celebrandum: quod si sexto die seruaretur dicta prima Neomenia siue primus anni eorum dies, tunc dictum Expiationis festum die primo, quem nos vocamus dominicum, occurrisset ab eis celebrandum: quorum vtrunque admodum graue censebatur & valde onerosum toti populo, eo quòd duobus continuis diebus naturalibus, nempe festo Expiationis & Sabbatho, nullo modo liceret parare cibos, aut sepelire mortuos: corpora autem mortua, aut cocta olera non possent in tertium seruari diem, præsertim in calidis regionibus. Quòd si sexto die seruaretur prædicta neomenia siue primum nouilunium, tunc septimus dies festi Scenopegiæ siue Tabernaculorum occurrisset die sabbathi. In hoc autem septimo die multa lætitiæ signa ostendebant, quæ die Sabbathi facere non licuisset, septies circuneundo altare cum palmarum frondibus, in memoriam captę Iericho primę ciuitatis, quam in terra promissionis filij Israel huiusmodi septenaria circuitione ceperant. In hoc præterea die lectio quoque illa Psalmistæ publice decantabatur: Obsecro domine salua quęso: obsecro domine prospere age: benedictus qui venit in nomine domini. Psal. 117.

Nam & hanc constitutionem scimus quoque in vsu fuisse Israelitis, quum adhuc in captiuitate essent Babylonica. Siquidem ex Thargum Esther colligimus quòd eo die secabant frondes palmarum, atque decerpebant Citrea poma, abscindebant Rosmarinum, & faciebant sibi חושענא Hosana: legebantque in libris suis & orabant, lętabantur & hilares erant in חושענא Hosana, saltabant & exiliebant sicut hœdi. Vnde videre licet (vt hoc quoque docendi gratia addamus) vocabulum Hebręum חושיעה נא Hosia na vulgi more apud Hebræos etiam ante Christum natum fuisse corruptum, aut illos vsurpasse ipsum more Chaldaico, & deinde abusos fuisse pro solennitate palmarum, in qua cum ramis ceremoniæ fiebant. Et ita nato postmodum Christo, quum vellet populus eum honorare, & cum triumpho Ierosolyma deducere, ignorantes compleuerunt prophetiam Dauidicam, occasione sumpta ex surculis ab oliuis decerptis & in viam stratis, clamantes Hosana, id quòd clamare con-

 sueuerant

Universidad de Deusto Biblioteca

sueuerant in solennitate Ramorum. His itaque præmissis animaduertendum est, quod anno quo passus est Christus occurrit prima Neomenia, siue coniunctio luminarium proxima æquinoctio vernali secundum medium cursum solis & lunæ iuxta veram & exactam supputationem peritissimorũ Hebræorum, die quinto hebdomadæ post decimamnonam diei horam, cum aliquot minutis: & ita iuxta prædicta erat sequenti die seruanda. Sed quia sexto die, vt dictum est, nunquam seruabatur, idcirco Iudæi eo anno seruabant primum illud nouilunium die sabbathi: & ita decimusquintus dies eiusdem mensis, quo occurrebat festum Azymorum, iuxta Iudæorum obseruantiam etiam erat dies sabbathi: ideoque propter duorum festorum concursum, de illo dicit Ioannes, quod erat magnus dies ille sabbathi, vt etiam ad ea verba habet autor noster. Christus vero seruauit quidem Neomeniam sexto hebdomadæ die: quum enim post decimamnonam horam occurrisset quinti diei, rationabiliter vt dictum est, magis pertinere videbatur ad diem sequentem. Verum à sexto die ad sabbathum cum Iudeis transferre noluit. Nam hoc propter festa septimo mense futura faciebant Iudæi, vt prædictum est: Christus autem nouerat, quod per suam passionem quæ instabat, cessaret obligatio sequentium illorum festorum, sicut & cætera legis ceremonialia. Propter hoc itaque, & etiam quia sequenti die moriturus erat Christus, typicum quidem agnum vera & legitima decimaquarta luna, quæ fuit die quinto, comedit, quartadecima vero luna iuxta veterem Hebræorum numerationem etiam legitima, in cuius vespera Iudæi typicum agnum erant immolaturi, ipse verus agnus fuit immolatus: & ita veritas respondit figuræ. Horum autem causam, vt verisimile est, solum indicauerat patrifamilias in cuius ædibus pascha edebat, & ipsis duodecim discipulis, quorum Petrus & Ioannes ex iussu Christi necessaria parauerãt, nempe lactucas agrestes & baculos: nam agnus ipse decimo die mensis parabatur: panes quoque azymi, vt verisimile est, aliquot ante diebus, iuxta familiarum magnitudinem parati erant. Itaque nullus ex hoc passus est offendiculum, neque ob id coram iudice potuit accusari. Quin & Tertullianus Latinus autor, proximus apostolorum temporibus: de die passionis Christi

Christi ita loquitur in Apologetico aduersus Iudæos. Quæ passio intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est, sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino & Rufo Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die octauo calendarum Aprilium, die primo Azymorum, quo agnum vt occiderent ad vesperam, à Mose fuerat præceptum. Neque enim ob id dici potest primo die Azymorum mortuus, iuxta prædicta Tertulliani verba, quod ea nocte captus fuerit. Siquidem omnium testimonio in cruce & non in comprehensione fuit nostra redemptio. Et procul dubio diuina id actum est prouidẽtia, quod eo anno duplex decimaquarta luna occurrebat, vt diuersis respectibus, & hinc veri agni immolatio typico responderet, & illinc Christus ad finem vsque vitæ legem seruaret, vt habet etiam Græcus Chrysostomus, ac typicum agnum vera & legitima decimaquarta luna ederet, sicut eum edisse dicit Hieronymus. Et de hac decimaquarta luna, iuxta Christi numerationem loquuntur indubie Matthæus, Marcus, & Lucas, quum aiunt fuisse primum diem Azymorum. Nam quum hi tres euangelistæ magnam facerent huius cœnæ mentionem, & consecrationis Eucharistiæ, ostenderunt Christum etiam in hoc legem obseruasse, nempe iuxta veram ipsius supputationem, vt prædiximus: Ioannes verò qui de cœna, tanquam ab aliis latius tractata, vnico verbo absoluit dicendo, Cœna facta, aliam iuxta veterem Iudæorum obseruantiam decimamquartam lunam considerauit: ad excludendum errorem, qui nonnullis oriri potuisset ex aliis Euangelistis, nempe quod veritas non responderet figuræ in veri agni immolatione: & ideo dicit, quod die quo mortuus est Christus erat parasceue Paschæ, & quod non introierunt in prætoriũ ne contaminarentur, sed vt ederent pascha: vbi dictio Pascha nequaquam pro azymis capi potest, vt quidam volunt, tum quod nusquam alibi ita capiatur in scripturis, tum quod ad edenda azyma nusquam dicatur requiri, neque verisimile sit esse necesse, vt mundi sint, quum pœna mortis intentata, septem integris diebus naturalibus præciperetur eis vt azyma ederent, & non fermentatum panem, & tamen illam immunditiam leuissimas ob causas contrahebant. Quod autem aiunt nonnulli, Iudæos præcedenti die occupatos circa

Luc. 22.

Exod. 12.

Ioan. 13.

Ioã. 19. 18.

Exod. 12.

capiendum Christum, neglexisse agnum edere paschalem, & quod idcirco nocte sequenti illum essent comesturi, non fit verisimile. Siquidem etiam illi qui legitimo tenebantur impedimento decimoquarto die primi mensis, non poterant sequenti die pro libito agnum edere paschalem, sed sequentis mensis die similiter decimoquarto ad vesperam, vt habetur Numeri. 10. Itaque die passionis Christi quum nondum inchoata esset solennitas Paschalis aut Azymorum, iuxta veterem Iudæorum obseruantiam, licebat eis vsque ad solis occasum iudicialia exercere, accusare, testes adhibere & examinare, sententiam ferre, Simonem cogere vt crucē tolleret, sepelire, aromata præparare, aliaque plurima agere, quę Iudęi nequaquam fecissent, si decimamquintā lunam & ita festum Paschę & Azymorum eo die celebrassent, quum facta sua per legem Mosaicam iustificare niterentur, dicentes: Nos legem habemus & cætera, & maxime Ioseph ab Arimathæa vir bonus ac iustus & Nicodemus qui Dominū sepelierunt, qui propter parasceuen Iudæorum, quia prope erat monumentum, ibi posuerunt Iesum, ait Ioan. 19. capite. Circa quæ verba habet Augustinus: Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne adueſperasceret, quum iam aliquid tale non liceret propter parasceuen, quam cœnam puram Iudæi Latine vsitatius apud nos vocant. Neque enim aut hi, aut piæ illæ mulieres adhuc cognouerant cessare in Christi morte legalia. Demum, vt epilogo concludamus, Christus suum pascha iuxta legis Mosaicæ tenorem celebrauit, Iudæi autem die sequenti iuxta patrum traditiones: quippe qui legale præceptum de Paschæ obseruatione hac sua traditione corruperunt, quàm refert Historiographus eorum Sedar Olam: cuius traditionis, relictis compendij gratia Hebraicis, hæc sunt verba. Sic statuerunt magistri nostri iudices Sanhedrin magni nominis in seculo. In domo sanctuarij secunda, quum extructa esset & consummata, tunc apparuit solium igneum perfectissimum, super quòd sedebat rex mundi sublimis valde stans inter porticum: & acceperunt coronam, appenderuntque sigillum reconditum, & sanxerunt, ordinaueruntque statutum perpetuum: & traditū est in manu Rabbi Eliezer, qui reliquis omnibus maior erat: & is ordinauit diem sortium non obseruari secundo, quarto,

quarto, septimo hebdomadę die: neq; Pascha secundo, quarto, sexto: neque diem Retentionis tertio, quinto, septimo: neque principium anni secundo, quarto, sexto: neque diem Expiationis primo, tertio, sexto in æternum. Hæc, si cui placeat, latius videre poterit in Paulo Burgensi super matthæum cap. 26. & in libro quem edidit Paulus Middelburgensis episcopus Sempronianus de celebratione Paschæ. Nihil ergo eorum quæ noster habet autor tibi nocumento esse poterit pie Lector, si his te prēmuniri curaueris antidotis. Lege itaque secure, quæ non sine maximo fructu leges. Antequam tamen accedas, quæso errata quædam, quæ operarum ac castigatorum prætersugerunt oculos, & à nobis in vnum redacta sunt locum, ad rectam lectionem reuoces.

ERRATA.

A primam faciem chartæ. B secundam indicat.

197. A. versu. 25. lege Foris.
200. A. vers. 3. quumque
215. A. vers. 24. dele autem
232. A. vers. 3. corroborabat.
250. A. vers. 1. splendido.
253. B. penulti. ver. eundum.
263. B. vers. 6. Accidit.
274. A. vers. 23. debilitatam.
284. A. vers. 36. Batus.
294. A. vers. 34. quem.
343. A. vers. 8. auscultatis.
395. B. vers. 19. potestis
400. B. vers. 1. Deinde.

Index rerum memorabilium in cõmentariis Euthymii.

Abba patrem significat. 165.D
Abrahæ filij qui. 16.C
Abraham sinus quid 49.A
Acheldema, sonat prædium sanguinis 172.D
Adam mortuꝰ & sepultus est in mõte Caluariæ. 176.B.C
Adã veteris inobedictia paradisum nobis clausit, obedientia noui reclusit. 18.A
ἀδημονεῖν quid 165.A.B
Adolescentulæ nomine scriptura virginem etiam intelligit. 7.C
Adoratores veri qui 332. F. & sequen.
Aductus Christi duo. 326.C
Adulterium quid 96.F
Adulterium sæpe pro idololatria in scripturis 78.E
Adultera gens Iudæa quare vocata 78.D,E
Adultera generatio quæ. 207.A
Adulteri lapidabantur. 357.F
Aerem cœlum nõnunquã vocat scriptura 81.C
Aetas triginta annorũ solidæ ac perfectæ prudentiæ est. 14.B
Affligitur iniuste nullus. 13.B.C
Afflictiones toleratæ pro domino sunt gloria seruis. 389.B
Ager mundus dicitur 85.A 86 C
Agnus quomodo Christus appellatus 316.A
ἀγραυλεῖν quid 232.F
Alabastrum quid 156.A
ἀλαλάζειν quid 200.B
Alapa quid 170.D
ἀληθινὸν aliquando significat eximiũ, incorruptibilem, spiritualem 395.A
Amantem redamare nõ virtus est sed naturæ consentaneum 33.D
Amen quid 48.F
Angeli iustos custodiunt. 112.A.B
Angiportus qui 34.D
Anima nonnunquam pro homine 195.A
Anima maxime propria hominis pars. 350.B
Animæ morbus quis 22.C
Animæ mortuorum dæmones fiunt 53.A
Animæ est & abrietas. 335.A
Anna figuram noui testamẽti gerebat 236.A
ἄνθρωπος virũ & mulierem significat 51.D
Apex linea obliqua est. 27.A
ἀπορίπτεως significata. 70.E F.& sequen.
Apostoli non propria potentia, sed diuina gratia dæmones eiiciebant 76.D
Apostolorum duo chori. 258.F. & quid præfigurabant. 259.A
ex Apostolis duo tantũ euangelium scripserunt 1.E
ἀποσοματίζειν 267.D
Aqua in baptismate idem est quod vterus in generatione carnali 324.A
Aqua viua 331. A
ἄραγε particula confirmatiua 45.B
Arbitrium liberum 351.E
Area orbis vniuersalis ecclesia dicitur 17.E
Arena voluptatum amorem significat 47.A
Arentia loca quæ 79.D
Argenteus quid 157.B
ἀρχὴ plura significat. 309. D
Arundo comminuta Iudæos significat 75.B
ἀσσάριον quid 65.C
Asina Iudæum populum figurabat 126.A
Auaritia solicitudinẽ & mœrorem adfert 268.E
Azyma pascha vocant euangelistæ 157.D
Azymorum festum dicebatur paschæ festum 299.B

B

Baptisma pœnitẽtiæ qđ. 16.E
Baptismata duo 413.F
Baptismatis typi 324.E
Baptismi Ioannis ritus. 17.F
Baptisma Ioannis & Christi differentia 16.F. 189.B
Baptismus Ioannis & Apostolorum idem erat ante spiritum datum 327.D
Baptizauit Christus matrem & Petrum. Petrus reliquos Apostolos 323.E
Baptizare in spiritu & igni. 239.C
Baptizatus cur Christus. 16.D.E
Baptizati igni & spiritu sancto quãdo Apostoli. 17.A
Baptizato cuiuis datur diuina gratia 281.A
βαπτολογία quid 35.A
Beelzebul princeps dæmoniorum 64.F
Beneficia conferentes ambitionem execrentur 47.F
Bethania erat castellum Mariæ & Marthæ 263.A
Bethania iuxta Ierosolyma sita 315.F
Bethsaida oppidum situm erat ĩ terra Gẽnesaret. 94.C
Bethlehem Iudææ oppidũ. 14.A
Blasphemia quid 96.F
Blasphemia spũs. 77.B.C.D
Bonitas humana respectu diuinæ malitia est 43.D
Bonus nemo nisi deus. 118.B
Brachium fortitudinem significat. 229.D

Brachium patris filius est. 384.A
βρῶσις quid 38.B
C
CAecus quid designet. 128.C
Cæsareæ duæ. 101.D
Calcaneus & supplãtatio insidias significat 387.F
Cananæa mulier ecclesię typum gerebat 98.D
Cananæi Phœnices dicebãtur 97.C
Canes quinam sint 42.E.F
Capernaũ oppidi situs. 21.A
Capernaum ciuitas Christi. 54.A.70.D
Capernaum situm erat in terra Genneſaret 94.C
Capillorum numerus quid designet 65.D
Caput vngebant antiqui lætitiæ causa 37.E
κάρφος quid 42.A
κατάλυμα quid 158.C
Catinus lancis genus est. 159.F
Caro pro prudentia carnali. 359.E
Centenarius numerus perfectionem significat 112.D
Centurionis fides. 48.C.D
κιρματισταὶ qui 321.F
χιτὼν dicitur intima vestis. 177.C
Christi genealogia 2.E
Christus non erubuit descẽdere ab illegitimis progenitoribus. 4.C
Christi conceptus curiosę nõ scrutandus 6.A
Christus non sensim sed rẽpente quantum ad formationem perfecte factus est. 6.E
Christus Dauid filius dictus. 3.B
promissus olim 3.B
Christus duobus modis dicitur panis 349.E
Christi titulus super crucem diuina prouidentia positus est 178.A
Christus habuit spiritum tãquam magistrum 241.A
Christus rex erat secundum humanitatem & diuinitatem 9.D.E
Christus Nazarenus quare dictus 191.A
Christus quomodo lux dicatur 311.A
Christus quomodo sponsus dicatur 57.A
Christus medicus quomodo dicatur 57.A
Christ⁹ quare leo dicat. 63.D
Christum quomodo vngemus 181.E
Christum sequuturo quid agendum 258.F
Christi & patris æqualitas ostenditur 54.E.338.A
Christ⁹ quare triginta annorum ad baptisma venit. 14.B.C
Christus venit vt nostra susciperet opprobria. 4.C
vt medicus nõ iudex. ibidẽ.
Christus complementũ legis & prophetarum est. 107.B
Christi doctrina differebat à pharisæorum 47.B.C
Christi pueri miracula, liber ♭ apocryphus 321.B
Christus cur curam puerorũ qui pro ipso iugulati sunt curã non habuit 13.B.C
Christ⁹ etiã docebat operib. 23.A
Christus semper fugiebat populi plausum vbi magnũ aliqđ signũ fecisset. 374.B
Christus cur circũcisus. 233.F
Christi paupertas quãta. 51.B
Christus quot vestib. induebatur 177.A.B.C
Christiani insigne est dilectio 153.F. & seq.
De Christi aduentu 153.B 326.C
Christus cur sero miracula edidit 12.A
Christũ dedecore afficit qui indigne recipit 11.A
χρίσματα ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι dicuntur 211.A.B 291.C
de Cibis 95.F. & seq.
Cibi cura non habenda. 39.A
Cincti omnes à scriptura sancti inducuntur 15.B
Circuncisus cur Christus. 233.F
Circuncisio Hebręorum baptisma Christianorum figurabat 234.A
Ciuitas sancta Ierusalem dicta 19.D
Claudus quid designet. 128.C
Clibanus quid 40.C
Cœlum aliquando pro aere. 260.D.347.C
Cogitationes deus solus nouit. 7.E
Cogitatiões malæ quæ. 96.F
Cognitio p coitu honestiori vocabulo 7.F
Colaphus quid 170.D
κολλυβισταὶ qui 128.A.321.F
Columbæ simplicitas 63.B
Columbæ specie cur spiritus sanctus apparuit 18.B
Columbarum natura. 18.B
κωμόπολις quid 192.E
κόμφος quid 335.E
Concupiscentia & ira naturaliores affectus sunt. 27.F
de Cõfessione Christi. 65.D
Cõfiteri gratias agere etiam significat 71.A
Confiteri etiam cõdemnare significat 45.E
Contrarium aliud est quàm diuersum 2.B
κωφὸς & mutum & surdum significat 59.B.127.B
κόσκινον 301.A
Corbona quid 172.C
Cor etiam mẽtem significat. 38.C
Corde puri qui 24.B.C
Cor terræ quod 78.F & sequen. A

Cornu inungebantur reges, ideo regnum aliquãdo designat. 231.A
de Correctione fratris. 112.F
Correctio qualis esse debet. 42.B C
Corpus & sanguis Christi nõ sunt figuræ. 161.D
Corporis non habenda cura. 14.F
προστιθέναι quid 58.A
Crastinus dies non curandus 41.D
Creati sumus non vt edamus & bibamus & vestiamur, sed vt æternis fruamur bonis. 41.B
Creatura dei possessio est, ideo non per eam iurandum 31.A
Crux quid designet. 211.A 278.F & seq.
Cubiculum orationis mens est. 34.E F
Cubitus propriæ mensuræ statura est. 40.A
κυλλὸς etiam manibus carentem significat. 98.E 111.F

D

Daemones libenter habitant in sepulchris. 53.A
Dæmones fiunt ex animabus mortuorum. 53.A
Dæmon multa habet nomina & ab vnaquaq; malitia sua sortitur appellationem. 190.B
Dæmoniorum princeps Satanas. 76.A
Dæmonum vasa qui dicantur. 76.F
Dæmones egrediuntur oratione & ieiunio. 109.B
Dæmonibus nõ credendum etiã vera narrantib⁹. 191.C
Dalmanutha Magdala etiam dicebatur. 100.A B
Damnati in futuro seculo vident fruitiones iustorum. 286.A B
Damnatorum tres ordines. 81.F
Dauid filium nominari apud Iudæos honorifica appellatio. 58.D E
Debitum peccatum dicitur. 36.B
Decimæ quales exigendæ. 140.C
Denarius numerus aliquando multitudinem significat. 293.B D
Desertũ quid designat. 237.F
Deus colitur maxime misericordia. 154.A
Deus quomodo visus fuit. 314.C
Deus simplex & sine figura est. 314.C
Deus solus nouit cogitationes. 7.E
Deus quomodo videatur. 112.B
Dei manus, potentia eius est.
Dei operatio duplex. 338.A
Dei pœnitentia, est propositi mutatio. 120.C

Dei scientia duplex. 45.E
Deum quomodo videre possumus. 10.F
Dei locus. 35.D
Dei filius homo factus est vt homines filij dei fierent. 312.E
Dei filij qui nam sint. 33.B
Deus quomodo loquutus sit priscis patribus. 1.C
Deus apostolis suis nihil scripti reliquit, sed spiritũ sanctum omnia illis suggesturum promisit. 1.D
Deus omnia implet. 31.A
ex Deo qui dicantur esse. 363.C
Diabolus multas sortitur appellationes. 371.A
Diaboli desideria quæ. 362.F & sequen.
Diabolus volũtate malus est, non natura. 36.E
Diaboli vasa. 77.A
Diabolus omnis mali causa est. 36.F
Diabolus præstantiores quosque expetit ad palæstram. 301.A
διαστέλλομαι quid. 100.E F 102.E
Didrachmum quid. 109.F
in Diebus illis dicere mos est scripturę pro sequentibus. 14.B
Dilectio insigne est Christianorum. 153.F & seq.
Diligere diligentem non est virtus sed naturæ consentaneum. 33.D
de Diligendo proximo, 32.F
Dionysius Ariopagita. 280.D
Diuersorium dicitur etiã tentorium. 10.G
Diuersum aliud quàm contrarium. 2.B
Dives epulo Nineusis appellabatur. 285.E
Dives difficulter intrat regnum cœlorum. 119.B
Diuina essentia immutabilis & passionum expers. 312.E
Diuina natura nec videri nec cognosci potest. 391.D
Diuitum quidã pereunt quidam saluantur. 149.A
de Diuortio. 115.F & seq.
Docendi mos mala prohibere, & vtilia cõsulere. 277.D
δοχὴ, aliquando pro ὑποδοχὴ. 245.B
Doctorum proprium probris affici. 24.F
Doctrinæ facta respondeant. 27.C
Domus ædificata supra petrã quid designet. 46.C
Donec particulę vsus in scriptura. 7.F
Drachma humanam naturã significat. 280.C

E

Ἑκατόνταρχος Centurionem significat. 180.C
Ecce, dictio idioma Hebraicum resipit. 54.B
Ecclesiæ nomine præsides aliquando intelliguntur fidelium,

delium. 113.C
Ecclesia sponsa Christi est. 328.A
Ecclesia fideles sunt. 102.C
Electuri aliquem in oratione ad deũ pernoctemus. 195.E
Eleemosynæ varius modus. 24.B
Eleemosyna quomodo facienda. 33.E
Encænia templi circa autumnum celebrabantur. 372.E
ἐπιδύτης quid. 419.D
ἐπισάτης. 288.B
ἐπιτιμᾶν quid. 52.C 74.D 103.C D aliquando silentium imponere significat. 243.B
ἐρωτᾶν aliquãdo deprecari significat & Iubere & vocare. 97.D 243.C 250.C 278.B 279.C 286.F
Eructo loquor etiam significat. 86.F
ἐργασία quid. 29.C
Et factum est, Hebræi pro cõsuetudine in principio narrationis ponere solẽt. 47.B
Euangelium quare sic dicatur. 2.D
Euangelium regni nouum testamẽtum est. 22.C 180.D
Euangelium regni dei quod. 190.D
Euangelia quare videantur dissonare aliquando. 2.A B
Euangeliorum quatuor, capita præcipua. 2.A
Euangelistæ qui dicanꝰ. 2.E
Euangelistarum fides. 55.E
Euãgelistarum veritas in quare appareat. 170.E
Euangelistarum mos. 180.C
Euangelistæ non eodem tempore & loco scripserunt. 2.A
Execrari deuouere est. 171.A
Exempla non vndiquaque aptantur rebus. 76.F
ἐξομολογεῖν quid. 299.D

F

FAcies Iesu quid designet 105.C
Fames Ieroſolymitana. 145.D
Familiaritas parit contemptum. 334.F
Fermentum Phariſæorũ doctrinam eorum significat. 100.F
Fermenti natura. 85.D
Ferocitas manſuetudine vincitur. 62.F
Feſtuca quid designet. 42.C
Ficus ſynagogam designabat 273.E
Ficus infrugifera quid significet. 129.B
Fides ſola non ſufficit. 45.C D 46.B
Fides ſufficit loco ſignorum. 18.C
Fides deprecantis multum iuuat miraculum. 49.C D
Fides partim à nobis inducitur, partim à deo datur. 287.D
Fides via est ad deum. 347.F
Fides voluntaria est. 311.D
Fieri tribus modis dicitur id quod iam est. 312.E F
Filij dei qui nam ſint 33.B
Filij non puniuntur pro parentibus peccatorib. 365.C
Filij Abrahæ qui. 16.C
Filij regni qui dicãtur. 86.C
Filium nemo cognoſcit niſi pater deus. 71.C
Filiꝰ hominis quomodo Chriſtus dicatur. 86.C
Forum quid. 69.D
de Fratris correctione. 112.F
Fratres inter ſe mutuo omnes ſunt. 186.A
Fratres Chriſti qui dicantur. 80.D

G

GAzophylacium quid & vnde dicatur. 215.F
Galilæa Palæſtinę regio. 13.E
Galilæa à Iudęis male audiebat 318.F
Galilæa gentium quæ: 21.B
Galilæa olim data est in sortẽ duabus tribubꝰ Zabulon & Nepthalim partem tamen eius inhabitabant gentes. 21.A B
Galilæorum ſupplicium à Pilato. 273.B
Gehennon quid. 28.E
Gehenna vnde dicatur. 28.F
Genealogias p mares texere moris erat. 3.E
Generationis librum cur titulum dederit Matthæꝰ. 3.A
γένεσις etiam natiuitatem ſignificat. 2.E
Genethliaci reprehenduntur. 8.F
Genneſaret ſtagnum iunctũ erat Tiberiadi. 94.D
Gentium nomine etiam Hebræi intellecti. 187.D
Geraſa ciuitas Arabiæ. 52.F
Gergeſa ciuitas ſtagno Tiberiadi adiacet. 52.E
Gladius dolorem ſignificat. 235.E
Gladius quid designet. 65.F & ſeq. A
Gloria inanis quid. 33.F
Gloriæ vanæ nõ ſtudendum. 50.C
Gomorrha & Sodoma libidine perierunt. 62.D
Gratia pro veteri ac nouo teſtamento. 313.F

H

HEbræa lingua ſola inconfuſa. 15.D
Hebræi vnde dicti. 15.D
Hebræi ſingulis annis didrachma pendebant deo in gratiarum actionem. 109.E
Hoſiana quid. 127.B C
Hoſpitalitatis commendatio. 66.F
Humilitatis modi varij. 23.C
Herodes cur clam vocauerit magos. 10.A
Herodes quonam fato obierit. 13.E
Herodes infanticida primus alienigena Iudæis imperauit. 74.C
Honores fugiendi exemplo Chriſti

Christi. 345.C
Humilitas vera quæ. 71.F
Hypocrita quis. 34.B

I

Iacobus frater domini vnica tantum veste vtebatur. 168.D
Iacobi duo. 60.E
Iairus archisynagogꝰ. 57.E F
Iechonias Ioachas etiam dictus. 5.A
Ieiunare tribulationis est. 57.B
de Ieiunio. 56.F
Ieiunium. 37.D
Ieiunium magnum propugnaculum dæmoni repugnaturis. 18.E
Iesaiæ. 45. Ego faciens pacem & creans malum exponitur. 41.E
Iesus saluatorem significat. 2.F
Ignis pro fide ac dilectione. 271.C
Ignis quid significet. 65.F
Imaginum tabulæ nullæ erãt apud Hebræos 106.B
Imperfecti qui. 118.F
Impudicitia quid. 96.F
Incarnationis mysterium latuit diabolum. 19.A
Incredulitas mutum reddidit Zachariam. 227.A
Infernus locꝰ supplicij. 286.A
Infideles omnes simul per se condemnabuntur. 153.E
Inimicos amare virtutis vertex est. 33.A
Iniuria quomodo ferenda. 177.D
Iniuria afficitur iniustè nullus. 13.B C
Iniustitia aliquando pro omni peccato. 140.D
Intellectus pro mente. 215.B
Ioachas Iechonias dictus. 5.A
Ioannes sonat gratiã vel gaudium. 226.C
Ioannes quando scripserit euangelium suum. 309.D
Ioannes quare scripserit euangelium. 1.F
Ioannes euangelista translatus est vt Enoch. 421.D
Ioannes Baptista prophetarũ vltimus. 69.A
Ioannes baptista amicus sponsi dictus. 317.A
Ioannes baptista angelus domini dictus. 68.B
Ioannes baptista lucerna ardens. 342.A B
Ioannes cur missus ad Iordanem ad prædicandum baptisma. 14.G
Ioanni baptistæ in eremo omnia diuina prouisione subministrabantur. 14.F
Ioseph quare angelus in somnis apparuit. 6.D
Ioseph iustus dicitur. 6.A B
Iota, linea recta. 27.A
Ira & concupiscentia naturaliores effectus. 27.F
Irascendum quandoque sed opportune. 28.C

Israelita vere quis dicatur. 319.A
Israel videns deum interpretatur. 9.F
Israelitæ vnde dicti. 15.D
Israel vetus & nouus. 229.F
Israeliticus populus ad duodecim radices relatus. 3.F
Israel oues perditę quę. 61.B
In Israelitico populo tres gubernationum modi vsque ad Christum. 5.E
Iudæa Palęstinę regio. 13.E
Iudęi variè appellantur. 15.D
Iudæi vnde dicti 15.E
Iudas non quia natus malus effectus est, sed quia ignauia torpuit 160.B
Iudicium pro condemnatione. 41.F 369.A 307.B
Iudicium iustitiam significat 75.C
Iudicium legem euangelicã etiam significat. 75.A
Iugum domini quod. 71.E F
Iugum domini quare suaue. 26.E
Iuramenta quare permissa olim 31.B
Iurans facile aliquando fortasse peierabit. 30.E
Iusiurandum dei, confirmatio est 231.C
Iusti aliquãdo provirtuti deditis. 225.F
Iusti habẽt angelos custodes. 112.A B
Iustitia præceptum dei etiam significat. 17.E
Iustitia regni dei quæ. 41.B
Iustus quis dicatur. 6.A B
Iustus Ioseph dicitur. 6.A B

L

Lacus erat sub altari in tẽplo vbi recipiebatur sanguis animaliũ immolatorũ 213.E F
Lampas virginea quæ. 150.E
Latrones duo veterẽ & nouũ populũ designabãt. 178.B
Lauabãt prãsuri Iudęi. 266.B
Laudẽ fugiamus etiã si quid ea dignũ fecerimus. 192.C
à Leone comparationes ductæ. 63.D
Lepra aĩę peccatũ est. 47.E F
Leprosum tangere lex prohibebat. 47.E
Lex aliquando pro veteri testamento. 285.C
Lex nõnunquã pro tota scriptura. 357.B 383.A
Lex liber psal. 373.F. 398.A
Lex vetus se seruantibꝰ bona terrę ꝓmittebat tãtũ. 26.F
Lex vetꝰ quare imꝑfecta. 26.E
Legẽ cõpleuit Christꝰ. 26.D
Lex noua quid ꝓmittit. 27.E
Legis & gratiæ differentia. 314.A B
Liberum arbitrium. 351.E
Linum fumigãs Iudæorũ animum accensum aduersus Christum significat. 75.C
Locustæ cibi genus quod nã fuerit Ioãni Baptistę. 15.A
λόγος plura significat. 309.E
Lucas Pauli sectator. 1.E

Lucas quare scripserit euan. Ibidem.F
Lucæ vita. 225.B
Lucas vnde orsus est genealogiam Christi 3.D
de Lucerna. 38.D
Lugere quō debeam⁹.23.DE
Lugētes scindebāt vestē, nigraq; induebantur stola. 177.E
Lugendi nō sunt diu mortui 377.C
Lunatici qui. 22.E
de Lunatico. 108.AB
Lumbi sedes sunt libidinis. 270.A
Lux Christus dicta. 21.C
Lux, prædicatio 311.B
Lucis filij qui. 284.D

M

MAgdala Dalmanutha dicebatur. 100.AB
Magi Persæ erant. 8.C
Magi quomodo agnouerint Christum 10.E
μαλακία quid. 22.C
Malum facere deū nō est potentię sed impotētię.119.E
Mali nomine interdū diabolus dicitur. 36.E
Mali initiū est negligere bonum. 119.E
Malis è duobus leuius est eligendum. 90.D
Malitia quid. 96.F
Mandatum primum & præcipuum. 236.E
Manuum lauatione ꝓtestabātur Iudęi se cędi alicui⁹ non communicare. 174.F
Manus dei. 373.C
Man⁹ dei potētia ei⁹ est. 76.D
Manus dextra ministrū commodum significat. 30.B
Marcus Petri sectator. 1.E
Marcus cognominabatur Ioannes. 180.B
per Mares genealogias texere moris erat.
Margaritę qd designēt. 42.E
Mare aliquando infernum significat. 129.C
Maria virgo ꝓtus dolores nō sustinuit more aliarū. 10.D
Marię virgīs obediētia. 234.B
μαρτύριον pro redargutione. 48.A B
Mater Christi q dicātur. 80.d
Matthæus quo scripserit tēpore & quibus, quaq; lingua. 2.C
Matth. Leui appellabāt. 55.C
Matthæi vocatio. 55.C
Mel syluestre quale. 15.A
Mens oculus animæ est. 38.E
Mensa non attingenda nisi gratiis actis. 92.C
Messis dominus. 60.A
Messis quid designat. 259.AB
Messis nomine, qui crediturierant. 59.E
Messis mundi cōsummationē significat. 84.D E. 86.D
Messis collectio iustorū est. 198.C
Messis fides dicitur. 334.A
Messores angeli dicuntur. 84.E 86.D

Minimus

Minimus in regno cœlorum quis. 27.B
Minutū monetę genus. 215.F
Miraculum iuuatur multum fide deprecantis. 49.CD
Miracula qua ratione edebat Christus. 58.F
Miracula cur Christus sero edidit. 12.A
Miracula non saluant, sed vita recta. 46.B
Misericordia maxime colitur deus. 154.A
Misericordię vari⁹ mod⁹. 24.b
Mites qui dicantur. 24.A
Mititas pars modestiæ. 71.F
Mons quos designet. 238.AB
Montis nomine diabol⁹ etiā significari pōt. 109.A 127.c
Mōtana Iudęę ciuitas. 228.E
Morbi plurimi è peccatis oriuntur. 54.D
Mors aīæ & corporis. 349.D
Mortis vmbra peccatum est. 231.F
Mortui nō diu lugēdi. 377.C
Mortui olim vngebātur myrrha. 10.E
Moses linguæ tardioris erat. 105.F
Multos frequenter vocat scriptura ꝓ omnibus. 124. EF
de Muliere dimissa. 30.C
Mulier semen fouet enutrit ac coagulat. 3.E
Mūdi nomine aliquādo mali intelligūtur. 405.M & seq.
Mundus, pro iis qui mūdana sapiunt. 311.F
Mundus aliquando multitudinem significat. 381.B
Mundus aliquādo malitiam denotat. 394.E
Munera magorū mystice interpretata. 10.E
Munera quæ offerre debemus. 11.A
de Mutuando. 32.F
Myrrha vngebantur olim cadauera. 10.E

N

NAtalitia olim celebrabātur à principib⁹. 90.B
Natiuitas Christi radix nostræ salutis. 3.A
Nazaret patria Christi. 88.C
Nineusis diues ille appellabatur. 285.E
in Noīe domini qd. 127.CD
νόσος quid. 22.C
Nox oli diuisa ī tres aut quatuor vigilias diuisa. 270.D
Nuptias honorauit Christus. 320.A
Nuptiæ mysticæ. 151.C

O

OBediētia virginis Marię. 234.B
Obliqua quæ sint. 238.C D
Ociosum verbū quod. 78.B
Oculus mal⁹ quid significet. 96.F
Oculi nomine amic⁹ idone⁹ intelligitur. 30.B
Offēdiculū ꝓ cōtumelia. 111.c
Offendiculum quomodo vitandum. 110.BC
Offerre quæ debeamus deo.

ii. A
de Offerētib⁹ munera. 28.F
Oleum eleemosynæ virtutē significat. 150.F
ὁμολόγησις quid. 90.B
nō Omnis pro nullus in scripturis. 146.A 370.D
Operatio dei duplex. 338.A
Opera dei quæ. 347.A
Opera quomodo ostēdenda. 26.B
Operarij messis qui. 259.A
ὅπως particulæ significatio. 141.D
Orandi formula. 35.C
Orandum crebro & non defatigandum. 166.A
Orandum intente. 403.A
Orare quomodo oporteat. 34.D E & seq.
Oratio dęmoni terribilis est. 109.B
Oratio nostra qualis. 290.F
Oraturus solitudines quęrat. 165.A
ὀργὴ quid. 93.C
Ostiu anagogice quid. 369.E
Ouis errās qd designet. 112.d
ὀυὰ subsannantis aduerbium. 178.C

P

Παῖς filium & seruum significat. 49.F
Palęstina vbi sita. 8.F
Pallium quid. 32.B
Panis vitæ. 347.E
Panis noster cur dicatur. 36.a
Panis noster duplex. 37.B
Parabolā ęnigma vocant Hebræi. 96.C
Parabola pro exemplo. 147.F
Parabola significat quandoq; narrationem. 86.A
Paralytici sanatio. 54.BC.
Parentū cura habēda. 412.F
Parentum iniquitas non nocet virtuti dedito. 4.C
Parentibus naturalibus non solum obsecundādum sed & adoptiuis. 237.A
Parentū vana iactātia. 4.DE
Parētibus pręponēdus Christus. 22.B
παροψὶς patinæ genus est. 140.D
Pascha quando & quomodo celebrabatur. 158.F & seq.
Pater quō maior filio. 394.D
Patrē deum nemo cognoscit nisi filius. 71.C
Patris voluntas quæ. 45.D
Patitur iniuste nullus. 13.B
Pauperes spiritu qui. 23.A B
Pauperum quidam pereunt, quidam saluantur. 149.A
Paupertas Christi quāta. 51.B
Peccata plura committimus in deū q̄ alij in nos. 115.D
Peccata remittere solius dei est. 54.D
Peccatum causa est mortis. 394.E
Pedes etiam infidelitatem significant. 42.F
Pera panis conditoriū. 301.C
Pera quid. 61.EF
περιάγω aliquando percurro circumeo. 139.F
in Periculū manifestū se cōiicere temeritatis irrationalis est. 352.E
de Periurio. 30.E
Persæ magicis rebus diditi erant. 8.C
Persequutiones patiētes non omnes beati. 24.E
Petere quid quomodo debeamus. 43.BC
Petentibus dandum. 32.E
Phares natiuitas. 4.A
Pharisæi qui 15.E
φασκώλιον quid. 301.C
φραγέλλιον quid. 175.A 321.F
Phylacteria quæ dicantur. 138.E
Pilatus à Tiberio prędes prędectus Iudææ. 13.F
Pinnaculū templi quid. 19.E
Piscina probatica figurabat baptismum. 336.CD
Piscium captura quid designabat. 244.AB
Pistica nardus. 379.D
Pluuia & sole omnia vegetātur. 33.C
Pluuiam impetuosam serenitas stabilior sequitur.
Pœna futuris seculi erit æterna. 337.D
Pœnitentia dei est propositi sui mutatio. 119.C
ποιμαίνω regere & pascere significat. 9.E
πόλις quid. 192.E
Populus dei qui. 7.A
Porci quinam sint. 42.EF
Porta angusta quæ. 43.F
Portæ inferorum quid designent. 102.C
πῶς confirmat aliquando. 211.A
Prędeptor qualis esse debeat. 101.C
Præceptoris officiū est obiurgare, consolari, excitare. 40.F
in Præceptores non insurgendum. 138.A
Primogeni significata. 7.F & sequen.
Primogenita Hebrędrū consecabantur deo. 234.C
Probitas aut improbitas à ꝓpriis non alienis pēdet operibus. 4.C
Probrum por miseria. 70.C
Podigia quæ sint. 335.F
Progenitorum iniquitas non nocet virtuti dedito. 4.C
Prophetas cōpleuit Christus 26.D
Prophetæ vocabantur diuini viri. 367.C
Prophetarum vltimus Ioannes Baptista. 69.A
Prophetici multi perierunt. 14.A
Prophetia quoque de præteritis est. 319.B
de Proximo diligendo. 32.F
Proxim⁹ quis dicatur. 261.EF
πτωχὸς vnde dicatur. 23.B
Publicani qui 33.D
Publicani dicti etiam peccatores. 56.A 292.C
Pueros vocare solebat discipulos

pulos Iesus. 419.B
Puer pro seruo. 229.E
Pueri quô efficiamur. 111.A
Pullus figuram gerebat gentium. 125.F
Purgationis lex. 234.B
πυγμὴ quid. 94.F
πυγὼν quid. 94.F

Q

Quadruplũ reddi lex iubebat pro re ablata. 292.D

R

Raca quid 28.DE
Rachel in Bethlehem sepulta. 13.D
Regeneratio aliquando pro resurrectione. 119.F
Regio mortis quid. 21.C
Regis officia. 228.A
Regnum cœlorum Christus dictus. 14.D
Regni dei & cœlorũ varie acceptiones. 14.D E. 35.E F. 41.A. 49.B. 68.E. 83.C. 85 A. 104. F. 114. C D. 132.B. 150.D. 162.AB. 198.A. 210. E. 259.F. 285.B
Regni filij qui dicãtur. 86.C
Remissio peccatorum præcipitur 37.C
de Repudio. 30.CD
Rhama locus in Bethlehem. 13.D
Resurrectio alia ad requiem alia ad supplicium. 348.BC

S

Sabbatthum omne festũ vocãt Hebræi propter requiem. 245.D
Sabbatha sabbathorũ. 413.D
Sabbatha sex dies ipsum sabbathũ præcedẽtes Hebræi nominabant. 183.A
Sabbathum aliquando pro tota hebdomada. 290.D
Sabbathi vesperã Iudæi maxime honorabant. 182.A
Sacerdotes tẽpli vicissim sibi mutuo succedebant. 225.F
Sacrificia quare permissa olĩ 31.B
Sadducæi qui. 15.E
Sadducæi Mosen tantum recipiebant. 135.C D
Sal, aptus ad docendum sermo. 279.D
Sal fidẽ ac dilectionem designat. 210. A & prudẽtiam & gratiam. Ibidem.B
Salis fatuitas quæ. 25.E
Saluati vident damnatorum supplicia. 286.B
Saluãdorũ tres ordines. 82.A
Saluabuntur pauci. 8.E
Salutationes ambitiosæ prohibentur. 138.F
Salutare quid. 62.AB
Samaritani ꝑ dimidia parte iudaismũ seruabant. 61.B
Samaritanorum historia. 329. E F & seq.
Sanctũ quid designet. 42.E
Sancta pleraq; dicũtur tanq̃ signum sanctitatis. 406.C
Sãcti omnes cincti à scriptura inducuntur. 15.B
σαπρὸν quid. 44.M & seq.
Satanas

Satanas aduersariꝰ interpretatur. 20.C
Satanas ante Christi incarnationem tyrannidẽ summam exercebat in terra. 260.C
Satanas princeps dæmoniorum 76.A
σάτον mensuræ Hebraicę genus 85.C
Scientia duplex apud deum. 45.E
Scripturas sanctas lecturo qd agendum 341.B
Securis mortem significat. 16.D. & Christũ. Ibidẽ.E
Sedere dei quid. 222.F & sequen.
Seges quid 72.A
Semitæ quæ 237.F
Sepulta corpora olim vnguẽtis vngebant 156.D
Septem pro multis apud Hebræos accipiuntur 79.E
Septenarius numerus multitudinem apud Hebræos quandoque significat. 251.E. 114.B.C. 287.D
Septuaginta quando interpretati sint. 7.B
in Sepulchris libenter habitant dæmones 53.A
Serpentis prudentia. 63.B natura.C
Serpẽtis erecti & Christi collatio 325.E.F
σῆς quid 38.B
Sicera quid 226.D
Sicut pro quia 403.C
Signa fidelib. non dantur, sed infidelib. 18.C
Signa ad commodum intuentium fieri consueuerũt. 19.B.C
Signa quæ dicantur 335.F
Signum quid 7.C
Simeon figuram veteris testamenti gerebat 236.A
Simplex pro sano accipitur. 38.D
Siniſtra quos designet. 34.C
Sinus patris quomodo intelligatur 314.D
Sinus Abraham quid 49.A
σινιαστήριον. 301.A
σινιάζω. 301.A
Sion est Ierusalem. 126.B.D.
Sodoma & Gomorrha libidine perierunt 62.D
Sole & pluuia, omnia generantur & vegetantur. 33.C
σπεῖρα ordo erat militaris. 182.D
Spinæ quid designẽt. 81.D
Spiritus aliquando diuinitatem significat 241.D
Spiritus etiam pro animo capitur 23.B
Spiritus pro intellectu spirituali 351.A
Spiritus blasphemia. 77. B.C.D
Spiritus sanctus quare operẽtur in indignis 45.F
Spiritus sanctus accedit ad nos sanctificatos 37.A
Spiritus sanctus cur specie columbæ apparuit. 18.B

Spiritu pauperes qui. 23. A.B
Sponsa dicebatur antequam coniungeretur. 5.D
Spõsas detinere prius apud se moris erat propter securitatem 5.F
Stadium quid 93.C
Stare dei quid 223.A
Stater quid 110.B
Stella quanto tempore magis apparuerit 12.F
Stella quænam fuerit quæ apparuit magis 8.F
Stella cur rursum magis apparuit. 10.B.C
σοιβὰς ramorum congeries est. 127.A
Stultitia quid proprie 96.F
Sudarium anagogice acceptum 293.E
Superbia diabolũ deiecit & Adam 23.B
Supersubstantialis panis quis 36.A
Supplantatio insidias denotat. 387.F
Supplementum panni rudis, est integritas 57.C
Supplicium futuri seculi erit æternum 337.D
Supplicia etiã in hoc seculo patimur vt ĩ futuro. 77.D
συκοφαντῶ quid 292.D
Synagoga quid 249.A
Talentorum parabola. 151.F & sequen.
Telonium quid. 55.D
Templi sacerdotes sibi mutuo succedebant. 225.F
Templi Salomonis structura 322.D.E
Tempus præsens operationis est, futurum retributionis 284.B
Tenebrę aliquando pro diabolo 302.E
Tenebræ errores significant 21.B.C.311.B
Tentatio quid. 36.C
Tentatio duplex 37.B
Tentationes fugiendæ. 20.F
Tentationes à primordio ætatis fideles expectare oportet 11.E
Tentationes accedentes cur deus nõ prohibet. 18.D.E
Tentationes in sortem bonis operib. datæ sunt 11.F
Tẽtatio Christi ad quod nos instituunt 20.D
Tentatio omnis à diabolo producitur 36.D
Tentare deum quis dicatur. 19.F
Tentat deus duobus modis. 344.E
Tentari nos quare deus permittat 36.D.E
Terra homines dicuntur. 25.D
Testamentum nouum euangelium regni dicitur. 22.C
de Thesauro. 37.F
Thesaurus absconditus. 87.A.B
Thesaurus in cœlo retributio est bonorum operum. 119.A
Tibicines apud Iudæos adhibebantur in calamitatib. 58.C
Titus statuam sibi erexit in templo Ierosolymitano. 144.D
Tormina quid. 22.E
Τότε particulæ significatio. 146.B
Τότε interdum consequentiam, rerumque ordinem significat 75.D
Trabs quid designet. 42.C
Trinitas in baptismate quare assumitur 400.F
Trinitas sola increata. 309.E 310.D
Trinitas æqualiter omnem implens locum à seipsa nõ secernitur. 360.M.& seq.
Trinitas propriis distinguitur personis, sed vnitur diuinitatis substantiæ identitate 361.A
Tunica quid 32.B
Tunica inconsutilis quid designet 177.B

V

VAllis quid designet. 237.F.& seq.A.B
Vasa diaboli qui. 76.F. & seq.A
Velũ scissum quid designet. 180.A
Venter pro corde 356.B
Venti quatuor Oriẽtem Occident. Septen. & Meridiẽ significant 147.D
Ventilabrum iustum dei iudicium significat 17.E
Verbũ ociosum quod. 78.B
Vermis conscientiam designat 709.E
Verriculi parabola 87.D
Vestimenta Christi quid designent 105.C
Vestimẽta scindere moris erat Iudæis triste aliquid vidĕtib. 170.A
Vestis nuptialis quæ 133.F
Via dei quæ 14.E.134.E 237.F
Viã domino præparare quid. 189.A
Viæ asperæ quæ 238.D
Viæ, habitationes gentium. 278.D
Victoria, perfectio. 75.C
Vigilia, quarta pars noctis est 149.D
Vindicanda sunt admissa in deum, in nos verò negligenda 363.E.F
Vindicta prohibetur. 31.F
Vinea mundum designat. 273.E
Vinum iniecto pane animo destitutis prodest. 176.E
Vinum nouũ quid designet. 57.C.D
Viperarum natura 15.F
Vir prolis radix. 3.E
Virgines abscedebant cùm parituræ erãt prægnãtes. 230.B
Virtus voluntaria est. 23.B 403.D

Virtus grauis est propter laborum molestiam, leuis propter retributionem. 44.C
Virtutes etiam miracula & signa significant. 45.E 89.A
Vita æterna quæ 118.D
Vita præsens nocti assimilata. 270.D
Vitæ partes duæ sunt laudabiles 263.B
Vita futura proprie vita futura dicitur 83.F
Vita proprie ea dicitur quæ æterna est 347.E
Vmbra mortis peccatum est. 231.F
Vmbra mortis quid 21.C
Vnigenitus quare deus. 314.C
Vocationes appellare futuras actiões pphetarũ mos. 7.d
Voluntas patris in cœlis quę 37.A
Voluntas patris quæ 45.D
Voluntas dei nostræ præferenda 165.C
Voluntatem dei quis facere dicatur 80.D.E
Voluntas non potest absque dei adminiculo. 348.A
Vox clamantis, quid designat 237.F
Vt, aliquãdo non causalis sed futuri significatiua particula. 365.F. 369.B. 371.F 383.F
Vtres veteres quid designẽt. 57.D
Vulpium nomine dæmones etiam intelliguntur. 51.C
Vxorem traducere apud cõcilium quæ in suspitionem venerat adulterij moris erat. 6.B
Vxor é ducere Israelitis nõ licebat nisi ex sua tribu. 5.D

Y

ὑποπιάζειν quid. 290.A
ὑστέρησις defectus dicitur vel indigentia 215.F

Z

Zachariæ silentium quid significaret 227.B
Zacharias & mutus & surdus fuerat 230.C
Zara typus populi Christiani 4.B
Zaræ natiuitas. 4.A
Zelus, pro indignatione. 322.B
Zonas ferre viatorib. moris erat 61.D

FINIS.

CAPITA EVANGELIORUM iuxta Græcorum supputationem.

¶ MATTHAEI.

Numerus capitum.		Numerus paginarũ.
1	De Magis.	8.A
2	De pueris interfectis.	12.B
3	Primus Ioannes prædicauit regnum cœlorum.	14.A
4	De doctrina Christi.	22.A
5	De batitudinibus.	23.A
6	De leproso.	47.B
7	De Centurione.	48.A
8	De socru Petri.	50.A
9	De his qui curati sunt à variis morbis.	50.B
10	De eo cui non permisit vt sequeretur.	51.A
11	De increpatione aquarum.	52.A
12	De duobus dæmoniacis.	52.B
13	De paralytico.	54.A
14	De Matthæo publicano.	55.C
15	De filia Archisynagogi.	57.B
16	De muliere sanguinis profluuio laborante	58.A
17	De duobus cæcis.	58.B
18	De dæmoniaco muto.	59.A
19	De Apostolorum electione	60.A
20	De discipulis à Ioanne missis.	67.A
21	De eo qui manum habebat aridam.	73.B
22	De dæmoniaco cæco & muto.	75.B
23	De requirentibus signum.	78.A
24	De parabolis.	81.A
25	De Herode Tetrarcha qui Ioannem interemit.	89.A
26	De quinque panibus.	92.A
27	De ambulatione Christi super mare.	93.A
28	De transgressione præcepti dei.	95.A
29	De Phœnicissa siue Cananæa.	97.A
30	De turbis sanatis.	98.B
31	De septem panibus.	99.B
32	De fermento Pharisæorum & Sadducæorũ.	100.B

De interro-

33 De interrogatione apud Cæsaream. 101.B
34 De transformatione Christi. 105.A
35 De Lunatico. 108.A
36 De exigentibus didrachma. 109.B
37 De dicentibus Quis maior. 110.B
38 De centum ouibus. 112.A
39 De eo qui debebat decem millia talentorum. 114.B
40 De interrogatione an liceret diuortium facere cum vxore. 115.B
41 De diuite interrogante Iesum. 118.A
42 De mercede conductis operariis. 121.A
43 De filiis Zebedæi. 122.B
44 De duobus cæcis. 125.A
45 De asina & pullo. 125.B
46 De cæcis & claudis. 128.A
47 De ficu quæ exaruit. Ibidem.B
48 De principibus sacerdotum & senioribus dominum interrogantibus. 129.B
49 De duobus filiis parabola. 130.A
50 De vinea parabola. 130.B
51 De vocatis ad nuptias. 132.B
52 De quærentibus occasione census. 134.B
53 De Sadducæis. 135.A
54 De legisdoctore. 136.B
55 De interrogatione ad Pharisæos. 137.A
56 De deploratione Scribarum & Pharisæorum. 139.A
57 De consummatione. 142.B
58 De die & hora. 148.A
59 De decem virginibus. 150.B
60 De talentis. 151.B
61 De aduentu Christi. 153.A
62 De ea quæ vnxit dominum vnguento. 155.B
63 Interrogatio de præparatione Paschæ. 157.B
64 De cœna mystica. 160.B
65 De traditione Iesu. 166.B
66 De negatione Petri. 170.B
67 De Iudæ pœnitentia. 171.B
68 De petitione corporis domini. 181.A

MARCI.

CAPITA

MARCI.

1 De dæmoniaco. 191.A
2 De socru Petri. 191.B
3 De curatis à variis morbis. 192.A
4 De leproso. 193.A
5 De paralytico. Ibidem.B
6 De Leui publicano. 194.A
7 De habente manum aridam. 195.A
8 De Apostolorum electione. Ibidem.B
9 De semine parabola. 197.A
10 De increpatione venti & maris. 198.B
11 De legione. 199.A
12 De filia archisynagogi. 200.A
13 De muliere sanguinis profluuio laborante Ibidem
14 De Apostolorum ordinatione. 202.A
15 De Ioanne & Herode. Ibidem.B
16 De quinque panibus & duobus piscibus. 203.A
17 De ambulatione in mari. Ibidem.B
18 De transgressione præcepti dei. 204.A
19 De Phœnicissa. 204.B
20 De Balbo. 205.A
21 De septem panibus. Ibidem.B
22 De fermento pharisæorum. 206.A
23 De cæco. Ibidem.
24 De interrogatione in Cæsarea. Ibidem.B
25 De transformatione domini. 207.A
26 De lunatico habente spiritum mutum. 208.A
27 De disputantibus quis esset maior. 209.A
28 De his qui interrogabant dominum, an liceret cum vxore diuortium facere. 210.A
29 De diuite qui dominum interrogabat. Ibidem.B
30 De filiis Zebedæi. 211.B
31 De Bartimæo. 212.A
32 De pullo. Ibidem.
33 De ficu quæ exaruit. Ibidem.B
34 De obliuione iniuriarum. 213.A
35 De interrogãtibus dñm, in qua potestate hęc facis? Ibid.
36 De vinea. 213.B
37 De his qui interrogabant occasione census. 214.A

38 De

38 De Sadducæis. 214.A
39 De Scriba. Ibidem.B
40 De interrogatione domini. 215.A
41 De vidua quæ duo minuta obtulit. Ibidem.B
42 De consummatione. 216.A
43 De die illo & hora. 217.A
44 De ea quæ vnxit dominum vnguento. 217.F
45 De Pascha. 218.A
46 De proditione prophetia. Ibidem.
47 De negatione Petri. 219.E
48 De petitione corporis Christi. 221.A

¶ LVCAE.

1 De censu Cæsaris. 232.A
2 De pastoribus in agro degentibus. Ibidem.B
3 De Simeone. 234.E
4 De Anna prophetissa. 235.F
5 De verbo quod factum est ad Ioannem. 237.D
6 De his qui Ioannem interrogabant. 238.B
7 De tentationibus Iesu. 240.B
8 De habente spiritum dæmoniacum. 242.B
9 De socru Petri. 243.A
10 De curatis à variis morbis. Ibidem.
11 De captura piscium. 243.D
12 De leproso. 244.C
13 De paralytico. Ibidem.E
14 De Leui publicano. 245.A
15 De habente dextram manum aridam. 245.B
16 De Apostolorum electione. 246.A
17 De beatitudinibus. 246.D
18 De Centurione. 248.B
19 De filio viduæ. 249.A
20 De discipulis missis à Ioanne. Ibid.B
21 De ea quæ vnxit dominum vnguento. 250.B
22 De seminante parabola. 251.B
23 De increpatione venti ac tempestatis maris. 252.B
24 De legione dæmonum. 253.A
25 De filia archisynagogi. Ibidem.B
26 De muliere profluuio sanguinis laborante. 254.A

27 De missione duodecim Apostolorum. 255.A
28 De quinque panibus & duobus piscibus. Ibidem.B
29 De interrogatione domini ad discipulos. 256.A
30 De transformatione. Ibidem.B
31 De lunatico. 257.A
32 De disputantibus quis esset maior. Ibidem.B
33 De eo cui non permisit vt sequeretur. 258.B
34 De designatis septuaginta Apostolis. Ibidem.
35 De tentante legisperito. 261.A
36 De eo qui inciderat in latrones. Ibidem.B
37 De Martha & Maria. 263.A
38 De oratione. Ibidem.B
39 De ejecto dæmonio muto. 264.A
40 De muliere, quæ de turba vocem extulit. 265.A
41 De his qui signum petebant. 266.A
42 De Pharisæo qui dominum inuitauit. 267.A
43 De deploratione legisperitorum. 267.B
44 De fermento pharisæorum. 267.B
45 De eo qui volebat diuidere hæreditatem. 268.B
46 De diuite cuius ager ferax fuit. Ibid.
47 De Galilæis & iis qui in Siloe &c. 273.A
48 De muliere contracta spiritu infirmitatis habéte. 274.A
49 De parabolis. Ibidem
50 De eo qui dominum interrogabat an pauci essent qui salutem consequerentur. Ibidem.
51 De his qui suadebāt vt secederet ꝓpter Herodē. 275.B
52 De hydropico. 276.B
53 De non amandis primis accubitibus. 277.A
54 De inuitatis ad cœnam. 277.B
55 De ædificatione turris parabola. 279.A
56 De centum ouibus parabola. 279.B
57 De duobus filiis, quorum iunior luxuriose vixit. 280.B
58 De dispensatore iniquo. 283.B
59 De diuite & Lazaro. 285.B
60 De decem leprosis. 288.A
61 De iudice iniquo. 289.B
62 De Pharisæo & Publicano. 290.A
63 De diuite qui dominum interrogauit. 291.A
64 De cæco. Ibidem.B

65 De Zachæo. 292.A
66 De homine qui ꝓfect⁹ est vt acciperet sibi regnū. 293.A
67 De his qui decem minas acceperunt. Ibidem.
68 De pullo. 294.A
69 De sacerd. & scribis ac senior. q dū interrogab. 295.A
70 De vinea. Ibidem.
71 De his qui dū interrogabant occasione census. 296.A
72 De Sadducæis. Ibidem.
73 Interrogatio domini ad Iudæos, quomodo dicant Christum filium esse Dauid. 297.A
74 De vidua quæ duo minuta obtulit. Ibidem
75 De consummatione. Ibidem.
76 De Pascha. 299.A
77 De contentione quis esset maior. 300.B
78 De expetitione Satanæ. 301.A
79 De contemptu Herodis. 303.B
80 De mulieribus dominum plangentibus. 304.A
81 De Latronis pœnitentia. 305.A
82 De petitione corporis domini. 306.A
83 De Cleopa. 307.A

¶IOANNIS.

1 De nuptiis in Cana. 319.B
2 De eiectis è templo. 321.B
3 De Nicodemo. 323.A
4 Quæstio de purificatione. 327.B
5 De muliere Samaritana. 330.A
6 De Regio. 335.A
7 De eo qui triginta & octo annos morbo tenebat. 336.B
8 De quinque panibus. 344.B
9 De ambulatione in mari. 345.B
10 De Cæco à natiuitate. 365.A
11 De Lazaro. 374.B
12 De muliere quæ vnxit dominum vnguento. 379.B
13 De verbis Iudæ. Ibidem
14 De asello. 380.B
15 De Græcis qui accesserunt. 381.A
16 De lotione pedum. 386.A
17 De Paracleto. 398.A
18 De petitione corporis domini. 414.A

nostrū exemplar alio modo habet q̄ ea quæ vulgo circunferuntur Græca exemplaria.

Numer capitū in xta Latinorū sim

¶MATTHAEI primo iuxta Græcorū supputationem. Et intrantes domum (viderunt) puerum. Habet enim εὗρον non δῦρον inuenerūt. Facit nobiscū exemplar Complutense. 2 putationem.

Tertio. Ipse autem baptizabit vos in spiritu sancto,, Non addit καὶ πυρὶ & igni. Cōcordat etiam Complutensis editio. 3

Quinto. Ne videaris hominibus ieiunare &c. Post verba il la, Reddet tibi, non additur ἐν τῷ φανερῷ in propatulo. Habet conformiter & exemplar Cōplutense, & vulgata editio. Quanquam & in nostro & in Complutensi exemplari antea sit additum, quum de eleemosyna fieret sermo. 6

Eodē. (Ita) enim est lex & prophetæ. Siquidē habet ὅτως ita, vel Sic, non οὗτος hic. Pari modo legit Complu. exēplar. 7.

Eodem. (Quàm) angusta est porta & stricta via quæ ducit ad vitam. Habet enim τί, non ὅτι ꝙ, vel quoniam. Pari modo legunt & Complutēse exemplar & editio vulgata.

Septimo. Multi ab oriente & occidente venient & accumbent (in sinibus) Abraham. Habet enim ἐν τοῖς κόλποις in sinibus, non μετὰ cum. Nobiscum legisse Chrysostomū manifestum est ex homilia ipsius. 27. super Matthæum. 8

Octauo. Surrexit & ministrabat (ei) Nam habet αὐτῷ singulariter, non αὐτοῖς eis. Nobiscum facit Complutense exēplar, & vulgata editio in quibusdam veteribus exemplarib⁹.

Decimonono. Accersitis 12. discipulis suis, dedit eis potestatē (aduersus) spiritus immundos. Nec in nostro nec in Cō plutensi exēplari exprimitur ꝓpositio κατὰ aduersus. Et ita quoq; legisse videtur qui vulgarē dedit editionē: ait enim: Dedit eis potestatem spirituum immundorū. Addidimus tamen, exigente id sententia. 10

Eodem. Iacobus Alphæi filius & (Lebæus) Nam habet vbiq; λεβαῖος simplici β. Et ita semper habet vulgata editio.

Vicesimo. Similis est pueris sedentibus in (foro) Habet enim ἀγορᾷ singulariter, non ἀγοραῖς foris. Nobiscum faciunt & exemplar Complutense & vulgata editio. Similiter infra in dictione Bethsaida, non Bethsaidan. 11

Eodem. Dominus est,, sabbathi filius hominis. Non enim additur 12

additur ὑμῖν &c. Sic & Complutense exemplar.

15 Vicesimoquarto. Maius est (omnibus) holeribus, siue maximum inter omnia holera. Additur enim πάντων omnium. Et ita habet & vulgata editio & exemplar Complutense.

14 Vicesimoseptimo, (Genneseret) semper habet in fine τ te
15 nue, & duplex νν. Chananæa vero capite sequenti, & alias sæpius, semper habet in initio χ asperatum. Facit in vtroque nobiscum exemplar Complutense.

16 Tricesimotertio. Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent ϕ ipse esset Christus,, Non additur nomen ἰησοῦς. Et ita liquet Origenem legisse in suis homiliis.

18 Tricesimoseptimo. Abscinde (ea) Habet enim αὐτὰ plura liter, non αὐτὸν singulariter. Concordat etiã exemplar Cõpl.

Tricesimooctauo. Rursum (amen) dico vobis, ϕ si duo ex vobis &c. Nã additur ἀμὴν etiã in Complu. exemplari.

Tricesimonono. Procidẽs ergo (seruus) ad pedes eius. Habet enĩ δοῦλος, nõ σύνδουλος αὐτοῦ cõseruus eius, q̃q̃ vere conseruus erat. Et infra. Et,, soluã tibi. nõ additur πάντα omnia. Et in hoc posteriore concordat nobiscum exẽplar Complu.

21 Quadragesimoquarto. Et similiter Lucę. 68. Bethsphage,
Lucæ. 19. scribitur interposito σ. Concordat vbiq; exemplar Compl.

Eodem. Et (sedit super ea) videlicet vestimenta. Habet enim singulariter ἐκάθισεν sedit, & αὐτῶν pluraliter. Eodem modo exemplar Compl. quo ad sensum, licet verbum habeat compositum ἐπεκάθισεν, non autem vt alia exemplaria ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν collocarunt super illam, puta asinam.

Quadragesimosexto. Et accesserunt ad eum claudi & cæci. Nam hoc ordine legit exemplar etiam Complutense: nõ vt alia exemplaria diuerso ordine, cæci & claudi.

22 Quinquagesimoprimo. Ecce prandiũ meũ (paratũ est) Sicdẽ ἡ ἡτοίμασαι tertia psona passiua, nõ ἡτοίμασα paraui.

Quinquagesimoquarto. Et interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor,, tẽtans eum. Nõ enim addit τὸν quispiã, ante Tentans. Faciunt nobiscum & exemp. Cõplut. & vulgata editio.

23 Quinquagesimosexto. Et vocari ab hoĩb⁹ (Rabbi Rabbi) geminata dictione. Nec est ῥάββει per diphthongum, sed ῥάββί. Facit per omnia nobiscum editio Complutensis.

Eodẽ. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qa deuoratis domos viduarũ. Et post hanc deplorationẽ, sequit illa quadicit.

dicit: Væ vobis Scribę & Pharisęi hypocritę, quia clauditis regnum cœlorum. Hoc etiam ordine legit exemplar Compl.

Quinquagesimooctauo. Quis nam est fidelis seruus & pru 24
dens, quem præfecit dominus (suus) Additur enim αὐτοῦ. Similiter infra: Et cœperit percutere conseruos (suos) Siquidem hoc etiam in loco addebatur αὐτοῦ. Faciunt nobiscum in priori quidẽ exẽplar Cõpl. in posteriori vero, editio vulgata.

Quinquagesimonono. Quinq; aũt ex eis erant prudentes, 25
& quinq; fatuæ. Hoc ordine qui naturalior est, & iuxta præcepta rhetorices, habet etiã editio Complut. Et similiter infra: Prudentes vero acceperunt oleũ in vasis suis cum lampadibus (suis) Addit etiam nobiscum ꝑdicta editio αὐτῶν suis.

Sexagesimotertio. Ite in ciuitatẽ ad quendam, & dicite ei,, 26
Tempus meũ prope est. Non habet ὁ διδάσκαλος λέγει Magister dicit: neq; vllam facit eius mentionem in commentariis. Habet tamẽ illud in Marco & Luca, sicut & cætera exẽplaria. Et quia hoc etiã loco id habet editio Complutensis. vereor ne id librarij vitio sit omissum.

Sexagesimoquarto. Et ait Petro: Sic? Non potuistis vna hora vigilare mecum? Et hæc distinctio magis quadrat: alioqui enim nihil est quod soli Petro loquutus sit. Exẽplar etiã Complutense addit hypostigma post dictionem οὕτως sic.

Sexagesimoseptimo. Descendat nunc de cruce, & credemus (in eum) Neq; enim simpliciter habet αὐτῷ ei, sed ἐπ' αὐτῷ. Pari modo legit & exemplar Complutense. 27

Eodem. Centurio autem & qui cum eo erant seruantes Iesum, quum vidissent,, quæ fiebant &c. Nihil hic dicitur de terræmotu: neque enim addebatur τὸν σεισμὸν καὶ, terræmotum, &. Nec tamen id librarij vitio omissum videtur: nam Ioannis cap. 9. super eo verbo, Quum exaltaueritis filium hominis &c. hæc verba in eundem citat modum.

Sexagesimooctauo. Euntes,, docete omnes Gentes. Non 28
additur οὖν ergo, post dictionem Euntes. Pari quoque modo legit exemplar Complutense.

EX MARCO.

¶ IN Procœmio Marci. Vidit Simonẽ & Andream fratrem 1
ipsius (Simonis) Additur nanque τοῦ σίμωνος, etiam in exemplari Complutensi.

Tertio ca. Abiit,, in desertum locum. In nostro exemplari

non exprimebatur nomen ἰησοῦς. Facit autem nobiscum hoc in loco vulgata editio.

3 Octauo. Quúq; circunspexisset,, in circuitu circũsedẽtes. Nõ addit μαθητὰς discipulos,& ita generalius loquit. Faciũt nobiscũ & exemplar Complutense & vulgata editio.

4 Nono. Num lucerna (venit) vt subter modiũ ponatur? Nã habet ἔρχεται,non καίεται accenditur. Et hic quoq; nobiscum faciunt & exemplar Complutense & vulgata editio.

5 Vndecimo. Erat autẽ ibi iuxta (monte) grex magnus porcorũ. Siquidẽ habet πρὸς τῷ ὄρει,non pluraliter τοῖς ὄρεσι montes. Similiter & hic pari modo legunt duæ p̃dictæ editiones.

6 Decimoquinto. Non licet tibi habere vxorem (Philippi) fratris tui. additur enim φιλίππου.

Eodem. Et (egressi sunt) nauigio in desertum locum. Siquidem habet pluraliter ἀπῆλθον nõ ἀπῆλθεν abiit. Hic etiã concordant exemplar Complutense & vulgata editio, quod etiam magis quadrat cum præcedentibus & sequentibus.

In fine eiusdem capitis. Egressi (ememus) ducentis denariis panes. Siquidem ἀγοράσωμεν habet indicandi modo,& non ἀγοράσωμεν emamus,per subiunctiuum.

Decimosexto. Erant aũt qui manducauerãt (ipsos panes) Additur enim τοὺς αὐτους. Facit nobiscũ exemplar Complu.

7 Decimonono. Erat autem mulier Græca (Syra Phœnicissa) genere. non Græca Syrophœnissa per compositionem. Pari modo legit & Complutense exemplar.

9 Vicesimoquinto. Nõ eñ sciebat (qd dicturꝰ esset) habet enī λαλήσῃ p indicatiuũ,& nõ λαλήσει p subiũctiuũ. Facit nobiscũ Cõplu. editio: nec eadẽ est vtrobiq; sententia, vt patet ex huius dicti interpretatione. 34. iuxta Matth. cap.

10 Tricesimo. Sed quicũq;,, voluerit fieri magnus inter vos. Nõ enim addit ὑμῶν post Quicũq;. Faciunt nobiscũ exẽplar Compl.& vulg. editio. Id aũt non rectũ est p neq; in fine dictorũ verborũ habet vulgata editio. Inter vos, aut In vobis.

11 Tricesimoquinto. At (dicamꝰ) Ab hoíbꝰ: vt subaudiatur, nõ. Neq; enī addit ἐὰν si, vt possit legi, At si dixerimꝰ. Neq; adeo cõmode potest aptari sequentib. Facit nobis. exẽp. Cõplu.

12 Tricesimonono. Audi Israel dominus deus (vester) dñs vnus est. Siquidẽ non habet ὑμῶν noster, sed ὑμῶν vester. Et infra non habet καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου & ex tota virtute tua, quod tamen librarij vitio factũ arbitror, vt in illo loco annotauimus. Item infra. Et secundũ simile est (illi) Nam habet οὐκ non οὐ τι hoc: vt legi possit, Et secundũ simile hoc est. Nobiscum legisse videtur, qui vulgatam dedit editionem.

Quadragesimo. Ipse enim Dauid dixit per spiritum sanctũ (Dicit) dominus domino meo, non εἶπεν dixit. Et in scholiis facit etiã huius mentionem: & ita habet exemplar Complu.

14 Quadragesimosexto. Sedete hic dum,, orabo. Non enim habet ἀπελθὼν digressus, ante Orabo. Concordant nobiscũ & Complutense exemplar & vulgata editio.

15 Quadragesimoseptimo. Loco eius qđ alij legũt, Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cũ iniquis deputatus est, nihil habet. Nec librarij incuria omissũ arbitror: alioqui citasset vtiq; in scholiis vbi id scriptura dicat, quemadmodũ in similibꝰ facere solet. Nescio an à studioso quopiã ꝓphetã citante id primũ margini sit additũ, deinde tpe ꝓcedẽte, literę sit admixtũ.

Eodẽ. (Vah) qui destruis tẽplũ dei. Habet nãq; οὐά, nõ οὐαὶ væ. Faciunt nobiscũ Complutense exẽplar vulgataq; editio.

16 Quadragesimooctauo. Loco eius quod in aliis Latinis editionibus ex Græcis dicitur: Et illi audito ꝙ viueret & visus esset ab ea, nõ crediderũt: nihil habet nostrũ exemplar. Nec mirũ si hoc quispiã addiderit: quum totũ hoc de resurrectione caput adiectitiũ esse pleriq; Græcorũ asserant, vt habet noster autor: idemq; inter Latinos diuus Hieronymus in epistolis refert plerosq; dicere. Et præterea secundo aduersus Pelagianos hoc ait de exprobrata incredulitate cordisq; duritie.

EX LVCA.

2 Tertio. Et erãt Ioseph & mater eius admirãtes &c. Nõ habet enī ὁ πατὴρ, sed ὁ ἰωσήφ. Facit nobiscũ Cõplu. exẽplar, imò & vulgata editio, saltẽ in veteribꝰ quibusdã exemplarib. Similiter infra ca. 4. Et nõ cognouit Ioseph,& mater eius: assentiẽte etiã hic Cõplutensi exẽplari, quũ alij habeãt οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ, & non cognouerunt parentes eius.

3 Sexto. Et ipse Iesus erat ferme annorum triginta incedẽs, Non incipiens. Habet nanq; ἀρχόμενος, non ἀφχόμενος, quod etiam manifestum est ex autoris scholiis.

Eodem. Qui fuit Eli, Notandũ in nostro exemplari ἡλεὶ, lenem habere spiritũ. Præterea & ἡλίας, quotiescunq; apud Euangelistas legitur. Idq; conformius est linguæ Hebraicæ

in qua Elías ab Aleph litera ſumit exordium: hoc autem elementum, vt cõmuniter dicitur, nullã ſecum trahit aſpirationem. Quanq̃ vt verum fatear, neq; Elias, ſed Eliiahu ſcribendum eſſet, ſi recte, Hebræos velimus imitari: ſicut & Ieſahiahu aut Ieſaëiahu non Eſaias aut Heſaias ſiue Iſaias.

Eodem. Qui fuit (Matthan) non Mathat, vt ex communibus habetur Græcis exemplaribus. In plærisque etiam huius genealogiæ nominibus, & ſimiliter eius quam deſcribit Matthæus, variatur apud autorem noſtrum orthographia à lectione communium Græcorum exemplarium, frequenter quoque & à Germana Hebræorũ lectione. Quapropter primum erat animus horum orthographiam nominum ad verum Hebrẽorum fontem reducere: poſtmodũ vero rem propius inſpectanti, & q̃ hęc non ab Hebræis, ſed à Græcis traducerem perpendenti, ſatius viſum eſt non adeo multa in litera Euangelij immutare, ne quid interdum hæreret lector, incertus de quo fieret ſermo. Nec tamen Hebraicam horum nominum orthographiam penitus relinquere volui, ne quid à me ſtudioſus lector deſideraret, ſed in hunc locum redegi. Breuiter itaq; vtriuſq; Euangeliſtæ generationis ſerie recta orthographia retexã. ¶ Liber, inquit Matthæus, generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham: Abrahã genuit Iiſhac, Iiſhac autem genuit Iaacob, Iaacob aũt genuit Iehudam & fratres eius, Iehudas autẽ genuit Pharez & Zarah de Thamar, Pharez aũt genuit Heſron, Heſron autẽ genuit Haram, Haram aũt genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Nahaſon, Nahaſon autẽ genuit Salmon, Salmon autẽ genuit Boaz de Rahab, Boaz autẽ genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Iiſai, Iiſai autẽ genuit Dauid regẽ, Dauid aũt rex genuit Solomonẽ ex ea quę fuit Vriæ, Solomon autẽ genuit Rechabeã, Rechabeã autẽ genuit Abiã, Abiam autẽ genuit Ioſaphat, Ioſaphat autẽ genuit Iehorã, Iehoram autẽ genuit Oziã, Ozias autẽ genuit Iothã, Iothã autẽ ge. Achaz, Achaz autẽ genuit Hizkiahu, Hizkiahu autẽ ge. Manaſſen, Manaſſes autẽ ge. Amon, Amon autẽ ge. Ioſiahu, Ioſiahu autẽ gen. Iekoniã & fratres eiꝰ in trãſmigratione Babylonica. Et poſt trãſmigrationẽ Babylonicã Iechonias ge. Sealtiel, Sealtiel autẽ ge. Zorobabel, Zorobabel autẽ ge. Abihud, Abihud autẽ genuit Eliakim Eliakim autẽ genuit Azor, Azor autẽ ge. Zadoc,

doc, Zadoc autẽ ge. Achim, Achim autẽ ge. Eliud, Eliud aũt gen. Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Iaacob, Iaacob autẽ genuit Ioſeph virũ Mariã de qua natus eſt Ieſuah qui vocaꝰ Chriſtꝰ. ¶ Lucas vero, Ipſe, inquit Ieſus erat ferme annorũ triginta incedens, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Eli, qui fuit Mathan, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianna, qui fuit Ioſeph, qui fuit Matatheiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Ezel, qui fuit Naggæ, qui fuit Mahat, qui fuit Matatheiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iehuda, qui fuit Iohannan, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Sealtiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmodã, qui fuit Er, qui fuit Ioſe, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matatha, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iehuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliacim, qui fuit Milcha, qui fuit Mainan, qui fuit Matatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iiſai, qui fuit Obed, qui fuit Boaz, qui fuit Salmon, qui fuit Nahaſon, qui fuit Amminadab, qui fuit Haram, qui fuit Heſron, qui fuit Pharez, qui fuit Iehudæ, qui fuit Iaacob, qui fuit Iiſhac, qui fuit Abrahã, qui fuit Nachor, qui fuit Serug, qui fuit Ragu, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sala, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noah, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Mahalaleel, quit fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit dei.

Decimotertio cap. Quumque non inueniſſent,, qua illum inferrent. Non exprimitur prępoſitio ſιὰ per. Facit nobiſcum Complut. editio. 5

Decimoquarto. Vidit publicanũ noĩe (Leuin) Habet enim λεβίν. Et ſtatim ĩfra: Et fecit ei cõuiuiũ magnũ (Leuis) λεβὶς nõ per diphthongũ in poſteriori ſyllaba λεβείν & λεβεὶς. Facit nobiſcũ etiã exemplar Cõplutenſe. Poſſunt autẽ hi caſus in Latinam quoq; linguam transformari, quemadmodum à nominibus Emphaſis, Protaſis, Epitaſis, ac ſimilibus.

Eodem Et murmurabant ſcribę (qui inter eos erant) Additur namq; αὐτῶν. Sic & exemplar Complutenſe.

Decimoſexto. Et qui vexabãtur à ſpiritibus immũdis,, curabantur. Non enim repetit cõiunctionem καὶ &, ante verbum Curabantur. Facit nobiſcum vulgata editio. 6

Eodē. Et ipse eleuātis oculis suis in discipulos (suos) Nā repetitur αὐτοῦ suos. Faciunt nobiscum & Complutenses & vulgata editio: quanquam hæc ad dictionem Oculis, nō adiungit reciprocum Suis, idque male.

Decimoseptimo. Ecce enim merces vestra multa est in (cœlo) Nō ἐν τοῖς οὐρανοῖς in cœlis pluraliter. Facit nobiscū Complutense exemplar.

Eodē. Væ,, quū laudauerint vos,, hoīes. Nō enim additur ὑμῖν vobis, post interiectionē Væ. Et in hoc facit nobiscum præter exēp. Comp. etiā vulgata editio. In eo autē quod nō addit autor noster πάντες oēs, āte Hoīes, facit nobiscū Cōp. editio, & melius correspondet contrariæ beatitudini.

Eodem. (Et) nolite iudicare. Siquidem præponitur κἀγὼ &, in exemplari quoque Complutensi.

Eodem. Perfectus autē,, erit sicut magister suus. Nō enim habet πᾶς omnis, ante Erit.

Decimooctauo. Loco eorū quę apud alios habentur (Propter qđ & meipsum nō sum dignū arbitratus vt venirē ad te) nihil habet autor noster. Sed neq; in Matt. Euāgelistarū dicta cōciliās, horū facit mentionē. Nō videtur ergo librarij negligētia prętermissum. In hoc enim cap. ad hęc contextus verba, Nō enim sum idoneus &c. loco scholiorū ponit verba quæ sequuntur: Hæc etiā dixit Matth. & declarata sunt prędicto cap. Quod si iudicasset hoc loco interponēdū, Propter qđ & meipsum &c. nequaq̄ dixisset omnia à Matth. esse dicta, & in eo declarata, quum ibi nulla fiat horum mentio.

Vigesimo. Dico enim vobis: In his qui è mulieribus nati sunt, maior,, Ioanne Baptista nemo est. Nō addit προφήτης, nec tamen videtur per negligentiam omissum, ob eandem causam quam superiori annotatiuncula retulimus.

8 Vigesimosecundo. Et volucres cœli (etiam) comederunt illud. Additur enim rursum καὶ &.

Trigesimoprimo. Omnibus vero admirātibus sup his quæ faciebat (Iesus) Additur enim nomē ἰησοῦς, etiā in exē. Cōp.

9 Trigesimosecundo. Cōuersus autē,, increpauit illos. Non enī additur nomē ἰησοῦς, neq; in exēp. Cōp. neq; in vulgata editiōe. Deinde qđ sequitur in omnib⁹ versionib⁹, & in Græca etiā editione Compl. puta: Et ait illis: Nescitis cuius spūs estis vos. Filius enim hoīs non venit ad perdendū aīas hoīm sed ad

sed ad saluādū: q̄q̄ nos addidim⁹: vereor ne nō sit librarij incuria omissū: maxie quū ī scholiis nullā faciat horū mētionē.

Trigesimotertio. Sequar te quocunq; ieris (domine) Additur enim κύριε, etiam in Complutensi.

Trigesimoquarto. (Et conuersus ad discipulos dixit) Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Siquidem adduntur etiā in exemplari Compl. hæc verba, καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε, Et conuersus ad discipulos dixit. 10

Eodē. Beati oculi q̄ vidēt quę,, videtis. Neq; enī in autore nostro, neq; in exēp. Compl. exprimitur ὑμεῖς vos. Video & hoc, & alia quædā huiusmodi minutula esse, & quæ fortassis alicui annotatiōe indignavidebūtur: nolui tñ prętermittere, ne quis q̄ negligētia aut temeritate relicta putet seu īmutata.

Trigesimoseptimo. Quę etiā assidēs ad pedes Iesu audiebat (sermones) illius. Habet enim etiam exemplar Complutense τῶν λόγων pluraliter.

Quadragesimotertio. Cœperunt (scribæ) & pharisæi grauiter insistere. Non enim habet γραμματεῖς scribæ. Et statim infra: nō habet ἀποστομίζειν captiose interrogare: neque cum aliis ἐπιστομίζειν os obstruere, sed ἀποστοματίζειν, hoc est ab ore interrogare. Quid hoc autem sibi velit, vide in huius loci enarratione. 11

Quadragesimosexto. Et illuc congregabo oīa quæ nata sunt mihi. Neq; enī additur καὶ τὰ ἀγαθά μου & bona mea. 12

Quadragesimooctauo. (Hypocrite) vnusquisque vestrum sabbatho non soluit &c. Habet enim pluraliter ὑποκριταί. Concordant & exemplar Complutense & vulgata editio. 13

Quinquagesimoprimo. Ecce relinquitur vobis domus vestra,, Non exprimitur ἔρημος deserta, quod ex enarratione patet librarij vitio factum non esse.

Quinquagesimoquarto. Beatus qui (prandium) sumit in regno dei. Neque enim habet ἄρτον panē, sed ἄριστον prandium. Concordat etiam exemplar Complutense. 14

Eodem. Et reuersus seruus (ille) renūciauit &c. Nā additur ἐκεῖνος ille, etiam in exemplari Complutensi.

Quinquagesimoseptimo. Et accersito vno de seruis,, Nō additur αὐτοῦ suis, nec in exēp. Cōp. nec in editione vulgata. 15

Quinquagesimono. Et septies ī die cōuers⁹ fuerit,, dicēs, Pœnitet me. Nō habet ἐπί σε ad te. Cōcordat editio Cōpl. 17

Sexage-

Sexagesimo. Neq; dicēt Ecce hic,,ecce illic. Nō habet autem: sicut etiam infra vbi eadē repetuntur verba, in nullo habetur exemp. Conformiter legit & Compl. editio.

Eodem. Memores,,estote vxoris Lot. Non habetur δὲ autem, nec in exemplari Complutensi, nec in veteri translatione. Et similiter in fine capitis: Ibi congregabuntur,, aquilæ, non additur καὶ &, nec in editione Complutensi.

18 Sexagesimoprimo. Vidua autem,, erat in ciuitate illa. Non habetur τὶς quædam, nec id habet Comp. editio neq; Chrysost. in priori de orādo deū homilia, vbi præsens citat locus.

19 Sexagesimoquinto. Ascendit in(caprificū) In nostro & in Cōp. exēp. habet tertia syllaba per ω: ne nobis Stunica obiiciat ob id praue versum esse Caprificū, q̄ per ο micron scribāt: Attamē Comp. habet penultimā per ω, quū eandē habeat nostrum exemp. per αι diphthongū συκωμορέαιαν.

Sexagesimoseptimo. Iussit vocari ad se seruos illos,, Non addit οἷς ἔδωκε τὸ ἀργύριον q̄bus dederat pecuniā, quod tamen addidimus, sicut quibusdā aliis in locis idem fecimus, q̄ in aliis exemplaribus & etiā in Compl. editione habeatur: & tamen vereor ne id librarij incuria factum non sit, maxime quòd in commentariis nullam horum faciat mentionem.

20 Sexagesimonono. Si dixerimus, E cœlo, dicet: Quare,, nō credidistis illi(nō additur οὖν ergo, nec id habet exemp. Cōp.

Septuagesimo. Homo,, plantauit vineam. Nō additur τὶς quidā. Et similiter infra: Et timuerunt. Nō additur τὸν λαὸν populum. Concordat vtrobiq; Complutensis editio.

Eodē. Vt caperent eius(sermonem) Habet namque λόγου patrio casu: non λόγῳ, vt dicatur, in vel ex sermone. Cōcordat etiam exemplar Complutense.

21 Septuagesimoquinto. Trademini autem à parentibus & cognatis, amicis ac fratribus. Hoc etiam ordine legit. Cōpl. editio, vt fratres vltimo ponantur loco.

22 Septuagesimoseptimo. Vt edatis ac bibatis super mensam meam,, Non additur ἐν τῇ βασιλείᾳ μου in regno meo: neq; in enarratione fit vlla huius mentio.

Septuagesimooctauo. Quādo misivos sine loculis & pera,, Non additur καὶ ὑποδημάτων & calceamētis: nec vlla fit huius mentio in commentariis. Arguit autem adiectitium esse, quod infra quum dicitur: Sed nunc qui habet loculos tollat similiter

similiter & peram, illud in nullo additur exemplari.

Eodem. Et appropinquauit Iesu vt oscularetur eum,, Additur statim consequenter, etiam in Complutensi exemplari, τοῦτο γὰρ σημεῖον δεδώκει αὐτοῖς, ὃν ἂν φιλήσω αὐτός ἐστι, Hoc enī signū dederat illis: Quēcunq; osculatus fuero, ipse est.

Eodē. Hūc inuenimus peruertentē gentē(nostrā) Nam in 23
nostro exemp. addebat ἡμῶν, sicut & vulgata habet editio.

In fine euangelij non additur ἀμήν, sicut nec in fine alio- 24
rum euangelistarum in vllo habetur exemplari.

¶ EX IOANNE.

¶ IN Proœmio Ioannis. Hæc in(Bethania) facta sunt. Nō 1
βηθαβαρᾷ. Conformis est & Complutēsis editio & vulgata: quanquam autor dicat in scholiis verius legi Bethabara.

Eodem. Non repetuntur hæc aut similia verba οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν. ὅτι πρῶτός μου ἦν. Hic est de quo ego dicebā: Post me venturus est vir, qui ante me fuit, quia prior me erat. Eadem tamen propemodum verba paulo superius posita erant.

Secundo cap. Crediderunt sermoni(eius) Nam habet αὐτῷ eius, non ᾧ εἶπεν ὁ ἰησοῦς, quem dixerat Iesus. 2

Eodem. Eo quod ipse nosset(omnia) Habet enim πάντα non πάντες omnes. Consonat exemplar Complutense.

Tertio. Et ibi morabatur cū discipulis, ac(baptizabāt) Siqdē 3
pluraliter habet ἐβάπτισον: q̄ ex scholiis manifesti apparet.

Quinto. Interea rogabāt eū discipuli(eius) dicētes: Rabbi 4
comede. Additur enim αὐτῷ, etiam in exemp. Complu.

Nono. Quomodo potest hic nobis dare carnem,, ad co- 6
medendum? Nullum Græcū exemp. quod viderim, additum habet αὐτῷ suā: quanquā verterit Erasmus, Carnē illā suam.

Eodē. Respondit eis,, Num egovos duodecim elegi? Non additur ἰησοῦς, neq; in exemplari Complutensi.

Eodē. Nō enī(poterat) in Iudæa versari. No habet ἤθελεν 7
volebat, sed εἶχεν ἐξουσίαν habebat potestatē siue poterat.

Eodē. Alij vero dicebāt: Nō, sed seducit(mundū) Nō habet ὄχλον turbā, sed κόσμον mūdū, qđ etiā i scholiis declarat.

Eodem. (Abiit) vnusquisq; in domū suā. Non enim habet ἐπορεύθη profectus est, sed ἀπῆλθεν. Infra statim (Summo) vero diluculo iterum (venit) (Iesus) in templum: Additur 8
enim βαθέος summo vel profundo, & nomē ἰησοῦς: Nec habet παρε

bet παρεγένετο acceſſit, ſed ἦλθεμ. Et infra: (Adducunt,) mulierem. Nō habet φέρουσι adferunt, ſed ἄγουσι. Nec additur πρὸς αὐτὸμ ad eum. Infra: ἐπ' μοιχείᾳ in adulterio nō, ἐμ μοιχίᾳ. Item habet ἔπομ dixerūt, nō λέγουσι dicūt. Additur quoq; in noſtro exēplari πειράζοντες tentātes. Nec habet αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη hæc mulier deprehenſa eſt, ſed ταύτην εὕρομεμ hāc inuenimus. Infra: Tu autē quid ais (de illa?) Additur enī περὶ αὐτῆς. Nec dicit infra: ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖμ αὐτῆς vt poſſent accuſare eū: ſed ἵνα ἔχωσι κατηγορίαμ κατ' αὐτῆς vt haberent accuſationē aduerſus eum. Præterea quū poſt pauca verba inter ſequentia dicitur: Initio facto à ſenioribus: Additur ἕως τῶν ἐσχάτωμ vſq; ad poſtremos. Deinde vbi ſubdit: Quī autē erexiſſet ſe Ieſus. Neq; hic, neq; in vulgata editiōe addit cōſequēter καὶ μηδέναθεασάμενος, πλὴμ τῆς γυναικὸς & neminē vidiſſet præter mulierē: qđ tamē & in Cōplutēſi editiōe & in aliis Græcis habet exēplarib⁹: ſed loco ei⁹ habet εἶδεμ αὐτῷ vidit eā. In exēplari ergo Cōplutēſi plurima nobiſcū faciunt cōtra alia exemplaria Græca: quędā vero cū aliis & nō nobiſcū. Quin & illud exēplar quędā habet, quę neq; nos habem⁹, neq; alia exēplaria Græca: vt quū dicitur: Scribebat in terrā, addit editio Cōplutēſis μὴ προσποιούμενος diſſimulās. Et infra vbi dicitur, At illi quū vidiſſēt, addit illa, καὶ ἀπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι & à cōſcientia redarguerētur. Multa quoq; alia hinc inde variātur, quę quia minutula ſunt, noluimus recēſere. Tāta itaq; exēplariorū varietas, præter alia, ſatis arguit hāc hiſtoriā aſcititiā eſſe, quēadmodū cum plurib⁹ aliis aſſerit autor noſter.

Eodē. Qui veritatē loquut⁹ ſū vobis, quā audiui à (patre) Habet nāq; παρὸς & nō θεῦ deo. Et infra: Sed honoro patrē, Nō additur μοῦ meū. Statimq; : Et vos cōtumelia me (afficitis) Nā habet ἀτιμάζετε p preſens, nō ἠτιμάσατε cōtumelia affecciſtis. Cōcordat nobiſcū ī hoc poſtremo exēplar Cōplutēſe.

Eodē. Ieſus autē occultatus eſt, & exiuit de tēplo, Additur ſtatim, etiā in exēplari Cōplutēſi: διελθὼμ διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεμ οὕτως ptrāſiens p mediū illorū, & ita præteribat.

9 Decimo. Vicini itaque, & qui viderant eum prius φ (cæcus) eſſet. Habet enim τυφλὸς, non πτωχὸς mendicus. Conſonat etiam exemplar Complutenſe.

10 Eodem. Omnes quotquotvenerūt,, fures ſunt & latrones, Non additur πρὸ ἐμοῦ ante me, neque in exemplari Complutēſi, neque in editione vulgata.

Eodē. Quę rebāt (ergo) rurſum apprehēdere eū. Additur enim οὖμ ergo, & in exēplari Cōplutēſi, & invulgata editiōe.

Decimoſexto. Dñe nō tantū pedes,, Nō additur μου meos. 15

Eodem. Quum ergo ille recumberet (ita) ſuper pectus Ieſu. Additur enī οὕτως, quod etiam in ſcholiis autor declarat.

Eodē. Erat aūt nox qñ,, exiuit. deinde ſubditur: Ait Ieſus. Nō enī additur οὖμ ergo, ante verbū ἐξῆλθε exiuit, vt aliū poſſit reddere ſenſum. Facit nobiſcum exemplar Complutenſe.

Eodem.,, Ne turbetur cor veſtrum. Ante hæc verba non 14
præmittitur, neq; in noſtro, neque in Complutenſi exemplari id quod habetur in vulgaribus Græcis exemplaribus, καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ & ait diſcipulis ſuis.

Eodem. Venit enim princeps mundi,, Non additur τοῦτο huius, neque in exemplari Complutenſi.

Decimoſeptimo. Et hæc facient,, quia nō nouerunt. Non additur ὑμῖμ vobis, nec in editione Complutenſi.

Eodem. Et nemo,, interrogat me: Quo abis? Non præponitur ante verbum Interrogat ἐξ ὑμῶμ ex vobis.

Eodem. De iuſtitia autem, quia ad patrē (meū) abeo. Additur enim μου, etiā in editione Compluten.

Eodē. Hæc per prouerbia (dico) vobis. Non enim habet λελάληκα loquutus ſum: ſed λέγω dico.

Eodem. In mundo preſſuram (habebitis). Nam habet ἔχετε futurum, nō ἔσχετε habetis. Pari modo legiſſe manifeſtum eſt eum, qui vulgatam dedit editionem.

Eodem. Pater ſancte ſerua eos per nomen tuum (quo do- 17
naſti me. Non enim habet οὓς quos, ſed ὦ quo. Eodem etiam modo habet exemplar Complutenſe. Ex ſcholiis tamen legiſſe videtur autor noſter ὦ qđ, puta Nomen accuſandi caſu.

Eodē. Negauit (ergo) ille & ait: Nō ſum. Repetitur enim 18
οὖμ ergo. In hunc etiam modum legimus in editione Cōpl.

Eodē. Exiuit itaq; Pilatus ad eos, & ait. Non additur ἔξω foras. Ad hunc quoq; modum inuenim⁹ in exemplari Cōpl.

Eodem. Hebraice autem Gabatha ſimplici β. pari modo legit exemplar Complutenſe.

Eodē. Acceperunt autē Ieſum & (duxerunt) (in prętoriū) 19
Primū itaq; nō habet ἀπήγαγομ abduxerunt, ſed ἤγαγομ duxerunt.

xerunt. Et in hoc cõcordat exemplar Cõplutense. Addebat̃ prętercа in nostro exẽplari ἐς τὸ πραιτώριον in prętorium.

Eodẽ. Et ille scit q̃ vera dicat (sed) vt ,, vos credatis. Nã habet ἀλλὰ, sed. Nec habet ἡ̃ &, ante vos. Exẽplar quidem Cõplutense nõ habet coniunctionem ἡ̃, sed nec habet ἀλλά.

Decimooctauo. Et p̃misit Pilat⁹ ,, Satimq; addit̃ ἦλθεν οὖ̃, ἡ̃ρε τὸ σῶμα τ̃ ιησ̃. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Concordant & exemplar Complut. & vulgata editio.

20 Eodem. Quia vidisti me ,, credidisti. Non additur ϝωμᾶ, nec in editione Complutensi.

21 Eodem. Postea manifestauit se iterum Iesus (discipulis) ad mare Tiberiadis. Additur enim μαθητ̃ὶς discipulis. Concordant in hoc & exemplar Complutense & editio vulgata.

Eodem. Simon (Iona) diligis me plus his? Habet nanque ἰωνᾶ non ἰωαννᾶ: & ita rursum bina vice subsequitur. Similiter etiam habet exemplar Complutense.

Numerus capitũ iuxta Latinorũ supputationẽ.

¶ IN HIS QVAE SEQVVNTVR MVLtisque aliis in locis euangelistæ phrasin imitati Hebraicã, posuerunt prętensi, interdũ etiã & prętcritũ pro futuro.

Matth. 11. Lucæ. 7 Ioan. 6 Matth. 17 Matth. 10 Marci. 13 Mat. 22 Lucæ. 20 Marci. 12

¶ MATTHAEI cap. 20. iuxta Grecorũ supputationẽ, & Lucę etiã. 20. occurrit in primis illud maxime vulgatũ: Tu es ille (qui venit) an aliũ expectam⁹? Vbi ponitur ἐρχόμενος veniens, p eo qđ est, qui venturus est, aut potius, qui vẽturus erat. Et eodẽ modo Ioan. 8. Hic est vere ppheta (veniens) in mundũ, id est, qui vẽturus erat. Rursum Matth. 34. Elias quidem (venit) primum: ἔρχεται pro Venturus est ponitur. Et sane id in hoc verbo ἔρχομαι frequentissimum est.

Capite. 19. Nõ enĩ vos (estis) (illi qui loquunt̃) sed spũs patris vestri (qui loquit̃) in vobis: vbi præsens ἐστὲ pro Eritis sumitur: & λαλοῦντες pro eo qđ est, Qui loquent̃: & λαλῶν, p Qui loquetur. Eadem etiam habentur Marci. 42.

Capite. 53. In resurrectiõe neq; (cõtrahũt matrimonium) neque (nuptui traduntur) sed quasi angeli dei in cœlo (sunt). Verbũ γαμίσκω, qđ ex sequẽtibus verbis, quę manifeste prẽsentia sunt, etiã iudicat esse prẽsens, p futuro Cõtrahent accipitur: & ἐκγαμίζουσ pro Nuptui tradentur: similiter ἐστὶ pro Erit. Pari quoq; modo habẽt verba hęc Luc. 72. & Mar. 38.

Cap. 35. Si (habeatis) fidem sicut granum sinapis ἔχητε pro futuro Habueritis sumitur.

Cap. 62. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me vero non semper (habetis) Hoc in loco præsens ἔχετε pro futuro Habebitis capitur. Et eodem modo Ioan. 13. Matt. 17 Mat. 26 Ioan. 12

Cap. 68. Ecce (prẽcedit) vos in Galilæã. προάγει p futuro Prẽcedet accipit. Similiter etiam habet Marcus. 48. capite. Mat. 28 Marci. 16

¶ MARCI cap. 8. Quicunq; blasphemauerit aduersus spiritum sanctũ, (non habet) remissionẽ in ẽternũ, sed reus (est) æterni iudicij. ἔχει pro Habebit accipitur, & ἔσ̃ται pro Erit. Marci. 3 Marci. 9

Cap. 25. Elias quum prius venerit (restituit) oĩa. Hoc in loco ἀποκαθιστᾶ verbum prẽsens sumitur pro futuro Restituet. Cap. 26. Filius hoĩs (traditur) in manus hoĩm. Similiter hoc in loco παραδίδοται verbũ p̃sens accipit p futuro Tradet̃.

Cap. 33. Quæcunque orantes petitis, credite quòd (accipitis) & erunt vobis. λαμβάνετε pro accipietis. Mar. 11

¶ LVCAE. 51. Ecce (relinquitur) vobis dom⁹ vestra. ἀφίεται pro futuro Relinquetur. Lucæ. 13 Ioan. 6

¶ IOANNIS. 9. Quid (facimus) vt operemur opera dei? ποιῶμεν pro Faciemus. Ioan. 7

Eodem. Christus quum venerit, nemo cognoscit vnde (sit) ἔσ̃ται pro futuro Erit.

Eodẽ. Vado ad eum qui misit me: quæretis me & non inuenietis: & vbi ego (sum) eò vos non (potestis) venire. ἐμὶ p Ero: & ὑπάγω pro futuro Poteritis accipiuntur.

Eodem. Si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei (estis) ἐστὲ pro Eritis sumitur. Ioan. 8

Eodem. Quis ex vobis (arguit) me de peccato? ἐλέγχει pro arguet accipitur.

Capite. 16. Si non lauero te, non (habes) partem mecum. ἔχεις habes pro Habebis. Ioan. 13 Ioan. 14

Eodem. Vos autem (cognoscitis) eum, quia apud vos (manet) γινώσκετε pro cognoscetis: & μένει p Manebit. Et hoc sicut & alia propemodum omnia, literæ series ipsa declarat.

Eodem. Adhuc modicũ, & mundus iam me non (videbit) vos autẽ (videbitis) me. Hic sane q̃q̃ autor quidã nõ parui nominis dicat θεωρεῖ & θεωρεῖτε p̃sentis esse tpis: sunt tamen etiã iuxta canones Græcæ grãmaticés futura secunda. Similiter cap. 17. quum dicit: Ille testimonium phibebit de me, & vos (testes eritis) Etiã ait idem autor μαρτυρεῖτε p̃sens esse indicantis Ioan. 15

cantis, vt significet Testes estis, aut estote, quemadmodum etiã hoc loco vertit. Attamen multo cõmodius dicetur esse futurum secundum: præsertim quum Act. cap. 1. eadem ferme verba referens Lucas, dicat: Accipietis virtutem superueniente spiritu sancto in vos, & eritis mihi testes. Vbi aperte per futurum habet Græca litera ἔσεσθε, facta etiã primum superuenientis spiritus sancti mẽtione, sicut etiã hoc loco. Præterea quum eodem capite dicitur, Ad patrem vado, & posthac nõ (videbitis) me. Et post pauca: Pusillo tẽpore, & non (videbitis) me: asserit idem vtroq; horum locorum Euãgelistam abusum tẽpore prẽsenti pro futuro. Nos autẽ opinamur q̃ proprie futurum secundum posuerit. Quod inde facile est colligere, q̃ statim sequatur futurum ὄψεσθε videbitis. Scimus tamen quosdã grammaticos futura secunda à verbis circumflexis in totum auferre: qui tamen fateri coguntur prẽsens indicatiui passim pro futuro locari, quod vix fieri solet. Idem autor verbum ἀφίωνται frequenter vertit Remittuntur, quum sit non solum Atticum præteritum, sed & Ionicum & Doricum, per ablationem ι vocalis subiunctiuę, & pleonasmum ω. Nam quod dicat interpretem fortassis legisse ἀφίονται vt sit prẽsens ab ἴω & ἴομαι, non fit verisimile, quum hoc baritonum verbum apud solos poetas reperiatur.

Ioan. 16

Matth. 9 Marci. 2 Luc. 7

Ioan. 15

Capite. 16. Nisi quis in me mãserit (eiectus est) foras sicut palmes, & (exaruit) & (colligunt) eos, & in ignem (coniiciũt) & (ardent). Hoc loco duo præterita & tria præsentia pro futuris posita sunt: nempe ἐβλήθη pro Eiicietur, ἐξηράνθη pro exarescet, συνάγουσιν pro Colligent, βάλλουσι pro Coniicient, & καίεται pro Ardebit.

Eodem. In hoc (glorificatus est) pater me⁹ (vt fructum copiosum adferatis) ἐδοξάσθη pro futuro Glorificabitur, & ἵνα φέρητε pro eo quod est, Si attuleritis. Hoc itaque loco & præteritum & præsens pro futuro ponuntur.

Ioan. 16

Capite. 17. Et non (dico) vobis q̃ ego rogabo patrem pro vobis: ipse enim pater (amat) vos. λέγω pro Dicam, & φιλεῖ pro Amabit, quod tamen si solum esset, futurum secundum esse posset. Vide huius loci enarrationem.

Ioan. 17

Eodem. Et iam non (sum) in mundo, & hi in mundo (sunt) ἐμὶ pro Ero sumitur, & εἰσὶ pro Erunt.

EVANGELII SECVNDVM MATthæum enarratio diligenter ab Eutymio collecta, qui maxime quidẽ ex interpretatione sancti patris nostri Ioannis Chrysostomi, præterea & è diuersis aliis patribus quædam in medium attulit, & hanc explanationem in vnum collegit.

PRIMVM quidem res fuisset maxime commoda, si literarum nobis non esset opus auxilio, sed talem viueremus vitam, vt corda nostra vice librorum nobis essent: & quẽadmodum hi atramento, ita illa spiritu inscriberentur. Verum quia iam hãc repulimus gratiam, vtinam vel secundũ amplexi fuissemus remediũ, & literis ad id, quod opus erat, vsi fuissemus. His nanque, qui sub veteri fuere testamento, puta Noe, Abraham, eiusque posteris, ipsi præterea Iob ac Mosi, non per literas, sed per seipsum loquutus est deus, nempe qui mentes eorum puras reperit. Postquam autem in ipsum vitiorum barathrum cecidit vniuersus Hebræorum populus, tum eis tabulæ ac literę, reliquæ fuerunt, vt per has præteritorum occurreret memoria. Similiter autem & his, qui sub nouo fuere testamento,

a quisq;

D quisque videre poterit idem accidisse. Neque enim Apostolis tradidit deus quicquam scriptum, sed literarum loco, spiritus sancti gratiam se eis daturum repromisit, Ille, inquit, vobis suggeret omnia. Vt autem discas longe id melius fuisse, audi quid per Prophetam dicat: Statuam eis testamentum nouum, dans leges meas in mentem eorum, & in corde scribam eas, eruntque omnes edocti à deo. Ipse quoque Paulus hanc indicans excellentiam, dicit acceptam esse legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. Vbi vero temporis progressu naufragium fecerunt: quidam sane dogmatum causa, alij vero vita ac moribus: rursum memoria opus fuit, quæ à literis subministrari solet. Cogita ergo quãtum fuerit malum, qui adeo pure viuere debuerimus, vt literis non indigeremus, sed pro libris præberemus corda spiritui. postquam honorem illum perdidimus, ac nosipsos in hanc constituimus necessitatem, vt ne altero quidem vtamur pharmaco, sed quasi frustra ac inuanum iacẽtes despiciamus literas. Id ergo ne fiat, age sane, his quæ scripta sunt animum aduertamus, ac diligentius cuiusque vires scrutemur, vt & rectorum dogmatum diuitias, tanquam thesaurum effodere liceat, & sanctæ conuersationis exempla colligere. Quam ob causam obsecro, quum duodecim fuerint Apostoli, soli ex eis duo, Matthæus videlicet & Ioannes, Euangelia conscripsere? Siquidem reliqui duo, discipuli potius ac sectatores erant: Marcus quidem Petri, Lucas vero Pauli. Id ea causa actum est, quia nihil gloriæ causa faciebant, sed omnia exigente necessitate. Matthæum enim, qui ex Iudæis crediderant, obsecrauerunt, vt scriptam relinqueret ipsis euãgelij historiam, quam prius eos verbo docuerat. Similiter & Marcum, qui in Aegypto edocti fuerant. Lucas autem causam addit, cur euangelium conscripserit, dicens ad Theophilum, se hoc propter ipsius certitudiné facere. Ait enim, Vt agnoscas eorum, de quibus imbutus fueras certitudinem. Ioannes vero horum nactus euangelia, videnscque tres, versatos in eo maxime sermone, quo Saluatoris incarnationem demonstrarent, & propterea dogmata, quæ diuinitatem eius tangebant, silentio præterierant: ideo Christo ipsum ad scribendum euangelium instigãte, accessit. Vnde etiam protinus ab initio de his disserit: nam ob hæc ibrum omnem confecit. Admirare

E

F

oan.14

eremiæ 31

Hebr.8

oan.6

.Cor.3

Lucæ.1

rare autem, quod quum neque vno tempore, neque loco eodem scripserint, neque res inter sese communicauerint, tamẽ quasi ex vno ore quatuor loquuntur, in his præcipue dogmatibus, quæ fidei firmitatem ac statum spectant: veluti, quod deus factus sit homo, quod sit è virgine natus, quod admirãda operatus sit, quod salutis præcepta dederit, quod crucifixus sit ac sepultus, quod resurrexerit, & in cœlum assumptus sit, quodque omnes sit iudicaturus, quod vnigenitus sit filius & eiusdem substantiæ, similisque potentiæ ac honoris cum patre, cæteraque huiusmodi. Quod si aliquantum, in his quæ necessaria non sunt, dissoni videntur, hæc ipsa quæ apparet dissonantia, maxima sit veritatis demonstratio, & eos omni liberat suspitione. Si enim in omnibus ad tempus vsque, locum ac verba conformes fuissent, nullus animum inducere potuisset, quin inter se conuenissent, vt ex communi pacto scriberent quæ scripserunt. Dissonantiam autem nunc dicimus, non contrarietatem: neque enim contrarij fuerunt, etiam in his quæ contingentia erant, sed ea diuersimode loquuti sunt. In quibusdam enim, Tunc, inquit ille, miraculum operatus est: hic autem alio tempore. Item, hic quidem, tali loco, ille vero, tali. Rursum hic, talem habuit orationem, ille autem, talem. De quibus, suis dicemus locis, manifeste demonstrantes, quod omnino non fuerint contrarij. Aliud siquidem est contrario modo loqui, aliud diuerso modo loqui.

A

B

Primus autem scripsit Matthæus, quod nunc præ manibus est euangelium, post octo annos Christi in cœlum assumpti. Scripsit autem illud ad eos, qui ex Iudæis crediderant, vt prædiximus, Hebraica vsus lingua ac contextura, postea vero in nostram linguam traductum est

C

D EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM.

IN Euangeliorũ inscriptionibus, Euãgelistæ narrationem posuerunt, quod etiam testatur Lucas, dicens. Quoniam complures aggressi sunt contexere narrationem earum certissimæ fidei rerum, quæ in nobis completæ sunt. Hanc autem narrationem, Euangelium vocauerunt, quod bona hominibus nunciet, puta deum hominem factum, hominem vero diuinum, dæmonum dissolutionem, peccatorum remissionem, regenerationem, adoptionem, & regni cœlorũ hæreditatem. Euangelistæ vero dicuntur, non solum hi quatuor, verum etiam omnes simul Apostoli. de quibus pariter antea loquutus est Iesaias: Quàm pulchri, inquiens, pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Verum hi quatuor, proprie Euangelistę vocati sunt, quasi qui per scripturam omnia narrauerint ac prodiderunt, cæteri vero omnes, tanquã qui hoc ipsum sine scriptura fecerint.

Lucæ. 1.

Iesa. 52

LIBER GENERATIONIS Iesu Christi.

Caput primum iuxta Latinorũ enumerationẽ

Per generationem intelligit hic Ioannes Chrysostomus, natiuitatem. Dictio siquidem γένεσις, quum sit generalis, etiam hoc significat. Quidam autem dicũt, quod ex quo Christus supernaturaliter natus ex virgine, naturalem renouauit natiuitatem, reliquum est, vt etiam Euangelista naturale natiuitatis vocabulum renouauerit, generationẽ ipsam vocans.

† Iesus autem nomen Hebraicum est, significat autem saluatorem. Ipse enim, ait, saluum faciet populum suũ à peccatis eorum. Ne autem fallaris in nomine varia significãte cum Iesus audis: siquidem & alius fuit Iesus: idcirco non simpliciter ipsum dixit Iesum, sed Iesum Christum, hunc ab illo distinguens. Verum dubitare quispiam poterit, eo quod hic liber non solam contineat Christi natiuitatem, sed & omnem eius conuersationem, ac viuendi rationem. Hanc dubitationem dissoluimus, dicentes omnis eius cõuersationis, modic; viuendi

viuendi caput, & præcipuum ac radicem nostræ salutis, fuisse natiuitatem. Id enim stupore & admiratione replet, estq; supra omnem spem ac expectationẽ, vt deus fiat homo: quo facto, omnia quæ post hoc facta sunt, ex consequenti, suoque ordine consequuntur. Reliquum est ergo, vt ab hac magis præcipua parte, totum librum, generationis librum vocauerit. Ita nempe Moses quoque primum suum librum vocauit Geneseos, hoc est creationis cœli & terræ: quum non solum de cœlo & terra, verũ etiam de omnibus loquatur creaturis. A

† Vel. *Quum Christus & supernaturaliter natus sit, puta sine semine, & ex uirgine: & naturaliter, puta ex muliere, & uberibus lactatus: ideo dixit, generationis, insinuans id quod erat supernaturale. Infra autem dicit: Iesu Christi natiuitas sic fuit, manifestans id, quod fuit naturale. Quidam uero dixerunt, generationem Iesu, ipsius in mundum descensionem, quo modo uidelicet factus sit uel natus.* B

Filii Dauid, filii Abraham. Filium quidem Dauid vocauit Christum, filium vero Abraham ipsum Dauid: auditorum mentes erigens ad promissionum memoriam. Olim enim promiserat deus Abraham ac Dauid è semine ipsorum nasciturum esse Christum. Quum autem auditores essent Iudæi, vt prædiximus, nouerant illas promissiones. Primum autem Dauid posuit, quod in ore omnium ferretur, vtpote propheta magnus, & tanquam rex gloriosissimus: quique non tanto ante tempore obiisset. Abraham autem, quanquam insignis fuerit, nempe patriarcha, attamen quum ante multa secula è viuis excessisset, tanta memoria non colebatur. Etsi etiã vtrique promiserit, de illo tamen quasi vetustiori silebatur: hoc autem tanquam recentius, in omnium ore circumferebatur: propter quod etiam dicebant: Nonne è semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venturus est Christus? Itaque nullus eum filium Abraham, sed omnes Dauid filium vocabant. Sic ergo ab eo quod notius erat incipiens, ad id quod erat vetustius ascendit. Verum Matthæus quidẽ, quum ad eos qui è circumcisione erant scriberet, non altius quàm vsque ad Abraham genealogiam reduxit, sed ab hoc sumpto principio, vsque ad ipsum Christum descendit, ostendens solum, quod è semine Abraham & Dauid natus esset, secũdum promissa ad illos facta. Nihil enim æque delectabat eos, qui ex Iudæis crediderant: atque audire, quod è semine Abrahã C

Gene. 2
Psal. 131
Ioan. 7

Dac Dauid natus esset Christus, vtpote qui inde semper ipsum expectassent. Lucas vero quasi per medium Theophilum simul omnibus loquens fidelibus, perfectam trahit generationem: inferne magis ab ipso inchoans Christo, & ad ipsum vsque Adam ascendens, vt demonstraret, quot generationibus separatus sit nouus Adam à veteri: & super quot generatiões regnauerit peccatũ. Differentia igitur rerũ demonstratarum, differentiam fecit demonstrationum. Siquidem Matthæus Abraham necessario faciens mentionem, ab hoc merito descendit ad Christum, cuius genealogia describitur. Lucas vero qui ad huiusmodi necessitatem mentionis Abrahæ faciendæ nõ inducebatur, necessario à Christo inchoans, quid apud Hebræos consuetum esset, diligenter inquisiuit, & iuxta E id quod inquisiuerat, genealogiam contexuit.

† *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Moris erat per mares texere genealogias: Vir enim semen infundit, & ita principium est & radix prolis, caputq; mulieris, vt inquit Apostolus: mulier autem semẽ fouens, enutriens ac coagulans, in adiutoriũ viro data est. Iudã vero præ filiis aliis Iacob posuit, licet primogenitus non esset, eo quod ex tribu eius Christus descenderet. Quum autem in generationum serie vnus semper ab vnoquoque successor ponatur: studiose obseruandũ est, quãdo plures ponuntur successores: nõ enim frustra plurium fit additio, sed statim causa agnoscitur. Fratrum siquidem Iudæ F hic fecit mentionem: quia vnus erat Israeliticus populus, ad duodecim radices relatus, qui sunt duodecim filij Iacob: & videntur etiam hi quasi progenitores Christi nũcupari, tanquã qui tribuum Israelitici generis principia sunt, à quo generatus est Christus.

† *Veram nominum huius genealogiæ orthographiam, & illius quam habet Lucas ad Hebræorum fontem, in nostris annotationibus de uaria exemplarium lectione ante libri exordium inuenies, super. 6. Lucæ caput iuxta Græcorum supputationem, & .3. iuxta Latinorum, ad id uerbum, Qui fuit Matthan.*

Iudas autem genuit Phares & Zara è Thamar. Iudas quartus fuit filiorũ Iacob. Accepit autem primogenito filio suo vxorem: quo absque liberis defuncto, iunxit eam secũdo: hoc autem similiter mortuo, promisit se tertium filium illi coniuncturũ:

iuncturum: timẽs autem ne & hic statim moreretur, nuptias A distulit, mulier vero cupiens vehementer ex genere Abrahã, vtpote celebri ac præclaro, semen suscipere: vbi socerum Iudam promissum differre vidit, hoc pacto illum decepit. Habitum enim scorti induta, ante portas ciuitatis contecta sedit: quam videns Iudas, nec agnoscens, ingressus est ad eam, quasi ad scortum: quæ cognita, geminam concepit prolem. Accedentibus autem partus doloribus, quum Phares & Zara parsendi essent: vbi vidisset obstetrix Zara primum efferentem manum, volens primogenitum signo notare, coccino manum, quam extulerat, ligauit: alligatam autẽ retraxit infans: qua retracta, Phares processit, deinde Zara. Et hæc quidem rei gestæ historia est. Solum autem Phares accepturus erat Euangelista in genealogiam, vtpote per quem ad Dauid ge- B nus procedebat. Nunc vero cum ipso etiã Zara posuit, quasi typum populi Christiani: siquidem Phares Israëlitici typus erat. Sicut enim Zara, primum quidem manum efferens, retraxit eam: deinde Phares egresso, tunc & ipse integre exiuit. Ita quoque vitæ euangelicæ pars quidem temporibus Abraham apparuit: qua retracta, processit legalis: & post hanc perfecte apparuit euangelica. Vides igitur nõ frustra fuisse Za- *Gene.38* ram assumptum. Reliquum est ostendere, quod ipsius quoq; *Iosue.2.* Thamar nõ abs re meminerit, sicut & trium postea aliarum. *Ruth.1.* Sed quia Thamar quidem illicite nupta erat, vtpote socero *2.Reg.1* nupta: Raab autem meretrix erat, & Ruth alienigena, vxor verò Vriæ adultera, quemadmodum ipsarum docent historiæ: adduxit eas in medium, vt manifestum faceret, Christũ C nõ erubuisse ab huiusmodi descendere progenitoribus: quorum vnus quidem ex illicite nupta natus erat: alius autem ex fornicaria: & rursum hic ab alienigena descenderat, ille vero ab adultera. Neque enim virtuti dedito, nocet progenitorum iniquitas. Quisque enim à propriis operibus, non ab alienis probus iudicatur aut improbus. Nam ob id etiã venit Christus: non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea susciperet, suisque virtutibus perimeret. Vt medicus nanque aduenit Christus, non vt iudex. Hæc igitur prima est causa. Altera vero, quia eo quod Iudæi virtutis, quæ circa animã versatur, nulla habita cura, de progenitoribus plurimũ gloriabantur, generositatem illorum sursum ac deorsum circunferentes: re-

D primit tumorem ipsorum: ostendens etiam illos ex illegitimis natos nuptiis. Statim enim patriarcha eorũ, eiusdemq; nominis Iudas, ex ea, quæ sibi sceleſto modo copulata est, ꝓgenitorem ipsorum Phares & Zara genuit. Dauid quoq; ille adeò celebris, ex adultera Solomonem generauit. Restat itaque vanam esse de progenitoribus iactantiam. Opinor autem ob hanc etiam potissimum causam, fratrum quoq; Iudæ meminisse. Quatuor enim ipsorum ab ancillis Iacob nati Gene.3. sunt, & tamen nulli eorum generis obfuit differentia: omnes namque similiter & patriarchæ fuerunt, & capita tribuum. Tertia vero causa est, quod mulieres illæ fuerunt figura ecclesiæ, quæ ex gentibus cõgregata est. Quemadmodum enim
E illas diuersis subiectas peccatis viri prædicti duxerunt: ita quoque Christus humanam naturam, variis oppressam peccatis, sibiipsi vniuit. Et sicut genus talium mulierum nequaquam indignum reputauit: ita nec ecclesiæ secum desponsationem. Simul quoque per talia docemur, non de progenitorum peccatis, sed de propriis erubescere: neque de maioribus gloriari, sed propriæ curam habere virtutis. Neque viros egregios talibus copulatos nuptiis propter huiusmodi matrimonia vilipendere. Neque eos repellere, qui à diuersis iniquitatibus ad fidem accedunt.

Phares autem genuit Esrom: Esrom autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminabab autem genuit Naasson: Naasson
F *autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz è Rahab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Iessæ: Iessæ autem genuit Dauid regem: Dauid autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Solomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abia: Abia autem genuit Asa: Asa autem genuit Iosaphat: Iosaphat autem genuit Ioram: Ioram autem genuit* † *Oziam: Ozias autem genuit Ioatham: Ioatham autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezeciam: Ezecias autem genuit Manasse: Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Iosiam: Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonica.* Quartus certe Regum liber ac secundus Paralipomenon tres Iosiæ filios ponunt Ioacham, Ioacim qui & Eliacim vocabatur, ac Sedeciam, qui & Matthanias dicebatur: ab vno autem horum, puta Ioacham descendisse Iechoniam dicunt. Liber autem Esdræ Iechoniam filium Iosiæ fuisse dicit, sicut & præsens

præsens Euangelista. Quid ergo dicemus? Quod quem illi Ioacham dixerunt, hic Iechoniam appellat: binominis enim erat, sicut & fratres sui. Etenim quæcunque illi circa Ioacham dixerunt, hæc omnia Esdræ liber inuariabiliter de Iechonia dixit: & quod matrem habuit Hamital filiam Ieremiæ: & quod viginti trium annorum erat, quum regnare cœpisset: & tribus tantum mensibus regnauit. Eiectus est enim à Pharaone rege Aegypti: & captiuus migrauit in Aegyptũ. A

Reliquum est igitur, vt alius fuerit Iechonias filius * Ioacim, cuius fratres nullus liber posuit. Verisimile est autem postquam Aegyptij à Nabugodonosor rege Babylonis fugati sunt, transiatum esse & Iechoniam in Babylonem, & in ea genuisse Salathiel. Iosias, inquit, genuit Iechoniam & B fratres eius in transmigratione Babylonica. Et quidem hos ante Iudæorum in Babyloniam transmigrationem Iosias genuerat. Reliquũ est ergo, vt in trãsmigratione, capiatur pro eo quod est, circa tempus transmigrationis. Meminit quoq; fratrũ eius: eo quod omnes ipsi similiter regnauerunt, & pariter à Nabugodonosor captiui in Babylonem translati sunt.

* fortè Ioacham legẽdum est.

† *Quomodo autem circa mediam hanc partem tres præteriit reges, nempe Ochosiam filium Ioram & Ochosiæ filium Ioas, & ipsius Ioas filium Amasiam? Amasias enim genuit Azariam, quem secundus Paralipomenon Oziam nominauit: binominis enim erat. Quomodo ergo Matthæus ait Ioram genuit Oziam? Nam quod Ioram genuerit Oziam tanquam abnepotem aut posterum suum, non tanquam filium, manifestum est. Qua igitur causa tres reges, ut dictũ est, prætermissi sint, nullus hactenus dixit. Valde enim perplexa est ratio his, qui nostris nati sunt temporibus. Reuerentia autem, quam erga maiores nostros habuerunt, in causa fuit, ut ab hac abstinerent quæstione.* C

Et post transmigrationem Babylonicam Iechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zarobabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor aũt genuit Sadoc: Sadoc autẽ genuit Achim: Achim autẽ genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Matthan: Matthan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioseph uirum Mariæ, ex qua genitus est Iesus, qui uocatur Christus. Ad Ioseph deueniens, non in hoc verbo seriem terminauit, sed addidit, virum Marię, docens nos, quod ob hanc ipsam, generationis ordinem cõtexuit: Quia enim moris non erat mulierũ

genealogias

D genealogias ponere, studuit, vt & morem seruaret, & alio modo Christum demonstraret ex genere Abraham & Dauid descendere. Ideo sponsi matris dei genealogiam contexuit: & per hunc, quod intendebat, demonstrauit. Ex quo enim Ioseph de genere illorũ esse demonstratus est, manifestũ quoq; est, dei matrẽ inde descendere. Nam aliunde sponsam ducere non licebat, nisi quæ ex eadem esset tribu, eademque familia, & ita consanguinea. Ipsum autem Ioseph, virum quoq; eius dicit, hoc est sponsum. Nam & postmodum in sequentibus, eam vocat vxorem, hoc est sponsam. Ita enim cõsuetum erat vocari etiam antequam coniungerentur.

Omnes igitur generationes ab Abraham usq; ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid usq; ad transmigrationẽ Babylonicam, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonica, usq; ad Christum, generationes quatuordecim. Omnes generationes trifariam diuisit, & merito. Tres enim fuerunt gubernationis modi. Siquidem ab Abhraham post Mosen & Iesum Naue vsq; ad Dauid, sub iudicibus gubernabãtur. A Dauid vsque ad transmigrationem Babylonicam sub regibus: à transmigratione vero Babylonica, vsq; ad Christum, sub pontificibus. Veniente autem Christo vero iudice, rege ac pontifice, cessauerunt dictæ politiæ. Aequum est autem quærere, quo modo in tertia parte, vbi duodecim tantum ponit personas, quatuordecim dicat esse generationes? Ideo videlicet, quia ipsum transmigrationis tẽpus in ordine generationis posuit: & similiter ipsum Christũ, sicut magn⁹ docuit Chrysost.

Iesu Christi autem natiuitas ita fuit: Quum esset desponsata mater eius Maria ipsi Ioseph, priusquã conuenirent, reperta est prægnans esse è spiritu sancto. Priusquam conuenirent ad coitũ. Non dixit autem, Priusquã ipsa veniret ad domum illius. Iam eñ in ea erat. Multis siquidẽ moris erat, vt apud se haberent sponsas, propter securitatem. Reperta est autẽ, hoc est, apparuit: ait autem reperta est, propter inopinatum effectum. Ne quispiam vero turbetur, eo quod dixerit, Reperta est esse prægnans, si id solũ audiat: ideo orationem contexuit, addens, è spiritu sancto. Et quam ob causam non est impręgnata anteq̃ desponderetur? Ne occideretur, vtpote suspitione dea habita, quod corrupta esset. Cui enim persuadere potuisset, cũ viro se nõ esse congressam? Propter hoc ergo post desponsationẽ, & quum

& quũ iam in domo viri esset, imprægnatã, vt verisimile sit ex ipso cõcepisse: & ita periculũ euadat. Præterea, vt in necessariis habeat subministratorẽ & procuratorẽ: eo maxime tempore, quo in Aegyptũ fugiendũ erat. Tu vero ne queras, quo modo conceperit: neq; curiose scruteris, quo pacto formatus sit embrio. Hoc enim neq; Euãgelista docuit, neque ante ipsum angelus, qui virgini conceptũ annunciauit: Hoc siquidẽ ignorabant, eo quod incõprehensibile sit, soliq; beatę Trinitati cognitum. Verum id tantum scito, quod filius incarnatus est secundum patris voluntatem, cooperante etiam spiritu sancto. A

Ioseph autem uir eius, quum esset iustus, & nollet eam traducere: uoluit occulte dimittere eam. Iustus quidem dicitur, qui auaritiam odit: dicitur etiam generaliter, qui virtutem colit: sicut & hic Ioseph iustus esse phibetur, quũ propter alias eius virtutes, tum propter mansuetudinẽ ac probitatẽ eius. Tradu cere autem dicebatur, quando vir ad conciliũ ducebat vxorem, de qua suspitionẽ habebat, ipsamq; accusabat: & ita manifeste eam à domo, ppria dimittebat. Quod nolens facere Ioseph, voluit clam dimittere eam, vt & ipse nulli obnoxius crimini, secundum legem maneret, eas iubentem dimittere, quæ aliunde in vtero haberent, & illam à malorũ perpessione seruaret, quæ id quod factum erat, non manifestabat. B Num.5.

Hæc autẽ eo cogitante, ecce angelus domini apparuit ei in somnis. Vide mansuetudinis excellentiã. Non solũ hac de re nihil alteri manifestabat, sed nec ipsi de qua suspitionẽ habebat: tantũ apud se cogitauit clã dimittere eã. Et quare nõ anteq̃ venter intumesceret virginis dixit angelus ipsi Ioseph, quæ facta fuerant circa conceptionẽ sine semine? Quia propter magnã rei nouitatẽ incredulus fuisset. Quũ ergo res iam appareret, indicat faciliusq; persuadet. Præterea cur nõ ipsa virgo manifestauit Ioseph, quũ prius à Gabriele esset edocta? Quia sciebat fidẽ sibi non habendã: magis itaq; laborabat studens, quod impletũ erat obtegere. Ad hæc: quare non post ventris tumorẽ significauit angelus virgini conceptionẽ, quæ per spiritũ sanctum facta esset. Quia nisi prius rem didicisset, timore ac perturbatione adeò exagitari potuit, vt mortẽ ipsa sibi cõsciscceret, plane sciens quod nulli vnquã persuadere potuisset, se nulli cõmixtam esse viro. Propterea virgini quidẽ ante cõceptionẽ angelus nunciauit, Ioseph aũt parturitionis tẽpore. C

Et Mar-

Lucæ.1. Et Matthæus quidem de angelo Ioseph apparente conscripsit: Lucas vero quomodo virgini diuinus conceptus sit annũciatus: vtrumq; enim factum est. Rursum quam ob causam in somnis ipsi Ioseph apparuit angelus, & non manifeste sicut virgini? Quia virgini quidem manifesta opus erat visione, propter rei quæ significabatur nouitatem: Ioseph autem videns quidem vteri tumorem, cognitam tamen habens vitæ virginis puritatem ac innocentiam, alio quoque modo facilius erat crediturus, tanquam qui somnia probe nouerat diiudicare: ideo in somnis angelum videt.

Dicens: Ioseph fili Dauid ne timueris accipere Mariam cõiugem tuam. Dauid filium, ipsum nominat, mentem eius ad Dauid reducens, à quo Christum esse venturum expectabant Iudæi. Dicens autem, Ne timueris, eidem manifestat proprij cordis arcanum. Timebat siquidem retinere Dei matrem: ne deum offenderet, retenta contra legem adultera. Quid est autem accipere? Intus retinere, vel ad seipsum rursus capere. Iam enim mente ab eo diuisa erat. Accipere vero non ad nuptias, sed ad custodiam. Vxorem quoque tuam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita esset viro.

Quod enim in ea genitũ est, † à spiritu sancto est. Formatum in ea, genitum dixit, vt discamus non paulatim modo seminis formatum esse: sed repente quantum ad formationẽ perfecte factus est. Vide autẽ quo modo ipsum admonuit eius, quod à Dauid expectabatur: deinde manifestauit ipsi occultum cordis timorem, & quid facere decreuisset: postea docuit puram esse eius sponsam: & ita tandem, quod rei caput erat intulit, videlicet, quod à spiritu sancto esset, vt hoc modo facilius recipi posset.

† *Quod ab aliquo esse dicitur, uel est modo generationis, iuxta illud: Ego à deo exiui: uel modo creationis, iuxta illud: Vnus deus & pater à quo omnia: uel modo naturali, sicut effectus est ab operante. Quod igitur in uirgine genitum est, non generationis modo à spiritu sancto est: quia quod natum est, caro est: neque naturali modo: spiritus enim incorporeus est. Reliquum est igitur, ut ab eo sit, tanquam creatura, uel plasmatio eius.*

Pariet autem filium: & uocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Tu hunc vocabis Iesum, quasi lege pater. Et si (inquit) quę patris sunt circa ipsum non

sum non exercueris, quanuis tuum non est, quod natum est, ideoque nomen ipse de supernis attuli: tu tamen ipsi impones. Verum quia nomen Iesus, saluatorem significat, ostendit merito ita vocandum esse: Ipse enim (inquit) saluum faciet populum suum, non à bellis sensibilibus, sed quod longe maius est, à peccatis eorum: quod nullus vnquam fecit hominum: vt hinc quoque manifestum faciat deum esse, qui gignitur. Populum autem suum, iuxta proximum quidem intellectum vocat Iudęos, ex quibus natus erat: iuxta arcanum vero omnes, qui in ipsum crederent, & sibiipsis regem hunc aseriberent. A

Hoc autem totum factum est, ut compleretur, quod dictum est à domino per prophetam Etiam hoc subdit angelus. Hoc autem totum: tale inquam, virginem scilicet à spiritu sancto impręgnari. Deinde adducit testimonium, per prophetam quidem Iesaiam prolatum, non tamen quasi eius sit, sed dei: dictum enim est (inquit) à domino per prophetam. B Iesa.7.

Dicentem: Ecce uirgo erit grauida Hoc Iudæi deprauant, quosdam proferentes interpretes, qui scripserunt: Ecce adolescentula. Quibus respondemus, cunctis illis interpretibus, multo fide dignius esse id, quod habent septuaginta, non solum propter eorum multitudinem & conformitatem, verum etiam temporis ratione. Hi siquidem ante centum & eo plures annos ante Christi aduentum interpretati sunt: ideoque omni carent suspitione. Qui autem scripserunt, Ecce adolescentula, post Christi incarnationem interpretati sunt, odio magis, vtpote Hebræi, veritatem obscurantes: Alioqui nomen etiam adolescentulæ, pro virgine ponit scriptura. Loquens siquidem de virgine, quæ insidias perpessa est: Si clamauerit, inquit, adolescentula siue puella, hoc est virgo. Quod si iuxta eorum intellectum adolescentula nupta est, quid nouitatis habebit eam quæ nupta sit, concepisse ac parere. Prius enim dixit propheta: Dabit dominus ipse vobis signum: deinde addidit: Ecce virgo erit grauida. Signum autem dicitur, quod supra naturam est, non quod naturale. C Deute.22 Iesa.7.

Et pariet filium: & uocabunt nomen eius Immanuel, quod interpretatur, nobiscum deus. Vocabunt: qui nam? Quicunque sciicet in ipsum crediderint. Atqui nullus ipsum Immanuel nominauit. Nomine quidem nullus, re autem omnes. Quia

enim

D enim credentes, quum hic comprobaretur esse deus, ita esse credebant: confitebantur, quod esset nobiscum deus. Etenim nobiscum quasi homo conuersabatur: hoc autem est Immanuel. Nam alias quoque, hic est prophetis mos, vocationes appellare futuras actiones. Siquidem puerum hunc inter alia nomina prophetæ præcepit deus, vt vocet. Cito
Iesa.8. prædabitur, cito spoliabit: non quod nomine ita vocatus sit, sed quod statim diabolum fugauerit, & quos ille captiuos habebat, prædatus sit, ac spoliauerit. Rapuit itaque vasa, quæ prauitatem eius imbiberant: dico sane Publicanos
Marci.3. & latrones, quique ex gentibus crediderunt. Et pleraque similia inueniemus.

Experrectus autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus domini: & accepit coniugem suam. Quare somnio in re
E tanti momenti adeo facile credidit? Quia apparens angelus detexit ei proprij cordis cogitationem. Intellexit ergo vere à deo veniisse: solus enim deus nouit cordiũ arcana. Postquã vero ipsum admonuit prophetiæ Iesaiæ, magis in adimpletione confirmatus est.

Et non cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitum. Posuit hic, Donec, non vt suspitio tibi suboriatur, quod postea cognouerit eam. Sed quia Iudæi Christum è fornicatione natum nugabantur, blasphemiæ eorum suspitioni obstans euangelista de solo tempore natiuitatem præcedente plenam fecit fidem: de insequenti vero tibi reliquit coniectandum. Quomodo enim tentasset, vel etiam cogitas-
F set eam cognoscere, quæ de spiritu sancto concepisset, tantumque facta esset receptaculum? Cognitionem autem hic honeste pro carnis commistione posuit. Est præterea scripturæ idioma, dictionem, Donec, ponere: non vt tempus
Gene.8. determinet. Veluti de arca Noë: Et non est reuersus coruus, donec siccata est terra: neque enim postea reuersus est. Et
Psal.109. rursum: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Atqui etiam post inimicorum subiectionem, à dextris eius sedet: plurimaque similia frequenter ponuntur. † Primogenitum quoque nunc dicit, non eum, qui inter fratres primus fuerit, sed primum & solum. Inter varia nanque primogeniti significata, tale etiam quippiam continetur. Etenim primum quoque esse eum, qui solus est, testatur,

testatur scriptura, quum dicit: Ego deus primus, & post me non est alter. Esa.44. A

† *Apud sacram scripturam quatuor ponuntur significata huius nominis, Primogenitus. Denotat nãque primum inter fratres genitum. Sic Ruben dicitur primogenitus in filiis Iacob. Significat quoq; primum & solum genitum, sicut in præsenti loco. Ad hæc etiam denotat egregium & honoratum. Sic dicitur ecclesia primogenitorum in cœlis descriptorum. Præter hæc autẽ omnia, significat & eum, qui simpliciter præcessit, iuxta illud: Primogenitus omnis creaturæ, hoc est, ante omnem creaturam habens esse.*

Et uocauit nomen eius Iesum. Vocauit Ioseph, quemadmodum edoctus erat ab Angelo.

CAPVT PRIMVM DE MAGIS.

Vum autẽ genitus esset Iesus in Bethlehem Iudææ in Cap.2.
diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente adie- B
runt Ierosolyma. Quare & locum dicit, & tẽpus, ac Herodis dignitatem? Locum quidẽ, vt ostẽdat completam esse Michææ prophetiam, qui dixit: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquã minima es inter principes Iuda, ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel. Tempus vero, vt similiter doceret, impletam esse prophetiam Iacob dicentis: Non deficiet principatum Gene.49
tenens de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniant, quæ ei reposita sunt. Instante nempe natiuitatis Christi tẽpore, defecit principatum tenẽs de Iuda, ac deinceps dominari cœpit Herodes Idumæus alienigena. Dignitatẽ quoque posuit Herodis. Fuit enim & alter Herodes tetrarcha, C
qui præcursorem interemit. Hi autem Magi erant Persæ. Siquidem Persæ maxime inter omnes nationes magica exercebant. Considera etiam quo modo statim à principio gentibus in confusionem Iudæorum, fidei ianua aperitur. Quum enim hi prophetas habentes, qui Christi prædixerãt aduentum, parum aduerterent animum, ideo dispositum est: vt venirent barbari, hique Magi, & è longinqua regione, vt eos docerent, quod à propriis prophetis discere non curabant, vt si postea contendere voluerint, nõ habeant quod respondeant. Quid enim dicere poterunt, quando Magi, viso vnico astro, crediderunt, ipsi autem, neque tot prophetis credere voluerunt.

Dicentes,

D Dicentes, *Vbi est ille qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente & uenimus ad adorandum eum.* Et vnde cognouerunt stellam illam, Regis Iudæorum natiuitatem manifestare? Quia ex genere Balaam Astrologi descendebant, & scripta illius adeuntes, inuenerunt ab eo dictum: Numer.24 Orietur stella ex Iaacob, & consurget homo ex Israel. Tali itaque prophetia permoti, agnouerunt ex Iudeis Regem nasciturum in modum stellæ, excelsum scilicet & clarum. Ex eo igitur tempore stellas obseruabant: tunc autem hanc insuetam, & recenter apparentem videntes, nihil cunctando venerunt, vt eum qui natus erat adorarent, volentes à prima statim ætate ipsi pendere tributa, vt cognito quis esset, & in E qua ortus ciuitate: vbi creuisset, amicum sibi haberent. Et quidem vsque ad Palæstinæ regionem stellæ ducatum habuerunt. Vbi autem Ierosolymis appropinquassent, amplius eam non viderunt. Quod factum est, vt duce perdito, interrogare cogerentur: fieretque Iudæis manifestum, natum esse Christum, ne in posterum dicere possent, Non nouimus vtrũ natus sit. Significauit etiam stella Christum, vt Balaam prophetia compleretur. Quia enim prophetæ Christum præmonstrantes, Iudeis persuasuri non erant: reliquum erat, vt gentibus stella indicaret iustitiæ solem è terra orientem. Neque enim prophetam aut nuncium viderant, vt ab eis cognoscerent. Soli autem Persæ stellam hanc obseruauerant: soli nanque diligentius circa Astrologiam ab infantia occupabantur. Neque tamen omnes Persæ, quia non omnes acris F erant ingenij, neque æqualiter omnes erant crediturí. Nunc vero dicẽdum est contra Genethliacos, qui stellã hanc proferunt in patrocinium artis Genethliacæ, stellam hanc non naturam stellarum, sed figuram duntaxat habuisse. Et vere diuina quædam inerat potentia in hanc figuram trãsformata. Et hoc quidem ex multis manifestum est. Primũ à via. Nã quælibet stella ab ortu progreditur in occasum, sola hæc à septentrione in meridiem ferebatur: talem nempe sortitur Palestina situm, si ad Persidem conferas. Secundo à splendore. Siquidem nulla in die apparet, propter excessum lucis solaris: hanc solam in die apparentem sol occultare non poterat. Tertio ex hoc, quod prout opus erat, apparebat, rursusque occultabatur. Vsque ad Palęstinę enim regionem ducatum

catum illis præstans, apparuit. Ex quo autem Ierosolyma accesserunt, seipsam occultauit: rursumque à Ierosolymis exeuntibus, demonstratur. Et illis quidem euntibus, præcedebat, stantibus vero circummanebat, iuxta illorum necessitatem suum præbens motum. Quarto ex eo, quod terræ proxima incedebat, neque enim speluncam aut diuersorium demonstrasset, si aliis proxima stellis, sublimis lata fuisset: nunc autem veniens, stetit supra locum, in quo erat puer. A

Quum audisset autem hæc Herodes Rex, turbatus est, & tota Ierosolyma cum illo. Herodes quidem iure turbatus est, nempe timens de regno suo, filiorumque suorum: tota autem ciuitas, quę Ierosolyma appellantur, quare turbata est? Atqui gaudere ipsam magis oportuit, quod ipsis Rex natus esset, quem B olim prophetæ saluatorem ac redemptorem Israel prænunciauerant, & glioriari tanquam propinquos, quod statim à cunabulis Persas ad sui adorationem attraheret. Verum excæcauit illos inuidia, statimque audientes, turbati sunt: quasi timentes, ne forte salutem consequerentur. Persæ vero quum essent extranei, non solum nato non inuiderunt. imo à finibus suæ regionis vsque Bethlehem propter eum venerunt. Iudæi autem quum essent cognati, etiam gloriæ eius inuiderunt, ne forte magnus futurus esset: & quum Bethlehem prope haberent, ita inuidi fuerunt ac pigri, vt ad eam non accederent.

Et congregatis omnibus principibus sacerdotum & scribis populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. Atqui Magi non dixerunt se Christum quærere, cur igitur Herodes de Chri- C sto interrogat? quia iamdudum audiebat in proximo nasciturum esse Christum Regem Israel, statimque audiens in Iudea natum esse Regem, & quod hunc stella Persis indicasset, intellexit eũ esse, qui dicebatur Christus. Et conuocat principes sacerdotum ac scribas, vtpote dicta prophetica, librosque in ore habentes, & interrogat, vbi Christus nasceretur, hoc est, in quo terræ loco nasciturus inueniretur. Illi vero & locum dicũt, & testem citant prophetam. Scire autem oportet, quod nominatim Christum esse deum, cæteris manifestius scripsit Daniel.

At illi dixerunt: In Bethlehem Iudææ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter Mich.5.

D *principes Iuda, ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel.* Michææ prophetia est, vt prædiximus. Recitant autem ipsam pontifices & scribæ sub compendium. Vide ergo quæ in laudem Bethlehem dominus per prophetam annunciauerit. Et si, inquit, vilis appares ad aspectum, quantum tamen ad id quod animo concipitur, non es minima inter omnes principes tribus Iuda. Quælibet namque tribus diuersos habebat in propriis ciuitatibus principes. Et vere nominatissima fuit post saluatoris natiuitatem. Quotidie enim ab vniuerso orbe accedunt, ipsam visuri, locumq; vbi Christus natus est adoraturi. Deinde magnæ famæ ac nominis causam ponit. Ex te enim exibit, hoc est, nascetur dux. Ducem autem ac pastorem siue rectorem, dixit regem. Nam Christus &
E secundum diuinitatem rex erat. Regnum (ait) meum nō est ex hoc mundo: & secundum humanitatem: siquidem regis exercebat opera: leges videlicet subditis condens: corrigens illos ac fouens: & pro eis moriens: quæ maxime eum, qui vere rex est, insigniunt. Diadema enim & purpura, reliquaq; similia, fastus magis sunt & arrogantiæ. Quomodo autem eum dixit pastorem siue rectorem Israel: (vtrunq; enim significat verbum ποιμαίνω, & regere & pascere) quum vniuersum pauerit orbem? Ne offendantur Iudæi, quasi cæteris nihil amplius habentes: sed occasionem magis habeant familiaritatis eius: quod ab ipsis genitus, & apud eos natus sit. Si quis autem dicat: Quomodo ergo illos non pauit, quum sint ipsi Israel? Au-
F diat quod etiam hoc fecit: pauit enim illos, qui ex ipsis crediderunt. Alioqui etiam Israel est omnis, qui videt deū. Israel namque, si quis interpretetur, idem sonat, quod videns deum.
Rom.9. Dicit autem Paulus: Non omnes qui ab Israel descendunt, hi sunt Israelitæ. Quod si non omnes pauit Hebræos, illorum culpa est, qui ab eo pasci noluerunt. Dixit enim: Non sum
Matth.15. missus nisi ad oues perditas domus Israel. Euangelista autem
Iohan.1. Iohannes: In sua inquit, venit, & sui eum nō receperunt. Hoc quoq; deprauant Iudæi, dicētes de Zorobabel loquutam esse prophetiam. Quibus nos ediuerso dicimus, Zorobabel non in Bethlehem, sed in Babylonia natum esse. Tu vero dei admirare gubernationem: quo modo ordinauit, à Magis quidē doceri Iudæos, quod ipsum stella prædicauerit: à Iudæis autem Magos, quod & prophetæ ipsum prænunciauerint.

Tunc

Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus A
stellæ, quæ apparuerat eis. Quare hos clam vocauit? Quia suspectos habebat Iudæos, nempe Christi cognatos: nec volebat, vt ipsi audirent, quæ interrogaturus aut præcepturus erat: ne forte intelligentes quod ei insidiaretur, seruarēt ipsum tāquam proprium regem. Exacte autē perquisiuit, siue didicit tempus stellæ, quando scilicet eis apparuerit: vt inde tempus natiuitatis Christi numeraret. Cogitauit enim tūc proculdubio natum esse Christum, quando stella apparuerat.

Et missis illis in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & quum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Vide dolum Herodis, & considera eius insipientiam. Si enim vere adoraturus erat, quare hoc clanculo percipiebat? Sivero ipsum occidere parabat, quo modo nō in- B
telligebat, ex secreto præcepto hos in doli suspitionem adducendos? Primū autem de stella diligenter perquisiuit, & tunc præcepit: vt si ei nō manifestarent eum, de quo sibi renūciari præcipiebat cognito tempore stellę, paratas insidias exercere posset. Sed ô Herodes, qui contra deum pugnā suscipis, redi quæso ad teipsum. Quomodo occidere paras immortalem? Quomodo nō intelligis, quod quē prophetæ olim annunciauerūt, stellaq; significauit, & Magi ad adorandū inducti sunt: huic te superstitem esse omnino sit impossibile?

Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam uiderāt in Oriente, antecedebat eos, usque dum progressa, staret supra locum in quo erat puer. Postquam iam locum didicerāt, quare rursum C
ipsis stella apparuit? vt puerū demonstraret. Quomodo enim aliter eum agnouissent in tugurio natum, nec cubile splendidum habentem? Ob hoc igitur veniens, stetit supra locum, in quo erat puer, diuinum ostendens esse partum.

Visa autē stella, gauisi sunt gaudio magno ualde. Gauisi sunt, vtpote reperto duce nequaquam fallaci. Ex hoc enim certam habuerunt fidutiam, quod quæsitum inuenirent.

Et ingressi domū uiderunt puerū cum Maria matre eius. Domum hic tugurium vocat, quod Lucas diuersorium dixit. Do Lucæ.2.
mus nempe erat, quod vtcunq; inhabitaretur: diuersoriū autem tanquam sedes ac mansio ingredientiū. Diuersoriū enim dicimus, etiam ipsum tentorium. Quum enim concurrissent in ciuitatem Bethlehem omnes, qui à Dauid descendebant,

D causa census, quem Cæsar fieri iusserat, prout scripsit Lucas: non inuenerunt, qui cum virgine erant, domum liberam ad hospitandum, ideo ad diuersorium quoddam declinauerunt, in quo præsepe erat iumentorum. Statim autem peperit virgo Christum: & quia alius locus nõ erat in diuersorio, inuolutum fasciis infantem, reclinauit in præsepe, iuxta Lucam. Deinde, sicut ait Chrysostomus, ipsum tulit: & quando ingressi sunt Magi, ipsum super genua habebat. Nec enim more aliarum matrum partus dolores sustinuit: quia neque ex viro pepererat.

Et prostrati adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham. Et quomodo ipE sum esse crediderunt, quum nihil viderent circa eum præter tugurium, & matrem pauperculam, vilemque puerulum fasciis inuolutum? Quo modo? Primum quidem à stella, quæ supra ipsum permanebat: deinde autem splendor quidam diuinus animas ipsorum illustrabat, & hunc manifestabat. Propterea obtulerunt ei hæc munera. Aurum siquidem regiæ dignitatis erat symbolum: subditi enim auro tributa regibus pendunt: thus autem diuinitatis: thure nanque deo adoletur: myrrha vero mortalitatis: hac enim veteres vngebant mortuos ne putrescerent, aut grauem redderent odorem. Ab his igitur quæ protulerunt muneribus demõstra-
4.Reg. runt eum, qui apparuit, puerum & Regem esse & deum, ac
24.& 25 tãquam hominem propter homines moriturum. Potest quoF que & alio modo dici, quod quia reges Babylonis Ierusalem quondam expugnauerant, ac diuinos thesauros deprædati fuerant, & hostias cessare fecerant, populumque iugulauerant: regnum autem Babylonis vnà cum suis thesauris ad Persas deuolutum erat: ideo afferunt Persæ Babyloniorum hæredes domino templi, quod tunc contumelia affectum fuerat: aurum quidem pro sublatis auri thesauris: thus autem pro hostiis: myrrham vero pro iugulatis. Tu itidem obserua, quod quemadmodum Magi, nisi longe à propria terra recessissent, Christum nequaquam vidissent, ita neque tu ipsum videre poteris, nisi longe à terrenis affectibus recesseris. Dimitte & tu quoque regem insidias parantem ac turbatam ciuitatem: dico sane insidiantem mundi rectorem, tumultumque ciuitatis: & ad Christum festina. Siue enim Magus fueris

gus fueris curiosa sectatus, siue pastor simplex, nihil id tibi A
obfuerit, modo tali visione teipsum dignum reddens, ad eum venias adorandum, & non ad inhonorandum. Christum siquidem inhonorat, qui ipsum indigne recipit. Sicque offer ipsi pro auro quidem purorum operum splẽdorem: pro thure autem orationem: Dirigatur enim oratio mea, inquit, sicPsal.140. cut incensum in conspectu tuo: pro myrrha vero affectionum mortificationem, quæ maxime conseruat animæ substantiam, & suaui implet odore. Considera etiam quod Magis Ierosolyma ingredientibus, & de stella loquentibus, statim tota ciuitas turbata est: prophetaque in medium adductus est, ac locus partus manifestatus: & alia quædam facta sunt: tum circa pastores in agro degentes, tum circa angeB los deum laudantes, tum circa Simeonem & Annam, quæ Lucas scripsit. Hæc autem omnia completa sunt, vt quemLucæ.2. admodum diximus, non possent in posterum dicere Iudæi: Nos, quando natus est, non cognouimus. Etenim sicut dicit Chrysostomus, vsq; ad impletionem dierum purificationis, hoc est, ad quadraginta dies, mansit puer in Bethlehem: vt nisi volũtarie obsurduissent, oculosque clausissent ad ea, quæ dicta vel visa sunt: venissent vtique Bethlehem, ipsumque vidissent. Nunc autem Persæ à finibus terræ vsque Bethlehem venerunt: Hebræi vero Bethlehem circumadiacentes, ipsam ingredi noluerunt: neque ea videre, quæ ab his, qui viderant, fuerant diuulgata. Nam & pastores omnibus sibi occurrentibus nunciauerunt, quæ viderant, sicut dixit Lucas. Persæ Lucæ.2.
quoque, qui ante populum Hebræorum Christum viderunt, C
quasi facto significarunt Gentes ante populum Hebræorum ipsum agnituras: quod etiam Paulus dixit Iudeis: Vobis quidem oportuit primum loqui verbum dei: ex quo autem indignos vos iudicastis, ecce conuertimur ad gentes.

Et oraculo accepto in somnis ne redirent ad Herodem: per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam. Antequam puerum vidissent, stella ducatum eis præstitit: postquam autem viderunt, angelus deinceps quasi iam sanctificatos alloquitur. Oraculo, inquit, accepto, hoc est, admonitione suscepta: Reuersi vero sunt, citius credentes tanquã fideles, in regionẽ suã: futuri doctores eorum, quæ facta sunt. Neq; ad Herodẽ redierũt: vt frustra se insidiari intelligeret, & ab incœpto desisteret.

D *Qui cum recessissent: ecce angelus domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Completis quadraginta diebus purificationis,
Luce.2. sicut dicit Lucas adduxerunt Iesum Ierosolyma, vt sisterent illum domino, sicut scriptum est in lege domini. Et vt perfecerunt omnia, quæ secundum legem domini erant: reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazaret. Et exinde statim angelus apparet Ioseph in somnis, iubens eos in Aegyptum fugere. Quæ ergo Matthæus breuitatis amator prætermisit, hæc Lucas tanquam diligens conscripsit. Quære autem non mansit Christus Nazaret, sic vt occidi non posset? Quia si hoc factum esset, aliqui affirmassent humanitatem iuxta phantasiam tantum assumptam fuisse, humanis videli-
E cet non subiectam affectibus. Atqui eos tantum pueros occidit Herodes, qui in Bethlehem, & in finibus eius erant, nō qui in Nazaret. Sed præuiderat deus, si in Nazaret mansisset, indicandum Herodi: ideo etiam ab ipsa fugere iussit. In Aegyptum autem mittitur: simul quidem propter causam, quam dixit Euangelista, vt compleretur videlicet quod di-
Osee.11. ctum est à domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. Simul etiam, quia Babylonia & Aegyptus maximæ erant officinæ ad flammam omnis vitij, quod per orbem sparsum erat. Ab illa ergo Magos attraxit: in hanc autem intrauit: vtramque volens ad rectam viam reduci. Hinc quoque docet nos, quod & fidelem statim à primordiis tētationes expectare oporteat. Vide enim quo modo ip-
F se statim à cunis appetitur insidiis, abitque in exilium: fugit quoque mater ac Ioseph. Sed & Magi in modum fugientium clam discesserunt: omnesque iusti innumeras sustinuerunt tentationes: vt si quando rei spirituali operam dederis, atque in tentationes incideris, habeas exemplum: & ne moleste feras: sed agnoscas, quod tentationes in sortē bonis operibus datæ sunt: diabolo quidem in obstaculum adducente, deo vero ad probationem eorum, qui illum diligunt ordināte. Vide autem rei nouitatem. Siquidem Palestina insidiatur: Aegyptus vero seruat fugientem: vt discas deum tristibus læta coniunxisse: nam ab vtrisque sanctorum vita probatur, quod sane & hic factum est. Primū suspitio habita est de virgine: deinde ex partu gaudiū. Rursum fuga in Aegyptū: postea

postea autem illinc reuocatio. Iterum metus propter Archelaum: deinde requies in Nazaret. Necdum enim ædendi mi- A
racula tempus erat. Nam si à prima statim ætate stupenda demonstrasset, nequaquam homo creditus esset, vt prædiximus. In hunc enim finem nouem mensibus vtero gestatus, natus ac lacte nutritus est, cæteraque suo facta sunt ordine: vt per hęc omnia, facile eius incarnatio susciptatur. Angelus autem deinceps virginem nō nominat vxorem Ioseph, sed pueri matrem, iam enim soluta erat suspitio, & Ioseph certior effectus diuinum esse partum. Dicens autem, Fuge in Aegyptum, non promisit comitem se fore itineris: insinuans, quod magnum haberent viæ comitem, puta puerum. Hæc præterea eius in Aegyptum relegatio, magnā dedit Aegyptiis occa- B
sionem familiaritatis. Postea enim omnes hi, susceptā euangelij prædicatione, plurimum gloriabātur, animoque gestiebant, eo quod fugientem dominum susciperint.

Et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Esto, hoc est, habita, conuersare. Hæc autem audiens Ioseph, non passus est offendiculum. Nam intellexit, quod quum angeli ministri essent ad ea, quæ circa puerum agebantur, omnia administratorie fiebāt: nec in his curiosum esse oportebat: sed facile ad omnia, quæ dominus iussisset, obedire.

Ille uero excitatus accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Aegyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, ut compleretur quod dictum est à domino per prophetam dicētem: † *Ex Aegypto uocaui filium meum.* Dictum illud, Ex Aegypto vocaui Osee.11
filium meū, Iudæi de sua ipsorum reuocatione dictum asse- † C
runt. Quibus nos dicimus, hanc quoq; prophetię normā esse, vt multa frequenter de aliis dicantur, & in aliis cōpleantur. Quemadmodum de Simeone & Leui: diuidam eos in Iaacob, Gene. 4
& dispergam eos in Israel: siquidem id posteris eorum acci- Gene. 27
dit. Similiter & illud dictum ad Iaacob: Esto dominus fratrū Gene. 34
tuorum, & adorent te filij patris tui: non est in eo completū: maxime quum ipse timeret accremeret, totiesq; ante fratrem suum Esau genua flecteret: sed in posteris eius completū est. Sic ergo & hic dicimus. Vter enim verius dici potest dei fi- Psal. 105
lius, is ne qui vitulum adorauit, & initiatus est Beelphegor, filiosq; suos ac filias dæmoniis sacrificauit: an qui natura fi-

Dlius est, æqualis in honore cum eo qui genuit?

† † *Hoc de ipso quidem Israel dicitur, ut asserit Nyssenus: uerum in multis exemplaribus non habetur, post publicatum uidelicet euangelium, à Iudæis reiectum.*

Tunc Herodes ubi uidit, quod illusus esset à Magis, iratus est ualde. Tunc, quando? Postquam videlicet, qui Iesu curam habebant, in Aegyptum fugerunt. Vsq; ad id enim temporis circa curas alias occupatus fuit Herodes: vxore propria ac filiis molientibus contra eum insidias: sicque Magorum oblitus erat. Id autem diuina prouidentia factū est, vt in Aegypto puer seruaretur. Magi itaq; angelo obedientes reuersi sunt: sed hic illusisse sibi credidit, quia nō indicauerant, sicut promiserant. Oportuit autem non irasci, sed timere, & cogitare, quod frustra diligentiam adhiberet. Etenim prius quoque audierat: à Magis quidem, quod stella natum eum significasset, à pontificibus autem & scribis, quod prophetæ de illo prædixerant. Ipse tamen maxime insaniebat, vt tandem eius ostenderetur malitia ac dementia.

Vide Iosephū. 16. & 17. li. antiq.

CAPVT SECVNDVM DE PVERIS INTERFECTIS.

Et missis satellitibus, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundū tempus quod exquisierat à Magis. Hinc ausi sunt quidam dicere Christum fuisse duorum annorū, quando à Magis adoratus est: & stellam tempore natiuitatis eius apparuisse: duosq; annos in itinere Magorum consumptos esse. Chrysostomus vero silentiū imponit hæc astruentibus. Quomodo enim verisimile esset, ad duorū tempus annorum illos iter fecisse, etiā si per gentes, locaq; extranea venissent? Qua etiā causa, qui Christi curā habebant, duobus annis in Bethlehem permansissent post censum, cuius gratia eō venerant? Sed dicit tanto tēpore stellam antea apparuisse, quanto possent illi gradientes peruenire: statimq; nato Christo adfuisse. Propter hoc enim stella tēpus anticipauit, vt peruenientes, in fasciis eum inuenirent: Nam hæc res erat plena mysterij. Incertum igitur venerintne hi ante pastores, an pastores ante ipsos: vtrumuis enim dixeris,

xeris, secure dicere poteris. Quod si à bimatu & infra iussit Herodes pueros interimi, ne mireris: suspicabatur enim non statim apparuisse Magis stellam, sed fortassis puerum ante eius apparitionem natum fuisse. Ideo securitatis causa tempus anticipauit, & vsque ad fines Bethlehem cædem extendit, vt vndique quod venabatur, concluderet, & vnà cum interfectorum multitudine, etiam Christum interficeret. Eos ergo qui bimuli erant occidit, vt tempus ampliationem haberet, sicut prædiximus: illos vero qui minoris erant ætatis secundum tempus quod exquisierat à Magis. Itaq; & tēpus quod à Magis didicit, obseruauit: & latitudinem alteram ipse adiecit. Restat igitur vt verba illa, Secundum tempus quod exquisierat à Magis: non in eo quod dicitur, A bimatu, intelligas: sed in eo quod additur, & infra. Oportet enim post id quod dicitur, à bimatu, distinctionem ponere: deinde totum quod sequitur simul legere. Si enim, sicut dicunt, duorum annorum tempus expletum esse didicisset, nequaquam eos perdidisset, qui minoris erant ætatis. Dubitant autem quidam, quam ob causam, quum Christus fugam arripuisset, curam non habuit puerorum, qui pro ipso iugulati sunt. Quibus nos dicimus multos iniuste agere: nullum autem iniuste pati. Omnis enim qui iniuste pati videtur, aut patitur, vt propria diluat delicta: & ita malum quidem sustinet, verum non iniuste, quin potius beneficio afficitur, aut vt coronæ occasionem habeat: & ita quoque beneficium, propter tempestiuam mali tolerantiam, ob quam perpetuam referet requiem. Itaque qui alteri irrogat iniuriam, facit quidem iniuriam: qui vero malum sustinet, nequaquam iniuria afficitur. Qua ergo hi pueri non propter ablutionem propriorum delictorum interempti sunt, manifestum est passos esse, vt occasionem, qua coronarentur, haberent, nec passos esse iniuriam. Fortassis autem & hi pueri, probi futuri non erant. Si enim eos qui peccant deus in vita sustinet, ipsorum expectans conuersionem: multo magis credendus est, eos qui virtute magni futuri sunt, nequaquam vita priuare. Neque multo post, puerorum interfector Herodes pœnas dedit violentæ cædis, acerba morte vitam soluens, prout scribit Iosephus.

Tunc completum est, quod dictum est ab Ieremia propheta dicente: Vox

terem. 31 te: Vox in Rhama audita est lamentatio, ploratus, & fletus multus. D Rachel plorans filios suos, noluit consolari, eo quod non sint. Quãdo dicit, Tũc completum est quod dictum est, significat hoc prouidente deo factum esse, ac per prophetam prædicente, & ita fieri permittente, secundum suam gubernationem. Rhama nomen erat loci in Bethlehem. Nominauit autem Bethlehem Rachel, propter Rachel vxorem Iaacob, quę in Bethlehem sepulta est. Postquam autem dixit, Vox in Rhama audita est, subdens declarat, quæ vox fuerit: quia lamentatio, ploratus, & fletus multus, propter crudelissimam puerorum extinctionem. Et noluit Bethlehem consolationem admittere, quia pueri sui non sunt, hoc est, non viuunt. Hinc autem calamitatis aperuit magnitudinem.

† Mortuo † autem Herode, ecce angelus domini in somnis apparet Ioseph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Israel. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Terram Israel simpliciter dixit Palæstinam. Quærentes autem animã pueri, vt eam auferrent, & à corpo- E re separarent, dicit eos qui Herodem contingebant.

† † Mortem acerbam habuit Herodes. Febre enim, dissenteria, scabie, podagra, ac uerendorum putredine, generatione uermium, spirandi difficultate, ac tremore membrorum malã soluit animam.

Qui excitatus, accepit puerum & matrem eius: & uenit in terrã Israel, Cæterum quum audisset, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Volebat quidem habitare in partibus Iudææ: siquidem Iudæa & Galilæa Palæstinæ regiones erãt. Verũ propter Archelaum timuit illò ire, ne for- F te & ipse patrem imitaretur. Neque enim determinate significauerat angelus habitationis locum, vt fiduciam habere posset. Scire autem oportet, quod mortuo puerorum interfectore Herode: quatuor filiis eius electis, diuisit Cæsar Augustus regnum ipsius: Archelao quidem Iudææ regionem distribuit: aliis vero partes alias, sicut dicit Lucas. Eos autem reges tetrarchas nominauit: quoniam quisque eorum quartæ partis principatum tenebat. Quod si Lucas Pontium Pilatum Iudææ præsidem scripsit, nihil mirum. Postmodum enim Archelao è regno propter accusatiões electo, in posterum nemo rex, sed procurator dicebatur. Itaq; Pilatus in præsidẽ Iudææ sub Tiberio Cæsare à Roma missus est.

Ioseph. li. 17. ant. cap. 17. & 19.

Oraculo

Oraculo autem accepto in somnis, secessit in partes Galilææ, & A profectus habitauit in ciuitate, quæ uocatur Nazaret. Atqui si in Iudæam ire metuebat propter Archelaum, oportebat & Galilæam timere, propter fratrẽ eius Herodem, qui in ea tetrarcha erat, sicut dicit Lucas. Verum Bethlehem sita in Iudæa, suspecta erat.

¶ Vt compleretur, quod dictum est per prophetas, quod Nazaræus uocabitur. Et vbinam hoc prophetæ dixerunt? Ne quæras: neque enim inuenies. Plurima enim propheticorum voluminum perierunt: partim quidem per frequentes captiuitates: partim autem propter Hebræorum negligentiam: nonnulla quoque propter malitiam.

CAPVT TERTIVM. PRIMVS IO- B ANNES PRAEDICAVIT REgnum cœlorum.

IN diebus autem illis, accedit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ. In quibus diebus? Ne- Cap. 3. que enim quando Iesus puer adhuc, ex Aegypto venit Nazaret, sed quũ iam triginta esset annorum, sicut narrat Lucas. Verũ scripturæ mos est, Lucæ. 3 In diebus illis, dicere, hoc est, sequentibus, de quolibet tempore: manifestando solum tempus illud, quo facta sunt, quæ narrare vult: quemadmodum nunc fecit euangelista, quæ in medio sunt prætermittens. Et quare post tricesimum annum venit Christus ad baptisma? Quia ætas hæc solidæ atq; perfectæ prudentiæ est. Quia enim futurum erat, vt ve- C terem transmutaret legem, nouámque conderet: ad transmutandum autem & statuendum, tali opus erat sapientia: ideo tantam expectauit ætatem. Primum siquidem lubricas pertransiens ætates, nempe pueritiam, quæ multam habet insipientiam: adolescentiam, cuius est vehementia voluptatum: iuuentutem, in qua nimia est auaritia: postea in ætate virili, tam quo ad corpus, quàm quo ad prudentiam, venit ad baptisma: vt ab hoc demonstratus, deinceps docere inciperet, signáque facere. Propter hoc enim etiam tunc Ioannes à deo mittitur ad Iordanem prædicans baptismũ, vt baptismi causa multi concurrerent: & in medio multorum adstans Christus, testimonium acciperet: inferne quidẽ à Ioanne, superne

Dne, ſuperne vero à patre & ſpiritu ſancto: & hinc eos attrahens, inciperet ſacris initiare, ac miracula ædere. Vnde autem venit Ioannes? Ab interiori eremo. Ait enim Lucas: Factum eſt verbum domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: & venit in regionem, quę circa Iordanem erat. Hanc igitur regionem, quæ circa Iordanem erat, Matthæus deſertum nominauit Iudææ. Duas ſiquidem innuit eremos: vnam interiorem, à qua venit Ioannes: alteram, quæ circa Iordanem erat, ad quam venit. Lucæ.3.

Et dicens: Reſipiſcite: inſtat enim regnum cœlorum. Pœniteat, inquit, vos errorum veſtrorum: inſtat enim Chriſtus, qui poſt me venturus eſt: nam hunc nominat hic, regnum cœlorum, vtpote cœleſtem regem, ſecundum diuinitatem: qui ſi vos inuenerit reſipiſcentes, donabit peccatorum remiſſione. Vel regnum cœlorum. dicit politiam angelicam, quã Chriſtus paulò poſt conditurus erat per Euangelica præcepta. Dicitur quoq; regnum cœlorum, fruitio cœleſtium bonorum. Significat & alia plura nomen variæ ſignificatiuum regnum cœlorum, prout in ſequentibus erit inuenire. E

Hic eſt enim de quo dictum eſt ab Iſaia propheta dicente: Vox clamantis in deſerto: Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius. Vox clamantis: defectiua eſt oratio. Intelligitur enim: vox, ſubaudi, eſt mihi viri, clamantis in deſerto, illa ſcilicet quæ eſt apud Iordanem. Clamantis autem, quæ ſequuntur: Parate viam domini, & cætera. Viam autẽ domini & ſemitas eius, vocat animas, ad quas venturum erat verbum euangelij: quas F etiam parare exhortatur, ſiue mundare inſtrumento pœnitentiæ, affectionum ſpinas extrahendo: peccati lapides eiiciendo: & ita ſuaues ac molles ad ipſius ſuſceptionem efficiendo. Iſa.40.

† *Ipſe autem Ioannes habebat † veſtimentum ſuum è pilis camelorum, & † zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius locuſtæ erant, & mel ſylueſtre.* Meminit & veſtis, & cibi eius, oſtendens & pannum, & ſimplicitatem eorum: & per hæc docens corporis minimam habendam eſſe curam, deſpiciendamq; ſumptuoſitatem. Ne quęras autem, quis illi veſtem texebat, aut vnde zonam habebat. Multo enim magis admirandum eſt, quo modo in eremo à puero aëris inæqualitati per talem ætatem aſſuefactus eſt. Id autem vnum ſcito, quod etiã illa, diuina ei prouiſione ſubminiſtrabantur: & ita afflictiones ſufferendo perſeuerabat. Locuſtas vero quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt: quidam autem herbam dictam locuſtam: alij vero ipſum inſecti genus. Dicunt enim vſque ad hodiernum diem, in illis partibus pleroſque illud edere fumo ſiccatum: & ipſum inter animalia munda legiſlatorem annumeraſſe: habere autem graué odorem, malumq; guſtum. Primum tamen potius tenendum eſt. Mel quoque ſylueſtre in petrarum ſciſſuris ab agreſtibus apibus conficitur: ſed amarum eſt ac inſuaue. A

† *Habitu etiam prædicabat: ueſtem gerens lugubrem. Dicunt autem camelum, medium eſſe inter munda animalia & immunda: licet enim ruminet tanquam mundum, inferne tamen ungulam non habet fiſſam. Quia igitur Ioannes populum Iudaicum, qui miſere mundus apparebat, ac Gentilem, qui immundus erat, ad deum adducebat: idcirco pilos ferebat camelorum.* B

† *Omnes ſancti cincti à ſcriptura inducuntur: uel tanquam ſemper in opere poſiti, negligentes enim & delicati non cinguntur: uel quia concupiſcentiæ affectione mortificarunt. Pellis namq; mortui animalis pars eſt.*

Tunc exibant ad eum Ieroſolyma & omnis Iudæa, omnis q; regio undiq; Iordani finitima, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. Primum quidem baptizantis opinio ſpem omnibus erigebat. Erat enim pontificis filius: & nunc primum ab eremo deſcenderat, multis ornatus virtutibus, ſoloq; viſu non parum auertebat metum. Deinde autem noua prædicationis apparentia, regnum cœlorũ annunciabat: de quo tunc primum audiebant. Tertio vero, quod etiam magis vrgebat, C propheta Ieſaias dictum illud, Vox clamantis in deſerto, de Iſa.40. illo prædixerat. Et quo modo nullus Euãgeliſta ſcribit, quod Ioannes turbis clamauerit, Parate viam domini: ſicut de illo propheta ait? Manifeſte quidem nullus ſcribit. Veriſimile eſt tamen & hoc clamauiſſe, quanquam ſcriptum non ſit, vtpote per ſe intellectum. Veruntamen etiam illud, Reſipiſcite: &, Facite fructus dignos pœnitentia, tantundem valet, quãtum, Parate viam domini. Eſt enim præparatio ac repurgatio prædictæ viæ ipſa reſipiſcentia, ac virtutum fructificatio. Exibant autem ad ipſum Ieroſolyma ciuitas, ſiue Ieroſolymitæ: ita enim dixit Marcus. Quam autem habuerit virtutem Ioan Marc.1. nis baptiſma, quamq; differentiam à baptiſmate, quod Chriſtus ſta-

Marc. 1. Dstus statuit, diligenter apertũ inuenies in explanatione euangelij secundum Marcum. Nam in ea conuenientius visum est rem hanc declarare, vbi scriptum est, Prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Porrò cum uidisset multos Pharisæorum & Sadducæorum uenientes ad baptismum suum: dixit eis: Progenies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Iudæorum genus variis appellatur nominibus. Siquidem Hebræi dicuntur ab Heber, vtpote lingua eius vtentes, Solius enim eius linguam seruauit deus inconfusam: quia communicare noluerat cum illis, qui turrim ædificabant. Ab hoc aũt descenderat Abraham. Israëlitæ vero dicti sunt à Iaacob, qui deum in scala vidit, & Israël appellatus est. Israël enim tantundem valet, quantũ, videns
E deum. Iudæi autem à Dauid: quam postquam de tribu Iuda ad regnum elegit deus: eiusq; posteris dedit, vt hæreditario iure regnarent: tribum illam claram reddidit, vtpote ab eo tempore regiam: ita vt etiam qui ab aliis tribubus descenderent, postea Iudæi quoq; ab hac, cõmuni vocabulo dicerentur. His ita distinctis, dicere etiam oportet de duabus Iudæorũ sectis, quæ hic ponuntur. Sadducæi in cæteris quidem Iudæi erant: verum spiritum, & angelos, ac resurrectionem mortuorũ negabant, neq; oĩno esse credebant. Pharisæi vero & ipsi quoq; in cæteris Iudæi, habebant quasdã obseruationes cæteris non communes, vt ieiuniũ bino in hebdomade die: substantiæ decimas, quas pauperibus erogabant: lotiones ac purificationes vrceorum, paropsidum, ac scyphorum, aliosq; huiusmodi mo
F res. Sicut autem scribæ siue legisperiti ac doctores, aliis præstantiores erant: ita sane & Pharisæi ac Sadducæi tanquam aliis superiores sese iactabant. Hos igitur Ioannes accedere videns: ipsosq; agnoscens: tum per inhabitantem in se gratiã, tum vero à veste habituq; insigni: liberius eos arguit: siquidẽ fiduciam in eo habebat, qui se miserat. Miscet autem reprehensionis asperitati laudem: vt inde quidẽ humilientur, hinc autem consolationẽ accipiant. Nam ipsos alloquens, progenies viperarum appellauit. Sicut enim viperarum proles, quum pariuntur, suas occidunt matres, exeso earum ventre: ita sane & Iudæi suos patres: spirituales, puta prophetas occiderant. Laudauit autem ipsos dicens: Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Apparebat enim, quòd sola ipsorum

rum prudentia. Futuram vero iram *dicit*, vel quæ à Romanis in obsidione futura erat: vel quæ à deo in die iudicij: quã, ad pœnitentiam properando, fugiebant. Erumpendo igitur ad Pharisæos ac Sadducæos dirigit sermonem: eos autem spiritu discernens, hæc illis dicebat, qui in Christum crediturí erant, & ita prædictam iram omnino euasuri. Quod si Lucas hæc turbis illum dixisse ait, ad se vt baptizarentur venientibus: nihil inde turberis. Verisimile est enim bis hęc Ioannem dixisse: nunc quidem his, nunc vero illis. Admirabatur autem Ioannes magnam ipsorum mutationẽ: quomodo hi qui prophetas occiderant, ipsum quoque non occiderent, sed magis ad pœnitentiam venirent. A Luc. 3.

Facite ergo fructum dignum pœnitentia. Quia ergo resipiscitis, scitote, quod non sufficit prauitatem duntaxat fugere: sed oportet virtutem quoque operari. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. B Psalm. 33.

Et ne uideamini dicere intra uos: Patrem habemus Abraham. Ne videamini, hoc est, ne velitis. Admonet autem ne in cordibus suis dicant: Patrem habemus Abraham: & sufficit nobis ad virtutem, quod ab illo descendamus. Neq; enim vllos oportet de progenitorum virtutibus gloriari: quum ipsi negligentes sint de propriarum operibus virtutum.

Dico enim uobis: Potens est deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abrahæ. Ne putetis, inquit, quod si vos absq; fructu virtutum perieritis, nulli reliqui erunt Abrahæ filij. Poterit enim deus de inanimatis his lapidibus suscitare filios ipsi Abrahæ. Etenim ipsum quoq; Isaac suscitauit ei, de inanimato ac lapideo Saræ vtero. Potest & alio modo dici. Ne gloriemini quod originem habeatis ipsum Abraham. Neq; enim hoc vestrum bonum opus est, sed dei donum: qui potest, nempe omnipotens, de apparentibus his lapidib⁹, suscitare filios ipsi Abrahæ. Quidam autem dicunt eos, qui è Gentibus crediderunt, his verbis insinuari: qui primum ad veritatem obdurati & insensati, postea per fidem, in filios adoptati sunt. Alij vero illos designari dicunt, qui tempore passionis Christi ob portarum scissionem per fidem in filios adoptati sunt. Et hi autem & illi in Abrahæ filios cooptati sunt, vtpote cũ ipso æternæ hæreditatis participes. Proprie enim Abrahæ filij sunt, qui virtutes eius imitantur, ac sorte ipsius in regno cœlorum C Gene. 21.

digni

D digni habentur: siue ex Iudæis sint, siue ex gentibus. Nam tanto maior est virtutis cognatio, quàm sanguinis, quanto anima corpore præstantior est.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum exciditur, & in ignem mittitur. Quũ iam eos terruisset dicens, quod nisi cauerent, à genere Abraham exciderent, auget adhuc metum Non solum, inquit, à tali genere excidetis, verum etiam irremediabili modo, citius à præsenti vita excisi, etiam ibi in futuro pœnam luetis. Securim enim figuratiue mortem appellauit: arbores autem homines, radices vero vitam ipsorũ: ignem etiam dixit ipsius gehennę. Quidã vero radicem interpretantur ipsum Abraham:

E arbores autem Iudæos, qui ab ipso pullularunt: securim quoque Christum, qui ipsos quidem excisurus erat, fructum ad euangelij fidem nõ ferentes: inserturus autem illos, qui è gentibus crederent. Postquam ergo fastum ipsorum terruit, ac cordis eorum duriciem timore cadendi à genere Abraham, excisione ac igne emolliuit: deinceps sermonem de Christo cum multa dignitate inducit, vt ipsi apparenti occurrerent.

Ego quidem † baptizo uos aqua ad pœnitentiam. Qui autem post me uenturus est, fortior me est: cuius non sum idoneus calceamenta portare. Ipse uos baptizabit spiritu sancto. In pœnitentiam, hoc est, propter pœnitentiam, Ipsos enim confitentes siue resipiscentes baptizabat, quia eos pœnitebat: eratq; tale baptisma pœnitentiæ demonstratio. Post se autem venturum dicit Iesum, ante quem ipse viam illi præparabat, clamans; Parate

F viam domini, vt supra narrauimus. Dixit quoq; Christum se fortiorem, vtpote diuinitati vnitum. Illud vero, Non sum idoneus calceamenta portare, excellentem eius qui prædicabatur exprimit dignitatem. Tantundem enim est ac si diceret: Neq; inter extremos ipsius seruos numerari possum, propter magnitudinem diuinitatis ipsi vnitæ: postremis siquidem seruis huiusmodi commissum est obsequium. Reliqui vero
Marc.1. *Luc.3.* Euangelistæ, corrigiam calceamentorum eius soluere dixe-
Ioan.1. runt: vt manifestum sit vtrumque dixisse: nunc quidem hoc, nunc vero illud. Dicens autem, Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, palam fecit dominici baptismatis dignitatem. Meum, inquit, baptisma abstinentiam à peccatis operatur: illius vero, spiritus sancti participem facit. Matthæus sane, Marcus & Ioannes

Ioannes dixerunt, in spiritu sancto. Lucas vero, in spiritu san A
cto & igni: vnde rursum manifestum fit, & hoc, & illud Baptistam variis dixisse temporibus. Nostris quidem maioribus
hic sermo demonstrat, spiritus sancti sup Apostolos in igneis
linguis descensum. Tunc enim in spiritu sancto & igni bapti *Act.2*
zati sunt. Postea vero idem operatur constitutum à Christo baptisma. Etenim cuiq; baptizato aduolat spiritus sanctus
non solum ipsum sanctificans, verumetiam inuisibiliter animæ eius sordes consumens. Non sum autem idoneus, hoc
est, non sum dignus: ita enim scripsit Ioannes.

† *Per metaphoram dictionis, gratiæ abundantiam refert Baptista. Et ignis repetitione, gratiæ uehementia ac incomprehensibilitas demonstratur.* †

Qui hæc annotauit, uidetur legisse, In spiritu sancto & igni. B

Cuius uentilabrũ in manu eius: & emundabit aream suam: & congregabit triticũ suum in horreum, paleam autẽ comburet igni inextinguibili. Ex his demonstrat, quod iudex etiam sit futuri seculi. Et aream quidem vocat, vniuersalem orbis ecclesiam, ad
quam omnes operatores à domini prouidentia cõducuntur.
Ventilabrũ autem iustum eius iudiciũ, quod eos sane, qui om
ni iniquitatis vento agitantur, quasi paleaceos, tradit igni gehennæ inextinguibili: illos vero qui virtutum habent grauitatem, in apothecam cœlestium tabernaculorum colligit.
Nunc siquidem in area mixta sunt triticum & palea: tunc au
tem omnino discernentur, quando frumentum in apothecam C
deferendum est. In manu autem sua dixit, eo quod promptus
ac paratus est ad diiudicandum. Vide autem quod postquam
baptizauerit in spiritu sancto, expurgat adhuc aream suam,
ne suscepto baptismo torpeas.

Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Cum seruis venit dominus: sed illi quidem, vt
pœnitentiæ actus demonstrarent accesserunt, ipse vero vt po
pulo manifestaretur. Ita enim dixit Ioannes, quod vt manifestaretur Israëli.

Ioannes autem prohibebat eum dicens: Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu uenis ad me. Cognouit quis esset per inhabitantem in se spiritum sanctum. Ait enim Ioannes euangelista: *Ioan.1.*

D Videt Ioannes Iesum venientem ad se,& ait:Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi, & cætera.Nunc vero prohibebat ipsum dicens: mihi opus est vt abs te baptizer: ego peccatis obnoxius,ab eo qui peccare non potest: in nuda aqua baptizans,ab eo qui baptizat in spiritu sancto & igni: seruus à domino:homo à deo, & tu tamen ediuerso venis ad me? Alij enim per interrogationem legunt verba illa, Tu venis ad me? Theologus autem Gregorius per affirmationem quasi prophetantis ac dicentis: Sequéris me qui occidar,hoc est, occidéris & tu.

Respondens autem Iesus, dixit illi:Sine modo. Desine modo impeccabilitatis ac diuinitatis meæ velamenta obtendere: neque enim sunt hæc præsentis temporis: sed dispensatorio
E modo à te baptizor. Quemadmodum enim propter homines homo factus sum, vt tanquam homo fallam diabolum ipsos decipientem:ita propter ipsos, sicut ipsi baptizor:vt in aquis eorum sordes sepeliam, qui regenerandi sunt per aquam & spiritum. Simul autem & hoc dispensatorie ago, vt videlicet per baptismum populo demonstrer.

Sic enim decet nos complere omnem iustitiam. Sic congruit vt compleam omne dei præceptum:hic enim iustitiam præceptum dei appellat. Omnia, inquit, quæ iussit lex compleui præcepta:solum nempe id reliquum est,vt baptizer, Sic itaq; decet,vt compleam omnem iustitiam,videlicet per baptismū: vt quia vetus Adam vnicum non compleuit præceptum:ego nouus Adam pro ipso omnia adimpleam, illiusq; posteritatem perficiam, & à condemnatione quam ille à se descenden
F tibus distribuit,illos liberem,qui me imitabuntur. Præceptum
Ioann.1. autem erat dei,sed baptismus Ioannis. Ait enim: Qui misit me ad baptizandum in aqua,& cætera.

Tunc omittit eum. Baptizatus autē Iesus statim ascendit ab aqua. Dicunt aliqui,quod vnumquemque baptizatorum, in aquam ad collum vsque immissum detinebat, quousque peccata sua confessus esset, & post confessionem ascendebat de aqua. Christus autem quum peccatum non haberet,non est detentus in aqua: & ob hanc causam aiunt Euangelistam dicere, quod statim ascendit de aqua.

Et ecce aperti sunt ei cœli: & uidit spiritum dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super se. Et ecce uox de cœlo dicens

dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum A
est. Veteris Adam inobedientia paradisum nobis clausit: noui autem obedientia cœlum nobis aperuit. Maiorem enim bonorum fruitionem nobis acquisiuit, quàm fuerit perditio. Et vide quo pacto Christus populo demonstratus est: clare videlicet ac manifeste. Postquam enim Ioannes de ipso turbis prædixerat, ac sensim ad huius dicta animum aduertebant: vt viderunt etiam ipsum quasi vnum de populo baptizari, offendiculum passi sunt. Et idcircò cœli quidem aperiuntur, ostendentes, quod ab ipsis descenderit columba, vt super eum vocem deriuaret, ne ipsam de Ioanne testificari putarent. Et ita pater testimonium dedit filio: spiritus sanctus vero super eum descendit, quasi digito demonstrans hunc esse, de quo ferretur testimonium. In specie autem B
columbæ. Hoc enim animal in multis spiritum sanctum imitatur. Siquidem homini amicum est: nec facile iritatur ad iram:pullis quoque priuatum patienter sustinet,neque minus ad eos, qui se priuauerunt, accedit: mundissimum etiam est, & bono gaudet odore. Huius quoque columbæ figura erat *Gene.8.*
illa,quę Noë finem diluuij nunciauit. Quemadmodum enim tunc erat diluuium ab aqua,ita & nunc à peccato: & sicut illa denunciauit cessationem illius diluuij, ita & ista huius præsentis. Aperti sunt autem cœli: & super baptizatum descendit spiritus sanctus: vt discamus super omnem hominem baptizatum cœlos aperiri, vocantes ipsum ad supernam habitationem. Ad eum quoque accedit spiritus sanctus.
Quod si hæc sensibilibus oculis non videmus, ne diffidas. Si- C
gna namque fidelibus non dantur,sed infidelibus: nobis au- *Matt.26.*
tem signorum loco sufficit fides. Simul etiam attende: quod *Marc.14.*
sicut in Paschate, siue cœna mystica, in vna mensa Iudai- *Luc.22.*
cum pascha adimpleuit ac finiuit: & suo dedit initium: ita quoque in baptismate, in eodem flumine fecit vtrumque. Cœlorum enim apertio, & spiritus sancti descensio, Christiani baptismatis dona erant. Quid est autem, In quo mihi complacitum est? hoc est,in quo oblector. Vel. Quia na *Luc.2.*
to ipso laudes cecinerunt angeli, dicentes, Gloria in altissimis deo,& in terra pax,in hominibus beneplacitum,id est,bona voluntas: bona autem voluntas erat,vt homines saluarentur:ideo nunc dicit: Hic est, in quo hominibus bona volui,

D hoc est,per quem est hominum salus.

Cap.4. *Tunc Iesus subductus est in desertum à spiritu ut tentaretur à diabolo.* Postquam tanquam homo omnia ad hominum doctrinam & fecit,& tulit:semetipsum post baptismum spiritui sancto tradit: vt ab eo ducatur,quocūq; ille iusserit. Ducitur autem in desertum,vt à diabolo oppugnetur,vt & tu post baptismum nequaquam tuipsius ductor sis,sed ducaris potius à spiritu. Et post baptismum in tentationes incidens non turberis. Ad hoc enim armatus es, vt prælieris. Et hinc est, quod accedentes tentationes deus nō prohibet. Primum quidem, vt virtutē armaturæ,qua indutus es,agnoscas. Deinde vt bellare discas. Ad hæc vt probatus fias. Præterea vt hoc modo non extollaris. Demum vt scias magnum tibi concreditum

E esse thesaurum. Nisi enim ita fuisset,nequaquam frustra tecum confligeret inimicus: Nam vbi diuitias videt,ibi aciem ex aduerso instruit. Ductus est autem in desertum inaccessum:quod manifestans Marcus,dicit etiam fuisse ibi cum be-

Marc.1. stiis:vnde maius quoq; bellum demonstratur. Tunc enim magis irruit diabolus,quum hominem magis viderit solitarium, omniq; priuatum consolatione.

Et qui ieiunasset quadraginta dies & quadraginta noctes,postea esuriit. Primum ieiunauit, innuens quod magnum propugnaculum sit ieiunium,his qui dæmoni repugnant. Non excessit autem mensuram, quam ante ipsum attigerat Elias, & ante illum Moses: ne virtutem humanæ naturæ supergrediens, incredibile faceret se hominem esse: & hinc est, quòd

F postea esuriit,hominem se esse confirmans. Siquidem homini proprium est ex ieiunio esurire. Superflue autem addi videtur de noctibus. Puto tamen propter Hebræorum ieiunia additum esse: qui diebus ieiunantes, noctibus edebant.

Marc.1. Marcus tamen & Lucas, noctes tanquam subintellectas pre-

Luc.4. terierunt.

Et quum accessisset ad eum tentator,dixit:Si filius dei es,dic ut lapides isti panes fiant. Marcus autem & Lucas dixerunt,quod etiam in quadraginta diebus tentabatur: vt manifestum sit, quod in illis quidem ipsum è longinquo tentabat: nempe per somnum,per tristitiam,per ignauiam,&similia. Postquam autem ipsum esurire cognouit, iam prope ac manifeste appetiuit: idque per vitium fami conueniens puta gulam. Considera

sidera vero quid faciat. Audierat & à Ioanne, & per vocem A
cœlitus delapsam, hunc esse dei filium:ignorans ergo quod dei filius carnem assumpsisset: siquidem latuit eum arcanum incarnationis mysteriū: suspicatus est hominem quidem esse:à deo tamen ob virtutes ipsius adoptatum. Itaque ei iam tantum inuidit honorem, sicut & veteri Adam: nisusque est hunc, velut illum ab ipso deiicere. Et idcirco propius acce- *Gene.3.*
dens,primam producit tentationem, nempe gulositatem,per quam cœpit & primum Adam. Quia ergo nullus aderat cibus, eo quod desertus nimis esset locus: sciebat autem fami conuenientem esse panem: ipse quidem non adfert,eo quod ab aduersario Christus sumpturus non erat:sed iubet,vt de lapidibus panes efficiat. Et ne Christus insidias agnosceret, obserua technas eius, ac malitiæ magnitudinem. Non dixit B
simpliciter:Facito,vt isti lapides panes fiant:sed præmisit: Si filius dei es:vt appareat, quod vt demonstretur, an filius dei sit,petit lapidum in panes fieri transformationem. Putat enim huiusmodi verbis pungendum,tanquam rubore suffundatur, si filius dei non esse credatur: vt ignorato dolo,lapides in panes transformet, accepta certe à deo potestate: ac postmodum videns iam ipsos, magna attractus esurie, deiiciatur. Sed non latuit illum, qui sapientes comprehendit in astutia sua.

Qui respondens dixit: † *Scriptum est: Non solo pane uiuet homo, sed omni uerbo, quod egreditur per os dei.* Intellecta illius † *Deute.8.*
astutia,signum non ædidit requisitum. Nam signa ad commodum intuentium fieri consueuerunt: diabolus autem nullam C
inde relaturus erat vtilitatem. Etenim neque visis postmodū omnibus quæ fecit Christus, in aliquo mutatus est. Sed ad occultam ipsius respondet cogitationem: & ex libri Deuteronomij scriptura ei silentium imponit: ac si diceret: Ad quid mihi opus est panes ex lapidibus facere,propter famem quæ me vrget, vt illis visis alliciar esca? Atqui non solo pane hominum vita seruari potest, sed & alio præterea cibi genere. Omne siquidem verbum ab ore dei egrediens ad eum,qui fame premitur, loco cibi vitam eius sustinet,& sufficit ei. Ita sane gastrimargiæ dolum longanimitate ac tolerantia repulit. Obseruandum vero Matthæum pluraliter lapides dicere: Lucam vero lapidem singulariter. Frequenter enim apud *Lucæ.4.*

D Euangeliſtas, huiuſmodi quæ nihil officiant, diuerſitates reperies.

† † *A ueteri teſtamento depromptum eſt. Eſt enim uerbum Moſis. Nam & Hebræi manna comederunt: quod quum non eſſet panis, omnem tamen eorum ſupplebat indigentiam: mutatum in omnia quæ optabat quiſq; edere, ſiue piſcem, ſiue ouum, ſiue caſeum concupiſceret Iudæus, illius guſtum manna ei præbebat.*

Tunc aſſumit eum diabolus in ſanctam ciuitatem. Aſſumit, hoc eſt, aſſumendo ducit. Permiſit enim inimico ducere ſe quo luberet, & pugnare ſicut vellet: vt vndiquaque victus, ſolus aufugeret. Sanctam autem ciuitatem vocat Ieruſalem, vtpote à deo delectam, & ideò in reuerentia habitam: aut eo quod ſanctum haberet templum. Gene. 8.

E *Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Pinnaculũ domuncula erat excelſa valde, ad latus templi ſuperſtructa.

Et dicit ei: Si filius dei es, præcipita te deorſum. Scriptum eſt enim Angelis ſuis mandaturus eſt de te, ac manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Prima victus tentatione, ad ſecundum procedit certamen: & per vanam gloriam ipſum nititur attrahere: ideoq; iubet, vt ſeipſum præcipitet ac ſeruet. Vtq; ipſum rurſus pungat, præmittit iterum, Si filius dei es: quaſi denuo videatur hoc ſignum ad hoc procedere, vt ſe filium dei eſſe demonſtret, quanquam id prius non fecerit: putabat nempe facilius illi poſſe perſuaderi: & ſi non ob aliud, at ſaltem propter illos, qui eum mirabilia operantem viſuri erant: tunc enim multi inferius aderant: & ira in expaſſam F vanæ gloriæ naſſam incideret: vtpote ſeipſum idcirco præcipitando, vt ab eis laudaretur. Ipſum quoque Dauitica attrahit ſcriptura: vt videretur etiam à ſcriptura diuina veriſimiliter perſuadere. Verum hi eius doli Chriſtum nequaquam latuerunt. Pſalm. 90.

Dixit ei Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis dominum deum tuum. Tentat autem deum, qui nulla inſtante neceſſitate ſeipſum in manifeſtum præcipitat periculum, ob habitam in deum fiduciam. Deute. 6.

Iterum aſſumit eum diabolus in montem excelſum ualde, & oſtendit ei omnia regna mundi ac gloriam eorum, dixitq; illi: Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraueris me. Superuacuum fuiſſet nomen adſcribi montis: quæ enim fuiſſet inde conſequuta vtilitas?

tas? Interim fruſtratus ſecundo quoque impetu inimicus, ad A tertium inſuper præparatur: & per auaritiam quam nouiſſimam ſeruabat, vtpote periculoſiorem, deiicere conatur: & in montem ducit excelſum valde: ac digito ei demonſtrat, in † momento temporis, quod etiam addidit Lucas, hoc eſt, in Lucæ. 4. paruo tempore, partes orbis, in quibus mundi regna ſita erãt, dicẽs, In hac quidem parte poſitum eſt regnum Romanorũ: in iſta vero Perſarum: & in illa Aſſyriorum, ac pari modo de cæteris. Et item: Hoc præcipuam habet gloriam, ſi formas ſpectes ac ſpecies: aliud vero in aliis: & vt ſemel dicam, omnia recenſet. Deinde ait: Hæc omnia tibi dabo: puta quæ in regnis mundi continentur, ſi proſtratus adoraueris me. Quomodo ô doloſe tot ac talia commutas vnica adoratione? Vtique: vt vbi præcepti facilitate deceperis a- B uaritię hamo eum transfigas, videlicet quum amore poſſidẽdi regnorum diuitias te adorauerit. Manifeſtius autem ait Lucas, dixiſſe ei diabolum: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam & gloriam eorum: quia mihi tradita eſt, & cuicunque volo do eam: tu igitur ſi prouolutus coram me adoraueris, erunt tua omnia. Matthæus quidem hæc præteriit tanquam nõ neceſſaria: Lucas vero addidit, quia hoc loco dicta.

Pleraſq; autem huiuſmodi omiſſiones ac additiones apud Euangeliſtas reperies, & in omnibus pro ſolutione prędictas adhibe cauſas.

Tunc ait ei Ieſus, Abi ſatana. Scriptum eſt enim: Dominum deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Hoc quoque in Deutero- Deuter. 6 nomio ſcriptum eſt. Cõſidera vero quod in prioribus qui- C dem tentationibus patienter reſponderit: vbi autem vidit ipſum impudenter dei ad ſe adorationem attrahere, diuinumq; expetere honorem: tunc ipſum increpauit, dicẽs, Abi ſatana, hoc eſt, recede aduerſarie. Lucas vero ſcripſit, Abi poſt me Lucæ. 4. ſatana, hoc eſt, è conſpectu meo te aufer, quod enim poſt aliquem ponitur, ipſi non apparet. Neque ſuſtinuit, vt mendacij argueret dicentem, Omnia ſibi tradita eſſe: ſed denuo ipſum à ſcriptura reppulit: & verſuto flagellum facta eſt increpatio, neq; enim amplio tolerauit. Et ideo Matthęus quidẽ poſtremam ſcripſit auaritiæ tentationem: Lucas autem potius vanæ gloriæ: quia Matthæus ſane etiam ordinis tentationum curam habuit: Lucas vero ſolius narrationis earum.

D In quo ergo à tentationibus saluatoris instituemur? Vt certe inimico nũquam fidem habeamus: ne si vtilia quidem ac necessaria iubeat. Siquidem per ea, quæ commoda sunt adulatur: finit vero in malum. Vtque nec propter famem, aliamue vrgentem necessitatem, faciamus dæmonis voluntatem, sed ad deum confugiamus: ne deum tentemus, neque diabolo signa petenti intendamus. Hæc enim occultato, sub eis dolo, postulat. Quidam autem dicunt diabolum Christo demonstrasse omnia regna mundi, & gloriam eorum: nõ ad sensum localiter, sed ad intellectum designando. Hoc autem dixerunt propter id, quod scriptum est, hæc in momento temporis demonstrasse.

Tunc † omittit eum diabolus. Lucas autem scripsit, quod
E completa omni tentatione, diabolus abscessit ab eo vsque ad tempus. Apparet autem tres enumeratas tentationes, capita omnium esse tentationum. Ab his namque cæteræ omnes oriuntur, vt qui hos deuicerit affectus, contra omnes victoriã obtineat. Quod autem additur, Vsque ad tempus, significat, vsque ad Iudæorum insidias. Tunc enim rursum oppugnabit, non per seipsum, sed per Iudæos, tanquam per organa quædam.

† *Tres tentationes sustinuit dominus, nempe gulæ, uanæ gloriæ, & auaritiæ. Sunt etenim hæc omnium malorum affectuum capita: qui has deuicerit, in multis quoque aliis magis uictor euadet. Lucas itaq; dicit, quod omnẽ compleuerit tentationem, eo quod tentationũ capita cõsummauit. Quod autẽ etiã angeli ei ministrãt, significat nobis quoq;*
F *angelos post uictoriã ministraturos. Omnia siquidẽ propter nos & fecit, & ostendit dominus, cui ueluti deo semper angeli ministrant.*

Et ecce angeli accesserunt & ministrabant ei. Tempore quidem tentationũ non permisit eos apparere, ne prædam perderet: postquã autem aduersarium propria deuicit authoritate, ac fugere coegit, tunc iam apparent: vt noueris, quod postquã in modũ eius viceris, & te suscipient ac stipabunt angeli.

Quum audisset autem Iesus, quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam. Postquam audisset quod in carcerem traditus esset ab Herode tetrarcha, sicut in sequentibus dicturus est.

Secessit autẽ instruens nos, vt tẽtationes fugiamus. Neque enim vitiũ est, seipsum periculo nõ obiicere: sed vbi inciderit, non stare viriliter. In Galilæam vero abit, simul quidẽ vt com-

vt compleretur, quæ de ea scribitur prophetia, sicut inferi⁹ di A
cetur: vtque inde piscatores piscaretur, apostolos dico, qui ibi morabãtur. Vnde & angeli subleuato in cœlum Christo, Galilæos, appellauerunt eos, dicentes: Viri Galilæi quid statis *Actorũ. 1.*
aspicientes in cœlum?

Et relicta Nazareth, ueniens habitauit in Capernaũ, quæ est ciuitas maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim. Relicta, hoc est, præterita: tunc enim non est ingressus Nazaret.

Vt compleretur quod dictum est per Iesaiam prophetam dicentẽ: *Iesa. 9.*
Terra Zabulon, & terra Nephthalim iuxta uiam maris, trans Iordanem, Galilæa Gentium. Populus qui sedebat in tenebris uidit lucem magnã: & qui sedebant in regione & umbra mortis, lux orta est eis. Galilæa quidem regio erat Palæstinæ. Olim autem data est in sortem duabus tribubus Zabulon & Nephthalim: partem B
tamen eius inhabitabant Gentes alienigenæ. Et videtur horum propheticorum verborum ordo difficilis, tum propter defectum quorundam, tum propter ignoratum eorum intellectum. Ego tamen à prophetico libro illum requirens, intellexi quo modo ea ordinare oporteat: nempe ita conuenit. O terra Zabulon, & ô terra Nephthalim: intelligit autem Galilæam, sicut dictum est: & ô vos qui circa viam maris, id est, circa mare Galilææ habitatis: & ô vos qui trans Iordanem: & ô Galilæa Gentium. Vocat autem Galilæam Gentium, eã Galilææ partem, quam Gentes incolebant. Deinde comprehendens omnes, qui in prædictis locis habitabant, res illis salutares denunciauit, dicens: Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & cætera. Et tenebras vocauit errorem. C
Errabant enim: Iudæi quidem circa scripturas, Gentes vero circa cultum diuinum. Lucem autem magnam Christum nominauit, qui frequenter lux vera appellatur: ipse etenim hos ab errore eduxit, illustrãs eos in modum lucis. Deinde iterum huiusmodi tenebras interpretatur regionem mortis, & vmbram mortis: his vocans nominibus, quia sicut mortis regio ac vmbra, est sepulchrum: regio quidem, quasi locus, vmbra vero, quasi tenebræ. Nam tenebræ vmbra est: Ita & mortis spiritualis regio ac vmbra, erat ille error: regio sane, veluti more sepulchri eos continens, qui in ipsum incidissent, mortui, quo ad sensum veritatis: vmbra vero, vtpote tenebris eos offundens. Ne mireris autem, si prophetica eloquia integre

non

D non posuerit. Vniuersaliter enim scire oportet, euangelistas interdum quidem integre dictorum mentionem facere: quãdoque autem illa abbreuiare: & aliquando verborum quidem sensum integrum seruare: quasdãvero dictiones mutare: quãdo id in nullo sermonem potest corrumpere.

Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dicere: Resipiscite: instat enim regnum cœlorum. Hoc ante saluatorẽ Ioannes prædicauit. Incipit autem etiam inde Christus, vt ostendat principium suum fuisse Iohannem, & nequaquam illi contrariũ esse. Operæprecium enim erat, vt primum alius de eo ferret testimonium: & tunc veniret ipse. Quidam autem dicunt, videri quidem eadem prædicare Christum, quę Ioannes: puta, Resipiscite: &, Instat regnum cœlorum: non tamen ita esse. Iohannes siquidem dixit: Resipiscite, propter peccata, in quibus offendistis. Christus vero: Resipiscite, vt transferri mereamini à veteri testamento in nouum. Et Marcum pro teste adducunt, qui addit: Et credite euangelio. Et Iohannes, inquiunt, Christum vocauit regnum cœlorum: Christus autem cœlestem angelicamq; politiam, quam ipse conditurus erat, vt prædiximus. Marcus sane pro regno cœlorum dixit, regnum dei. Intelligitur præterea regnum dei instare, vt super credentes regnet. Siquidem incredulorum, natura rex est filius dei & verbum: credentium vero, vtroque modo, natura videlicet & voluntate, quum sponte gubernationem eius suscipiant.

Marci. 1.

F *Ambulans autem circa mare Galilææ, uidit duos † fratres, Simonem, qui uocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam uos piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, sequuti sunt eum.* Matthæus quidem in hoc loco dicit, postquam traditus est Ioannes, hos esse Christum sequutos: Euangelista vero Iohannes, quod potius antequam traderetur. Præterea Matthæus asserit simul vtrumque vocasse Iesum: Iohannes autem, quod Andream quidem Iesus, Petrum vero Andreas vocauerit. Vnde manifestum est hanc secundam fuisse vocationem. Etenim quum eum sequuti fuissent ante Iohannis traditionem, rursum ad patriam reuersi sunt, artemque priorem exercuerunt: vtpote videntes Iohannem quidem traditum esse, Iesum vero secessisse. Postmodum igitur Christus, primum

ean. 1.

primum eis factum ignoscens, venit, vt rursum eos recuperet: A
iubetque vt se sequantur, & pro retibus quæ possidebant, sumant ab eo rationalem sagenam: & in mare seculi mittentes, pro piscibus homines capiant. Et vide quomodo statim, his quæ possidebant relictis, obedierunt, nihil tergiuersantes. Ita nempe vult Christus, vt cuiuis necessitati suus preponatur discipulatus. Dixit autẽ: Venite post me, hoc est, sequimini me.

† *Fratres fuerũt, qui primum à Christo docente uocati sunt: tum quia huic conuenit fraterno modo gubernare: tum quia fraterno modo sapere oporteat eos, qui ab ipso docentur.* †

Et progressus inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem eius, cum Zebedæo patre ipsorum, reficientes retia sua: & uocauit eos. Illi autẽ statim, relicta naui & patre suo, secuti sunt eum. Horum quoque fidem intuere, qua patrem B
etiam despexerunt. Necesse enim est, parentibus quoq; præponere Christum. Neque parua virtutis ipsorum demonstratio est: quod paupertatem adeo facile tulerint, ac propriis manibus victum quæsierint: & mutuo inter se amore colligati fuerint: patrem quoque vnà secum habuerint, illique inseruierint. Verisimile est autem, audisse eos à Petro & Andrea, promisisse Christum, quod sequentes se, redderet hominum piscatores.

CAPVT QVARTVM

DE DOCTRINA CHRISTI.

ET circumibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis eorum. In synagogis eorum docebat: partim C
quidem vt plures attraheret: partim vero ne quis dicere posset: quod rudes clanculo docens deciperet, palam non ausus docere.

Et prædicans euangelium regni. Marcus vero scripsit: Regni dei. Est autem euangelium regni dei, nouum testamentũ: vtpote de regno dei disputans: aut ad regnũ dei, ipsi obedientes inducens. Marci. 1.

Et sanãs omnẽ morbũ, & omnẽ languorẽ in populo. νόσος quidẽ (pro quo nos morbũ vertim⁹) est diutina puersio habitudinis corporis: μαλακία vero (quã diximus languorem) principiũ est laxationis corporis, morbi prænuntia. Et in corpore sane ita est. In anima autẽ morbus quidẽ est peccati actus: languor vero inductio cogitationis ad actus consensum.

Diuulgata

D Diuulgata est autem fama eius per uniuersam Syriam. Marcus vero dixit, Exiuit autem rumor de eo in totam vndique
Marci.1 regionem Galilææ finitimam. Lucas vero: Et egrediebatur
ucæ.1 sonus de eo in omnem locum finitimæ regionis. Rumor autem & sonus significant famam eius. Præterea quam dixit Matthæus Syriam, hanc cæteri Galilæę finitimam regionem appellauerunt. Dimanauit autem de eo fama, quod talia doceret, qualia nunquam audiuissent: & quod sermones miraculis confirmaret: quodq; cum autoritate doceret ac operaretur, sicut in Marco manifestius inuenies.

Et obtulerunt ei omnes male habentes uariis morbis, & torminibus contractos, dæmonio oppressos, lunaticos, ac paralyticos, & sanauit eos. Post verba illa, Variis morbis, distinctio ponenda
E est. Tormina autem vocat morborum dolores. Lunatici vero tenentur affectione corruptorum humorum. Quia enim luna quum ad plenum lumen deuenerit, naturam habet per splendorem suum attractiuam humorum, qui in corporibus sunt: fit vt hi tunc turbentur. Frequens etenim ac prauus vapor ab ipsis eleuatus, cerebrum dilaniat, hominémque cõtorquet: quumque hæc à luna patiantur, lunatici appellantur. Verum cur à nullo horum priusquam curaret, de fide requisiuit, quemadmodum postea fecit à pluribus? Quia nondum manifestam suæ potentiæ demonstrationem dederat: alióque modo idem producere & adhibere poterat, fide etiam non accedente.

F *Et sequutæ sunt eum turbæ multæ à Galilæa, & Decapoli, & Ierosolymis, & Iudæa, & à locis trans Iordanem sitis.* πέραν τοῦ ἰορδάνου, etiã videlicet à regione, quæ sita erat trans Iordanẽ.

† *Quum uidisset autem turbas, ascendit in † montem.* In mon-
Cap.5 tem proximum ascendit: simul quidem tumultus qui in imo erant declinans: simul etiam absque vlla distractione docere cupiens. Transit enim à cura corporum ad curam animarum. Nam ita semper ab illa transit ad istam: & rursus ab hac ad illam, vt variam præstet vtilitatem.

† † *In monte beatitudines exposuit dominus, docens ex hoc oportere cupientem attingere beatitudinem, à depressis humi rebus abstrahi, & ad sublimia eleuari.*

Quumq; sedisset accesserunt ad eum discipuli ipsius. Simul quidem turbæ ascenderunt, discipuli autem accesserunt, tanquã familiarius

familiarius erga eum affecti, & quippiam ab eo discere cupientes. A

Et aperto ore suo, docebat eos. Quam ob causam dicit, quod os suum aperuerit? Quia etiam non aperto ore docebat eos operibus. Ad discipulos quidem dirigit sermonem, ne turbis molestus esse videatur: communiter tamen illum proponit ad vniuersos ac singulos homines.

CAPVT QVINTVM DE BEATITVDINIBVS.

Dicens: Beati † *pauperes spiritu: quoniam ipsorum est* † *regnum cœlorum.* Non dixit, pauperes possessionibus, sed pauperes spiritu, hoc est, humiles animo ac voluntate: animum nanque πνεῦμα, id B est, spiritum nominauit. Neq; enim qui infortunio quouis humiliatur, hic beatus est: quia nihil quod inuoluntarium est, beatificat. Omnis enim virtus per id, quod voluntarium est, imprimitur. Pauperem autem hic vocauit animo humilem, vt πτωχὸς, id est, pauper dicatur ἀπὸ τοῦ κατεπτηχέναι quod est timuisse siue territum esse. Siquidem humilis aut modestus animo, deum semper timet, tanquam qui nihil vnquam iuxta illius beneplacitum peregerit. Considera vero, quale fundamentum doctrinæ suæ substernat. Quia enim superbia diabolum deiecit: ac protoplastum, putantem quod postquã de ligno comedisset, deus fieret, continuo prostrauit: radixque & fons omnium facta est malorum: contra- C rium ipsi præparat pharmacum, animi videlicet modestiam: & hanc radicem ac fundamẽtum substruit virtutum: quo deiecto, reliqua omnia etiam si ad cœlum vsque pertingant, detrahuntur ac decidunt: quemadmodum in Pharisæo ostensum est. Aptum quoque præmium huic rependitur: pro extrema videlicet abiectione summus honor: & quo nullus maior reperiri potest, Per modum autem beatitudinum præcepta hæc induxit, inuidiosum deuitans sermonem. Oportebat enim vt in principio mansuete cum eis loqueretur: & ita paulatim ad præcipiendum deueniret.

† *Quam ob causam dixit pauperes, & non humiles? Quia pauperem esse plus est, quàm humilem esse. Sũt enim uarii humilitatis modi: hic*

di: hic quidem mediocriter animo modestus est: ille uero cum excellentia: quam humilitatem etiam Dauid commendat, dicens: Cor contritum & humiliatum deus non despicies. Psal. 50

Beati qui † lugent: quoniam ipsi consolationem accipient. Quia omnes putabant eos esse beatos, qui in gaudio essent: miseros vero, qui in afflictione: huiusmodi opinionem radicitus euellit, contrariam substituens. Lugentes autem dicit, nō qui simpliciter lugent, sed qui pro peccatis lugent. Miserum enim ac prohibitum est lugere ob ea, quæ quis patitur. Tristitia enim mundi, ait Paulus, mortem operatur: ea vero, quæ secundum deum est, pœnitentiam in salutem stabilem. Quo modo ergo alio loco dicit Paul°, Gaudete in domino semper? Quia & ille gaudium dicit, quod è luctu oritur. Habet nanque luctus repensum sibi gaudium. Quemadmodum enim postquā vehemens pluuia impetuosè descenderit, serenitas stabilior esse solet: Ita quoque deductis lachrymis, tranquillitas & gaudium animi succedit. Vult autē hic sermo, non modo de propriis nos lugere delictis, verum etiam de alienis: & talis erat Mosis animus, Dauidis, Danielis, Pauli, cæterorumque huius modi. Consolationem vero accipient, siue lætabuntur. Vbi? Et in præsenti, & in futuro. In præsenti quidem ea spe, quod peccata sua luctu redimant: in futuro vero non sola horum remissione, verumetiam beatitudine. 2. Cor. 7 Philip. 4

† Nam qui filios aut uxores mortuas lugent, non possessiones aut propria amant corpora, nec eo turbinis tempore, ullo modo concupiscunt, non iniuriis exasperantur, nec alia obsidentur affectione: quāto magis qui suas lugent ægritudines, eo modo quo eas lugere dignum est.

Beati † mites, quoniam ipsi hæreditatem accipiēt terræ. Quoniam olim ab hominibus magno studio affectabatur terræ possessio, hanc etiam pro virtutis præmio ponit. Quidam sane terram intellectualem, cœlum esse dicunt. Chrysostomus vero ait, quod & sensibilē pro præmio posuerit, propter crassiores, qui sensibilia potius quàm intelligibilia quærunt. Toto nanque euangelio ad virtutem solet adhortari: quandoque per futura, interdum quoque & per præsentia. Quanquā neque vbi intelligibilia ponit præmia, priuat sensibilibus: neque ediuerso, quum sensibilia pollicetur, intelligibilia aufert. Quærite enim, inquit, primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Et rursus: Nemo est qui reliquerit domum aut patrem, & cætera, qui non fruatur multo pluribus in hoc tempore, & in futuro seculo, vita ęterna. Matth. 6 Lucæ. 18

† Mites dicuntur, non qui penitus non irascuntur: huiusmodi enim insensati sunt, sed qui iram quidem sentiunt, sese tamen continent: quando autem oportet irascuntur, sicut dicit Dauid: Irascimini & nolite peccare. Psal. 4

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam † ipsi saturabuntur. Quia de eleemosyna dicturus est: aufert primum auaritiam, vt pura fiat misericordia. Iustitia enim auaritiæ contraria est. Dixit autem, Esurientes & sitientes, hoc est, plurimū concupiscentes: vt vehemens auaritiæ amor in iustitiam trāslata, illam perimat, Saturabuntur autē, omni videlicet bono. †

† Quia auari abundantes esse uidentur & saturati: ideo ait iustos potius saturandos esse. †

Beati † misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. A deo certe, sed non tantam dumtaxat, quantam ipsi præstiterunt. Quantum enim interest inter malum & bonum, aut potius quantum inter hominem & deum: tantum humana misericordia distat à diuina. B

† Non possessionibus tantum præstatur misericordia, sed & sermonibus. Quod si nihil habueris, etiam lachrymis præstatur: uarius est enim eleemosynæ modus, latumq; præceptum. Misericordiam uero consequentur, hic ab hominibus, & in futurum à deo. †

Beati † mundi corde, quoniam ipsi deum uidebūt. Puros corde intelligit, qui nullius peccati sibi conscij sunt: aut qui cor seruant à voluptatibus impollutum, quam sanctimoniam vocat Paulus, dicens: Pacem sectamini ad omnes & sanctimoniam, sine qua nemo videbit deum. Videbit autem deum dixit, tanquam humana natura potentem. Hanc vero beatitudinem post eleemosynam posuit: nam multi iustitiam ac eleemosynam assequuti, circa voluptates deuicti sunt. Ostendit itaque solas illas non sufficere virtutes. † C Hebr. 12

† Mundi corde sunt, qui continenter degunt: sine continentia autem nemo uidebit deum. Quemadmodum enim speculum si purum sit, figuras recipit: ita & anima pura dei suscipit uisionem. †

Beati † pacifici, quoniam filii dei uocabuntur. Qui non solū ipsi seditiones non mouent, sed & alios mouentes ad pacem reducunt, filij dei vocabuntur: vtpotę filium eius vnigenitum imitantes: †

D imitantes: cuius opus fuit dissidentia in vnum reducere, ac inimicos reconciliare. Erit profecto etiam beatus pacificus, hoc est, in pace seruans voluntatem propriæ carnis cum voluntate animæ suæ: & quod prauum est, meliori subiiciens.

† *Non solum pacem cum omnibus habentes, uerum etiam seditiosos mutuo inter se pacificantes. Dicuntur autem pacifici, & qui per doctrinam inimicos ad deum conuertunt: qui filii dei appellantur. Nã & unigenitus deo nos reconciliauit.*

† † *Beati qui persecutionem † patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.†* Hoc dixit ne putes vbique pulchram esse pacem. Iustitiam autem hic vniuersaliter omnem virtutem nominauit. Quod si huius quoque egregij facinoris præmium posuit regnum cœlorũ: ne his indigneris, quasi præmium alienum sumentibus. Quanquam enim variæ videntur acceptæ retributiones, propter nominum varietatem: E omnes tamen regnum cœlorum designant. Siquidem omnes qui his digni habentur retributionibus, regno quoque cœlorum fruuntur: ideo etiam omnes beati dicti sunt.

† † *Non soli martyres persecutionem sustinent, sed plurimi quoq; alii, quia illis sunt auxilio, qui afficiũtur iniuria, & uniuersaliter propter quancunque uirtutem. Iustitia siquidem omnis uirtus est. Fures uero & etiam homicidæ persequutionem patiuntur, non tamen beati dicuntur.*

† † *Regnum cœlorum, alii quidem dicũt, uitam quam in cœlis degunt: Alii uero, æqualem angelis statum in cœlis: Tertii autem, speciem diuinæ uisionis, quæ cuique rependitur iuxta qualitatem ac quãtitatem suæ iustitiæ. Quarti uero regnum cœlorum dicunt renumeratione, quæ secundum habitam gratiam, datur his, qui ex se ad deum* F *bonum accedunt.*

Beati estis quum uos probris affecerint, & persequuti fuerint, ac dixerint omne malum uerbum aduersum uos, mentientes, propter me. Ad Apostolos qui aderant, sermonem dirigit: ostendẽs doctoribus proprium esse probris affici. Ne autem suspiceris, quod simpliciter verbis malis impeti sit beatum: idcirco addidit, quæ plane distinctionem faciunt: videlicet, vt quæ dicuntur, mendacia sint, & propter Christum ea dicãtur. Quod si hæc non ita se habent: miser potius est, qui male audit, vtpote plurimos suis malis operibus offendens. Quid ergo his admonitionibus mirabilius esse potest? Vtinam vero quæ ab omnibus

omnibus euitantur, præmiorum magnitudine fiant omnibus desiderabilia. Nam qui grauia, ac molesta, & hominum consuetudini ad id vsq; temporis contraria præscripsit, persuasit tamen, & persuadet vniuerso fere orbi. A

Gaudete & exultate, quoniam merces uestra † multa est in cœlis. Gaudete & exultate spiritu, quicunque probra ac persequutiones sustinetis: & modo quo dictum est male auditis. Dicens autem, Merces vestra multa est in cœlis: aliam quoque consolationem induxit.

† *Nam opprobria sustinere magnum est, & graue admodum. Vnde & Iob postquam alias tentationes patienter tolerauerat: tũc maxime turbatus est, quando ab amicis opprobriis afficiebatur, tanquam propter peccata sua pãteretur.*

Ita enim persequuti sunt prophetas, qui uos præcesserunt. Hinc B manifestum est quod illud, Beati estis & cætera, proprie ad discipulos dixerit: & ipsis mediantibus, etiam ad omnes, qui discipulos suos essent imitaturi. Ita enim, inquit, persequuti sunt prophetas, qui vos præcesserunt. Quo modo ita? opprobrio videlicet afficientes, & persequentes, & dicentes omne malum verbum mentiendo, propter deum. Sicut enim vos à me mittemini prædicaturi quæcunque præcepero: ita & illi à deo missi erant. Dicens autem, Prophetas qui vos præcesserunt: manifestat, quod etiam hi prophetabunt. Si ergo, inquit, non erat illis indecorum pati propter deum: neque omnino vobis. Ita prophetis eos adæquando, mentes erexit ipsorum. Obserua autem post quot præcepta posuerit beatitudinem tolerandæ persequutionis, quæ fit propter C iustitiam: & exprobrationis, detractionis, ac maledictorum: quod omnibus prædictis virtutibus oporteat adiutum esse eum, qui hæc certamina aggreditur. Nam ideo quoque certo vsus ordine, auream nobis catenam contexuit. Qui enim animo humilis est, propria lugebit errata: qui vero luget, etiam mitis erit: & qui mansuetus est, iustus quoque erit omnino: iustus vero, etiam miserebitur. His autem omnibus opere perfectis, etiam mundus erit corde: talis vero, pacificus quoque erit: qui autem huc vsque profecit, ad pericula etiam extendetur: ac cætera quæ sequuntur magno animo tolerabit. Postquam ergo quæ opportuna erant admonuit, rursus laudibus eos recreat dicens.

D *Vos estis sal † terræ.* Terram hic homines appellauit, quasi è terra formatos. Est autem tantum ac si diceret: Homines in peccatis putrefacti sunt: corrupti ab humore affectionum. Vos igitur à me electi ad curandam hanc totius mundi putredinem, estis sal terræ: accepta virtute ad constringendum ipsos & coartandum, præterea ad occidendum vermes inuisibiles, hoc est, vt per bonam famam, rationales affectus à graui peccatorum odore liberetis.

† † *Prophetæ ad unam gentem missi sunt, uos autem sal estis uniuersi orbis, per doctrinam arguendo ac stringendo dissolutos, ne æternos producant uermes. Non ergo mordacitatem reprehensionum abiiciatis, sed & opprobria ac persequutiones sustinete. Ideo subdit:* Si autem sal infatuatus fuerit, in quo salietur? *Ad nihil amplius ualet,*

E *nisi ut foras proiiciatur, & ab hominibus cõculcetur. Si enim is qui docet infatuatus fuerit, hoc est, non arguit ac stringit, sed emollitus est: in quo salietur, id est, corrigetur. Ex eo tempore igitur foras proiicitur à magistri dignitate, & conculcatur, hoc est, despicitur.*

Quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Salis fatuitas, est debilitas mordacitatis ipsius. Dicit ergo: Videte quale ministerium vobis cõmittendum est: & contendite ne laxemini persequutionibus, opprobriis, ac maledictis, vt prædictũ est: neq; vtilem mordacitatem respuatis. Si enim sal infatuatus fuerit, quo salietur? hoc est, si vos molles effecti fueritis, aut vtilem mordacitatem neglexeritis, quo alio sale saliemini, si-

Marci. 9 ue condiemini, sicut habet Marcus? Vos enim sal electus estis, nec alius reliquus est. Quanto igitur præ cæteris ad hu

F iusmodi ministerium electi estis, tanto amplius cauere debetis, ne ob propriã mollitiem ac inutilitatem, & putrefactorũ perditionem, vt dictum est, accusari possitis.

Ad nihil ualet ultra, nisi ut proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus. Ad nihil amplius vtilis est sal infatuatus, nisi vt extra dominicam aulam proiiciatur, & conculcetur, hoc est, despiciatur ab hominibus.

Vos estis lux mundi. Mundum rursus dixit homines in mũdo habitantes: quibus erroris caligine obscuratis, vos, inquit, electi estis, vt lux eorum sitis, vtque oculos animarum ipsorum luce doctrinæ ac scientiæ illuminetis, & ad semitas rectas diuini cultus deducatis. Ideo nempe ministerium saliẽdi ac illuminandi eis commissum erat. Primum enim oportet à pu-

tet à putredine liberari, deinde erudiri. A

Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Per hãc, sequentemque parabolam ad vitæ perfectionem ac munitionẽ ipsos inducit, & certaminum præfectos esse iubet, tanquam sub omnium oculis in posterum ponendos, & in medio huius mundi theatro certantes. Non potest, inquit, ciuitas abscõdi super montem posita. Neque vos occultari potestis in doctrinæ altitudine collocati. Reliquum est igitur, vt soliciti sitis, quomodo gubernetis, & aliis oculos in vos figentibus, optimum sitis exemplar vitæ ac doctrinę.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Neque accendit quisquam lucernam, &c. Restat igitur, vt neque ego vos eo fine diuina scientia accenderim, vt absconderem: sed ecce B pono vos super candelabrum, hoc est, super excelsum doctrinæ locum, vt omnes qui in domo sunt, illuminetis.

Sic luceat † lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Luceat sane dicit, non iubet vt in spectaculum virtus ponatur, sed vt ipsa opere compleatur, quæ per se lucere solet: ac seipsam vnguenti more propalare: ideo luceat puritas vitæ ac sermonis vestri coram hominibus, non ob studium hominibus placendi, sed vt videant vestra opera bona, quæ operibus ac sermonibus imitentur, & præterea vt glorificent patrem vestrũ, qui in cœlis est, hoc est deum, à quo per fidem adoptati estis: filij quidem eius, fratres autem mei effecti, laudant enim ipsum, C vt qui huiusmodi politiam ordinauerit. Ipse tamen Christus hanc constituit, sed propria opera solet patri frequenter attribuere, vt in sequentibus erit inuenire: patrem videlicet honorans, & similiter demonstrans quod vnum sint sicut natura, ita & voluntate.

† *Vobis, inquit, bona opera facientibus, luceat ab eis lux uestra: quæ nullo etiam publicante, per seipsam triumphare solet, à bonis operibus prosiliens.*

Ne putetis quod uenerim ad † soluendum legem: nõ ueni ad soluendum legem, sed ad complendum. Quia maiora præcepta cõ- † diturus erat his, quę erant in veteri testamento, dicens, Audistis quod dictum est antiquis: Non occides. qui autẽ occiderit, reus erit iudicio, Ego autem dico vobis: Omnis qui teme-

Infra eodē re iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, &c. & diuinæ cuiuſdā
D cœleſtisque politiæ viam incidere volebat: ne qui propter
nouitatem ſuſpicarentur, quod noua condens, vetera auferebat, eumque cōtrarium illis eſſe putarent: primum huic medetur ſuſpitioni. Sed videam⁹ quomodo legem cōpleuerit ac prophetas. Prophetas quidē compleuit: omnibus quæ de ipſo ſcripſerunt prophetæ, opere cōpletis. Nam ob id quoque frequenter addiderunt euangeliſtæ: vt compleretur quod dictū eſt per prophetam. Legem autem vno quidem modo compleuit, nihil tranſgrediendo eorum quæ lex iuſſerat. Dixerat e-
Matth. 3 nim prius ad Ioannem: Sic decet nos complere omnem iuſtitiam. Alio autem modo: addens ipſi quæ prætermiſſa erāt: quod etiam hinc magis cōgruum eſt intelligere. Quum enim lex peccatorum fines prohibeat, Chriſtus principia quoque vetuit. Siquidem cædes fructus eſt peccati, radix autem eius
E eſt ira: niſi vero quis radicem abſtulerit, quandoque tandem
Exod. 21 fructum producet. Patet igitur mancum fuiſſe præceptum,
Leui. 24 quod ſolum occidere vetabat. Hoc autem Chriſtus cōpleuit, præcipiens non iraſci, quod & in aliis præceptis procedendo licebit inuenire. Et quare vetus lex erat imperfecta? Quia Hebræi duræ ceruicis erant, nec ferebant graue iugum: illos itaque velut infantes lacte potauit, nobis autem tanquam viris, ſolidum appoſuit cibum. Quomodo vero alibi dixit Chri
Mat. 11 ſtus, Iugum meū ſuaue eſt, & onus meum leue? Quia leue fa-
Deut. 28 cit hoc laborum remuneratio, ac præmiorum magnitudo.
Eſaiæ. 1 Lex enim ſe ſeruantibus bona terræ promittebat: Chriſtus
F autem bona cœleſtia.

† *Non ſoluit ſed compleuit potius legem ueterem: neque enim euangelio contraria erat, ſed potius uia ad ipſum, ac præco præuius & umbra, typuſq; ueniente autē euangelio, cōpleta eſt ac ceſſauit, ſicut nox appetente die, ſicut umbra additis coloribus. Oportebat enim pædagogū præceptori concedere. Alio quoq; modo Chriſtus legē cōpleuit, ſeruatis ipſius præceptis, finemq; impoſuit: quia abſtracta imperfectione perfecit. Vnde cōtraria non ſunt euangelica præcepta his quæ lex iuſſit, ſed cōſona: lex enī initiū erat, euāgeliū uero pfectio.*

Amen quippe dico uobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota unū, aut unus apex nō præteribit à lege donec omnia facta ſint. Dictio Amen, aduerbium eſt confirmatiuū, idem ſignificans, quod vere. Intellectus autem eorum, quæ ordine dicuntur, hic eſt:

Quandiu

Quandiu mundus permanſerit, hoc enim indicat, dicendo: A
Donec tranſeat cœlum & terra, nequaquam prætermittetur imperfectiſſimum aut leuiſſimum legis præceptum, donec omnia legalia facta, ſiue opere completa ſint à me. Per iota ſiquidem, aut apicem, quod abiectiſſimum eſt ſignificauit: hæc enim in literis leuiſſima ſunt, tanquam quæ cæteris facilius deſcribi poſſunt. Eſt autem iota linea recta, apex vero linea obliqua. Modus quoque confirmationis eſt dicere, Donec tranſeat cœlum & terra, hoc non permittam. Dixit autem hoc Chriſtus, confirmans quod legem non corrigeret, tanquam non potens, quæ illa iuſſerat opere complere: Nam vſque ad mortem ipſam compleuit.

B

Quicunque ergo ſoluerit unum de mandatis iſtis † minimis, & docuerit ſic homines, minimus uocabitur in regno cœlorū. Poſtquā † De præ-
ſeipſum praua ſuſpitione liberauit, deinceps exterret, minaſ- ceptis dei
que ponit maximas pro futura legiſlatione ſua. Quicunque, inquit, vnum horum præceptorum ſpreuerit, quæ ego ſtabiliturus ſum: nec ſolum ipſe ſpreuerit, ſed & aliis exemplo tale quid faciendi fuerit. Minima vero hęc præcepta vocauit partim quidem modeſtiæ cauſa: partim vero ne extollerentur, qui ea ſeruarent: ſimul quoque docens nos propria attenuare, quanuis magna ſint & excelſa. Talis ergo minimus vocabitur, hoc eſt, omnium poſtremus, viliſſimus, abiectiſſimus. Quod tantundē valet ac ſi diceret: In ſuppliciū proiicietur. Regnum autem cœlorum hoc in loco, ſecundum ſuum dicit aduentum, in quo rex omnium apparebit.

† *De minimis, ut ne dicam de maioribus.* †

C

Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœ- De faci-
lorum. Vide quemadmodū dixerit oportere primum facere, endo &
& poſtea docere: Nec ſolum facere, ſed etiam docere. Quē- docēdo.
admodū enim reprehēſibile eſt docere & non facere, ita rurſum imperfectum eſt facere & non docere: perfecta autē virtus eſt, vt nō ſoli ſibi quiſpiam vtilis ſit, ſed & aliis. Tu vero nequaquam recte docebis, quæ opere non compleſti: nec facile aliis perſuadebis, vt faciant quod ipſe non feciſti. Audies enim, Medice cura teipſum.

Dico enim uobis: Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquam Scri- De iuſti-
barum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Illi ſi- tia.
quidem docent & non faciunt: vitam viuentes doctrinæ cō-

D trariam: vos autem & docere & facere debetis, vt verbis facta concordent. Aut etiam aliter hoc intelliges. Illi quidem peccatorum fines obseruant: vos autem principia quoque obseruare debetis. Scribas nanq; & Pharisæos hic recte operantes, & nō transgredientes accipito. Iustitiam vero simpliciter dixit omnem virtutem. Considera autem quo modo & per præsentia verba, & per ea quæ superius dicta sunt, nō calumnietur legem veterem, sed ipsam potius augeat. Verum si illa irreprehensibilis est, cur saluos nō facit illos, qui ipsam seruāt? Vsque ad Christi quidem aduentum saluos eos faciebat, qui gnauiter ipsam custodiebant: postea vero quum infantia in virilem iam profecerit ætatem, & copiosa gratia hominibus data sit: maximaque proposita sint præmia pro bonorum re-
E tributione operū (Neque enim amplius possessio terræ promittitur, aut bonorum terrenorum, neq; prolis fœcūditas, aut longa vita seu victoria de inimicis, sed cœli hæreditas, honorumque cœlestium, & dei adoptatio, ac fraternitas cum vnigenito eius, victoria quoque contra dæmones, & perpetui regni communicatio) merito sane magna exiguntur certamina, ab omnibus qui huiusmodi præmia sorte sunt accepturi: & his certaminibus suppositā sunt Christi præcepta, qui prædicta promisit præmia: magnitudinem enim laborum ad magnitudinem opposuit præmiorum.

Audistis quod † dictum est antiquis, Non occides: quicunque autem occiderit, reus erit iudicio. Ego uero dico uobis, quod omnis qui temere irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Postquam corda ipso-
F rum beatitudinibus præmolliuit, & ad virtutem exacuit: ma-
e libro iora deinceps addit præcepta. Incipit autem ab affectibus,
xodi. qui naturaliores sunt, puta ira & concupiscentia. Et primum de ira disserit, deinde etiam de concupiscentia tractat. Dignum est autem vt inquiramus, quare non ab eo inceperit, quod in lege primum erat positum præceptum. Quia quum illud de diuinitate loqueretur, oportebat quidem illud etiam complere, & aliquid de suiipsius dignitate manifeste addere. Nondum autem tempus erat. Etenim si etiam post doctrinam atque signa, dæmonium dicebant eum habere, quum tamen nihil de ipsa manifeste diceret: quid obsecro non dixissent atq; fecissent, si ante hæc omnia, tale quippiam loqui tentasset? Cur autem manifeste nō dixit se deum

eod. 20
an. 7
10

esse?

esse? Quia ex hoc turbandi erant auditores. Si enim discipuli ipsum cognoscentes, & ab eo quotidie edocti, vidētes quoque mirabilia operantem, ac rebus ineffabilibus communicantes, tanta etiam ab eo accepta virtute, vt & mortuos suscitarent, nequaquam tamen priusquam spiritus sanctus adueniret, omnia ferre poterant: quomodo populus insipiens, tan- Ioan. 16.
tæque expers virtutis, poterat non turbari, aut non putare ipsum magis esse deo contrarium, eiusque honorem sibi impudenter vindicare? Ideo sapienter ac dispensatorio modo, quandoque deo proprias & admirabiles actiones operatur, hasque relinquit, vt se deum esse prædicent: quandoque vero doctrinæ suæ verba admisceet, quæ suam indicent diuinitatem. Manifeste autem & vt plurimum humilia de seipso loquitur, propter auditorum imbecillitatem: sciebat e- B
nim, quod postmodum sua ipsum manifestarent opera, qualia nullus alius fecerat. Arrogantis enim est, nec suspitione caret, magna quædam de seipso dicere. Sed ad propositum redeuntes, videamus quomodo legem non soluat, sed compleat potius tanquam imperfectam. Ait enim, Dictum est à legislatore veteribus Hebræis: Non occides ô homo alterum tui generis. Quicunque autem occiderit, obnoxius erit condemnationi, vt pœnam cædi conuenientem luat. Ego au- Exod. 20.
tem dico vobis, quod omnis qui irascitur fratri suo incassum, nec congruo tempore: hæc enim indicat dictio εἰκῆ (quam nos temere vertimus) obnoxius erit condemnationi. Addens autem temere, non omnimodam abstulit iram, sed intempestiuam tantum abiecit: quę enim opportuna est, vtilis est. Di- C
citur autem ira opportuna, quæ sumitur aduersus eos, qui contra dei præcepta viuunt: quando non ad vindicandum nos, sed ad vtilitatem eorum, qui male viuunt, ex dilectione & amore fraterno irascimur, cum congrua honestate. Irascimini enim, inquit, & nolite peccare, hoc est, ne in irascendo erretis, ira male vtentes. Nos quoque fratres inter nos inuicem vocauit, vtpote eundem habentes deum, eundemque primum parentem, eandem naturam, & eandem fidem, eadem præcepta, & eadem promissa præmiorum. Vide autem quid addiderit. Radicem sane cædis incidit: qui enim ita nō irascitur, nunquam ad cædem perueniet: sicut neq; is qui radicem amputat, ramum vnquam germinare sinet

Psalm. 4.

D † *In libro Exodi dicitur: Non occides: & post multa: Si quis aliquẽ percusserit, morte moriatur, &c.*

Quicunque autem dixerit fratri suo Raca, † *reus erit consilio.* Superius quidem eum, qui leuiter irascebatur condemnauit: hic autem eum, qui ad verba vsque procedit. Raca autem vox est Hebraica, idem significans quod, Tu. Quia enim irascitur quispiam in alterũ, ex nomine ipsum nollens appellare, quasi nomine indignum, loco nominis ponit, Tu, in signum iræ & abominationis, Hunc autem cõdemnauit, veluti communem naturam abominantem: & seniorum populi consilio, reum ipsum constituit, vt ab eis obiurgetur.

† † *Vide quàm miserum est in aliena uersari lingua: nam à* רקק
E *racae spuit, fit* רק *rec quod uacuum significat uel temporalibus rebus uel intellectu. unde 2. Regum. 6.* חרקים *harekim, habemus trãslatum, scurra. Sanctes uero Pagninus transtulit fatuum.* גיהנם *Gehennom ad uerbũ sonat Vallis hinnom. Nam erat locus prope Ierusalem in prædio cuiusdam qui Hinnom dicebatur, in quo primũ Israëlitæ filios suos uiuos cremabant Idolo Moloch. De quo Iere. 7. & 4. Reg. 23. ubi dicitur Iosias locum hunc contaminasse proiiciendo in eum cadauera fœtida, & alias quasq; immũditias, & huic usui deinceps deputatus est.*

Quicunque uero dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Hunc magis condemnauit, vtpote auferentem à fratre mentem, qua ab irrationalibus distamus: vel potius tanquam iniuriosum contra fidem. Si enim fidelis frater fatuus est, vt ille dicit, fatua est fides eius. Hic autem primum manifestatur nomen ge-
F hennæ ignis. Hanc vero gehennam vocari dicunt quidam, quasi semper γεννῶσαν, id est, generantem ignem. Alij vero Hebraicum nomen dicunt, huiusmodi suppliciũ significans. Si igitur has, quæ à nobis leues iudicantur, iniurias ita puniuit, qua condemnatione digni sumus, qui graues contra fratres incessanter effundimus? Eas itaq; quæ leues videntur, propter graues puniuit, vt illas timendas iudicantes, ducamus has formidabiliores. Tum etiam quia iratis non magnæ solum iniuriæ sed & paruæ frequenter ad cædes prouocant, iram ad scintillæ modum accendentes.

e offe- *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,*
ntib. *quod frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum*
unera. *ante altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offer munus*

fer munus tuum. Omnia quæ superius dixit, & quæ nunc dicit, quæq; postea dicturus est, de dilectione sunt, quam frequẽter ponit, ac diuersimode laudat, sicut in progressu sæpius inueniemus. Quum enim esset deus, nostri amore homo factus est, omniaque passus, vt & nos deum, ac nosinuicem amaremus, & per dilectionem nobis mutuo colligaremur, vnumq; corpus efficeremur, caput habentes Christũ. Ideoq; pugnæ neruos præcidens, quæ dilectionem corrumpunt aufert. Considera ergo amoris erga homines magnitudinẽ. Despicit honorẽ, qui sibi exhibetur præ amore erga fratrẽ, tantũ nõ dicẽs: Auferatur seruitus mea, vt tu fratri recõcilieris: Nã sacrificium etiã est, erga fratrẽ reconciliatio: neq; illam absq; hac suscipit. Restat igitur, vt siue laudes deo reddas, siue orationem (siquidem etiam hęc sacrificia sunt) siue aliud quod- B
cunq;: ne proferas illa, fratri tuo irreconciliatus, sciens quod nihil horum sit suscepturus, nisi prius reconcilieris. Fertur autem indifferenter sermo, & ad eum qui affectus est iniuria, & ad eum qui iniuriam irrogauit. Et si quidem male passus es, iniuriam illi remitte, & patiens esto: quod si iniuriam irrogasti, medere iniuriæ, nihilque relinquas eorum, quæ ad reconciliationem faciũt. Docuit igitur, quod cuius sacrificium propter inimicitiam non suscipitur, huius quoque vita omnis deo est abominabilis. A

Esto beneuolus erga † *aduersarium tuum cito, quandiu es in uia cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici: & iudex tradat te ministro, & in carcerem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Quemadmodum ad vir- C
tutem exhortari solet, non solum per ea quæ futura sunt, sed etiam per præsentia. sicut in beatitudinibus diximus: ita rursum à malo solet auertere, nõ per futura solum, sed etiam per præsentia. Postquã enim ab odio reuocauit per futuram gehennam: nunc idem dissuadet & territat per præsentem iudicem, & ea quæ quotidie accidunt. Dicit ergo, Si etiam ad tribunal traharis, esto beneuolus erga aduersarium tuum, hoc est, fias ipsi amicus, quandocunque cum ipso fueris in via, quę te ducit ad iudicem: priusquam videlicet ad iudicem venias, tunc enim tibi licet reconciliari exoluendo pecunias, quas Lucas βγασίαν, id est, operam dixit, quia operantur quæ vo- Luc. 12.
lumus, ac perficiunt quod optamus. (Nam & βγασία ab

βγά-

D ὀργίζομαι dicitur, sicut opera ab operando.) Melius est enim debitum siue mulctam exoluere, quam iudicio contendere: mulctatus enim tria maxima referes commoda: puta, in carcerem non proiicieris, nec ad vltimum pœnæ aut mulctæ exactio à te fiet, & inimico reconciliaberis. Iudicio autem contendens, tria ediuerso pessima sustinebis incommoda: videlicet, in carcerem proiicieris, ac nouissimum reddes quadrantem, quem Lucas postremum minutum dixit, hoc est,
ic.12. minutissimum genus, ad quæ soluenda fueris condemnatus: & tertium, quod nec ita reconciliaberis. Verisimile est enim aduersarium permanere, quantumcumque te vicerit. Sunt autem quidam, qui ea quæ dicta sunt, anagogice interpretantur, quod Chrysostomus ad præsens non
E recipit.

† † *Aduersarium quidam conscientiam dicunt, quasi malæ uoluntati semper oppositam & accusantem eum, qui male operatur: uiam autem, præsentem uitam, in qua benevolum esse oportet siue obedientem, honesta concedenti, & à malis deterrenti.*

Audistis quod dictum sit: Non mœchaberis. Ego autem dico uobis,
le visa *quod omnis qui uidet mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est cum ea in corde suo.* In lege quoque postquam dictum
xod.20. est, Non occides, ponitur etiam, Nõ committes adulterium. Restat igitur vt postquam prius expleuit præceptum, transeat ad sequens: & postquam iram correxit, etiam concupiscentiam moderetur. Sicut autem in priori præcepto addens, Temere, distinxit iram opportunam ab intempestiua: ita &
F in præsenti addens, Ad concupiscendum, distinxit aspectum sine affectu, ab eo qui vitio afficitur. Neque enim simpliciter dixit, qui videt: sed, Qui videt ad cõcupiscẽdũ, hoc est, qui curiose videt, & cũ animi ægritudine, quasi coitum cõcupiscẽdo: talis enim iam cor suum animi affectione impleuit: ideoque voluntate adulterium commisit. Vel qui ad hoc videt vt concupiscat. Iste nempe affectionum perturbationem quæsiuit, & ad concupiscentiam transfugit, ac seipsum animi perturbationi tradidit. Quod si corpore alterius vxorem non tetigit, at saltem voluntate. Qui autem in transitu videt, aut alia quapiam necessitate, crimine vacat. Mulierem vero dixit, siue viro coniunctam, siue ab eo solutam, siue virginem. Scire autem oportet, huiusmodi præcepta, & si ad viros

viros dirigi videntur. mulieres quoque respicere. Siquidem A
vir caput est mulieris, caput autem & membra vnita sunt. 1.Cor.11.
Prohibuit ergo aspectum curiosum: à tali enim, affectio ad cor defluit: quod vbi ægrotat, incendit & corpus ad coitum. Itaque radicem abscidit, ne producto ramo fructum quoque proferat.

Si autem oculus tuus dexter offendiculo tibi est, erue eum, & proiice abs te. Vtile est enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, Deoculo
& non totum corpus tuum proiiciatur in gehennam. Et si dextra malo.
manus tua offendiculo tibi est, amputa eam, & proiice abs te. Vtile est enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum proiiciatur in gehennam. Non de corporis membris loquitur: illa enim culpa vacant: Nam corporis membra ab anima ducuntur, & quocunque illa iusserit mouentur. Sed B
dextrum quidem oculum vocat idoneum amicum, qui instar oculi amatur: manum autem dextram, ministrum commodũ, qui in modum manus vtilis est, siue viri sint, siue mulieres. Dicit igitur, quod si hi tibi fuerint offendiculo, aliquam afferentes mentis perturbationem: nec eis parcas, sed amputa ipsos omni quæ aduersus te est affectione: & proiice abs te. Neque dixit, Percute, sed amputa, manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque, Amputa, non ibi permansit: sed vlterius sermonem extendit, addens: Et proiice abs te: ne in proximo remanens, fiat rursus familiaris. Quia autem rem duram præceperat, lucrum in posterũ demonstrauit ab eo quod vtile est.

Dictum est autem: Quicunque repudiauerit uxorem suam, det ipsi C
libellum repudii. Ego autem dico uobis: Quicunque repudiauerit uxo- De dimi
rem suam, nisi stupri causa, facit eam adulteram esse: & quicunq; re- sa mulie
pudiatam duxerit, adulterium committit. Ecce & aliud adulte- re.
rij genus demonstrat. Iubebat enim lex vetus, vt quomodocunque odisset quispiam vxorem propriam, ne eam reti- Deut.24.
neret, sed dato ipsi libello repudij, dimitteret. Iubebat autem abiicere siue repudiare, ne occiderent eam: ægre enim reconciliabantur Iudæi, non modo erga vxores, sed etiam erga filios. Vnde & Christus quadragesimo capite dixit ad eos: Moses, propter duritiam cordis vestri permisit vobis re- Infrà.19
pudiare vxores vestras. Iussit autem dare libellum repudij, ne postea, alteri iam nuptam viro, posset rursus apprehẽdere, quasi

D quasi propriam: & hinc orirentur turbationes ac seditiones.
Christus vero prædictis verbis mansuetius eos instituens, iubet ne vxorem repudient, nisi stupri causa. Stuprum autem vocat hic adulterium: sed neque dimissam permittit alteri viro nubere. Qui enim extra stupri causam, suam repudiat, facit eam adulteram esse, quum alteri viro commisceatur. Qui vero sic ab altero repudiatam duxerit, adulterium cum aliena committit. His autem datis præceptis, vxorem etiam cordatiorem ac modestiorem reddidit. Audito namque quod se repudiatam nullus in vxorem ducturus est, proprium amabit virum, eiq; inseruiet: & ita criminis adulterij admonens, tam eum qui sine causa propriam repudiat vxorem, quam
E eum, qui ab alio repudiatam ducit, pacem coniunctorū constrinxit: magisq; ne committeretur adulterium curauit. Qui enim suam non abiicit, sed amat potius, alienam nequaquam concupiscet: similiter & qui ab alio repudiatam prohibetur ducere, suam non facile repudiabit.

e per-
rio.

† *Rursum audistis quod † dictum sit antiquis: Non peierabis: persolues autem domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis: Ne † iuretis omnino.* Vetus quidem lex dicit, Non peierabis: offeres autem domino iuramenta tua: quod addit vt iuranti timorem incuteret, ne peieraret, sciens deum ipsum, qui omnia nouit, iuramentum suscipere. Ego autem dico vobis, Ne iuretis omnino. Qui enim facile iurat, aliquando fortasse peierabit ob iurandi consuetudinem: qui autem nullo modo iurat, non peierabit vnquam. Præterea quoque iurans ita ne peieres, cultum diuinum obseruas: at nullo modo iurans, ipsum maxime prouehis: & illud mediocris & imperfectæ philosophiæ est, hoc autem summæ ac perfectæ.

xod.24.
euter.5.
cuit.19.

F

† † *Illud quidem, Non peierabis, in libro Exodi scribitur: hoc autem, Reddes domino iuramēta tua, in lib. Deuteronomii, sed per alia uerba. Præcepit autem hoc, ne per falsi nominis deos iurarent.*

† † *Non iurare, & iuramentum non petere, ad idem inducunt. Quomodo enim ad id quod tu fugis, fratrem tuum induces, si tamen fratris amator es, & non magis pecuniæ?*

Neque per cœlum, quia thronus dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per Ierosolyma, quia ciuitas magni regis est. Ne putarent quod aduersus deum solum iurare prohiberet, dicendo μὰ τὸν θεὸν, id est, per deū: addit & alias iuramen-

iuramentorum species, quibus tunc Iudæi iurabant: qui enim A
per hæc iurat, rursus per deum iurat, qui hæc implet, eisque dominatur. Nam hæc propter eum in honore habentur, & non per seipsa. Dicit autem per prophetam: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: manifestans Iesa.66
per hoc propheta, quod omnia deus impleat. Ait enim, Nō- Iere.23
ne cœlum & terram ego impleo? Dauid quoque dicit, Ciui- Psal.4
tas regis magni.

Neque per caput tuum iures, quia non potes unum capillum album facere uel nigrum. Neque vilissimum ideoque paratissimum iuramentum iuraueris, dico sane per proprium caput, ne etiā ad maiora procedas. Alio quoque modo. Creatura namque etiam dei possessio est: & rursum per deum fit iuramentum, qui ipsam in sua habet potestate. Licet enim tuum quoque sit, non est tamen tuum opus: quod ex eo manifestum est, quia B
non potes vnum capillum album facere vel nigrum.

Sit autem sermo uester, Est est, Nō nō. Quod autem ultra hæc additur, à malo est. Sit inquit sermo vester quando affirmatis, Est: quando vero negatis, Non: hisque solis pro iuramentis ad confirmationem vtamini, & nullo alio quàm est & Non. Quod præter hæc adiungitur, dicit iuramentum. Si autem iuramentum à diabolo est, quomodo ipsum lex vetus permittebat? Quia & animalium sacrificia à malo quidem erāt & deceptione Idolorum, ea tamen permisit lex propter Hebræorum infirmitatem. Quum enim glutones essent ac lurcones, Idolothyta amabant. Et item quum essent increduli, iuramētum quoque diligebant. Vt autem deinceps neque Idolis sacrificarent, neque per Idola iurarent, permisit quidem lex sa- C
crificare ac iurare, & si quid aliud est simile: omnia vero ad deum transtulit. Futurum autem erat, vt successu temporis, etiam hæc sublimiori legislatione amputaret. Quia & lactere infantibus quidem vtile est, viris autem admodum ineptum: ideoque infantium more viuentibus hoc cōcedimus: † viriles † vero ab eo abducimus ac prohibemus. Quid igitur agendum, si quis iuramentum expetat, imo iurare cogat? Sit tibi dei timor violentior, quàm hæc necessitas: omniaque pati eligas potius, quàm præceptum transgredi. In omni siquidem præcepto vis ac violentum periculum tibi sæpius occurret: & nisi vbique violentius ducas diuinum præceptum, omnia à te vacua &

D cua & infecta discedent. In sequentibus autem dicit dominus, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

De oculo & dēte † *Eo intellectu quo Christus iurare prohibuit, nempe rationabili nō subexistente causa: etiam hic uult tali casu nullo hominum impulsu aut metu esse iurandum.*

Exodi. 21. Deute. 19. *Audistis quod dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dēte. Ego autem dico uobis, ne resistatis malo.* Quidam veteri legi indignantur, iubenti oculum pro oculo, ac dentē pro dente eruere, & sine compassione contra eum qui oculum aut dentem quempiam eruit, eandem denuncianti calamitatem. Est autem hæc lex homini maxime amica. Id enim iussit, vt timore similis afflictionis cauerent, ne illius temporis homines, qui E ad plagas mutuo inferendas anhelabant, oculos aut dentes sibi inuicem eruerent. Christus autem homini benuolentior quàm legislator, huiusmodi mala non similis metu afflictionis, sed futuræ damnationis timore dissuasit. Quum enim in præcedentibus dixerit, quod quicunque dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennæ ignis: manifeste innuit eum qui verberaret, plusquam desipere: qui autem membro mutilaret, adhuc amplius. Vnde iussit nō resistere malo. Malum vero quidam hic illum dixerunt, qui verberasset. Chrysostomus vero diabolum intelligit. Hoc autem dixit Christus, docens quod eo instigante hæc attentata sunt: & in hunc transmisit iram eius, qui iniuria affectus est, exasperatam aduersus eum, qui F hæc ausus fuerat. Quid ergo, neque diabolo resistere licebit? Vtique, sed non in vlciscendo fratre: hanc enim resistentiam prohibuit: sed in patiendo ac sustinēdo. Neque enim per irā extinguitur ira: sicut nec ignis igni, sed contraria fiunt contrariis medicamentis.

Sed quisquis alapam impegerit in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Iubet vt non solum nō vindicemus, sed potius, vt nosipsos cædenti præbeamus: & per patientiam ac magnanimitatem ipsum refrenemus. Hæc enim ille videns, non solum non infliget plagam alteram, sed de prima quoq; resipiscet ac reconciliabitur: quod si restiteris, accēdetur magis, & exasperabitur. Quare autem quum multa sint corporis membra, de solo oculo ac dente distinxit lex? Quia his præcipue partibus solent pugnantes plagas inferre, vtpote minus seruatis,

seruatis, queque magis in promptu sunt, ac facilius vulnerantur. Per hæc autem ad cætera quoque membra lex extenditur. Dextra quoque maxilla maxime idonea est ad sustinēdam iniuriam, quæ & commodius pulsatur manu dextra iniuriam irrogantis: & de hac est præceptum, quod etiam ad reliqua membra similiter pertingit. A

Et ei qui uult te in ius trahere, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium. Vult vt tolerantiam ac magnanimitatē hāc, non ad plagas solum, & iniurias, sed ad possessiones quoque & opes præbeas: ad ista nempe pertingit etiam sermo, qui fit de tunica, vtpote commodiori vt auferatur. Dicit enim, Volenti te in ius trahere, tuamque auferre tunicam, relinquas etiam pallium: ac vincas illius auaritiam: non tantum substātiæ quam petit cessione, verum etiam addendo id quod non B petit. Quum enim hæc feceris, vel relinquet quod petebat, tātam veritus Christianam tuam philosophiam: vel eo quod petit ablato, non attinget quod non petebat: frequēter autem auaritiam suam redarguet. Si autem cum eo ad iudiciū quidē non accesseris, verum id tantum quod petit dederis: quod tibi ipsi solum vtile est fecisti. Si vero addideris & aliud, animā quoq; illius lucrifeecisti, duplexq; bonum perfeecisti. Nam & tribunal deuitasti, & auaritiam conuertisti.

† Pallium quidem est, quod super alias vestes gestamus, tunica vero quam interius. Et licet dicat Lucas, Ab eo qui auferт à te pallium, & tunicā ne prohibeas, nulla tamen est cō- Luc. 6. tradictio. Hæc enim vtraque dixit Christus: hoc quidem in monte: quod vero apud Lucam est, in loco campestri. Quid C ergo, nudum oportet incedere? An tibi magnum videtur, vt ob fratris vtilitatem nudus incedas? Neque tamen ad tantam impellet inhumanitatem: tuam enim, vt dictum est, verebitur magnanimitatem.

† *Sæpius autem ὁ χιτὼν & ἱμάτιον dicitur & econtrario, id est, tunica pallium, ac pallium tunica. Interdum quoque omnis uestis nunc ἱμάτιον nunc χιτὼν, modo pallium, modo tunica appellatur.*

Et qui te coegerit ad milliarium unum, abi cum illo duo. Vetus quidem testamentum iuxta solam grauitatem, vitij species distinguens, leuia præteribat. Christus vero de his quoque legem tulit, incipiens sane à grauiori, & desinens in id, quod lenius est. Grauius siquidem est oculi aut dentis excussionem

pati,

pati, quàm viæ ducem se præbere, aut cibum subministrare: deinde in maxillam iniuria, quæ maximo ducitur opprobrio: postea vestis ablatio: his autem leuius est violenta coactio. Quemadmodum autẽ in aliis vexationis speciebus: cum additamento virtuti vacare iussit: ita & in coactione iubet vincere desiderium eius, qui praue facit iniuriam, patique amplius, quàm ille facere volebat. Agnouisti in corpore patibili insertam ad affectiones immobilitatem? consideraſti angelicam in hominibus disseminatam politiam? Non concupiscere enim iuxta affectus, neque secundum perturbationes irasci, cœlestis sunt politiæ, de quib⁹ per dicta præcepta Christus legem dedit. In eo enim quod iussit fratri temere nõ irasci, neque ipsi dicere Raca, neque fatuum hunc appellare, neque deo munus offerre ante reconciliationem erga fratrem, ac beneuolum esse aduersario: affectui animi commoti neruos amputauit. In eo vero quod præcepit mulierem lasciuis oculis non respicere, & abiicere eos, easque qui sunt offendiculo: neque propriam sine causa repudiare vxorem, neque ab altero repudiatam ducere: ægrotantis concupiscentiæ radices auulsit. Rursum in eo quod iussit omnino non iurare, cupiditatem circa affectiones ac pecunias expulit. Præcipiendo vero non resistere malo, & aliam quoque maxillam obuertere, ac pallium etiam dimittere, duoque millia abire: animum ab vlciscendo continuit.

Petenti abs te dato. Quando certe in loco cãpestri docens stetit, manifestius dixit, Omni abs te petenti dato, veluti scripsit Lucas. Iubet autem non diiudicare dignum ab indigno.

Eo enim quod petit, indigus est, qualiscunque sit. Nam & deus omnia ad vitæ sustentationem æqualiter omnibus contulit hominibus, bonis & malis, fidelibus ac infidelibus.

Et uolentem à te mutuo accipere, ne auerseris. Nunc quidem absque fœnore mutuare iussit: quando autem sicut diximus in loco campestri docebat, iussit neq; id quod mutuatum est repetere. Si enim, inquit, mutuum dederitis his, à quibus vos recepturos speratis, quæ vobis est gratia? Sed hoc quidem ad imperfectiores dirigitur: illud vero Lucæ ad perfectiores.

Audistis quod dictum sit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis: Diligite inimicos uestros: Benepræcemini deuouentibus uos: Benefacite his, qui uos oderunt: & orate pro

De eo q̃p icitur: etenti bs te lato. ucæ. 6. De mutuando. ibidem. euit. 19. De diligendo roximo

te pro offendentibus & persequentibus uos. Postquam, vt dictum est, iram ac concupiscẽtiam extirpauit, omnique simili affectu sibi obedientes liberauit, deinceps etiam benefacere iubet, dando videlicet petentibus, ac mutuando indigentibus. Deinde procedendo, ad extremam perduxit virtutem. Omnis enim virtutis coronis ac vertex est, inimicos amare, & cætera quæ sequuntur. Amare inquam ipsos, non quatenus inimici sunt, sed quaten⁹ homines. Nec solum amare, sed & pro eis obsecrare. Ad amorem autem inimicorum consequuntur & alia: dico sane, bene precari deuouentibus, ac benefacere his qui oderunt: & orare pro lædentibus: Nam hæc perfectæ sunt dilectionis. Considera vero & præmium huiusmodi virtutis. Quia enim tam præclarum facinus omni alio maius erat, præmium quoque omni maius ipsi rependit. Ait enim. B

Vt efficiamini filii patris uestri qui in cœlis est: quia solem suum oriri facit super malos ac bonos: & pluit super iustos ac iniustos. Pater quidem hominum deus est tanquam plasmator eorum (Nam patres quoque dicimus operum aliquorum poetas hoc est effectores) tanquam etiam prouisor ac procurator ipsorum: patris siquidem proprium est filio suo prouidere ac procurare. Filij autem dei fiunt, qui per virtutem similes ipsi efficiuntur, quantum est homini possibile: nam filij proprium est, suo assimilari patri. Vt sitis, inquit, filij dei: non natura, sed similitudine, amando videlicet inimicos vestros: quia & ille à malis ac iniquis, blasphemiis tanquam iaculis petitus, & contumelia affectus, proprioque honore priuatus: tamen ob amorem, quo eos prosequitur, solem suum oriri facit super malos ac bonos, & pluit super iustos ac iniustos. At tu quidem à conseruis pateris: ille vero à seruis. Et tu sane pauca ac modica eis præstabis bona: ille autem plurima ac maxima: & tamen tribuit tibi, vt ob talem imitationem ipsi similis efficiaris, eiusque filius nomineris. Per solem sane ac pluuiam, omnia ad vitam conuenientia significauit: his enim omnia è terra generantur, nutriuntur, augentur, ac perficiuntur. Potest quoque & alio modo dici. Vt sitis filij dei, assimilati videlicet filio eius, qui innumeras ab inimicis suis passus iniurias, ipsos amabat, & beneficia eos docendo conferebat: linguarum sagittis petitus, & tandem ab eis crucifixus, pro ipsis orabat dicens, Pater dimitte illis, non enim sciunt quid

A C Sup. eod.

faciunt. Vult itaq; Christus amicis te reconciliari, Abi inquit prius, reconciliare fratri tuo: inimicos vero iubet diligere, ac pro eis orare, vt prædictum est.

Si enim dilexeritis eos qui uos diligunt, quod præmium habetis? nonne & Publicani idem faciunt? Et si cõplexi fueritis fratres uestros tantum, quid supra cæteros facitis? num & Publicani ita faciũt? Nõ est virtus amantem se redamare, sed naturæ consentaneum. Nam & Publicani hoc faciũt, apud quos ne vestigiũ quidem est virtutis. Sunt autem Publicani, qui vectigalia colligunt, ac commerciarij (vt sic loquamur) qui scilicet mercibus viuunt commutandis. Erant autem maxime infames, qui artes huiusmodi exercebãt, tanquam iniusti, auari, ac scelerati. Vnde & in doctrina, quæ in loco cãpestri data est, pro publicanis, dixit peccatores. Quum autem neq; diligẽtes nos diligamus, sed inuideamus potius his, qui nobis bene cupiunt, qua tandem obsecro digni erimus condemnatione? quum super Scribas & Pharisæos in iustitia abundare iussi, etiam illis inferiores sumus, qui apud eos infames erant?

Eritis igitur uos perfecti, sicut pater uester cœlestis perfectus est. Qui diligentes se diligunt, hi certe in dilectione imperfecti sunt: qui vero etiam inimicos amant, hi sane perfecti sunt.

Attendite ne eleemosynam uestram præstetis coram hominibus ut conspiciamini ab eis: alioquin præmium non habetis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Plãtatis iam virtutibus, tollit deinceps affectum, qui eis adnascitur & molestus est, puta inanem gloriam, quam etiam auellit, postquam egregia plantauit virtutũ opera: non enim prius pullulat, sed post ipsa. Est namq; inanis gloria bene quippiam operari ad hominum ostentationẽ. Et videvnde eam incipiat expellere: ab eleemosyna videlicet oratione & ieiunio: quia his maxime bonis operibus libenter insidiatur. Sicut Pharisæus cum inani gloria orabat, demonstrato Publicano: & se etiam iactabat, dicens: Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Dicit autẽ, Attendite: insinuans feram hanc latenter in modum furis irrepere. Dicens vero, Attendite ne eleemosynam vestrã præstetis coram hominibus, non ibi permansit, quasi vellet vt indigẽtem prætereas, ne qui hoc videant: sed addidit: vt conspiciamini ab eis. Ac si diceret, Attendite ne propter hoc eam coram hominibus tribuatis, vt conspiciamini ab eis: si enim non propter hoc

pter hoc eam dederitis, nihil vetat etiam coram ipsis eam tradere. Finis namque eius quæritur, non modus. Contingit enim & coram hominibus tribuentem, non ad ostentationẽ præbere, quando quis sola motus compassione præbet, & nõ tribuentem coram hominibus, ad ostentationem tribuere, quando non inductus compassione præbet, sed vt pro compassiuo prædicetur. Præmium, inquit, nõ habetis apud deum, quia apud homines talis eleemosynæ præmium quæsiuistis, puta laudem propter ipsam. Ponit autẽ semper inter alia verba patrem qui in cœlis est: admonens ipsos, vt patrem in cœlis habentes, terrenum despiciant. Simul etiam incitans, vt huiusmodi patre digne conuersentur.

Quum ergo præstas eleemosynam, ne tuba canas ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in conuenticulis, & in uicis, ut glorificẽtur ab hominibus. Amen dico uobis receperunt mercedẽ suã. Auget dehortationem eleemosynæ ad ostentationem præstitæ. Ne tuba canas, id est, ne publices, vt ab hominib⁹ agnoscatur. Quidam enim tuba canunt, vt à multitudine audiãtur, buccinãt. Quidam autem dicunt, quod illo tempore hypocritæ tuba conuocabant indigentes. Est autem hypocrita qui alius est, & alius apparet propter humanam comitatem. Vultus siquidem, aut potius larua illorum, misericordiæ est, natura vero personæ, insanam gloriæ appetentiam indicat. Referunt autem, hoc est, auferunt, habent mercedem suam.

Te uero præstante eleemosynã, ne sciat sinistra tua, quod facit dextera tua, ut sit eleemosyna tua in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto reddet tibi in propatulo. Postquam dixit, quomodo oporteat non præbere, nunc dicit quomodo præstare oporteat.

Per sinistram autem manũ, eos qui in proximo sunt ac familiares intelligit: nihil enim manu tua vicinius ac familiarius est. Neque hi, inquit, dexteræ tuæ eleemosynam agnoscant. Aut per hyperbolen est sermo, quod & ipsam sinistram lateat dextera: per quod manifestatur plurimum oportere latere. Consequenter vero addidit, quod deum habeas conspectorem ac testem, qui more patris gaudet videns bona filiorũ opera: quodq; non perdes quę dederis, sed ab ipso recipies omnino eleemosynæ præmium. Non dixit autem vnde facere oporteat, puta quod è iustis sacculis hoc nempe omnibus notum erat. Præterea superius quoque beatos prædicauit

D esurientes & sitientes iustitiam.

Et quum oraueris, nõ eris quemadmodũ hypocritæ, nam illi solẽt in cõuenticulis & in angulis platearũ stantes orare, quo uideãtur ab hominibus. Amen dico uobis, referũt mercedẽ suã. Angiport⁹ quidem sunt vici angusti, per quos pauci possũt incedere. Plateæ vero viæ publicæ, per quas multi simul incedere possunt.

De occulte orãdo. *Tu autẽ quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrẽ tuum, qui est in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, persoluet tibi in propatulo.* Similiter & hic quum dixisset, quomodo oporteat nõ facere, dicit etiam quo pacto facere oporteat, & hoc docendi modo frequenter vsus est. Patri vero qui est in occulto, hoc est, in inuisibili loco. Rursum etiam dicit, quod qui videt in occulto, persoluet tibi in propatulo: manife
E stans, quod si spectatores quæris, habes pro omnibus deum ipsum. Si vero & homines habere cupis contemplatores, habebis etiam hos tempore præconij ac retributionis præmij: nec multos solum, sed omnes: nec homines tantum, sed etiam angelos & archangelos, omnesque cœlestes virtutes. Quod si nunc manifestas bona opera tua, & præmium quod expectabas à deo, perdis: & homines ipsi te condemnabunt, tanquam inanis gloriæ appetitorem. Quum ergo liceat & mercedem bonorum operum accipere, & publice corã tot tantisq; prædicari, si paululum sustineas, quomodo non omnino stultum ac irrationabile erit vtrisque his excidere, & præsenti theatro illud permutare? Hic autem sermo per anagogen accipiendus est. Cubiculum siquidem mens est, pulcherrimum co-
F gitationum domicilium. Ostium vero sedes sensuum, oculus, auris, & cætera, per quæ malæ ingrediuntur cogitationes, quę virtutum prædantur diuitias. Quid ergo, non oportet in ecclesia orare? Maxime quidem, sed non vt appareas hominibus: hoc enim, tanquam hypocritarum opus condemnauit, sed vt tibiipsi deum reddas propitiũ. Cõtingit enim aliquem inter plurimos orare, nec tamen peccare, quando non ad ostentationem orat. Et contingit in cubiculo clauso orantem peccare, quum ediuerso fecerit. Deus enim qui vbique est, facti discutit finem. Hypocritas autem & hos vocauit, formam quidem orantium habentes, mentem vero anhelantium ad inanem gloriam.

Orantes, autem ne fitis multiloqui sicut Ethnici. Multiloquij vitium

vitium βαττολογία dicitur: quum pluribus verbis petitio fit A
de his quæ non conueniunt: puta de diuitiis, gloria, potenta- De multi-
tu, aliisque similibus, quæ nec animæ prosunt nec ad corporis loquio
consistentiam sunt necessaria. Ethnicos vero dicit infide- in ora-
les. Quia autem hi non solum ea petunt quæ non conueniũt, tione.
sed & longas faciunt de huiusmodi rebus petitiones, putãtes verborum multitudine persuadere: hanc ipsorum opinionem hoc modo condemnat.

Putant enim quod in multiloquio suo exaudiendi sint. Putant quidem, at non recte.

Ne ergo assimilemini ipsis: nouit enim pater uester, quibus uobis opus sit, priusquam ab illo petatis. Nouit quæ vobis expediant, priusquam ab illo quicquã omnino petatis. Nõ oportet itaque petere, quæ nec vtilia sunt, nec necessaria, sicut diximus, B
quod est battologiæ vitium. Quia enim pater est, indignatur filiis petentibus quę non conueniunt. Verum si nouit quibus nobis opus sit, cur hæc omnino ab eo postulamus? Plane non vt ipsum doceamus, sed vt demonstremus, quod eum habemus educatorem ac dominum, vtq; ab ipso solo pendentes, facilius eum flectamus, qui spes est salutis ac prouidentiæ nostræ. Tanquam pater enim & nouit quibus nobis opus sit, & tribuere paratus est, quæ necessaria sunt aut vtilia: exigit tamen, vt ob dictas causas nos illa petamus. Hæc postquam docuit, præbet etiam modum orationis, non vt hac tantũ oratione precemur, sed vt habito hinc orationis fonte, ab ipso precationum intelligentiam hauriamus.

Sic ergo orate uos. Quo nam modo? C

PATER † NOSTER QVI ES IN COELIS. Singulæ dictiones ponderandæ sunt. Iubet enim vt De oratione Pater noster.
dicamus, Pater, vt cœlestem cognationem ad memoriam reuocemus, & quo munere affecti simus, puta diuina adoptione: & vt digne tali patre conuersemur: qui enim praue viuens deum vocat patrem suum, & in deum, & in seipsum mẽtitur. Nostrum autem dicimus patrem, vt agnoscamus quod fratres inter nos mutuo simus fideles omnes: communiter ab vno soloque deo adoptati, & vt de hoc continue colloquentes, ob humilia non extollamur: neque omnino aduersus fratres nostros vel cogitemus quippiam, vel loquamur, vel faciamus, sed pro nobis inuicem precemur. Additur autẽ, Qui

Des in cœlis: vt cœlum semper prospiciamus, audito quod ibi sit pater noster: magis autem vt idipsum dicamus nos, ac terrena despiciamus, & eo ascendere per virtutum scalas festinemus, vbi est pater noster. Dicentes autem deum esse in cœlo, nequaquam ipsum in cœlo conclusum circumscribimus: non enim loco capi aut circumscribi potest. Nam vbique esse dicitur deus, maxime tamen in locis dignioribus, quod ipsius magis susceptibilia videantur. Propter hoc igitur deus in cœlo esse dicitur, quia illud purissimum est, in quo sunt astra, virtutes ac turmæ sanctorum, quibus datur requies.

† *Chrysostomus sane totam hanc orationem traditam, ad filium refert. Siquidem & hic pater noster dicitur, tanquam creator ac procurator, prouisor & magister. Iuxta hunc autem sermonem dici quoque poterit & spiritus sanctus pater noster. Itaque & proprie ad singulas personas, & communiter ad trinam unamque deitatem referri hæc possunt.*

Sanctificetur nomen tuum. Sanctificetur, hoc est, glorificetur: si enim iuxta virtutis normam conuersamur, glorificatur deus ab his, qui nos conspiciunt. Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Quum igitur in se gloriosum sit nomen tuum, glorificetur etiam per nostram conuersationem.

Supra.5.

Adueniat regnum tuum. Regnum nunc vocat secundū aduentum ipsius, in quo cum multa gloria apparebit. Hoc autem petendum addidit, vt quod petimus agnoscentes, præparati ad eius occursum per omnia simus. Præparari enim est optare vt veniat iudex. Potest quoque & alio modo dici. Veniat ad nos regnum tuum, id est, impera tu nobis, & non diabolus: tu nobis suadeas, ac per tua mandata iubeas, & non ille.

Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra. Fiat voluntas tua in terra ab hominibus, quemadmodum in cœlo fit ab angelis: de quibus dixit Dauid, Ministri eius, qui faciunt voluntatem ipsius. Adueniat autem & Fiat, licet per verba dicantur imperatiua ἐλθέτω & γενηθήτω, sumūtur tamē pro optatiuis: optamus enim ac precamur hęc, eo quod etiā ad ea diuino nobis opus est auxilio. Sic & reliqua quę sequuntur verba, optatiua sunt, quanquam videantur imperatiua.

Psal.102.

Panem

Panem nostrum † supersubstantialem da nobis hodie. Sciens quidem naturam angelicam nequaquā cibo indigere, humanam vero huius esse indigentem, iussit quod naturæ necessarium est peti. Panem autem nostrū dixit, hoc est, propter nos formatum. Supersubstantialem vero appellauit, quia ad cōporis substantiam, vitam, ac constitutionē cōueniens est. Vel iuxta Chrysostomū, ἐπιούσιον dixit, id est, quotidianum. Addit etiam, Hodie: à cura nos abducens insequētis temporis. Vult enim fideles panem tantum petere, & hunc tantum hodiernum: nec angi de insequenti die: quum neque sciamus, an etiam in ipso viuemus. Superfluum est itaque solicitum esse de die: ad cuius spatium vtrum pertingemus ignoramus. Hoc quoque in sequentibus iubet pluribus verbis, dicens inter cætera: Ne soliciti sitis in crastinum. Ita nempe expediti erimus, pauca naturæ necessitati concedendo: reliqua vero ad operationem spiritualem tribuendo. Aequum etiam est, animæ quoque panem petere. Indiget enim & ipsa supersubstantiali cibo: dico sane illuminatione cœlesti: vtq; diuina ei cognitio præbeatur.

A

Infrà eod. B

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Sciens quàm lubrica esset natura nostra ad peccatum: agnoscens quoque & post regenerationis lauacrum, rursum nos esse offensuros, iubet pro peccatis deprecari: quę etiam debita nominauit: debitum enim & peccatum quasi eadem res, obnoxium reddunt hominem: sicut & æs alienum. Deprecantes autem pro ipsorum remissione, reminiscimur eorum, & humiliati conterimur. Docet quoque & modum, quo deum flectere possimus: dico sane vt & nos illis ignoscamus, qui in nos peccauerunt: nam hos dixit debitores. Et hoc iubet pro omni forma supplicandi proferri: tanquam id solum potens sit nos liberare. Ideoque completa de oratione doctrina, iterato repetit de hac re sermonem. Nunc autem addidit orationi: vt nobis hoc quotidie deo dicentibꝰ, necesse sit illis qui in nos deliquerunt, ignoscere.

B C

Et ne nos inducas in tentationem. Tentatio est omne certamen, quod dæmonis fraude quomodocunque nobis inductum est, quo animæ nostræ fortitudo comprobatur. Hoc itaque sermone nos instruit, ne de nobisipsis confidamus, neque temerarie tentationibus nos ingeramus, sed precemur,

Dne in tentationem inducamur. Hæc autem docens, nos quoque inducit ad imbecillitatis noſtræ agnitionem, & modeſtiam apponit. Atqui deus neminem tentat, ſicut inquit Iacobus Apoſtolus: quomodo ergo dicit, Ne nos inducas in tentationem? Illud ſane, Ne inducas nos, tantundem valet, ac ſi diceret, Ne permittas nos induci. Hoc autem ſcripturæ idioma eſt: In eo enim quod permittit, ipſe inducere videtur. Omnis ſiquidem tentatio à diabolo producitur. Verum nullum attingit hominem, niſi deus permiſerit: quum neque porcis nocere potuerit, niſi ipſo permittente, veluti manifeſtius in progreſſu inueniemus. Sæpius autem permittit tentationes in nos induci, aut propter peccata noſtra, aut vt manifeſta fiat animæ noſtræ fortitudo, quemadmodum docuit ipſius Iob hiſtoria. Iubet ergo nos quidem precari, ne in tentationem inducamur: ipſe vero quum ſit animarum noſtrarum moderator, interdum quidem permittit, quandoque vero prohibet, iuxta quod vtrunque expediens eſt. Quare non inductis quidem tentationibus, ab iis cauere debemus: vbi autem inductæ ſunt, viriliter contraſtādum eſt, vt & modeſtię, & fortitudinis ſpecimen præbeamus.

Iacobi.1

Mat.8

Iob.1,&2

Sed libera nos à malo. Malum quidem hoc in loco diabolum nominauit: non quod natura malus ſit, ſed voluntate. Per antonomaſiam autem malum eum appellauit, tanquam in extremo poſitum malitiæ. In eo vero quod nos precari iubet vt ab eo liberemur, oſtendit quod atrociſſimum ac irreconciliabile contra nos gerat bellum: nobisque diuino ſit opus auxilio. Solum autem explicauit, vt ab eo liberari precemur: docens omnis mali hunc eſſe cauſam: & ita ſolum contra eum inimicitias conuenit exercere, & non contra eos, qui ex inconſiderantia ab eo inducti ſunt, nobisque nocuerunt: quorum miſereri potius oportet, vtpote ab eo ſuperatorum.

Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen. Extrema orationis pars eſt, eorum qui orāt animi gratitudo, vtque deum benedicant. Sic ergo intelligitur. Compleantur hæc quæ poſtulamus: tu enim rex noſter es, potens ad ea cōferēda, ſemperque glorioſus. Et hoc indicat quod additur, In ſecula. De dictione Amen, ſuperius dictum eſt. Alio quoque modo poſſumus anagogice interpretari quædam in dominica

dominica oratione, vt nomen patris ſit filius. Nomen enim, eius cuius eſt nomen declaratiuum eſt: & ita filius patrē manifeſtat. Regnum autem ſpiritus ſanctus dicatur, ob diuinorum donorum diuitias. Quia igitur Chriſtus eſt caput noſtrum, nobis qui membra eius ſumus, per vitæ puritatem ſanctificatis, etiam ipſe ſanctificatur: vbi vero ſanctificati ſumus, accedit ad nos ſpiritus ſanctus. Voluntas autem patris quæ fit in cœlis, eſt rationalis cœleſtium virtutum cultus. Dixit enim & ad Dauid: Quid mihi eſt in cœlo, ab angelis videlicet? neque enim aliud præter rationalem cultum: & à te homine quid volui ſuper terram? nihil aliud præter eundem cultum, qui eſt id quod neceſſarium eſt, cęteris præeminens. Rationalis autem cultus eſt, mentem ad deum tendere intenſam, ac ſupernorum deſiderio ſuccenſam, cum animi impetu aduerſus mētis perturbationes ac dæmones. Panis vero noſter duplex eſt: vnus quidem cōgruus ſubſtantię animę, puta ſcientia, & hic præbetur iuxta recipientium virtutem. Alius vero naturæ corporis, ſenſibilis videlicet. Et ille quidē ſuperne miniſtratur, hic autem inferne. Tentatio quoque duplex eſt, voluptatis videlicet ac doloris, & illa quidem naturalis eſt, ac perturbationum innatarū, hæc vero inuoluntaria eſt, & perturbationum naturæ aduerſantium. Voluntariam igitur fugere oportet: inuoluntariam vero deuitare quidem propter noſtram imbecillitatem: at vbi venerit, tanquam purgatiuam viriliter ſuſtinere. Eſt quoque & aliud tentationum genus, ſumendæ videlicet experientiæ. A malo autem, dæmone ſcilicet, vel opere.

Psal.72

Si enim remiſeritis hominibus errata eorum, remittet & uobis pater ueſter cœleſtis: quod ſi non remiſeritis hominibus errata eorum, nec pater ueſter cœleſtis remittet uobis errata ueſtra. Iterauit vt diximus de hac re ſermonem, ipſumque dilatat, oſtendens huiuſmodi opus eſſe deo maxime acceptabile. Conſidera etiam mihi obſecro humanitatis magnitudinem. In noſtra conſtituit poteſtate peccatorum noſtrorum remiſſionem. At dices fortaſſis, quod in multis delinquens, iniuria te affecerit. Verum tu in pluribus & maioribus: & ille quidem in conſeruum, tu vero in dominum: tu indigens remiſſione remittes, deus vero nullius indigens eſt. Si itaque remiſeris, teipſum liberaſti: iram ſiquidem extinxiſti, malorū memoriam

De remittendis erratis.

moriam expulisti,benignitatem induisti, deum tibi propitiũ reddidisti,propriamq; remissionem procurasti.

De ieiunio.

Quum autem ieiunaueritis,ne fitis uelut hypocritæ tristes: obscurant enim facies suas,ut uideãtur hominibus ieiunare. Ne tetricam tristitiam affectetis, velut hi qui ob laudem humanam, pallorem procurant: occultant enim naturalem formam fictitio pallore.

Amen dico uobis referunt mercedem suam. Superius de hoc nobis dictum est.

Tu autem cum ieiunas,unge caput tuum, & faciem tuam laua. Quemadmodum quando dixit,Si autem oculus tuus dexter tibi fuerit offendiculo,erue eum: & si dextera manus tua tibi fuerit offendiculo,amputa eam: non de corporis mutilatione loquutus est, veluti eo in loco declarauimus: Ita neque nunc E simpliciter vngi ac lauari iubet. Neque enim ipse hoc fecit, quum quadraginta diebus ieiunaret: sed per hæc aliud quippiam admonet: occultare videlicet eam quæ ieiunium consequitur tristitiam, quum alacer ac festiuus appareas. Nam quia apud veteres signum erat lætitiæ, caput vnctum esse oleo,faciem vero aqua lotam: ad hoc gaudij signum adhortatur,quo & homines lateat quod ieiunes, & ieiunij laborem, auferẽte dolorem lætitia alleues. Alio quoque modo. Impingua capitis tui mentẽ eleemosynæ oleo: faciem vero tuã, lachrymarũ aqua abluito. Vnde & alibi sæpius per ea quæ ponit,adhortatur ad alia: instruens nos, ne semper in præceptis id tantum attendamus, quod prima facie apparet, sed & sensus quoque ipsorum perscrutemur.

Ne uidearis hominibus ieiunare, sed patri tuo qui est in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito,reddet tibi. Ad spectaculum hominibus exponere eam, quæ ex ieiunio prouenit molestiam,cupiditatis gloriæ opus est. De his autem quæ sequuntur,iam dictum est.

De thesauro.

Ne recondatis uobis thesauros in terra,ubi tinea & corruptio perdit, & ubi fures perfodiunt ac furantur. Sed recondite uobis thesauros in cœlo,ubi neque tinea, neque corruptio perdit, & ubi fures non perfodiunt nec furantur. Eiecta iam inanis gloriæ ægritudine,opportune deinceps legem de inopia statuit. Nihil enim adeo diuitiarum inducit amorem, quemadmodum vana gloria. Ob hanc siquidem & mancipiorum greges,& eunuchorum

tum examina,& equos auro adornatos, ac mensas argenteas, A omnemque fastum alium excogitant homines: non ad necessitatem,sed ad ostentationem. Quia vero non facile reciperetur, si iunctim de despiciẽdis facultatibus admoneret: ideo hunc in partes secuit sermonem. Et primum quidem dixit, Beati misericordes. Deinde: Esto,inquit,beneuolus aduersario tuo. Postmodum ait: Si quis tecum iudicio voluerit contendere,& auferre tunicam tuam,dato ipsi & pallium. Tandem vero quod his omnibus maius est,intulit.In illis etenim & misericordiæ pauperũ,& aduersarij,& litis in iudicio imminentis fecit mentionẽ:hic autem nullo simili posito, ipsum per se stabiliunt facultatum contemptum: ostendens, quod neq; illa propter se tantum iusserat, imò quanquã nullus illorum tibi molestus sit,tu tamen ea quæ mundi sunt de- B spicies: ipsaq; pauperib⁹ distribues. Quod vt facilius persuadeat,damnũ ostendit,quod à thesaurorum reconditione prouenit,& commoda quæ ex eorum in cœlis coaceruatione sequuntur. σὴς autem (quod nos tineam vertimus) vermem significat,qui pleriſq; possessionibus innascitur. βρῶσις vero, (quod nos corruptionem diximus) significat putrefactionẽ, ad rubiginem mutationem, omnemque huiusmodi à seipso corruptionem indicat. Quid ergo, etiam aurum perdunt vermes? Etsi non vermes,attamen fures. Omnes igitur spoliantur? Plurimi sane. Incertum est autem,qui à violentia tuti permaneant. Quæ vero pauperibus distribuuntur,quo nam pacto in cœlo reconduntur? Quo pacto? In eo quod horum retributiones ac remunerationes ibi reponuntur: quæ autem C ibi reposita sunt & collecta, secura permanent. Allegorice autem tinea & corruptio significat inductam in animo opinionem,quæ latenter corrodit bona,circa quæ ipsa versatur: fures autẽ perfodientes,laudes sunt, quæ extrinsecus subingrediũtur, perfodientes leuia proposita,& compilantes reconditas virtutum diuitias. Deinde & aliam inducit cõsiderationem,quæ ab hoc maxime abstrahat,dicens.

Vbi enim est thesaurus uester,ibi erit & cor uestrum. Cor in hoc loco mentem appellat. Dicit autem,quod & si nihil horum fuerit, omnino tamen vbi est thesaurus vester, ibi erit & mens vestra. Neque paruum id animæ nocumentum est, mentem videlicet suam ibi captam esse, & circa thesauri

D sauri custodiam multimoda cura distringi, talique subiectam esse tyrannidi: neq; audere ad aliam transire cogitationem.

De lucerna. *Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuũ tenebrosum erit.* Lucerna est luminare. Postquam ergo dixit de indigna seruitute mentis, quæ oculus est animæ: vult demonstrare manifestius, quod huiusmodi mentis seruitus, pestis sit animæ. Sumit autem exemplum ab oculo corporeo, à quo, & quæ illius sunt, nobis dat intelligere. Obseruandum antem hic, quod simplex appellat id quod sanum est: Malum vero quod ægrotum. Dicit ergo. Si oculus tuus sanus fuerit, totum corpus tuum illuminatum erit, à proprio videlicet luminari lucem habens: si autem oculus tuus
E ægrotus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, non habens ab ipso lucem. Ita igitur & mens, quæ oculus est animæ, defossi thesauri solicitudini seruiés, ægrota est: ipsa enim solicitudo infirmitas est, & ideo obscurata est & anima.

Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Si ergo lumen quod in te est, hoc est, mens, quæ ad hoc data est, vt animam illuminaret ac regeret, tenebræ sunt, hoc est, obtenebrata est: tenebræ quę ab affectionib⁹ procedunt quantæ sunt ad animam obscurandam, ipso lumine quod illi oriebatur obtenebrato?

Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Aliam præterea considerationem adducit formidabiliorem,
F vt fortius ab amore temporalium rerum auertamur: ostendés hunc dei expellere seruitutem, & in diuitiarum reducere seruitutem. Simpliciter autem, & absque nomine primum duos dicit dominos, vt auditores dicti veritatem cogat confiteri. Deinde nominatim illos ponit, de quibus erat sermo. Duos vero dominos, dicit contraria iubentes. Adhærebit autem, hoc est, parebit.

† *Non potestis deo seruire & † mammonæ.* Ecce nominatim
De mammona. quoque duos prædictos dominos manifestat. Mammona autem ab Hebræis diuitiæ dicuntur, quas etiam dominum appellauit, propter imbecillitatem illorum, qui earum sustinent dominium. Quid igitur, nonne Abraham diues erat? nonne Iob, aliique similes? Vtique diuites quidem erant: at non seruiebant,

uiebant, sed dominabantur diuitiis: & ipsas in egenos insu- A
mebant. Non potestis deo seruire & Mammonæ: quia deus non modo iubet ab alienis abstinere, sed & propria elargiri: Mammona vero contrarium, non modo videlicet propria non elargiri, sed nec ab alienis abstinere: & ille dominus ventrem iubet astringere, iste vero ventri indulgere: ille continentem esse, hic autem scortari, aliaq; similia.

† ממונא *Mammona Chaldaicum potius est, & diuitias significat.* †

Propterea dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ, quid edatis, aut quid bibatis, neq; corpori uestro quid induamini. Postquam Iesus absoluit de non recondendo super terram thesauro, & ea quæ contigerunt, pauperibus distribuere suasit: docet deinceps de necessario vsu non esse solicitum. Ait enim, Ne sitis B
soliciti animæ vestræ, id est, propter animam vestram, quid edatis, aut quid bibatis. Quanquam enim anima neq; edat, neque bibat, propter animam tamen edunt ac bibunt homines, quæ corpus inhabitare non potest, quod non comedit & bibit, donec ipsum quoque corpus incorruptibile reddatur. Alio quoque modo id aptari potest: quod quum homines interdum in anima anxij sint, quandoque autem sola mente soliciti: quandoque vero in corpore: aliquando & ad possessiones, quas in animo habent, hoc extendunt: & ab hac, & ab illa cura, dominus illos abstrahens, dixit, Ne anxij sitis, neque in anima vestra, neque in corpore, de cibo & potu, ac vestimento.

Nonne anima plus est quàm alimentum, & corpus plusquam uestimentum? Hoc dixit manifestans, quod is qui quod amplius C
est præstat nobis, vtique & quod minus est, præstabit. Plus, autem dixit, hoc est, pretiosius.

Aspicite uolatilia cœli, quod non seminent, neque metant, neque congregent in horrea: & pater uester cœlestis pascit illa. Ne quis dicat: Quomodo autem viuemus, de rebus necessaris non curantes? Soluit huiusmodi obiectionem ab exemplo auium: quas, quum nihil solicitæ sint, pascit deus. Posset autem & ab hominibus exemplum sumere, & dicere, quod Elias & Iohannes, aliiq; similes, nihil tale curabant. Verum id non fecit, sed ab auibus potius dictam repressit obiectionem, omnem prætextum maiori confusione arguens ac tollens, Nam & ve-

Devolucribus. 4. Re. 17. Supra. 3. Eccles. 11.

tus

Dtus scriptura, volens homines amplius sese deiicere, ad apem
Prouer. 6. ac formicam, cæteraque animantia mittit. Aues ergo eodem statu, quo à principo fuerunt, permanentes, cibo qui eis iuxta naturam conuenit, etiam abundant: homo vero à deo auersus, eo priuatur. Veruntamen quæ abstulit alienatio à deo, hæc rursum reddit reuersio. Iubet itaque ne horum curam habeamus, sed ad deum peculiari modo reuertamur.

Nonne uos longe præcellitis illa? Nonne vos longe meliores estis auibus? Quod si viliora alit deus, multo magis eos qui meliores sunt. Qui enim corpus cibo indigens vobis aptauit, ipsius quoque alimentum omnino præbebit.
Ioan. 6. Quid ergo, neque seminare licitum erit? Non dixit, Ne
E seminetis: sed, Ne soliciti sitis. Perfectorum siquidem est non seminare, sed operari cibum qui non perit: dico sane virtutes, sicut Apostoli, horumque vitam imitantes, ac petere à deo alimentum. Panem, inquit, nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Mediocrium vero est seminare
Sup. eodē. quidem, at non anxios esse, & seipsos totos in huiusmodi curas deiicere, vt ob has animæ curam negligant. Ideoque seminare neque prohibuit, neque concessit, sed in vniuscuiusque voluntate illud reliquit. Neque enim id de auibus dixit, vt seminare prohiberet, sed id tantum demonstrare voluit, quod illas deus alat. Nam quid tibi proderit, si te ita curis conficias? quanquam enim tu millies studium adhibeas, non dabis tamen pluuiam aut solem, flatusque ven-
F torum, quibus semen fructum proferat. Nam hæc solus deus tribuit. Ita ergo & de potu, & de indumento, aliisque similibus. Quomodo autem potest quispiam viuere, qui talia non curat? Quomodo? Sicut prædicti viuebant sancti. Neque enim propriam imbecillitatem faciamus præcepti impossibilitatem. Nihil siquidem impossibile præcepit deus: nouit enim possibilitatis humanæ mensuram: non solum vt creator ipsius, sed tanquam is quoque, qui eam in se suscepit. Verum illis quidem facile erat præceptum, quasi separatis à mundo, omnique habitu corporeo: nobis autem impossibile videtur, eo quod ab ipso non sumus anulsi. Aues vero nutrit deus, immittens illis naturalem instinctum vnde cibum colligant.

Quis

Quis autem uestrum solicite cogitando, potest addere ad staturam suam cubitum unum? Nullus. Sicut ergo hoc, studio ve- A
stro assequi non potestis: ita nec cibum congregare, nisi deo annuente. Quanquam enim millies studium adhibeamus, nihil tamen absque eius prouidentia proficiemus. Et certe neque palmum, neque digitum addere potest. Dixit tamen cubitum, quia propriæ mensura staturæ est cubitus.

Et de uestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quo- De vestimento.
modo crescant. Non laborant, neque nent. Lilia hoc loco flores omnes nominauit, quod ex eo manifestum est, quia dixit, Sicut vnum horum. Quum autem esset sermo de indumento, quo modo facit mentionem de crementō? Quia di- B
ctionem illam, Crescant, propter folia dixit eorum, quæ horum vnicuique sunt indumentum. Considerate, inquit, lilia agri quomodo crescant in foliis, quæ quantum crescunt, tantum decorem ostendunt.

Dico tamen uobis, quod neque Solomon in omni gloria sua amictus est, sicut unum horum. Quod si herbā agri, quæ hodie est, & cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos? Quare non rursum à volucribus duxit exemplum, aut ab aliis animalibus? Poterat enim multa ponere adornata ac pulcherrima? Quia vult hic & vilitatem herbæ ostendere, quæ sic à deo adornatur, & decorem pulchritudinis adeò vili herbæ datæ. Et nota quod liliorum adaugens vilitatem, herbam in progressu ea vocauit: magisque quum addit, Quæ hodie est, & cras in clibanum mittitur: quæ ambo C
ad augendam vilitatem dicta sunt. Decorem quoque pulchritudinis ipsorum similiter amplificans, non dixit simpliciter, quod ea deus vestiat, sed quod sic vestiat. Nam dictio, Sic, hoc loco crementum denotat pulchritudinis. Solomonem autem posuit, tanquam pulchritudinis amatorem, & ad illam cognoscendam sapientem. Clibanus vero locus est ad coquendum panem. Pronomen, Vos, vt honoris demonstratiuum sit, accipito. Nam amantis amore loquitur, ac si dicat: Nonne longe magis vos, qui estis pretiosa eius possessio, quibus corpus, animam, ac mentem gratis contulit, propter quos mundum formauit, propter quos prophetas misit, propter quos vnigenitum quoque filium

suum

D suum tradidit.

O homines modicæ fidei. Increpatiuum est hoc. Postquã enim ostendit, quod volebat, deinceps ipsos obiurgat, Parum fidentes appellans: vtpote qui non absque ambiguitate crederent, quod deus ipsorum curam haberet, & idcirco soliciti essent. Ita obiurgans, eos confundit, ac fidentiores reddit. Docuit quoque dicto exemplo non insolescere de preciosis vestibus, quibus longe preciosiores sunt, magisque decori herbarum flores. Quemadmodum autem quum superius de auibus diceret, quod non seminent, non prohibuit seminare, sicut ibidem diximus: ita neque hic laborare, aut nere: sed ita loquutus est, volens tantum ostendere, quod deus illa vestiat. Quare autem tanto decore flores amiciuit? Quia vult,
E vt ex hoc discas sapientiæ ac potentiæ suæ magnitudinem. Si ergo lilia, quæ propter te facta sunt, precioſe induit: quo modo non multo magis te vestiet: propter quem illa formauit? Et licet filius ipse omnium sit creator ac prouisor: ad patrem tamen, creationem ac prouidentiam refert: ostendens hinc eandem cum illo sibi esse scientiam ac prouidentiam. Nondum enim tempus erat suam manifeste detegere diuinitatem, quemadmodum declarauimus, exponentes partem illam: Audistis quod dictum sit antiquis. Non occides.

De solicitudine quidmãducemus

Ne sitis igitur soliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus,
F *aut quo operiemur?* Rursum iterauit de solicitudine sermonem, propter curæ violentiam, quæ vix abiici potest. Tu vero considera, quod si nobis iussum est, ne de rebus etiam necessariis simus soliciti: quam sperabimus veniam, quum de his etiam quæ necessaria non sunt anxij simus?

Omnia enim hæc Gentes inquirunt. Inquirunt, hoc est, soliciti sunt de his. Considera: Gentes irrationalium more, solo mouentur voluptatum amore. Quando ergo neque gentibus præstantiores sumus, quibus iussum est, vt & scribis & Pharisæis virtute simus eminentiores, quo supplicio digni non erimus.

Scit enim pater uester cœlestis, quod his omnibus indigeatis. Postquam satis ipsos corripuit, rursus aliunde eos adhortatur. Est enim præceptoris officium, & obiurgare dum expedit, & consolari, ac vtrinque excitare. Non dixit autem, Scit deus: sed, Scit pater vester: quo maximam habeant fiduciam.

eiam. Ex quo enim pater est, & talis pater, filios despicere non poterit, & pati vt rerum necessariarum indigentia deficiant, quum neque terreni patres id sustineant. Et quia omnibus his scit vos indigere, dabit vtique. Non sunt enim superflua edere, bibere, aut vestiri, vt posset negligere, sed corpori vtilia, atque naturæ ipsius necessaria. Itaque quam tibi existimas esse causam solicitudinis, magis causa est securitatis. Quia enim hæc necessaria sunt, ideò magis confidere oportet. Quis enim pater, etiam necessaria filiis denegabit? A

Quærite autem primum regnum dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur uobis. Primum, hoc est, ante ea quæ corpori sunt necessaria: vel Præcipue, siue maxime. Regnum vero dei vocat hic bonorum æternorum fruitionem. Iustitiam autem eius, hoc est, iustificationem quæ à deo est, vt vos ipse iustificet. † Si enim hæc petieritis, quæ sunt animæ necessaria, etiam ea dabit & adiiciet, quæ corpori necessaria sunt. Nam superius quoque, vbi docuit quomodo orare oporteat: primum quidem dicere præcepit: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo, sic & in terra. Deinde vero: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Neque enim ad hoc facti sumus, vt edamus & bibamus ac vestiamur: sed vt illi complacentes, æternis fruamur bonis: & ad hoc maxime conuenit viuere, idque magis postulare. Nisi enim hoc petierimus, nequaquam dabit: ea vero quæ corpori necessaria sunt, & petentes, & non petentes accipiemus, propter corporis sustentationem, quemadmodum & gentes incredulæ. Nam idcirco dixit, Adiicientur. Non ergo de hoc solicitum esse oportet, quod etiam absque solicitudine sumus accepturi, sed de altero priori ac potiori. Verum si ea quæ corpori sunt necessaria, nobis etiam non petentibus præbet, quare ergo iussit, vt panem petamus supersubstantialem? Non aliam ob causam, quàm vt tali petitione fateamur ipsum esse qui nos alat: vtque hoc confitentes, tali animi gratitudine familiares efficiamur. De quærendo regno dei. B † C

† *Vel operationem iustitiæ, suæ uirtutis uniuersalis, per quam iustificamur.* †

D De nō curando de crastino.

Ne sitis ergo solliciti in crastinum. Crastinus enim dies curam habebit suiipsius. Quum superius simpliciter dixisset, Ne soliciti sitis, videbatur vniuersaliter omnem eorum, quæ corpori necessaria sunt, amputasse curam. Itaque manifestius hic docet, quod eam sane, quæ de hodierno die est, curam permittat, tanquam propter corporis imbecillitatem necessariam: eam vero quæ de crastino est, tanquam superfluam denegat. Crastinus enim dies, & ipse rursus suiipsius curam habebit, siue eorum, quibus in ipso opus erit homini. Quidam autem dicunt, superius quidem omnē vniuersaliter amputasse curam, idq; ad perfectiores dirigi: hic autem eam concedere, quæ præsentis est dici, propter imbecilles.

E

Sufficit diei malum suum. Malum hic vocat curam, miseriam & calamitates, quæ vndiq; proueniunt, ipsiq; sufficiunt nec oportet diei crastino etiam addere solicitudinem, ipsumque aggrauare, quum id nobis vtile esse non possit ad operam spiritualem. Dicitur enim malum & quod hic κακία dicitur, non solum vitium, sed & ea, quæ modo dicta sunt. Siquidem in aliis quoque locis dicitur & κακία, ira, siue flagellum à deo incitatum. Non est, inquit, malum quod dominus non fecerit. Et rursus: Ego ait faciens pacem & creans malū, hoc est, fames, pestes, ac similia. Tristia enim & afflictionem adferentia, consueuimus dicere mala.

Amos. 3.
Iesa. 45.

Cap. 7 † De eo qđ dicit: Ne iudice F tis, vt nō iudicemini.

Luc. 6.
Infra. 18.
Eodem.

Nolite iudicare, † ne iudicemini. Iudicium hoc loco pro condemnatione accipito. Sic enim interpretatur Lucas, dicens: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Verum nisi condemnet quis eum qui peccauit: veluti is qui præest subditum, pater filium, aut dominus seruum: augebuntur omnino vitia, eritq; rerum confusio. Sed hic non loquitur de huiusmodi condemnatione, quæ bonum amat, & quod prauum est corrigit. In sequentibus enim iubet etiam arguere hoc modo ac ligare. Abi, inquit, & argue eum. Et rursum. Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Hic autem sermo non ad eos qui præsunt dirigitur, sed ad subditos: monens ne qui propria debent inspicere, ac seipsos diiudicare, inspiciant aliena, ac diiudicent alios. Nam & Paulus Apostolus dicit, Si nosipsos diiudicaremus, nequaq̄ diiudicaremur. Dirigitur quoq; sermo & ad eos, qui quum in maioribus offendant, condemnant eos qui in paruis labuntur. Dicit enim

1. Cor. 11.

statim in sequentibus. Quid inspicis festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? κάρφος autē (quod vertit interpres festucā aut stipulam) proprie ligni particula breuissima est, & pulchre trabi opponitur.

A

† *Dicit Chrysostomus in expositione epistolæ ad Hebræos illud, Nolite iudicare ne iudicemini, de uita dici, non de fide. Similiter & illud, Quæcunq; dixerint uobis ut seruetis, seruate & facite: uerbum, Vt seruetis, de operibus esse, non de fide.* †

Quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini. Eadem condemnatione, qua condemnabis fratrem, condemnaberis & tu: hoc est, si leuem eius lapsum curiose inquisieris, etiam & tu condemnaberis, & leuia errata tua anxie disquirentur, ac tempore tremendi iudicij condemnabuntur.

Et qua mensura metimini, remetientur alii uobis. Et mensura qua curiosa exactione metiris, puta quod tuæ vtilitatis debuisset habere respectum, aut cauere ne te offenderet: eadem mensura remetientur & tibi tuam conuersationem. Vult autem sermo, quod quantam expetis ab eo exactionem, tantam & deus expetet à te. Aduertere autem oportet, quod quemadmodum si remiserimus debitoribus nostris, remittet nobis & deus: Ita si fratrem non condemnauerimus, neque deus nos condemnabit. O admiranda præceptorum virtus, quæ facilia quidem sunt ad exequendum, magnam tamen nobis conciliant salutem. Quid igitur, si frater fornicatus fuerit, aut aliud tale quippiam deliquerit, an hunc non corrigam, sed tacebo? Corrige sane salubriter, & quasi medicus. Neque enim dixit, Ne cohibeas delinquentem: sed, Ne iudices. Dixit autem & Paulus, Tu cur iudicas fratrem tuum, aut tu cur spernis fratrem tuum? Et certè nō subditum condemnare, animæ est pharisaicæ, & seipsum iustificantis.

B

C

Roma. 14

Quid autem inspicis festucam in oculo fratris tui, trabē autem quæ in oculo tuo est non consideras. Per festucam peccatum minimum indicauit: per trabem vero maximum. Est enim trabs lignum oblongum. Vult autem dicere: Quomodo lapsum minimum in anima fratris tui acute conspicis, grauissimum vero in tua non intueris? quisque enim quæ sua sunt magis nouit, quàm ea quę alterius: & maiora magis videt, quàm ea quę minora sunt.

De festuca fratris

Aut quomodo dices fratri tuo: Sine eiiciam festucam ex oculo tuo,

D *& ecce trabs est in oculo tuo?* Siue, Quomodo tentabis eum curare, quum ipse maxime indigeas salute? ecce enim trabs in oculo tuo est.

Hypocrita eiice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam ex oculo fratris tui. Hypocritam nominauit talem, vtpote medici munus vindicantem, ægroti vero locum retinentem. Vel, tanquam prætextu correctionis alienum lapsum curiose indagantem, sed id proposito condemnandi agentem. Si enim curandi fratris desiderio hoc agis, cura prius teipsum, qui plus illo deliquisti: quod si temetipsum despicis, manifestum est, quod neq; illum amas: Magis enim seipsum
E quisque amat, quàm fratrem. Itaque non ad emendandũ, sed ad condemnandum conuiciaris. Vides ergo quod alios curare non prohibuit, si id omnino tibi cordi est: sed admonuit, vt te prius cures, deinde illos: Medicum namque sanum esse oportet. Hæc atq; similia statuit: non auertens, vt dictũ est, à mutua correctione, sed propriorum delictorum negligentiam reprimens. Duplex enim condemnatio illum expectat, qui quum magnis reus teneatur malis, leuia aliorum errata curiose scrutatur.

Ne detis sanctum canibus, neque proiiciatis margaritas uestras ante porcos. Sanctum & margaritas vocauit fidei nostræ mysterium. Sanctum quidem, vtpote diuinum: Margaritas vero, propter preciosa quæ in eo recondita sunt dogmata. Et rursum, Canes & Porcos nominauit eos, qui immedicabili tenen
F tur impietate. Canes quidem tanquam Christo oblatrantes: Porcos vero, quasi perturbationum luto obuolutos. Iubet igitur ne talibus tradamus dogmatum fidei mysteria. Ne proiiciatis autem, hoc est, ne apponatis. Indigni sunt enim qui talia audiant. Deinde addit & causam.

Ne quando hi conculcent eas pedibus suis, & illi conuersi lacerẽt uos. Melius enim est eos hęc ignorare, quàm cognoscere, ne quando postquam simulata probitate à vobis ea didicerint, ludibrio habeant ac detrahãt ipsis. Id enim indicat quod additur, Conculcent. Pedes vero ipsorum dicit infidelitatem eorum, qua ad perditionem gradiuntur. Deinde conuersi à ficta probitate ad manifestam repugnantiam, lacerent vos, hoc est, impetum faciant ac resistant vobis. Non potentes nanq; diuina dogmara, sacra quadã, vt decet, maiestate intelligere,

affectus

affectus humanos illis attribuunt, & inde armati, illa quidem A
suggillant, vos autem affligunt.

Petite, & dabitur uobis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur uobis. Postquam magna quædam & admiranda iusserat, puta vt discipuli cunctis animi affectibus superiores effecti, deo in diiudicandis dignis assimilentur, ne grauia videantur mandata, aptas addidit considerationes, quæ hæc esse facilia persuadeant. Maxime autem facilitatis adposuit coronidem siue apicem: dico sane, quod ab orationibus est auxilium. Certantes enim non tantum satagere oportet, verum etiam superne auxilium poscere: quod omnino veniet, & aderit, ac adiuuabit, omniaque reddet facilia: ideoque etiam petere iussit, & quod dabitur promisit: Non tamen vtcunque petere, sed cum perseuerantia, & assiduitate. Nam hoc manife- B
stat quod additur, Quærite. Nec solum cum perseuerantia, & assiduitate, sed etiam cum feruore ac vehementia. Id enim indicat quod subiungit, dicens, Pulsate.

Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. † Hæc in confirmationem promissionis addidit: vt si non statim acceperis, ne desistas, sed perseueres ac incalescas. Ideo enim non statim dat quod petis, vt quæras: & idcircò non statim aperit ianuam, vt pulses. Apud homines enim, si vrgens petitionibus insistas, eos ad iram prouocas: apud deum vero, potius eum iritas, nisi hoc facias. Nam exquirit à te assiduitatem & vehementiam: teque vult perseuerante simul ac feruenter petere, Qui enim petit, nec accipit: aut indigne petit, aut non perseuerat, aut tepide petit. Nam tria hęc C
oportet concurrere.

† *Qui absque animi ægritudine quippiam ad bene operandum petit, gratiam accipit uirtutis ad operationem præceptorum. Et qui absq; animi perturbatione, quærit aliquid in naturæ speculatione, inuenit rerum ueritatem. Præterea qui animo non commoto, scientiæ ianuam pulsat in theologica disciplina, aperietur ei cognitio reconditorum mysteriorũ. Qui uero animo, aliqua affectione perturbato petit, quærit aut pulsat, non consequetur. Petitis enim, inquit, & non accipitis, eo quod male petatis.* †

Iaco. 4.

An quisquam est ex uobis homo: qui, si filius eius petierit panem, lapidem dabit illi? aut si petierit piscem, num serpentem porriget illi? Ponit rursum considerationem facti humani: & ab ex-

De eo q † oĩs q petit acc pit.

De peten te filio à patre.

D emplo auditorem inducit, vt his quæ dicta sunt assentiat. Oportet autem & petentem filium esse, & petere quæ patrem quidem dare, filium autem accipere deceat.

Si ergo uos quum sitis mali, nostis bona dona dare filiis uestris: quanto magis pater uester cœlestis dabit bona, si ab eo petieritis? Malos ipsos dixit, non humanam calumniando naturam, sed ad differentiam bonitatis diuinę: humana namque bonitas ad diuinam, malitia esse videtur: tantaque est harum distinctio, quantum homo differt à deo. Considera vero, quomodo nunc quidem exhortatur ad studiose operandum, nunc autem orare admonet: rursum nunc ab hoc ad illud transire, nũc vero ab illo ad istud. Hoc autem facit docens, quod neque de solo bono opere securos esse oportet, neque rursum de sola
E oratione, sed & quæ nostra sunt conferamus, & cœlitus auxilium imploremus. Hæc enim mutuo auxilio pugnantia, prosperum habebunt successum.

Omnia ergo quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, hæc & uos facite ipsis. Omnia quæ prius de dilectione statuerat, breui nunc verbo summatim collegit, ac succincte docuit: ponens rem facilem ac iustissimam. Omnia, inquit, quæcunque volueritis vt faciant vobis homines & vos facite ipsis. Ita autem hæc ipsis facite, sicut vultis vt ipsi vobis faciant. Et hoc idem est, quod amare proximum sicut seipsum: ideò etiam subdidit.

Ita enim est lex & prophetæ. Ita lex vetus & prophetæ determinant. Lex siquidem dicit, Diliges proximum tuum sicut
leuit. 19. *inf. 22.* F teipsum: Prophetæ quoque multa de fraterno amore Iudæos exhortati sunt: sed & Christus in sequentibus interroganti legisperito, quod esset mandatum magnum in lege: vbi de dei ac proximi amore respondisset, subdidit: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ, hoc est, his duobus magis appensa sunt: circa hæc duo magis egregie tractant ac narrant: id pro scopo habentes, vt homines doceant deum colendo amare ac se inuicem, in nullo alteri nocendo. Potest quoque & alio modo dici, quod omnis lex ac prophetæ hęc duo præcepta habent, tanquam radicem causam, & argumentum.

De angusta porta. *Intrate per angustam portam.* Angustam portam vocat, virtutum operationem. Portam quidem, tanquam ad vitam æternam

æternam introducentem: angustam vero, vt quæ ingredientes præparet ad labores ac afflictiones, donec ad finem perueniant. Quia enim arcta est ob suam perfectionem, dicitur illam non posse ingredi, qui crassi sunt peccatis: donec peccatorum à se pinguedinem expellant. A

Quia lata est porta & spatiosa uia, quæ abducit in perditionem: & multi sunt qui ingrediuntur per eam. Similiter viam ac portam nominauit voluptatum amorem tanquam in supplicium abducentem: id enim vocat hic perditionem. Latam autem & spatiosam, quia nullum præbet laborem ingredientibus per eam: quum indulgens sit, nullo clausa termino, nullo obseruata custode.

Quàm angusta est porta, & stricta uia quæ ducit ad uitam. Tι, quàm, pro valde ponitur. Exaggerat enim angustiam ac cõstrictionem ipsius, vt his cognitis ad certamen excitemur, & præparemur ad laborum tolerantiam ac constantiam. Nam quod ex se triste est, si præcognitum fuerit ac præcogitatum: vbi contigerit, facilius ac leuius tolerari solet. Volens itaq; discipulos, certaminũ prævalidos fieri præfectos, manifestauit viam prædictam esse angustam, ac dolore plenã. Cupiens autem eos consolari, ob eam quæ inde sequitur afflictionem: & alleuians quod in ea laborioſum est, manifestat quo ducat, puta ad vitam, videlicet æternam vt dum visis laboribus anxiaris, in finem ipsorum respiciens exciteris, viribus à spe retributionis additis. Neq; minima consolatio est, vocare ipsam portam ac viam: neutra siquidem permanet, sed transit. B C

Et pauci sunt qui inueniunt eam. Ibi quidẽ multi, quia iucũda est & sine labore: hic autem pauci, quia difficilis est ac laborioſa. Scire autem conuenit, quod nunc angustã ac strictã viam cœlestis vitæ dixit, propter temporariã ipsius afflictionem: Alibi vero suaue dicit iugum mandatorum suorum, & onus præceptorum suorum leue, ob spem æternorum bonorum. Virtus enim grauis quidem est propter laborum mo- *Infra. 11.*
lestiam, leuis autem propter retributionem: sensumq; doloris mitigat ac extenuat futuri expectatio gaudij.

Cauete à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Postquã de via dixit, addit & de his, quæ per viam in insidiis ponuntur, vt attentiores ac vigilantiores simus. Et in præcedentibus quidẽ, de canibus ac

D poreis docuit: hic vero aliud quoque genus periculosius induc
cit, luporum videlicet ouina pelle cõtectorum: quia illi certe
manifesti, hi autem abscõditi sunt & occulti. Dicunt ergo
quidã hos esse prodigiosa & falsa loquentes, ac homines quos
dam sine deo, qui fallendo plurimos, obambulant: nuncupari
vero falsos prophetas, vtpote futura subindicantes ac prædi-
centes: venire autem in vestimentis ouium, tãquam in figura
rationalium ouium, quæ sub Christo pastore procedunt: esse
vero lupos rapaces, hoc est, tacite & clanculo simplicium ani
mas fallentes, & in perditionem surripientes. Chrysosto-
mus autem hos dicit esse Christianos, vitam quidem habẽtes
nociuam ac pernicioſam, simulantes autem bonitatem ac pie
E tatem, quorum colloquia corrumpunt mores bonos. Expri
.Cor.15. mens itaq; Christus differentiam à prædictis canibus ac por
cis, iussit illis quidem mystica dogmata non concredere: ab
his autem cauere ne perniciem ipsorum participemus, tan-
quam à feris venenatis. Ne turbentur autem auditores, eo
quod non facile cognoscãtur huiusmodi homines, docet etiã
quo pacto ipsos cognoscant, dicens.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Quanquam inquit latere
videantur, attamen facile arguentur. Ea enim via qua meos
discipulos incedere iussi, laborioſa est ac difficilis, nec possũt
hypocritæ per eam incedere. Quemadmodum enim bona ac
generosa arbor, non à floribus, sed à fructu cognoscitur: ita
sane & hos non à sermonibus, sed ab operibus eorum cogno-
.oma.16 F scemus. De quibus & Paulus Apostolus dixit, quod per dul
ces sermones decipiunt corda simplicium. Deinde ponit etiã
consideratione ab exemplo, vt hi facilius dignoscantur.

Nunquid colligunt de spinis uuam, aut de tribulis ficus? μήτι,
nunquid, id est, vtrum, modo interrogatiuo. Dicit ergo: Vtrũ
colligunt homines de spinis vuam? &c. Est autem & tribulus
spinarum genus.

De arbo
e bona
e mala,
arumq;
ructu.

*Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: uitiosa autem arbor fru-
ctus malos facit.* Vbi rem præter naturam, factuque impossi-
bilem interrogasset: subdit, quod sicut illud fieri non potest,
eo quod spinæ ac tribuli inutilia sint, hoc est, inepta ad fe-
rendum fructum, qui sit aptus esui: vua autem ac ficus ad ci-
bum conueniunt. Ita quoque omnis arbor bona fructus bo-
nos facit, & cætera. σαπρὸν (pro quo vulgata æditio habet
malum,

malum, & potius marcidum significat aut putridum) non so- A
lum dicitur putridum, verum etiam quicquid vitiosum est &
inutile. Nunc ergo vocat arbores marcidas aut vitiosas prę
dictos hypocritas, quorum fructus, hoc est, actiones æquales
sunt marcedini, aut inutilitati ipsorum.

*Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor uitiosa
fructus bonos facere.* Ne quis suspicaretur quod posset bona
arbor malos quoque fructus aut inutiles producere, & ar-
bor vitiosa bonos: manifestat, quod hoc fieri non possit.

Verum Dauid quum bona esset arbor, quomodo fructus 2. Reg.
malos produxit, adulterium videlicet ac homicidium? Pau- Actorũ.
lus autem quum vitiosa esset arbor, fructus bonos protulit, ef-
fectus Christo vas electum? Quo modo? Quia mutati sunt, B
hic quidem à prauitate ad virtutem, ille vero à virtute ad pra
uitatem. Donec autem manserunt Dauid quidem in virtute,
Paulus vero in prauitate, non potuerunt huiusmodi fructus
producere. Dixit ergo hoc esse impossibile in his, qui immu-
tati permanerent.

*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur, & in ignem
mittitur.* Illos quidem punire non iussit, sed tantum ab eis
cauere. Ipsis tamen metum incussit atrocissimæ ex hac vita
excisionis impendentis, ac supplicij ignis inextinguibilis: si-
mul quidem illos qui male ab eis accipiuntur consolando, &
simul ipsos exterrendo.

Itaque ex fructibus eorum cognoscetis eos. ἄρα γε itaque, vti-
que, sane, confirmatiuum est, ac si diceretur, omnino. Posi- C
tis enim exemplorum considerationibus, ac demonstrato
quo modo tales cognoscendi essent, subdit: Omnino sicut
prius demonstratum est, cognoscetis ipsos à prauis actio-
nibus eorum.

*Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœ-
lorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Vide
quid nunc dicat. Non omnis qui credit in me, ingredietur ad
bonorum cœlestium fruitionem, nisi etiam fecerit quæ dico:
ita quippe addidit Lucas. Neque enim sola fides ad salutem Lucæ. 6
sufficit, nisi & vita fide digna adiungatur: neque vita solum
virtuti conformis, si non etiam fide diteſcamus: sed vtrun-
que simul adiunxit, vt non separetur alterum ab altero. Nam
ipsum appellare dominum, fidei tantum est. Quomodo autẽ
non di-

D non dixit, Sed qui facit voluntatem meam? Vt patrem honoraret: & quia non alia est patris volũtas ab ea quæ filij est: voluntas autem patris, filij præcepta sunt.

Multi dicent mihi in illo die: Domine domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum uirtutes multas ædidimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam noui uos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatẽ,

In præcedentibus quidem docendo innuit, quod peccatores excepturum sit supplicium: nunc vero apertius id dicit. Quis est autem qui punit impios, nisi ipse? sed quum antea dixisset: Non omnis qui credit in me ingredietur regnum cœlorum, nisi & vitam condignam habere curauerit: nunc & aliud

E quod mirabilius est addit: quod neque signa & miracula ædentes, eo regno digni habebuntur: nisi etiam & vita correspondeat fidei. Ecce enim & hi multa talia operati fuerant, abiicientur tamen, eo quod vitam suam neglexerint. Multi inquit ab eo quod rectum est excidentes, hæc & illa mihi dicent. Illum quidem diem, dixit diem iudicij: nempe cognitum & expectatum. Virtutes autem nominauit signa & miracula. Confitebor sane eis, hoc est, condemnabo eos. Quum autem etiam per nomen eius multa fecissent, quomodo eos ignorat? Quia vitam habebant contrariam. Scire enim oportet, quod apud deum duplex est scientia: Vna quidem naturalis, qua omnia nouit: vtpote omnium conspector omniumque priusquam fierent cognitor. Altera

F ro magis peculiaris, qua solos iustos cognoscit. Nouit, inquit, dominus viam iustorum. Et: Cognoscit dominus vias innocentum. Et: Nouit dominus qui sunt eius. Eos autem qui vitam habent contaminatam, ignorare se simulat: vtpote cognitione sua indigne conuersantes. Alibi quoque negat illos, vt qui eum operibus negauerunt. Dixit enim per prophetam: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Qui enim præcepta ipsius spernit, ipsum spernit: ideo quoque merito spernitur. Verum si indigni erant, quomodo in eis operabatur spiritus sanctus? Omnino propter duo fiebant ista: puta vt gratiæ dei liberalitas etiam in indignos diffundi demonstraretur: & vt per ipsum aliis beneficium conferretur, qui videlicet ab eis curabãtur, vel qui opera illa admiranda intuentes credebant in Christum. Non

Psal.1.
1.Timo.2.
infra.25.
infra.10.
esa.29.

ergo

ergo eos admirari oportet, qui miracula operabantur: neque A enim quicquam à seipsis conferebant, sed deum, qui quum illi tales essent, gratiam tamen illis præstiterat. Talis erat qui *Marci.9.* dæmonia eiiciebat, nec tamen ipsum sequebatur: talis erat & *Lucæ.9.* Iudas proditor. Nam licet indigni essent, gratiam tamen acceperant. In veteri quoque testamento in multis indignis gratia operabatur: vt per eos aliis beneficium præstaret. Sed hi quidem fidem interim habebant, quanquam vita reprehẽsibiles essent. Balaam autem quum à fide & conuersatione *Nume.22* bona esset alienus, prophetabat. Quin & Pharaoni & Nabu- *Gene.41* godonosor & filio eius Baltasar, quum essent impiissimi ac *Daniel.2* sceleratissimi, deus futura demonstrauit, propter aliorum gu- *& 5.7.8.* bernationem. Sed quid de hominibus dico, quum & in asina B Balaam suam demonstrauerit virtutem: voce primum humana collata, vt eam ipsius ascẽsor intelligeret? Quia ergo recta *Nume.22* vita deficiente, neque fides, neque miracula saluos facere possunt: nobis de vita magis curandum est: Quod si facere quoq; signa detur, suscipiendum est: si autem non detur, contristari non oportet. Nam qui virtute prẽditus est, & si miracula non ædat, nihil inde patitur detrimenti: bona siquidem vita fidelẽ omnino saluum facit: miracula vero non semper. Præterea bonæ vitæ remunerationem nobis debet deus: miraculorum autem, nos potius ipsi debemus. Causas vero propter quas, neque sanctis omnibus præbet deus gratiam miraculorum, neque ediuerso omnibus indignis, solus ipse nouit, qui omnia iusta ratione facit.

C

Omnis ergo qui audit hos sermones meos, & facit eos, assimilabo eum uiro prudenti. Expleta doctrina adhortatur deinceps discipulos, vt per viam angustam & strictam gradiantur: promittens illis sufficientem affore securitatẽ, nempe ipsam præceptorum obseruationem. Omnis, inquit, qui audit hos sermones meos, siue hæc quæ iussi præcepta: quædam siquidem exemplaria ὁμοιωθήσεται, id est, assimilabitur habẽt: rectum tamen est & ὁμοιώσω assimilabo: sine auxilio enim eius nullus quicquam boni potest operari. Deinde etiam prudentis opera ponit.

Qui ædificauit domum suam super petram. Domum quidem appellat, intelligentis animæ operationem, quæ variis ædificatur virtutibus. Petram autem, præceptorum eius firmi-

tatem

D tatem,quæ fundant ac firmant ea,quæ superædificata sunt,& ad omnes tentationum insultus, ne euertantur custodiunt: suadendo omnes cõtumelias, multiplicesq; illecebras, etiam mortem ipsam despicere, nec ob vllum dispẽdium mollescere,aut terga dare.

Et descendit imber,& uenerunt flumina, flaueruntq; uenti, ac irruerunt in domum illam,& non cecidit: fundata enim erat super petram. Ad intellectum quidem communem,per imbrem,fluuios ac ventos,varias innuit tentationes: Anagogice vero per imbrem intelligimus commoti animi cogitationes, quas immittunt dæmones animis: fluuios autem affectiones ad perditionem detrahentes: ventos vero dæmones, qui nequitiæ spiritus dicuntur. Siue igitur sensibiles, siue intelligibiles dixerimus tentationes: omnes hæ in prædictam domum irruẽtes,siue insilientes,aut illi ruinam minitantes, non potuerunt deiicere aut dissoluere eam, quia fundata erat firmiter super petram,siue super soliditatem,vt dictum est. Statim itaq; apostolos mihi intuere,in quos plurimæ defluxerunt insidiæ, ac innumeræ calamitatum hyemes deciderunt: nec valuerunt animarum eorum turrim euertere,sed perditis certe corporibus,animo permanserunt inexpugnabiles ac insuperabiles.

Et omnis qui audit hæc uerba mea,& non facit ea,assimilabitur uiro fatuo. Quia nonnulli auditorum laudaturi erant quæ dixerat,nec tamen ea facturi: per parabolam hos anticipando deterret. Positis autem prudentis atque fatui operibus: illius quidem rationi consonis & honestis, huius autem vanis: vtrinque discipulorum confirmauit salutem, & per zelum prudentiæ,& per odium vani laboris. Hoc autem frequenter facit: ad virtutem adhortans,& ab imitatione bonorum, & ab odio malorum.

Qui ædificauit domum suam super arenam. Et descendit imber,& uenerunt flumina,flaueruntq; uenti,ac irruerunt in domum illam,& cecidit. Merito stultum illum nominauit. Quid enim insipientius eo,qui domũ suam super arenam ædificat,& quum laborem sustineat,priuatur tamen fructu,quem inde colligere oportuit? Est ergo tantundem,ac si diceret: Omnis qui postquam præcepta mea didicit, super ea, quasi super solidũ fundamentum,suas actiones non ædificat, hoc est non conuersatur iuxta id quod illa admonent,sed alia incedit via,stultus est &

est & vane laborat, hoc est, variis tentationibus, afflictionis tempore facile superabitur. Quum autem talis ob aliud nihil prætermittat salutis præcepta, quàm propter viam arctã & angustam, erit sane arena voluptatum amor, super quam, suam ædificat conuersationem: ideoque ingruente tẽtatione, in negationem cadit,non ferens acerbitatem,eo quod laboribus,durisque asperitatibus non sit assuetus.

Et fuit ruina ipsius magna. Magna vtique. Neque enim ab honore excidit aut diuitiis,seu alia huiusmodi humana prosperitate: sed à fide in Christum. Nam qui infidelis est, non cadit,sed iacet penitus in fouea erroris: qui vero ab hac extractus,& ad fidei altitudinem subleuatus, postea reuocatur: hic cadit,& à vita excidit æterna.

Et factum est quum finisset Iesus hos sermones, obstupuerunt turbæ super doctrina ipsius. Habent Hebræi pro consuetudine in principio alicuius narrationis simpliciter ponere, Et factum est. Tu autem admirare mihi turbarum attentionem ac tolerantiam in audiendo: quæ donec complerentur omnia doctrinæ verba,libenter perseuerabant. Obstupuerunt vero,tãquam ab inuidia ac malitia alieni. Deinde causam quoque ponit stuporis.

Erat autem docens ipsos tanquam autoritatem habens, & non sicut Scribæ. Docebat cum increpandi fidutia, & non cum metu,quẽadmodum Scribæ. Vel, quia Scribæ à lege & prophetis proferebant ea quæ docebant: vtpote dicentes: Hæc iubet lex: Ista dicunt prophetæ: Christus vero accepta à seipso autoritate,docebat,ac legem ferebat, & continue addebat,Ego autem dico vobis: & tanquam futuri iudex seculi,bonis quidem promittebat salutem, malis vero comminabatur supplicium.

Quum autem descẽdisset de monte,sequutæ sunt eũ turbæ multæ. A doctrina transit ad miracula. Quia enim tanquam autoritatem habens docebat, ne iactabundus esse putetur & arrogans,operibus quoque suam ostendit potestatem,& sermones ipsa confirmat. Considera etiam turbarum beneuolentiam: ipsi siquidem doctrinam sublimem auribus percipiebant & admirabantur,credebant ac sequebantur. Principes autem ipsorum & scribæ promulgãtibus quoque virtutẽ eius signis,offendebantur ac iritabantur.

CAPVT

CAPVT SEXTVM DE LEPROSO.

D

ET ecce leprosus quum accessisset adorabat eum dicens: *Domine si uis, potes me mundare.* Non dixit: Si deum inuocaueris: sed, Si vis: quod argumentū est indubitatæ fidei. Quum enim audisset de doctrina ac potentia eius, credidit deum esse, qui omnia posset, Ideo etiam cum feruore accessit. Nam quod simpliciter dixit Matthæus, Adorabat, manifestius ait Marcus, genibus prouolutus. Lucas vero similiter, quod procidit in faciem, & deprecabatur ipsum.

Marci. 1
Lucæ. 5

Et extenta manu, tetigit eum Iesus, dicens: Volo, *Mundare. Et cōfestim mundata est lepra eius.* Volens sane leprosi confirmare iudicium, quod recte opinatus esset ipsum esse deum omnipotentē: turbisque ostendere potentiam suā, sicut diximus, ait: Volo. Mundare. Hic autem, Volo, benignitatis indicium est: Mūdare vero, potētiæ. Quum autē hunc verbo sanaret, quam ob causam manu quoque extenta tetigit eum? Quia lex erat quę leprosum tangere prohibebat. Volens autem Christus ostendere, quod tanquam deus supra legem esset. Nam hęc aduersus nudos homines statuta erat: audacter tetigit, nec vllus è turba contradixit. Ex præmissis enim certi erant, quod omnia legitime faceret. Simul etiam docebat, non abominādam esse corporalem lepram eorum, qui eiusdem sunt generis. Solam nanque lepram animæ conuenit execrari, quæ est peccatum. Non solum enim manus ipsius, impuritatem non contraxit ad contactum corporis leprosi, quin potius illud emundauit. Quia igitur pulchritudine animæ nostrę lepra deletur peccati, accedamus ad sermonem præceptorum Christi: vt postquam nos tetigerit, ipsam emundet.

E

F

Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris. Præcepit vt taceret, & ipse laudem fugiens apud homines, & eos instruēs qui beneficia in aliquem conferunt, vt ambitionem execrentur. Atqui manifeste sciebat Christus, quod taciturus non esset, sed benefactorem palam prædicaturus: attamen quod suum est facit & præcipit. Oportet enim eos qui beneficia cōferunt, modestiæ causa præcipere silentium: eos vero qui beneficio sunt affecti, prædicare propter gratitudinem.

Sed abi,

Sed abi, ostende teipsum sacerdoti, & offer munus quod præcepit illis Moyses. Iussit lex, ne is qui à lepra mundatus esset, suiipsius oculis crederet, sed oculis sacerdotis iudicium emēdationis committeret. Neque prius his qui mundi essent cōmisceretur, quàm se illi manifestasset: & ab eo fuisset mundus iudicatus. Deinde munus pro purificatione adduceret, sicut in libro Leuitici scriptum est. Quomodo ergo dicit, Munus quod præcepit Moses, quum id iusserit deus? Quia Moses legislator dicitur, vtpote qui scripsit, quæ deus statuerat. Sanitatem itaque ipse operatus est: approbationem vero ipsius, sacerdoti commisit: ne sacerdotum munus sibi latenter rapere videretur.

A

Leui. 14

In testimonium illis. Ad redargutionem illorum: dico sane sacerdotum. Nam μαρτύριον, id est, testimonium, vocat nunc redargutionem. Quia enim illi transgressorem legis eum dicebant: emundatum leprosum admonet vt seruaret legem, & faceret quæcunque lex præceperat. Hoc autem ad redargutionem illorum admonet. Nam quomodo legem seruare admoneret, si legis esset trangressor. Obseruandum vero quo pacto interdum quidem legem soluit, viam aperiens philosophiæ atque conuersationi Christianæ, quam post mortem suam vigere oportebat: ac præparans cessationem legi veteri, iamque senescenti. Quandoq; vero illam seruat, demittens se ad imbecillitatem Iudæorū, ne eos offenderet.

B

CAPVT SEPTIMVM DE CENTVRIONE.

C

QVum autem ingressus esset Capernaum, accessit ad eum Centurio deprecans eum, & dicens: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & grauiter discruciatur.* Iacet, hoc est, proiectus est.

Et ait illi Iesus, Ego ueniā & curabo eum. Quare non vocatus in domum, sua sponte venturum se dicit? Quia præcognouit illum iam credere quod deus esset: & ita voluit magnam eius fidem, his etiam qui sequebantur detegere. Intende ergo iis quæ sequuntur.

Et respondens Centurio, dixit: Domine non sum dignus, ut sub tectum meum intres, sed tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus.

Non sum

D Non sum, inquit, dignus, quia tu deus es: sed tanq̃ omnipotẽs dic nudo verbo quod vis, & ipsum quoque verbum opus fiet. Vides fidei magnitudinem? Propter hoc ergo dixit Christus, Ego veniam & curabo eum, vt dicat Centurio, Non sum dignus & cætera: & ita manifestetur omnibus magna fides eius. Nisi enim Christus illud dixisset, nequaquam hoc Centurio respondisset, & eos qui sequebantur omnino latuisset quanta erat viri fides. Vide quoque Centurionis verba quæ sequũtur ad id directa, quod nudo etiam verbo sanare posset.

Nam & ego homo sum sub alterius potestate constitutus, habens sub meipso milites: & dico huic uade, & uadit: & alii ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Ab exemplo eius quod circa se contingebat, confirmabat, quod solo etiam verbo sanare pos-
E set. Postquam enim dixerat, Dic verbo, subiunxit, Nam & ego homo sum, sub ducis exercitus potestate constitutus, habens sub me milites & seruos, & quod cuique dico, is incunctanter hoc facit. Hæc autem dicebat, ostendens, quod si ego homo alteri subiectus, ob modicam principatus dignitatem, solo verbo potens sum, multo magis tu qui deus es, infinitę potestatis ac dignitatis. Itaque si dixeris morti vt abeat, abibit. si vero vt veniat, veniet. Neque enim simpliciter subdita est, verum etiam ancilla, quæ maiorem habet subiectionem.

Hoc audito Iesus admiratus est, & ait his qui se sequebãtur: Amẽ dico uobis, neque in Israel tantam fidem inueni. Admiratus est,
F Quum enim neque Israelita esset, neque scripturas quæ de ipso erant legisset, adeo facile credebat. Nec solum admiratus est, verum etiam fidem eius præconio promulgauit, vt alij hunc imitarentur. Neque inter Israelitas, inquit, tantam inueni fidem: qui quotidie scripturarum legunt testimonia, quæ de me loquuntur. In præcedentibus autem diximus, quod Amen dico, tantundem est, ac si dicatur: Vere ac firmiter dico: neque opus est hoc deinceps interpretari.

De finibus Abraham.

Dico autem uobis, quod multi ab Oriente & Occidente uenient, & accumbent in sinibus Abrahã. Quidã dicunt quod sicut quædã profundiora maris loca, aut curua litora tales vel tales sinus appellati sunt: ita sane & abditi fruitionũ recessus, in quibus est Abraham, sinus Abraham dicti sunt. Nam quia insignior erat Abraham apud Hebræos, ideo eos proprie ipsius Abraham nominauit. Multi tales, hoc est, è gentibus. Per Oriẽs vero

vero & Occidens, omnia loca totius vniuersi significauit. A
Venient autem, ad me videlicet per fidem. Præterea Accumbent, id est, requiescent. Abraham vero in medium adduxit, quo maxime Iudæos morderet, adoptando scilicet ipsi Abraham eos, qui à gentibus procederent. Sinus item Abraham, dixit requiem ac fruitionem iustorum, mutuámque societatem & conuersationem, quæ regnum est cœlorum. Quia autem iam credebant Abraham in ineffabilibus degere bonis, pro regno cœlorum sinus Abraham posuit, tanquam rem notiorem. Simul etiam ne his contrarius esse videretur, qui in veteri testamento virtutem sectati sunt. Nam qui Abraham ita honorabat, vt etiam sinus illius requiem ęternam nominaret, omni huiusmodi suspitione carere debebat.

Filii autem regni eiicientur in tenebras extremas: ibi erit fletus & stridor dentium. Regnum nunc, deum intelligimus: filios B
autem eius, Israelitas. Filius inquit primogenitus meus Israel. Exod. 4
Vel, Regnum quidem, æternam requiem: Filios vero eius vocari nunc Iudæos, tanquam hoc existimantes, eo quod semen essent Abraham. Qui inquit sese putant esse filios, eiicientur propter suam incredulitatem. Eiicientur autem, id est, expellentur. Tenebræ vero exteriores, locus est supplicij miserrimus. Hæc autem dixit, fastum comprimens Iudæorum, qui sese iactabant, quòd è genere essent Abraham: & consolans eos, qui è gentibus erant: attrahensque ad suam fidem. Nam multi quoque gentiles propter signa sequebãtur eum. Et his autem & illis vtilitatem procurabat, ne illi confiderent, quasi stantes, neque hi desperarent quasi iacentes. Considera vero C
quod Centurio verbum exposcit: leprosus autem solam voluntatem, quod maioris est fidei. Quare ergo magis admirationi habitus est Centurio? Quia leprosus quum esset Iudęus, nouerat libros, qui de Christo testificabantur: & inde multa habebat, quibus facile ad fidem induceretur. Centurio vero quũ Ethnicus esset, à nullo aliunde ad fidem ducebatur, q̃ à sola recta mente: ideo etiam prępositus est credentibus ex Israel. Quum autem de introductione gentium, & reiectione Iudæorum facta sit mentio, confirmat hanc per signum. Vide ergo quid sequatur.

Et ait Iesus Centurioni. Abi & sicut credidisti fiat tibi. Hinc ostendit Christus, quod plurimum conferat ad miraculi ope-

D rationem fides deprecantis. Sicut credidisti, inquit, fiat tibi: hoc est, quia credidisti me posse ægrotum curare, licet domũ tuam non ingrediar, ita fiat.

Et sanatus est puer eius in illa hora. Sicut de leproso dixit euangelista, quod confestim mundatus est, ita & nunc quod sanatus est in illa hora. Hæc autem ad augmentum addidit miraculorum. Neque enim solum admiranda operatus est, sed etiam in breuissimo temporis momento suam demõstrauit potentiam. Quidam autem dicunt alium esse hunc Centu. Luc. 7 turionẽ, & alium eum de quo apud Lucam. Huius siquidem filius erat paralyticus, illius autem seruus. Et hic venit ad Iesum: ille vero primum quidem misit seniores Iudæorũ: deinde amicos suos. Præterea iste non solum in domũ suam non E vocauit Christum, sed & venire volentem prohibuit: Ille autem primũ quidem per seniores vocauit, postmodũ vero per amicos prohibuit. Quum autem huiusmodi insint diuersitates: accedunt quoq; & multæ similitudines. Ambo enim Céturiones, & Capernaum cõmorantes, & pro paralytico mœrentes animo: eandemq; fidem suis verbis demonstrantes: & æquali beneficio affecti. Dicit autem Chrysostomus eundem esse & apud Matthæum & apud Lucam. Siquidem Lucas diligentiæ causa omnia minutula exequutus est, præter Centurionis præsentiam: Matthæus vero breuitatis gratia, seniorum atq; amicorum missiones prætermisit, quasi non necessarias. Solam autem Céturionis fidem, & laudem quam propter eam promeruit, & miraculum in paralytico factũ aperte F descripsit. Oportet tamen eas quę videntur, vt dictum est, soluere diuersitates. παῖς (pro quo hic puerum habemus) dicitur non solum filius, sed & seruus: Habebat enim, inquit, Gene. 30 & 31. παῖδας καὶ παιδίσκας, hoc est, seruos & ancillas. Quod autem Matthæus dixit accessisse Centurionem ad Christũ: Lucas vero misisse ad ipsum seniores, & postmodum amicos: oportet intelligere & hoc, & illud factum fuisse. Primum quidem misit seniores deprecãtes ipsum vt veniret. Deinde sciens eum venire, & sese indignum iudicans eius susceptione, rursum amicos misit, prohibens ne veniret, ac significans quæ dixit Lucas. Postmodum quum paralyticus vehementius dissolueretur doloribus: Etenim sicut Lucas dixit, erat iam iamque moriturus, non ferens Centurio, cucurrit & ipse post amicos,

amicos, sperans per seipsum obnixius se deprecaturum. A Postquam autẽ amici nunciauerant quæ eis præceperat dum respõderet Christus quæ scripsit Lucas, statim superuenit Cẽturio, & priusquã amicis occurrisset, viso Christo, feruore accensus est, & rursus quasi ab exordio obsecrabat eum, dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, &c. Deinde Christus volens amplius manifestari fidem eius, respondit: Ego veniam & curabo eũ. Rursum subintulit Cẽturio: Domine nõ sum dignus, vt sub tectũ meum intres, & alia quę sequũtur, veluti Matthæus cõscripsit. Manifestum est ergo, quod ea quæ cõtigerunt priusquã veniret Centurio, scripserit Lucas, & inde Matthæus quæ sequuta sunt docuerit. Nam & in his, & in illis fides monstratur Centurionis, ac miraculi operatio à Iesu facta. Quod autem Lucas dixit quod reuersi, qui missi fuerant, inuenerunt ægrotantem seruum sanitati restitutũ: B perpendere oportet, quod Cẽturio certus iam de salute illius, tardior ac securior reuertebatur: illi autem difficulter credẽtes, præcucurrerunt, scire cupientes an sanus esset.

CAPVT OCTAVVM DE SOCRV PETRI

Vumque uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrũ eius in lecto decũbentem, ac febricitantem: & tetigit manum eius, ac reliquit eã febris, surrexitq; & ministrabat ei. Marci. 1 Marcus autẽ & Lucas dixerũt etiã vnde illuc ve- Lucæ. 4 nerat, videlicet à synagoga Iudæorũ, in qua sab- C bato docuerat. Addidit quoq; Marcus, quod cum Iacobo & Ioanne venerit. Verisimile est enim Petrũ, quum hoc didicisset precucurrisse. Præterea Marcus & Lucas dicũt, quod discipuli rogauerũt illũ pro ea, quę in lecto decũbebat. Matthę vero etiã hoc tacuit. Non est autem hoc dissonãtiæ signum, sed quod illi fecerũt, diligẽtiæ fuit, quod autẽ hic, breuitatis. Ingressus est aũt cibi sumẽdi causa, vocãte iam hora. Illa vero quę in lecto decũbebat, surrexit, & ministrabat ei. Tu quoque mihi admirare, quantũ sese dominus deiecerit. Nõ dedignat est vilem piscatoris domũ ingredi: hinc quidẽ & discipulũ honorans, & simul docẽs nos, ne vanæ glorię studeamus. Quum autẽ manu illã tetigisset, non solũ febrim extinxit, verũetiam

D integrã ei tradidit sanitatẽ. Surrexit enim, & cõtinuo ministrabat. Atqui ablata etiam febri, laborantibus longo opus est tempore vt priorẽ recipiant sanitatem. In mari quoq; non solũ tempestatem sedauit, sed etiã fluctuum cõmotionem cohibuit, quũ tamẽ post tempestatẽ diutius maneat aquarũ cõmotio. Ita enim nouit Christus, simul & quod ægritudine affectum est soluere, & in priorem statum reponere.

CAPVT NONVM DE CVRATIS A VARIIS INFIRMITATIBVS.

E *Vespera autem facta, obtulerunt ei multos dæmoniacos, & eiiciebat spiritus uerbo.* Vesperam finem diei nominauit, ideo Marcus & Lucas mentionẽ quoque fecerunt de occasu solis, manifestius demõstrantes tempus. Popularis enim turba expectato solis occasu propter sabbati obseruationẽ, morbis tunc laborantes adduxit: discipuli vero etiã ante solis occasum deprecati sunt eũ pro salute febricitantis, vt qui primũ viderant eũ sine delectu sabbato curãtem, ac didicerãt iam ab illo, à quibus operibus abstinere iuberet lex, quæ de sabbati quiete statuta erat, & qualia aggredi permitteret. Obserua quoq; quo pacto interdum quidem extenta manu curat, vt in socru Petri: interdum autem verbo loquens, vt in puero Centurionis, & in his demoniacis: quandoque vtrunque faciens, vt in leproso. Ostendit enim se omnipotentem esse.

Marci.1 Lucæ.4

F *Et omnes male habẽtes curauit, ut compleretur quod dictũ est per prophetã Iesaiam dicẽtem: Hic languores nostros assumpsit, & morbos portauit.* Per languores & morbos hic mihi intellige lãguorum ac morborũ reatus. Quũ enim languores ac multos patientes morbos curauit, in seipsum eorũ reatum transtulit: dico sane labores & mortẽ: ideo etiam multos perpessus labores tẽpore acerbæ passionis mortuus est. Sed Matthæus de corporalibus languoribus ac morbis metaphorico verbo loquitur: Iesaias vero languores & morbos peccata appellauit: quæ Christus sumere ac portare dicitur in modum victimæ.

Esaiæ.53

Leui.16 Nam animal quod pro peccatis ad victimam producebatur, quodãmodo peccata omniũ in seipsum suscipiebat ac portabat, & populũ quidem his liberabat, ipsum vero propter hæc iugulabatur.

iugulabatur. Pulchre autem propheticum dictum transumpsit euangelista. Plurimi siquidem languores ac morbi corporales à peccatis oriuntur, sicut in progressu docebimur: nihilque vetat hæc quoque vocari peccata. A

Quum autem uidisset Iesus circum se turbas multas, iussit ut abirent in ulteriorem ripam. Iussit hoc discipulis. Simul quidem ne gloriæ cupidus videret, simul etiã vt inuidiæ Iudæorũ mederet. Præterea instruẽs nos, vt admirationi haberi fugiam⁹.

CAPVT DECIMVM DE EO CVI NON PERMISIT VT SE SEQVERETVR.

Et quum accessisset quidã scriba, dixit ei: Præceptor sequar te quocunq; ieris. Hic scriba quum pecuniæ auidus esset, suspicabatur Iesum ex miraculis diuitias multas colligere, & sperabat, quod si in morem discipuli illum sequeretur, copiosas collecturus esset diuitias. Christus ergo cognito quid vellet, ad intentum eius respondet. Et vide quid dicat. B

Et ait illi Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Et vulpib⁹ inquit & volueribus cœli sum pauperior: neq; enim receptaculum habeo, nec quantum sufficiat ad caput tantum reclinandum. Tales autem esse volo & eos, qui me sequuntur. Itaque frustra suspicatus es, & inuanum sperasti. Et hoc pacto dupli citer illum iuuit: & manifestando quod animæ illius arcana nosset: & illũ non manifeste arguendo, sed ipsi soli reprehensionem aperiendo: vt & pudorem effugeret, & si vellet corrigeretur. Hoc autem dicendo, non vetuit se sequi, sed docuit, quod sequens nõ inuenturus esset lucrũ quod quærebat†. Cæterum ille intelligens, quod cognitus esset, ac intento frustratus, siluit. Quidã vero dicunt, quod præcognoscens eũ Christus, non solum pecuniarum amori seruiẽtem, sed aliis quoq; affectibus anagogice responderit: vulpes ac volucres appellans dæmones propter dolum illorum, & quod seminibus ac fructibus virtutũ insidientur, ac si diceret: Dæmones quidem foueas ac nidos in te habent: ego autem neq; breuissimã requiem apud animam tuam inuenio, Foueæ vero ac nidi dæmonum, affectiones sunt, in quibus occultãtur ac requiescũt. C

D Filium autem hominis seipsum vocat, confirmans quod vere & non phantastice sit incarnatus, vt quidam suspicabantur: hominem dicens nunc matrem suam. Nam ἄνθρωπος, id est homo, vocatur non tantum vir, sed & mulier.

† *Volebat autem ut postposita huiusmodi spe, sequeretur. At ille simul ut audiuit, tanquam pecuniæ amator, abscessit.*

Alius uero ex discipulis ipsius dixit ei: Domine permitte mihi prius ut abeam ad sepeliendum patrem meum. Quis certe fuerit hic discipulus, non significauit euangelista: verum quisquis fuerit, probissimus erat. Vide enim quòd in re etiã quæ iusta ac necessaria videbatur, postulat vt sibi liceat: nolens sua ipsius autoritate abscedere. Dicit autem, Prius: manifestans quod postmodum quouis sequeretur.

E *Iesus autem dixit ei: Sequere me, & dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos.* Prohibuit eum: non vetans honorare parentes, sed docens oportere eũ qui cœlestia appetit, non conuerti ad terrena: neque viuidis relictis, ad mortifera recurrere, aut supra deum honorare parentes. Sciebat enim quod alij illum essent sepulturi: nec æquum erat, vt ab his quæ magis necessaria erant, recederet. Opinor autem eum qui mortuus erat infidelem fuisse: ideoq; dixisse Christum, Dimitte mortuos, hoc est, recede ab his, qui in fide mortui sunt, vt sepeliãt mortuos qui ipsos contingunt: Nam hic mortuus, non est tuus mortuus: Neque enim fideli pars est cum infideli. Tu vero si admiraris quo modo non sua sponte abierit, sed petiuit, vt sibi liceret: admirare etiam quo modo prohibitus manserit. Quod si illum neque ad modicum dimisit Christus vt à sua doctrina discederet, qua pœna digni erimus, qui omni tempore

F à præceptis eius discedimus?

Quumque ascendisset in nauim, secuti sunt eum discipuli sui. Turbas quidem propter causas prædictas dimisit, discipulos autem suos assumpsit, propter miraculum quod in mari facturus erat. Quum enim turbis beneficia contulisset, sanando languores ac morbos eorum: videbantur discipuli nullo affecti beneficio. Et in hos itaque suam exercet munificẽtiam: ac postquam eos permisit in demersionis periculum incidere, demum mirabiliter eripit.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM, DE INCREPATIONE AQVARVM.

A

Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo ut nauis operiretur à fluctibus. Hic quidem, motum dixit. Marcus autem & Lucas, procellã dixerunt. Maris enim tempestas, & motus, & procella dicta est, eo quod aquas cõmoueat ac conturbet. Rursum Matthęus & Marcus in mari nauem periclitatam esse dicunt: Lucas vero in stagno. Neq; est cõtradictio: nam & hic, & illi Tiberiadem significant, quæ natura quidem stagnum est: situ vero, mare propter magnitudinem. Vnde & eam quandoque stagnum, interdum autem mare nominant. Facta est, inquit, tempestas, vt videlicet fastus comprimeretur discipulorum: imaginabantur enim magna de seipsis, vtpote qui cæteris dimissis, soli ipsi cum præceptore ingressi essent: & vt quasi orbis athletę, periculo exercitarentur ad timores, & tanquam mundi gubernatores ad procellas tentationum. Marc. 4. Luc. 8.

B *Ipse uero dormiebat.* Marcus etiam locum designat in quo dormiebat. Dixit enim quod erat in puppi super ceruical dormiens. Erat autem ceruical illud ligneum, in puppi fabricatum. Dormiebat vero dispensatorie, vt vehementer timerent. Nam si vigilasset: aut nullo modo timuissent, aut parum territi fuissent. Oportebat autẽ eos magnum timoris sensum concipere, vt etiam ad magnum potentiæ illius sensum peruenirent, & maiorem de eo fidem conciperent.

C *Et accedentes discipuli excitauerunt eum, dicentes: Domine, serua nos, perimus.* Marcus vero dicit: Præceptor non est tibi curæ quod perimus? Lucas autem, Præceptor præceptor perimus. Quidam nempe hoc, quidam illud dicebant: & alij vnum, alij aliud: aut etiam omnes omnia.

Et ait illis: Quid timidi estis modicæ fidei homines? Timorem primum animæ eorum soluit: ostendens quod animæ imbecillitas timorem causare consueuerit. Modicam autem eorũ fidem improperauit, nempe imperfectam fiduciam in eum habitam. Sperabant enim quod eos seruare posset, sed vigilãs: non autem dormiens: Ideo quoq; excitant illum.

Tunc excitatus increpauit uentos ac mare: & facta est tranquillitas magna. ἐπετίμησε increpauit, hoc est, imperauit. Dicit enim

Dcit enim Marcus, quod etiam dixerit mari: Tace obmutesce.
Homines autem admirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quod & uenti & mare obediant ei? Lucas autem discipulos hoc dixisse ait: Matthæus vero homines turbas vocat, sicut ait Chrysostomus. Siquidé verisimile est, & ipsas audito à discipulis hoc miraculo, similiter admiratas esse, & pariter hæc dixisse. Quod si discipuli propter imperfectam fidem suam, quasi hominem adhuc illum admirabantur, multo magis turbæ. Nam vti nauigio ad transfretationem, ac dormire, hominem hunc prædicabant: obedientia autem ventorum ac maris, nouam quandam eius naturam testabatur. Ideo etiam conturbati dicebant. Qualis est hic? Magis autem in admirationem duxit hoc miraculum, quàm præcedentia: quia nullus vnquam tale
E quippiam operatus est. Neque enim virgam extendit, vt Moses: neq; se aquis admouit vt alij: sed cum autoritate præcepit, vt dominus seruis, & vt creator creaturis.

CAPVT DVODECIMVM, DE DVOBVS DAEMONIACIS.

QVumq; uenisset ad ulteriorem ripam in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci. Euangelia secundum Marcum & secundum Lucam Gadarenorum scribunt. † Verum stagno Tiberiadi adiacet ciuitas Gergesa, & non Gadara.
† Marc. 5. Luc. 8.
Quidam autem dicunt binominem esse illam ciuitatem, &
F hoc, & illo vocari nomine. Præterea Matthæus duos habet dæmoniacos, Marcus autem & Lucas vnius tantum meminerunt, vtpote notioris, qui legio dicebatur, de quo formidanda multa dicunt, cui etiam alter subseruire dicebatur: propter quod etiam illi eum præteriere. Matthæus vero etiam hunc scripsit tanquam pariter dæmoniacum.

† † *Imo emendatiora exemplaria habent Gergesenorum, non Gerasenorum, neq; Gadarenorum etiam apud Marcum. Gadaria enim ciuitas est apud Iudæos, cui præceps adiacet stagnum, & nullo modo mare. Item Gerasa ciuitas est Arabiæ, nõ habens mare aut stagnum propinquũ: neq; autem adeò manifestum mendacium dixissent etiam escitantes Euangelistæ, uiri adeò studiosi in cognoscendis locis, quæ circa Iudæam erant. Gergesa igitur unde dicti Gergeseni, uetus est*

ciuitas iuxta eam quæ nunc Tiberias appellatur, & in decliui loco stagnum habet adiacens: in quod demonstratur porcos à dæmonibus esse deiectos. Poteris autem interpretari habitaculum egredientium, ut prophetice fortasse ab euentu nomen acceperit. A

† *Potest hoc uocabulũ* גרגשה *Gergesa, si Pagnino credimus, significare peregrinationem, habitationem, uel congregationem, ruminationem, ac prouocationẽ, ut uidelicet deriuetur uel à* גור *gor, id est peregrinari, cõgregare, seu habitare. Vel à* גר *gar, id est, ruminauit. Aut etiam à* גרה *gara, id est, litem miscuit.*

Et monumentis exeuntes. In sepulchris libenter morantur dæmones, prauã opinionẽ hominib⁹ immittere volẽtes, quod mortuorũ animæ dęmones fiant, sed circa propriorũ corporũ monumẽta remaneant, imò quibusdã adhęreant. Sed nequaq̃ id orthodoxo persuadebunt. Si enim hoc verum esset, nullo B
modo cruciatus diues orasset Abraham vt Lazarum mitteret in mundum, quo fratribus suis significaret, quæ circa se gerebantur, sed ipse per seipsum hoc eis indicasset.

Sæui admodum, sic ut nemo posset transire per uiam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili dei? Quia & discipuli & turbę hominem ipsum dicebant: veniunt nunc dæmones diuinitatem illius prædicantes: Occurrente enim illis diuino radio, statim eum cognouerunt: & non ferentes virtutem impetus, inuisibiliter eos inflammantem, clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi, hoc est, Quæ est nostra potentia, si ad tuam conferatur? tu enim ignis es intolerabilis, nos autem fœnum quod facile accenditur.

Venisti huc, ut ante tempus affligas nos? Quia deprehenderat C
eos creatură suam omnino tyrannice vexantes ac perdentes, peccatũ quidem negare nõ possunt: quandam autẽ causæ suæ defensionẽ prætexunt, quod non nunc pœnas dare debeant, sed tempore vniuersalis iudicij, & grauiter discrutiati dicunt: Venisti huc, id est, in terrã, vt affligas nos ante definitum tempus? Audierant siquidé à prophetis, quod Christus post mundi consummationem descensurus esset in terram, ac iudicaturus mundum, & afflicturus dæmones.

Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones uero rogabant eum dicentes: Si eiicis nos, permitte nobis ut demigremus in gregem porcorum. Quandoquidem iam hominibus nocere non possunt, ad irrationalia quæ illi possident De porcis.

conuertuntur:

D conuertuntur: vt ostendatur furor, quem aduersus nos gerunt. Nec solum hoc, verum etiam aliud admodum malum machinantur. Student enim porcos occidere, vt horum damno contristati domini gregis, Iesum non suscipiant, & ita, Euangelij prædicatione non suscepta, maximo afficiantur damno. Etenim neque eiecti cessant nocere. Quid ergo Christus?

Et ait illis: Abite. Illi uero egressi demigrauerunt in gregem porcorum. Et ecce ferebatur per præceps totus grex in mare & mortui sunt in aquis. Vides malitiam illorum? Quum non ignoraret quid tentarent, permittit tamen, non vt illis complaceat, sed dispensatorie alia intendens. Primum vt discant hi qui liberantur quot & quales habuerint inhabitatores. Deinde vt sciant omnes quod neq; in porcos immigrare possent, nisi illis ipse permitteret. Tertium quod atrociora in illis exercerent quàm in porcis, nisi etiam in eo quod tyrānice agunt, à deo impedirentur, non permissi facere quæ volunt. Cuilibet enim manifestum est quod homines magis, quàm irrationalia oderunt: quum etiam irrationalia propter homines perdere studeant: & per illorum perditionem, his inferre tristitiam. Quarto vt mors porcorum omnibus confirmaret exisse dæmones. Et vide sapientissimam Saluatoris cogitationem oppositam. Nam nocere volētes, magis ipsi noeumentum acceperunt. Siquidem Christi potentia apparuit, & illorum imbecillitas ac malitia deprehensa est. Per præceps autem ferebatur grex in mare, hoc est, præcipitāter & facto impetu. Marcus vero numerum etiam porcorum scripsit, quod erant fere bis mille. Tu quoq; mihi per anagogen intellige, quod dæmones eiiciuntur ab hominibus, quibus sermone sue curatur. Ingrediuntur autem porcos, eos videlicet qui irrationabiliter conuersantur, & in cœno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.

E

Marc.5.

F

Qui aũt pascebant fugerũt: & digressi in ciuitatē renunciauerunt omnia. Fugerunt timētes, ne se pariter occiderent dæmones, qui suos pemerant porcos. Renunciauerunt aũt omnia quę à dæmonib⁹ & à Christo dicta fuerāt: ac de perditione porcorū.

Et quæ acciderant dæmoniacis. De immutatione & honesta modestia ipsorum.

Et ecce uniuersa ciuitas egressa est in occursum Iesu. Veniebat enim ipse ad ciuitatem.

Et uisi

Et uisi eo rogabant, ut discederet à finibus ipsorum. Dolentes, vt dictum est de perditione porcorum, ac etiam territi, vt dixit Lucas: timebant enim ne mali quippiam eiecti dæmones etiam in ipsos perpetrarent. Christus autem statim paruit: neque enim digni erant doctrina ipsius. Quanquam præceptores quoq; eis reliquit, illos videlicet qui à dæmonibus liberati fuerant, & qui porcos pauerant.

A

Luc.8.

Et ingressus nauem Iesus traiecit, & uenit in ciuitatem suam. Ciuitatem suam dicit Capernaum. Siquidem Bethlehem ipsum protulit: Nazaret ipsum enutriuit. Capernaum deinceps incolam habuit.

Cap.9.

CAPVT DECIMVMTERTIVM, DE PARALYTICO.

B

IT *ecce offerebant ei paralyticũ in lecto decũbentem.* Dictionem, Ecce, scriptura Hebraica frequenter ponit, tanq̃ linguæ idioma, sicut & alia multa. Dicendum est aut alium esse hunc paralyticũ ab eo cuius meminit Ioannes: nam ille ad Bethesda decumbebat, hic autem Capernaum: & ille quidem triginta & octo annos morbo tenebatur, de hoc vero nihil tale scriptũ est: præterea ille non habebat hominem, hic autem baiulos habebat: huic quoq; ait, Remissa sunt tibi peccata tua: illi vero, Vis sanus fieri? Ad hæc, illum sabbatho curauit, vnde etiam murmurabant Iudæi: hunc autem alio die, ideoque tacuerunt.

Ioan.5.

C

Intuitus autem Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: Remissa sunt tibi peccata tua. Sicut enim dicunt Marcus & Lucas, quum ingredi non possent, propter eorum multitudinem qui congregati erant, ascenderunt in tectum domus in qua docebat Iesus: coque perfosso, per ipsum demiserunt grabbatum in quo iacebat paralyticus: quæ omnia magnæ fidei erant: hæ namq; illis ne desperarent, persuasit, vtque omnia & facerent, & paterentur, quo ipsum conspectui Saluatoris præsentarent, credentes continuo illum assequuturum esse sanitatem. Fidem, inquit, eorum: non solum demittentium, sed eius quoque qui demissus erat. Neque enim se demitti sustinuisset, nisi salutem consequi speraisset. Intuitus autem

Marc.2. Luc.5.

Iesus

D Iesus tantam illorum fidem, primum quidem languido peccata remittit, deinde vero corpus sanat: simul docens plurimos morbos è peccatis oriri, & prius oportere causam curare: Vnde etiam paralytico, de quo scribit Iohānes, dixit, Ecce sanus factus es, non pecces deinceps, ne quid deterius tibi cōtingat: simul quoque deum se esse ostendens. Corporeas siquidem curare infirmitates, etiam sanctorum est: peccata vero remittere solius dei. Ideo etiam scribæ turbabantur.

Et ecce quidam de scribis dicebant intra sese: Hic blasphemat. Marcus manifestius dixit: Erant quidam Scribarum ibi sedentes & cogitantes in cordibus suis: Quid hic ita loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata præter vnū, nempe deum? Offendebantur autem præ inuidia & malitia. Nam frequenter eum viderant etiam cum authoritate morbos fugantem, dæmones eiicientem, vento marique imperantem: & hæc omnia modo humanas vires superante factitantem. Sed hi proprias vlciscentes affectiones, dei videbantur iniuriam vlciscī.

Quumque uidisset Iesus cogitationes illorum dixit: Quare uos cogitatis mala in cordibus uestris? Hic aliud quoque suæ diuinitatis & ad patrem æqualitatis signum ostendit, cui contradici non possit, cognoscendo videlicet cogitationes cordium
3. Para. 6 ipsorum, quod similiter solius erat dei. Scriptum est enim: Tu
Psal. 7. nosti corda solus omnium. Et rursum: Scrutans corda &
3. Reg. 16. renes deus. Et alibi: Homo videbit in faciem, deus autem in-
F tuebitur in corda. Nam quia illud, quum sibi videretur impossibile, non recipiebant, inducit hoc tāquam indubitatum, per hoc probans etiam illud, ac quodammodo dicens: Vere nullus potest remittere peccata, nisi vnus, qui intuetur cogitationes hominum.

Vtrum enim est facilius dicere: Remissa sunt tibi peccata tua, an dicere: Surge & ambula? Quandoquidē, inquit, blasphemus vobis videor, vtpote remittens peccata, & æqualem faciens meipsum deo: respondete mihi, Vtrum est facilius vt opere perficiatur, an dicere hoc, vel dicere illud? Erant autem ambo de quibus interrogabat, deo quidem possibilia, hominibus vero impossibilia. Nam & remittere peccata solius dei erat: & similiter suā authoritate erigere ac confirmare paralyticū.

Quum autem illi tacerent, eo quod neutrum altero facilius

lius dicere poterant, ait ipse. A

Vt autem sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata. Defectiuus est hic loquendi modus. Deficit enim, Respicite. Vt, inquit cognoscatis, quod qui vobis apparet homo, potestatem habeat tāquam deus, respicite. Quod autem additur, In terra, simplici sensu ponitur: aut valet tantundem ac si dicatur: In conuersatione quam habet in terra. Dicebat itaque hoc de seipso.

Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & abi in domum tuam. Surrexitque & abiit in domum suam. Quia remittere peccata latentem habebat demonstrationem: ad erigendum autem sua authoritate paralyticum, manifesta opus erat demō-
stratione: facit quod manifestum est in signum eius quod erat B
occultum: & per hoc, & per illud plenam facit fidem, quod & hoc possit & illud. Ad cōfirmationem autem quod corpus robustum relinqueretur, iussit vt tolleret grabbatū suum: ne phantastico quodam modo fieri videretur. Dimittit etiā illum in domum suam: tum ne præsens ac visus, laudem sibi conciliaret: tum etiam, vt sanitatis testes haberet, quibus contradici non posset, ipsos nempe, qui morbi testes erant, vtque ipsis fidei fieret occasio.

Quum uidissent autem turbæ, admiratæ sunt: & glorificauerunt deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Admirabātur quidem, quod quasi deus miraculum operatus erat: hominem tamen eum esse opinabantur, habentem potestatem super hominem. C

CAPVT XIIII. DE MATTHAEO PVBLICANO.

ET *præteriens inde Iesus, uidit hominē sedentem ad telonium, Matthæum nomine: & ait illi: Sequere me.* Præteriens, hoc est, pergens. Considera autem Euangelistam quomodo non erubuerit ob priorem vitam suam. Sed Marcus quidem & Lucas, *Marci. 2.* ob condiscipuli reuerentiam, prætermittentes manifestum *Lucæ. 5.* eius nomen, Leui hunc vocauerunt: sic enim etiam appellabatur: ipse vero aperte seipsum publicanum fatetur. Siquidē neque Christum eius puduit. Simul autem hinc illius ostendit vir-

D dit virtutem, qui se ad discipulatum vocauit: quam facile è medio telonio lucri maxime auidos ac impudentissime cauponantes abstraxerit. Telonium vero dicit huius commerciarij (vt ita loquamur) prætorium aut domum. Quum autem prius ostendisset Christus, quod peccata remittere posset, tũc etiam ad Publicanum venit, ne turbentur aliqui, videntes eũ discipulis annumeratum, sed cogitent potius, quod qui soluit aliorum peccata, multo magis suorum peccata absoluit.

At ille † surgens sequutus est eum. Admirare perfectã eius qui vocatus est obedientiam: quomodo neque consultauit apud se quomodo nullum super ea re consuluit amicum: quomodo non disposuit quæ domus atque substantiæ suæ erant:
E sed confestim surgens, sequutus est, relicto vniuerso mundo: solam autem adduxit mentem ad omnia paratam, quæ iussisset is qui eum vocauerat, sicut & qui antea vocati fuerant.

Verum quam ob causam de Petro & Andrea, Iacobo, Iohanne ac Matthæo, non solum ipse Matthæus, sed & Marcus ac Lucas scripserunt, vnde & quomodo vocati sint: de reliquis vero discipulis nihil tale docuerunt? Quia hi inter alios abiectissima habebant vitæ instituta: neque enim quippiam peius Publicano, neque vilius piscatore. Propter quod etiam Euangelistæ in omnibus fide digni habentur, quia neque ea quæ probrum adferre videbantur prætermiserunt, nec id solum de discipulis, verumetiam de præceptore faciunt. Statim namq; plurima reliquerunt miracula: nihil autem de his quę
F passus est prætermiserũt: quum de discipulis ostẽderint quod adeo abiecti, tanta gratia digni habiti sunt: de præceptore vero, quod quum tantus esset, talia propter nos passus sit.

† *Tanquam de altero narrat, quæ circa se contigerunt, iactantiam abhorrens: magna siquidem laude dignus erat, quod continuo sequutus est eum.*

Et factum est quum ipse in domo accumberet, ecce etiam publicani multi & peccatores qui uenerant, simul accumbebant cum Iesu & discipulis eius. Intuitus Christus synceriſſimam ac promptissimam huius obedientiam accedit, vt & illum honoret, & se illi familiarem præbens, libereque tribuens, his qui eo venerant aliquam correctionem tradat. Ille autem tantum assequutus bonum, liberalior efficitur: & sicut ait Lucas, fecit ei conuiuium magnum in domo sua, id est, officiosum epulum,

Publicanos

Publicanos vero appellat etiam peccatores, propter obtrectationem qua male audiebant: ipsi enim calumniam sustinebant, tanquam iniusti & auari ac raptores, omnique cõpassione carentes, & impudentes. Aut fortassis & alij quidam erant, nobiliora quidem vitæ instituta habentes, eisdem tamen obnoxij affectibus: nam simile suo congaudet simili. A

Et hos ergo Matthæus conuiuio accepit, vtpote qui sibi in gaudio communicabant, & eius artis, eorundemque erant morum. Christus autem tolerabat, vt etiam pariter cum eo tales accumberent, propter venturam simul accumbentibus vtilitatem: & particeps cum eis erat ferculorum iniuste paratorum, ob grande lucrum, quod inde erat prouẽturum: nec curabat multorum indignationem, sciens quod nisi medicus putredinẽ toleret, ab ea non liberabit ægrotantes. Atqui plane nouerat prauam inde suspitionem de se exorituram, quod ad epulum venisset, & quod ad publicani epulum, quodque simul cum multis publicanis accumberet. Vide enim postmodum Iudæos improperantes ei, ac dicentes: Ecce homo vorax, & potor vini, amicus Publicanorum & peccatorum: sed tamen hæc omnia despicit, vt quod conatur efficiat. Vt autem scias quod simul accumbendo, rem maximam operetur, audi quid dicat Zacchæus Publicanus. Postquam enim Christum audiuit dicentem, Hodie in domo tua oportet me manere: animo gestiens, & præ gaudio in sublime eleuatus ait: Ecce dimidium substantiæ meæ domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Dixit autẽ ad eum Iesus: Hodie salꝰ huic domui facta est. Quomodo ergo dicit Paulus: Si quis dictus frater est fornicator aut auarꝰ, cum huiusmodi nec cibum sumatis? Paulus in hoc non præceptores, sed simpliciter fratres adhortatur. Præterea de fratre hoc dicit ille: hi autem Publicani nondum facti erant fratres. Ad hæc, dum permanserint in peccatis hoc faciendum est: isti vero potius ex hoc conuertendi erant. B *Infrà.11.* *Lucæ. 19.* C *1.Corint.5*

Et uidentes Pharisæi dixerunt discipulis eius: Quare cum Publicanis & peccatoribus cibum capit magister uester? Marcus & Lucas dixerunt etiam Scribas simul cum Pharisæis hoc dixisse. *Infrà.12.*

Vide autem, quod quando discipuli peccare videtur, præceptori aduersus illos dicunt: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis. Quando vero præceptor, vt

nunc,

D nunc, apud discipulos illum calumniantur: dolose agentes, vt chorum discipulorum à præceptore separent. Quid ergo ait profunda sapientia?

Quo audito Iesus, dixit: Non opus est ualidis medico, sed male habentibus. A communi exemplo os illis oppressit: & accusationem hanc potius ad virtutis opus conuertit: ostendens nō solum irreprehensibile esse, sed magis laude dignum. Deinde

De misericordia & sacrificio. à scriptura quoque prophetica persuadet, dicens.

E *Euntes autem discite quid sibi uelit: Misericordiam uolo, non sacrificium.* Improperat quoque illis scripturarum ignorantiam, reuocans ad modestiam fastum ipsorum, & id quod agit supra sacrificia extollens. Est autem tantundem ac si dicat

Osee. 6. Non est contra scripturam sacram, quod facio. Deus enim: per prophetam dicens, Misericordiam volo non sacrificium, ostēdit meliorem esse misericordiam quàm sacrificium. Ideo & ego misericordiam præstans his, qui peccatis sunt morbidi, infero me illis: & cum eis conuersans, omnem curandi modum adhibeo.

Neque enim ueni ut uocem iustos, sed peccatores ad pœnitētiam. Non veni vt cum iustis cōuerser: nam ipsi sibi ad salutem sufficiunt: sed fateor propter solos peccatores me venisse, qui pœnitentia indigent: quomodo ergo hos abominabor propter quos venit? Dicit autem Chrysostom⁹ hoc ironice Christum dixisse, Non veni vt vocem iustos, quales vos estis iustificantes vosipsos.

F *Tunc accedunt ad eum discipuli Iohannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi frequenter ieiunamus, tui autem discipuli non ieiunant?*

De ieiunio. Et hoc quoque Marcus & Lucas scribas & Pharisæos dixisse

Marci. 2. aiunt. Itaque manifestum est hos primum illud dixisse: deinde & Iohannis discipulos concitasse, acsi etiam illi aduersus

Lucæ. 5. Christum quasi æmuli affecti essent. Et quia à Saluatore os illis obturatum erat, transferunt indignationem ad eius discipulos, & accedentes accusabant eos. Est autem tantundem ac si dicerent: Si tu hæc quasi medicus ita agis, quare discipulos non iubes ieiunare, & non genio indulgere? Primum autem seipsos laudant, gloriantes quod frequenter ieiunarent. Nam ieiunabant: hi quidem à Iohanne id accipiētes, illi vero à lege. Deinde autem discipulis eius detrahebant. Et vide Christi mansuetudinem. Neq; enim arguit eos quasi arrogan-

rogantes, sed per parabolam illis hilariter respondet. A

Et ait illis Iesus: Non possunt filii sponsi lugere quam diu cum eis est sponsus. Superius seipsum medicum nominauit, hic autem sponsum. Et merito: medicum quidem, vtpote ægrotas animas curantem: sponsum vero tanquam has quæ in virginitate degunt, sibi desponsantem. Filios autem sponsi dicit domesticos eius quæ desponsata est. Dixit autem hoc reducens illis ad memoriam Iohannis verbum, qui dixit. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui Iohan. 3. stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.

Est ergo verborum intellectus iste: Ego veni vt ecclesiam fidelium per fidem mihi desponsatam & coniungam: & hoc tempus est nuptiarum: Non ergo tempus est luctus, sed gau- B dij. Itaque non possunt ieiunare familiares ac propinqui spō sæ: nam ieiunare tribulationis est, & his congruit, qui imperfecto modo adhuc affecti sunt. Hos vero gaudere oportet, quamdiu cum eis sum, quamdiu mecum versantur, & vocem meam audiunt.

Venient autem dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Hic significauit se occidendum: illos autem postmodum frequenter ieiunaturos, ac multa mala passuros.

Nemo immittit assumentum panni rudis in uestimento ueteri. Volens ostendere, quod tanquam adhuc imbecilles discipulos non oneret pondere ieiunij, per parabolam hoc significat dicens: Nullus resarciens detritam vestem veterem, assuit fragmentum panni rudis, hoc est noui, in parte veteri. C Deinde addit & causam.

Aufert enim supplementum eius à ueste, & peior ruptura fit. Supplementum siue plenitudo eius, id est, integritas panni rudis, quum sit fortis & dura, tollit, ac detrahit à veste quæ detrita erat, quantumcunque acceperit, & maior ruptura fit. Itaque neque ego nunc vetustati ac debilitati discipulorum immitto duritiem ac robur ieiunij: ne amplius deterantur, non potentes ferre quod immissum est: sed condescendo imbecillitati eorum, donec per spiritum sanctum renouentur.

Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres. Aliam quoque De vtre accipit similitudinem: vinum nouum vocans austeritatem ac veteri. vehementiam præceptorum: vinum quidem, quod lætificet

D perfectorum animas: nouum autem, quod assueta non sit in-
exercitatis. Præterea vtres veteres dicit discipulos: vtres
quidem, tanquam disciplinæ capaces: veteres vero, quasi
imbecilles.

Alioqui rumpuntur utres: & uinum effunditur, ac utres pereunt.
Rumpuntur vtres siue dissoluuntur, quum ferre non possint
vini noui fortitudinem: vinumque non retentum effunditur,
ac vtres pereunt, facti in posterum inutiles.

Sed mittunt uinum nouum in utres nouos, & utraq; conseruãtur.
Optimum enim œconomium diiudicare oportet vini natu-
ram, & vtrium fortitudinem, ac vetustatem. Nunc siqui-
dem veteres adhuc sunt discipuli, quod ad fortitudinem vtriũ
E ac vetustatem spectat, nondum videlicet renouati. Propter
quod etiam alio loco dixit eis: Multa habeo quæ vobis di-
cam, sed nunc portare non potestis. Vtraque, inquit, con-
seruantur, vinum videlicet & vtres, illud quidem retentum, hi
autem retinentes.

CAPVT XV DE FILIA ARCHISYNAGOGI.

Hæc illo eis loquente, ecce primas quidã ingressus ado-
rauit eum dicens: Filia mea modo defuncta est, sed ue-
ni & impone manum tuam super eam & uiuet. Hic
princeps erat synagogæ Iudæorum, Iairus ap-
F pellatus, vt dicunt Marcus & Lucas. Reliquerat
autẽ filiã suam iam iam morituram. Nam Marcus eum di
xisse commemorat: Filiola mea in extremis est. Lucas ve-
ro, quod etiam moriebatur. Itaque, Modo defuncta est, dixit
coniectãdo. Suspicabatur enim, quod tunc iam omnino mor-
tua esset. Verisimile est autem primum dixisse eum, In ex-
tremis est: deinde, Modo defũcta est, siue iam expirauit. Duo
autem petebat: vt veniret, & manum imponeret, vtpote cras-
sius affectus.

Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius. Marcus &
Lucas dicunt, quod etiam turba multa sequebatur. Plures
siquidem eorum carnaliter viuentes, non tantum animæ vti-
litatem concupiscebant, quantum carnis siue corporis sa-
nitatem.

Caput

CAPVT XVI DE MVLIERE SANGVINIS PROFLVVIO laborante.

A

Et ecce mulier sanguinis profluuio laborans duodecim
annos, accessit à tergo, & tetigit fimbriam uestimenti
eius. De præsenti capite latius & planius scri-
psit Lucas: quære ergo apud illum enarrationem Lucæ.8
vicesimisexti capitis. κράσπεδον fimbria, est ve-
stis extrema pars quæ pedes contegit, & ambulando terram
attingit.

Dicebat enim intra se: Si solum tetigero uestimentum eius, salua
ero. Magnam habebat fidem: credebat enim quod vbi solã B
vestimenti fimbriã tetigisset, salua fieret, id est, sanaretur. Hãc
tamen imperfectam habebat: putabat namq; latere illum, qui
occultos quoque animi motus intuetur.

Iesus autem conuersus ac intuitus eam dixit: Bono animo esto fi-
lia, fides tua te saluam fecit. Matthæus tanquam breuitatis a-
mator, quæ in medio contigerunt prętermisit, miraculum so-
lum manifestans. Lucas vero omnia accurate proposuit. In
dicto ergo capite inuenies.

Et salua facta est mulier ex illa hora. Salua facta est, hoc est,
curata. Lucas siquidem dixit sanata. Ex hora inquam, nõ qua
dixit ei Iesus, Bono animo esto filia, sed qua fimbriam tetigit,
sicut Marcus & Lucas scripserunt.

Quumque uenisset Iesus in domum primatis, & uidisset tibi- C
icines, turbamque tumultuantem, ait illis: Secedite, non est e-
nim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Moris e-
nim erat in huiusmodi calamitatibus tibicines inducere, qui
lamentationes excitarent. Hoc autem caput latius scripsit
Marcus. Quære ergo expositionem tertij decimi capitis a- Marci.
pud eum.

Et quum ejecta esset turba, ingressus tenuit manum illius, &
suscitata est puella: exiuitque fama hæc in uniuersam regionem
illam. De his omnibus in prædicto tertiodecimo capite nul
lo prætermisso inuenies.

CAPVT XVII. DE DVOBVS CAECIS.

D

Vumque inde procederet Iesus, sequuti sunt illum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Quum audissent miracula quæ ædiderat, & credidissent eum esse Christũ qui expectabatur, de quo sæpius audierant, veniunt ac sequuntur clamantes. Miserere, siue sana. Filium autem Dauid hunc dicunt, vtpote qui etiam audierant è genere Dauid illum oriundum. Ad honorem vero eius hoc dicunt. Honoratissima siquidem apud Iudæos erat huiusmodi appellatio. Credebant

E itaque quod omnia posset: quod autem deus esset, nondũ plena fide tenebant: ideoque tanquam hominem decẽter honorabant, sicut & alij multi.

Ingresso autem eo domum, accedunt ad eum cæci. Protraxit eos vsque ad domum ne reprehendendi occasionem quærẽtibus, videretur ad miraculorum operationẽ se ingerere, quasi gloriæ amator. Omnia enim sapienter disponit, omnem auferens accusationis occasionẽ. Verisimile est autẽ domũ fuisse cuiusdam fidelis, in qua retentus sit.

Et ait illis Iesus: Creditis quod possim hoc facere? Quod videlicet petitis? Sciebat certe illos credere quod posset: neq; enim aliter sequuti fuissent eum. Obsecrãtes interrogat tamẽ, vt manifestaretur illorum fides: aliique per hos attraherentur. Miracula namque non propter eos tantum qui curabantur, sed propter eos potissimum ædebantur, qui videbant & audiebant.

Dicunt ei: Vtique domine. Iam non filium Dauid, sed dominum eum appellabant: ab eius interrogatione in fidei celsitudinem subleuati.

Tunc tetigit oculos illorum, dicens: Secundum fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt oculi illorum. Fidei eorum sanitatem attribuit, quod frequẽter facere consueuit, alios quoque excitãs ad fidem. Tangit autem & manu, ostendens sanctissimã esse suam carnem, quę vitam conferat. Magna vero Iudæorũ hinc oritur accusatio: quod cæcis solo auditu credentibus, ipsi miracula videntes increduli permanebant.

Et interminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat.

ἐνεβριμήσατο

ἐνεβριμήσατο, interminatus est: austere videlicet intuens, cõtractis superciliis, commoto capite: veluti facere solent, qui aliquos de continendo secreto admonent. A

Illi uero egressi diuulgauerunt famam eius in uniuersam regionem illam. In sexto quoque capite mundato leproso præcepit vt taceret. Quære in illius expositione, cur tacere præcepe rit, quodque omnino præcipiat, sciens illos nõ esse tacituros, illamque solutionem pro omnibus habeto similibus. Supra. 8

CAPVT XVIII DE DAEMONIACO MVTO.

Ipsis autem exeuntibus, ecce obtulerunt ei hominẽ mutum dæmoniacum. Quanquã κωφὸς dicatur sæpius surdus, nũc tamen capitur pro muto, qui fari nequit, sicut etiam alibi quandoque. B

Et eiecto dæmonio, loquutus est mutus. Nõ erat natura mutus, sed dæmon linguam eius ligauerat, & ante hãc, animam: ideoque ab aliis adducitur. Nec fidem exigit: siquidem nec fari, nec intelligere poterat: quod agnoscens Saluator, protinus dæmonem eiecit, ipso etiam ignorante. Quumq; vinculis absolutus esset, intellexit, & loquutus est homo.

Et admiratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel. Nunquam apparuit sic, id est nunquam visa sunt huiusmodi mirabilia. Omnibus autem qui ab exordio mirabilia operati sunt sublimiorem prædicabant: quia omnem morbum cura- C bat, & velocissime propriaq; authoritate: interdum quidem verbo, nonnunquam tactu, quandoque vero tactu & verbo: & vtsemel dicam, sicut volebat: in omnibus suam pandens omnipotentiam.

Pharisæi autem dicebant: Per principem dæmoniorum eiicit dæmonia. Turbæ quidem admirabantur: Pharisæi vero calũniabantur, dicentes quod quum amicum haberet principem dæmoniorum, per hunc dæmonia expellebat. Nec verebãtur nugari in his, quæ facile redargui poterant. Nam qui dæmoniorum principem habet amicum, quæ illi sunt grata perficit: dæmoni autem gratum est, vt quis semper noceat hominibus, doceat omne peccatum, abstrahat omnes à deo. Christus vero contraria his operatus est, beneficia semper confe-

D rens in homines, omnem docens virtutem, ad deum omnes adducens. Et tamen hos non solum non puniuit, sed neque arguit eos: docens nos magno animo calumnias sustinere, & potius benefacere nocentibus, ac iniuriam inferētibus. Vide enim quid fecerit.

Et circumibat Iesus ciuitates omnes & uicos, docens in synagogis illorum, & prædicans euangelium regni, ac curans omnem morbum, omnemque languorem in populo. Hæc etiam quarto dixit
prā. 4. capite, & ibi declarata sunt. Quære autem & apud Marcum
Marci. 1. finem tertij capitis ipsius, & in eius capitis enarratione inuenies differentiam ciuitatis à vico. Circumibat autem ciuitates omnes & vicos Iudæorum, ne quis eorum dicere posset,
E Ad nos non venit.

Intuitus autem turbas misertus est earum: eo quod destitutæ essent, ac dispersæ, quasi oues non habentes pastorem. Destitutæ, quod nullus eas respiceret: Dispersæ, hoc est omnino neglectæ, in modum ouium pastore carentium: quarum hæ quidē vexatæ sunt, ac seductæ huc & illuc: aliæ autem dispersæ siue abiectæ, eo quod non sit qui earum curam habeat. Iudæorum enim principes non solum non conuertebant, aut respiciebant eos qui peccauerāt, neq; abiectorum curam habebāt: sed & peius ipsi affecti erant quàm populus.

Tunc ait discipulis suis: Ipsa quidem messis copiosa, uerum operarii pauci. Messem hic vocat eos, qui crediturī erant, tanquā paratos vt ad fidem colligātur: quia iam eis disseminata erat fa-
F ma miraculorum eius. Exiuit enim fama eius, inquit, in vniuersam Syriā. Operatores vero aut messores dicit discipulos suos, quos mittere volebat ad taliū collectionē. Ne enim ascita multitudine videretur propter hoc circumire ciuitates & vicos, discipulos pro se emittit. Potest autē & alio modo exponi, quod messem dixerit, facilitatē ostendēs huiusmodi ministerij vtpote maiori labore præoccupato iam ac perfecto à prophetis, qui tanquam semina quædam fidei, Iudæis ea quæ de Christo erant auspicati fuerant: quod etiam in euangelio
in. 4. Iohannis dicebat. Alij laborauerūt, & vos in laborem illorū introistis. Messem præterea & operarios nominans, Baptistæ verba ad memoriā reducit. Siquidem ille de Christo loquēs, agricolā illum induxit, facta videlicet mentione de area eius
prā. 3. & tritico ac palea: veluti tertio capite prædictum est.

Rogate

Rogate ergo dominum messis, ut emittat operarios in messem suā. A Dominum messis seipsum vocat, cui videlicet seruantur huiusmodi segetes, & ad quem colligendæ sunt, quique potestatem habet illas metere. Rogate ergo, inquit, non quasi opus ei sit, vt illi obsecrent. Quis enim homines magis amat quàm ipse: sed vt discipulos instruat, vt deum pro errantibus deprecentur.

CAPVT. XIX. DE APOSTOLORVM ELECTIONE.

Et accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatē aduersus spiritus immundos, ut eiicerent illos, & ut sanarent omnem morbum & omnem languorē. Quo- Cap. 10
modo ergo quum pauci essent discipuli, non ad- B
didit etiā dignitatem? Addidit vtique illis: at non in numero, sed in virtute. Dedit, inquit, eis potestatem, ita vt paucos etiam dixerit illos, non secundum defectum virtutis, sed numeri. Primū ergo cōstituit eos medicos corporū, postmodū quod maius est etiā cōmittit, curā videlicet animarum. Eiiciebāt aūt dæmonia & morbos curabāt, per nomē Christi.

Duodecim autē Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Quia de Petro & Andrea, Iacobo & Ioāne, ac seipso in præcedētibus docuit, quod sequuti fuerint Christum: de aliis vero nihil manifeste scripsit: nunc illorum quoque nomina recensēt, vt ea cognoscamus, & à falsis apostolis diiudicem⁹: multi enim fuerūt pseu- C
dapostoli. Hoc autem & Marcus & Lucas fecerunt. Primum Marci. 3
vero dixit Petrum: nō solum tanquam Andrea fratre suo na- Lucæ. 6
tu maiorem, verum etiā tanquam cæteris omnibus firmitate excellentiorē. Ideo etiā nomen Petrus ei Christus imponens, dixit: Super hanc petrā ædificabo ecclesiam meam. Quare au- Infrā. 16
tem addidit, Qui dicitur Petrus? Omnino vt discamus quod Simon primū nominabatur: & vt eum ab altero Simone distinguamus, qui cognominatur Cananeus.

Iacobus Zebedæi, & Iohannes frater eius. Iacobum præposuit, vtpote Ioanne natu maiorem: nam virtute Ioannes præcellebat.

Philippus & Bartholomæus. Hi post prædictos Christum

D sequuti sunt: ideo etiam hoc ordine numerantur.

Thomas & Matthæus Publicanus. Marcus & Lucas Matthæum Thomæ præposuerunt, tanquam ante eum effectum discipulum: Matthæus vero hic seipsum modestiæ causa deiecit: Nam etiam Publicanum sese rursum in proprium contemptum appellauit.

Iacobus Alphæi filius, & Lebæus cognomento Thaddæus. Iacobus hic frater erat Matthæi: Siquidem Matthæus quoque Alphæi filius erat, non solum dictus Matthæus, sed & Leui. Vidit, inquit, Leui filium Alphæi sedentem in telonio. Lucas vero loco eius qui hic Thaddæus dicitur, Simonem Zeloten siue Cananeum ordinauit. Postea autem Thaddæum coniungit Iudæ Iscarioti, & hunc Iudam nominauit: Iudam, inquit, Iacobi, & Iudam Iscariotem. Coniungit autem hos propter nominum similitudinem. Duo itaque Simon dicebãtur, Simon qui vocabatur Petrus, & Simon Zelotes, qui & Cananeus. Duo similiter nomen habebant, Iacobus, puta Iacobus filius Zebedæi, & Iacobus Alphæi filius. Duo quoq; Iudas dicebantur, Iudas Iacobi qui & Lebæus & Thaddæus, & Iudas Iscariotes. Verum propter nominum similitudines addunt Euangelistæ & alia cognitionis indicia ad distinctionẽ. Cæterum si Lucas propter nominum similitudinem Thaddæum Iudæ Iscarioti coniungit, quare non pari modo Simonem Petrum cũ Simone Cananeo ordinat, & cum Iacobo filio Zebedæi Iacobũ Alphæi filiũ? Quia Petrus cum Andrea fratre suo, & Iacobus cũ Ioanne fratre suo Christum sequuti sunt: & oportebat eos simul ordinari, non solum quia fratres, sed etiam quia simul sequuti fuerant. Sed quare non similiter Iacobus Alphæi filius cum Matthæo fratre suo coniunctus est? Quia ille postmodum sequutus est.

Simon Cananeus, & Iudas Iscariotes qui & tradidit illũ. Tradidit illum insidiatoribus.

Hos duodecim emisit Iesus, quibus præcepit. Quales hos? piscatores & publicanos: Siquidem Petrus & Andreas, Iacobus & Ioãnes piscatores erant: Matthæus & Iacobus Alphæi filij, publicani. Lucas vero locum quoque dixit, in quo ipsos ad apostolatum segregauit. Ait enim quòd egressus est in montem ad orandũ: eratq́ pernoctãs in oratione dei Quũque factus esset dies, aduocauit discipulos suos, & elegit duodecim

decim ex eis, quos & Apostolos nominauit, & cætera. Verum non dixit quando eos emisit. Marcus autem modũ quoque dicit, quod cœpit eos mittere binos: omnino propter mutuam consolationem. A *Marci.6*

Dicens: In uiam gentium ne abieritis: & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Ite autem potius ad oues perditas domus Israel. Ad Iudæorum ciuitates & vicos primũ mittit discipulos, vt sint illis in magistros ac medicos, ostendens vim amoris quẽ ad illos præ omnibus habebat, quodq; supra modũ curam illorũ gereret quoniã iniuriis ab eis appetitus, illarum nõ meminit: sed omni modo corrigere eos ac sanare nititur. Ideo quoq; illos quos emisit, viam quæ ad gentes ducat tangere prohibet. Iubet etiã ne ad ciuitatẽ Samaritanorũ accedãt, quæ sita erat inter Iudęorum ciuitates. Siquidem Samaritani pro dimidia parte Iudaismũ seruantes, inimico animo ad Iudęos affecti erant. Et vndiq; ingratorum oppilat ora: quanquam supra omnes ab eo honorati, ipsum supra omnes honore priuauerunt. Oues autem perditas domus Israel merito ipsos nominauit: oues quidem, vtpote quos olim deus pascebat: Qui pascis, inquit, Israel intende: perditas vero, eo quod destitutæ essent ac dispersæ, vt prædictum est. Domus etiam Israel, puta Israelitas. Ita autem Iudæos appellans, discipulorum iram mitigabat: & potius pia curæ viscera ipsis immittebat. B *Psal.79* *Suprà.9*

Euntes autem prædicate, dicentes: Instat regnum cœlorũ. Instat fruitio quæ habetur in cœlis: hoc est, apud vos est, si eam accipere volueritis: accipere inquam illam, credentes, & præcepta seruantes. Tertio autem capite de regno cœlorum pulchre dictum est. Oportet ergo & illa nosse, & inde adaptare quod aptius videbitur. C

Infirmos curate, leprosos mundate, dæmonia eiicite: gratis accepistis, gratis date. Dedit illis gratiam sanitatũ: vt qui prædicationi non crederent, saltem miraculis adducerentur. Simul & eos per ipsam promptiores ad prædicationẽ facit. Ne autem extollantur quasi magna præstantes, aut terrenas quærant retributiones, præmunit ipsos, dicẽs: Gratis accepistis à me gratiam hanc sanitatum, nullo vestro præcedente labore: gratis date eas hominibus, nihil temporale ab ipsis requirentes. Intendens autem vt hæc incorrupte seruent, iubet ne prætextu

etiam

D etiam viæ quicquam accipiant. Ait enim.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque æs ad zonas uestras†. Moris enim erat his qui per viam gradiebantur, crumenas ferre zonis appensas, in quibus æreos nummos habebant Dat autem primum discipulis legẽ perfectæ inopiæ†, volens vt non solum sine suspitione, sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis ac quibuslibet obuiis contenta. Deinde omni eos cura liberat, quæ frequenter impedimento esse solet: suamque vult ostendere potentiam, quæ eis ad omnia sufficiat. Ideoque postmodum dicebat: Quando misi vos sine loculis & pera, num aliquid defuit vobis? Lucæ.22

† *Hæc dicit Saluator Apostolis, nolens ut sub hoc prætextu facultates congregent. Neque ergo aurum, uel argentum, aut æs, neq; panem, neque peram nos habere uult, neque calceamenta, neque uestẽ, neque baculum usus causa, aut opum cupiditate per uiam accipere: nõ ad zonam æs, neque ut duabus induamur tunicis, sed per uiam omnia facillime & frugalissime accipiamus.*

† *Atqui loculos ipse ferebat: non tamen quasi pecuniæ cupidus, sed quasi dispensator eorum quæ offerebantur: possidens potius hæc, ad necessitatem suam & discipulorum ac pauperum.*

Neque peram ad uiam, neque duas tunicas, neq; calciamenta, neq; baculum. Quia regnum cœlorum annunciabant, oportebat eos quasi angelos de cœlo descendentes, leues ac expeditos incedere, omni terrena cura liberos, & ad solum ministerium sibi commissum respicientes. Peram autem dicit marsupium, quo ad iter immittendo pani vtebantur. Dignum est autem vt quæramus, quomodo Matthæus & Lucas dicunt iussisse, vt illi neque calceamenta, neque baculum haberent: Marcus vero ait sola hæc eis permisisse. Quid ergo dicendum est? Quod primum quidem ita iusserit, sicut Matthæus & Lucas dixerunt: postmodum autem permiserit eis, vt calcearentur tantum sandaliis, & retinerent baculum ad pedum custodiam & sustentamentum corporis, demittens se ad imbecillitatem eorum: propter laborem qui ab itinere provenit. Lucas vero pro eo quod est, Nolite possidere: habet, Nolite portare: sicut etiam refert Marcus. Ne autem dicant, Vnde alemur si nihil tulerimus. Ideo dicit. Lucæ.10 Marci.6

Dignus est enim operarius cibo suo. Nullo, inquit, vobis opus est viatico.

est viatico: digni enim estis qui alamini ab his, qui à vobis iuuantur, apud quos operamini, apud quos laboratis. Nam hoc non donum, sed merces est operis vestri, ac necessarium tanquam debitum. A

In quamcunque ciuitatem aut uicum intraueritis, inquirite quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Ne putent quod omnium qui ab eis iuuarentur ianuas ingredi debeant, iubet vt in quacunque ciuitate & vico, quærant vnum dignum, qui eos suscipiat, videlicet honestum dei cultorem: & apud eum maneant, donec è ciuitate exeant: ne domum in domum permutantes, & eum qui se susceperat contristent, & gastrimargiæ suspitionem incurrant.

Ingredientes autem in domum, salutate illam. Salutate, hoc est, pacem illi precamini. Hæc enim postmodum septuaginta discipulis præcipiens, dixit: In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. B Lucæ.10

Et si quidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra super illam: si autem indigna fuerit, pax uestra ad uos conuertatur. Quia is qui suscipit, sæpius digni nomen habet, vitam autem indignam, ideo dicit: Si quidem fuerit domus digna, veniat super illam pax quæ à vobis datur, id est operetur in illam, fruaturque pace & tranquillitate: si vero fuerit indigna, pax vestra ad vos conuertatur, siue nihil operetur: sed hac vobiscũ sumpta, exite. Vide quod non dederit eis præcognitionem digni & indigni: vt re maxime necessaria destituti, sese deprimant tanquam imperfecti. Admirandum est autem, quomodo postquam omnibus eos nudauit, rursum illis omnia submiserit. Quis enim læta fronte non suscipiat hospitio quibuslibet obuiis contentos, ac solicitudine carentes, fulgentes non verbo tantum & miraculis, verum etiam quod magis est, bona vita? C

Et quicunque non susceperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes de domo aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Marcus dixit: Excutite puluerem qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis, siue ad redargutionem illorum. Manifestabant enim per talem excussionem, quod non solum nihil inde acceperant, sed etiam puluerem qui inde adhæsisset, à pedibus suis excuterent, tanquam propter illos impium. Marc.6

Amen

D *Amen dico uobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum in die iudicii, quam ciuitati illi.* Per ciuitatem etiam vicum significauit. Sodoma autem & Gomorrha ciuitates olim magnæ ac populosæ erant: quæ propter nimiam libidinem inhabitantium maxima calamitate redactæ sunt in pulueres, igne cœlitus conflagrante: & horum supplicium à deo illis immissum, quouis alio formidabilius videbatur, ac si terra illa ad hoc vsq; tempus inflammata videatur, suamq; prædicet calamitatem. Hic vero dicit Christus grauius eos puniendos, qui non exceperint, neque audierint verba Apostolorum. Sodoma enim & Gomorrha neq; miracula viderant,
E sicut isti innumera: neque ad terram illorum discipuli à saluatore missi fuerant. Quum autem dixit: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum in die iudicij, significauit etiam in futuro seculo Sodomitas & Gomorrhitas esse puniendos: & hinc manifestum est quædam peccata & hic & ibi esse punienda. Timeamus ergo & nos huiusmodi minas, scientes quod omnis qui non seruat, neque facit quæ docuerunt Apostoli, manifestum est, quod neque suscipit eos, neque illorum audit sermones. Quare autem vno non suscipiente, vniuersa ciuitas punienda est? Quia cæteri quoque videntes non prohibuerunt illum. Qui autem non susceperant Apostolos, publice eos expellebant.

† *Ecce ego mitto uos tanquam oues in medio luporum.* † Postquam illis audaciam iniecit per ea quæ denunciauerat, & du
F ros ac adamantinos reddidit: prædicit etiam nunc quæ illis ventura sunt, non solum quæ paulò post, verum etiam quæ longo post tempore. Primum quidem vt vim præscientiæ ipsius cognoscant. Deinde vero ne patientes, suspicentur sese hæc pati, ob eius qui illos misit imbecillitatem. Tertio vt audito primum quod mala passuri sint, facilius postmodum ferant. Ecce, inquit, ego mitto vos, tanquam oues in medio luporũ. Ego qui omnia possum, mitto vos vt mordeamini, ac dilanienmini: neq; vlciscamini, aut manus repugnãtes obiiciatis. Quamobrẽ? Quia magis ita vincetis, & lupos in oues transmutabitis. Quo? Mea virtute quæ oĩa vincit, vestraq; mãsuetudine, quæ vt plurimũ ferocitatem ac truculentiã insideliũ submittit. Neq; enĩ ferocitas per ferocitatẽ, sed per mãsuetudinẽ submitti solet. Nam oportet eum, qui medetur insanis,

nis, patienter illorum ferre iniurias, solam præ oculis habendo liberationem ab insania. Et nos ergo nisi ouium mansuetudinem aduersus ferocitatem illorum qui nos lędunt propo A
suerimus, nequaquam pastoris nostri auxilium habituri sumus, siquidem ouium non luporum pastor est.

† *Tanquam oues in medio luporum, ut uidelicet ouium mansuetudinem ostendatis, coram lupis prostrati, nec ouium tantum mansuetudinem habeatis, sed & sedulam synceritatem, id est, simplicitatem ac innocentiam: ut uerberati ac persequutionibus appetiti, non cessetis benefacere uerberantibus. Vt autem utrumque fiat secundum uirtutem, adsit prudentia serpentum in seruando capite, hoc est, fide: & simplicitas columbæ, in non sumenda ultione, de his qui iniuriam irrogant. Nec hoc ad quinq; seu decem annos seruandum, sed usque ad extremum spiritum: hoc enim significat quod dicitur: Qui sustinuerit* B *usquè in finem, hic saluus erit.* †

Estote ergo prudentes sicut serpentes, † *& simplices sicut columbæ.* Vult ipsos & prudentes esse, ne letaliter vulnerentur: & sine vitio, ne iniuriarum meminerint. Nam quia prudens est serpens, ideo quum verberatur, alias quidem corporis partes obiicit, solum autem caput seruat: sciens in solo eo letale inferri vulnus. Iussit ergo prudentiam imitari serpentum, vt alia quidem & corpora & animas cæteraq́ue obiiciant, solam autem fidem seruent illæsam, in qua sola fit vulnus letale. Et rursum quia columbæ quum eis pulli auferuntur, malorum non meminerunt, aduersus eos qui abstulerunt: sed denuo ad eos accedunt, licet sępius auferant: Iubet horum quoque simplicitatem imitari, hoc est, innocentiam, in non vindi C
candis iniuriis: sed accedendo ad eos qui læserunt, illosque amando. Et vide sapientiam. Siquidem non solam serpentum prudentiam iussit imitari, neque solam columbarum simplicitatem, sed vtranque miscuit. Nam ambæ vnam simul efficiunt virtutem. Nulla enim ipsius prudentiæ est vtilitas, si defuerit innocentia. Nos vero & aliam serpentis imitemur prudentiam. Nam sicut ille vbi senuerit, per locum angustum transiens, seipsum leberide, hoc est, suo exuuio ac pelle spoliat, & ita validus efficitur: ita quoque nos qui vetustate affectuum senuimus, iniiciamus nos ipsos in angustũ strictumq; viuendi modum: & per hunc exuta veteri animæ veste, robusti efficiamur. Nunc itaque in bonum, serpentes atque co-

lumbas

D lumbas exemplo accepit: alibi vero in malum potius sumpta
Supra.3. sunt. Nam reprobantur Iudæi tanquam serpentes & viperarum
Osee.7. progenies: & male audit Effraim quasi columba demens quæ nō habeat cor. Solet enim frequenter scriptura, ab eodem animali differentes ostendere comparationes, quando illud bonas simul & malas habet conditiones. Nam & Christus dicitur leo propter regiam dignitatem, & inexpugnabilitatem.
Gene.49. Recumbens, inquit, dormiuit vt leo, quis suscitabit
Prou.28. eum? Iustus etiam leo vocatur, propter fortitudinem, Iustus
1.Petri.5. ait, quasi leo confidit. Præterea & diabolus leo dicitur, eo quod immitis sit ac sanguinem voret. Vt leo, inquit, obambulat quærens quem deuoret.

† † *Et hic in serpentibus, & alibi in œconomo iniquo, Prudentiam in-*
E *tellige obseruantiam eorum quæ cuique sunt utilia.*

Attendite autem ab hominibus. Tradent enim uos ad consilia: & in synagogis suis uerberabunt uos. Prædicit eis futuras tentationes, exacuens ad certamina. Attēdite, inquit, ab hominib. hoc est, obseruate homines: siue pericula ab illis expectate.

Et ad reges & præsides ducemini propter me. Postq̄ dixit quæ à Iudæis passuri erāt, nunc etiā dicit quæ ab aliis gentib.

In testimonium ipsis & Gentibus. Ad redargutionē Iudæorum & Gētium, ne postmodum dicere possint quod prædicationem non audierint: intantum enim audient, vt etiam prædicatores innumeris malis afficiant.

Quum autem tradent uos, ne soliciti sitis quomodo aut quid loquamini. Ne dicant: Et quo pacto idiotæ ac illiterati psuadere
F poterimus rhetorib. ac philosophis? primū hāc eorū soluit dubitationē dicens: Nē soliciti sitis qūo, aut quid loquamini.

Dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Dabitur, à me videlicet. Hæc autem iterum dixit eis instante crucis passione, quando de mundi cōsummatione illum interrogauerunt.
Luc.21. Ait enim Lucas, quod tunc etiam subiunxerit: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere aut resistere omnes, qui aduersantur vobis.

Non enim uos eritis illi loquētes. Hoc est, qui tunc loquent.

Sed spiritus patris uestri loquens in uobis. Sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis.

Prodet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium. Illi non credentes, hos prodent fideles.

Et *insurgent*

Et insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et simi- A
liter de his dicendum est. Per hos autem amicissimos etiam alios cognatos & familiares intelligit.

Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Ab omnibus, id est, à pluribus: nam multi ipsos dilexerunt. Est autem & hoc scripturæ idioma, vt omnes, dicat pro pluribus. Quum autem superius addiderit, Propter me, nunc addens etiam, Propter nomen meum, magnam eis consolationem ac animi alacritatem iniecit, quum persuasum habeant quod illis adsit & auxilietur, qui propter ipsum patiuntur.

Qui autem sustinuerit usque ad finem, hic saluus erit. Tria in- De patiē
nuit præsens verbum. Primum quod non solum eis opus sit tia.
ipsius auxilio, sed & propria fortitudine: vt non illius solum, sed & ipsorum bona sint opera. Et quod defatigari non oporB
teat. Nam quæ vtilitas est principij quod finem non habet? Præterea quod ad finem vsq; vitæ addenda sunt pericula. Dignum est autem vt hos admiremur: quomodo ad tanta ac talia emissi pericula, audientes quod vniuersum orbem inimicum haberent, totaq; vita sua tentarentur: non detrectarunt periculum, neq; liberationem à malis poposcerunt. Parebant enim tanquam morigeri magistro: & confidebant, vtpote fideles, de potentia emittentis. Quum autem didicissent, quod tantam haberet fidei prædicatio fortitudinem, vt adamantinum quoque naturæ amorem dissolueret, variis affectibus se mutuo vincentibus, magis incitati sunt, additisq; viribus, indubitata spe deinceps egregia opera exhibēdi: soli duodecim aggressi sunt orbem vniuersum: cum quo aduersus illos se diaC
bolus opposuit, iunctis secum innumeris dæmoniis. Illi vero obtinuerunt victoriam, non interficientes aduersarios, sed sibi connumerantes: & quos dæmonibus æquales acceperunt, angelis similes reddiderunt.

Quum autem persequuti uos fuerint in hac ciuitate, fugite in aliā. Postq̄ dixit quæ post ascensionem suam erant euentura, sermonem ad ea reduxit, quæ ante crucem futura erant. Iubet autem fugere, non tanquam timidos, sed tanquam eos qui expelluntur. Verum sicut Gregorius Theologus interpretatur, iubet vt misereātur persequentium & imbecilliorum: nec longe fugiant, sed ab hac ciuitate in illam, ne vllam prætereant, ad quam non perueniant.

Amen

D *Amen dico uobis: non perambulaueritis ciuitates Israëliticas priusquam ueniat filius hominis.* Priusquam veniat ad vos. Hoc autem ad solatium & refrigerium eorũ dixit, confirmans, quod citius eos esset sibi adiuncturus, quàm ipsi omnes Iudæorum ciuitates circumirent, siue antequam ad vniuersam Palæstinam accederent. Sufficiebat enim pro omni consolatione, vt illis adeo exagitatis appareret: quod sane tunc etiam fecit, sicut promisit. Quia autem futurum erat, vt ab his qui se persequerentur, calumniam sustinerent, & ideò molestè ferrent: super hoc etiam consolationẽ adfert, partim à proprio exemplo, & ab his quæ sibiipsi accidebant, dicens.

De magistro & discipulo. *Non est discipulus supra magistrum suum, neque seruus supra dominum suum.* Communem profert sententiam, quæque omnibus nota est: & huic adaptat quæ circa se accidunt, vt nullus possit contradicere. E Vere enim ita est, quod neque discipulus suo magistro præstantior est, neque seruus suo domino: dum ille discipulus fuerit, & iste seruus. nam subiectio quædam est doceri ac seruire, & secundum hoc ipsum omnino subiecti sunt. Itaque neque vos supra me estis, quum sim magister ac dominus vester.

Sufficit discipulo, ut fiat sicut magister suus. Satis est vobis discipulis ad consolationem, vt contumelia afficiamini, sicut & ego qui sum magister vester: idq; magnum est, vt etiam in talibus mihi similes sitis.

Et seruus sicut dominus suus. Rursum etiam huc trahendum F est quod dixit, Sufficit vt fiat.

Si patremfamilias Beelzebul uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Beelzebul nominabant principem dæmoniorum. Et licet manifeste scriptum non sit vocatum esse Christum Beelzebul à Iudæis, verisimile tamen est & hoc conuitium aduersum illum iactatum esse. Vel etiam alio modo. vocatum esse dicit Beelzebul, quia amicum illius vocabant eum, dicentes: Hic non eiicit dæmonia nisi per Beelzebul principem dæmoniorum, vt in processu inueniemus. Atqui multa quoq; alia conuitia iactabant in eum: verum hoc solum apposuit, tanquam omnium pessimum.

infra. 12.

De tecto & occulto. *Ne ergo timueritis illos.* Cõuitiantes videlicet ac mordẽtes. *Nihil enim tectum est, quin sit detegendum: & nihil occultum est, quin futurum sit ut sciatur.* Vniuersalis quidem sermo videtur: est tamen

est tamen & proprius: de virtute enim apostolorum loquitur: A quod hanc impossibile sit abscondi: quanquam enim nunc absconditа sit, & ideo vos obiurgant: suo tamen tempore detegetur. Etsi ergo nunc ab omnibus arguamini, ne timueritis tamen eos qui redarguunt: sed illos potius expectate, qui in posterum sunt laudaturi. neque præsentia contristent, sed futura potius ad confidendum adducant.

Quæ dico uobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Postquam hos tristitia liberauit, quæ propter conuitia causatur: nunc de prædicatione disserit. Atqui neq; tenebræ erant quando hæc dicebat: neque in aurem eis loquebatur. Sed quia priuatim hæc & non publicè dicebat: & solis eis, non omnibus, ideo ait: Quod dico vobis priuatim, dicite publice: & quod soli audistis, prædicate omnibus. B In tenebris ergo nominauit, quod priuatim dicebatur. In aurem vero, quòd solis. Et rursus. In luce, quod publice: in tectis autem, quod omnibus.

Et ne ab his timueritis, qui occidunt corpus: animã autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animã & corpus perdere in gehenna. Quum prius de aliis periculis dissereret, subincidit & sermo de interfectione ipsorũ: hanc ergo etiam prædicit, iubetq; eam paruipendi: ne timueritis, inquiens, ab his qui occidunt corpus, hoc est, ne timueritis occidẽtes corpus: neq; propterea prædicationẽ relinquatis: sed eum timete qui vos ad huiusmodi ministerium emisit: & facite quod iussum est. Siquidem illi, & si corpus occidant, nequaquã tamen animã superabunt: hic autem & animam & corpus po- C test perdere in gehenna, hoc est, punire. Timorẽ igitur hominum, dei timore repellite, minorẽ videlicet maiore. Aliunde quoq; hos de interfectionis metu consolaẽ: & vide quid dicat.

De passerculis. *Nonne duo passerculi paruulo asse ueneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro?* ἀσσάριον genus oboli, diminutiuum est ab asse, cuius tamen vilitas prouerbio celebris est. Dicit ergo nunc Christus interrogando: Nonne tantę vilitatis sunt passerculi, vt duo vendantur assario, hoc est, minimo obolo? & tamen neq; vnus ex his capitur laqueo absque deo, non tanquam cooperante, sed tanquam permittente.

Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Vos autem tanti estis, vt omnes quoque capilli vestri numerati sint à

D deo. Significat autem capillorum numerus exactam notitiã, quod valde cogniti sitis ab eo, & ad minutum quoq; nouit ea quæ circa vos sunt, propter magnam vobiscum familiaritatẽ. Quod si ne vnus quidem vilissimorum passerculorum laqueo capitur, absque eius consensu, sicut dictum est, multo magis vos qui precioſi estis, non interficiemini, nisi ipse consenserit. Non oportet ergo formidare.

Ne igitur timueritis, pluris estis uos quàm multi passerculi. Ad timoris abiectionem sæpius adhortatur, propter magnitudinem tentationum.

De cõfessiõe Christi.

E *Omnis ergo qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor & ego in illo coram patre meo, qui in cœlis est. Quisquis autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo, qui in cœlis est.* Confessionem vocat testimonium: prouocans eos ad sui testimonium. Dicit ergo: Omnis qui testimonium tulerit de mea diuinitate coram hominibus, & ego testimonium feram illi coram patre meo, hoc est, qui prædicauerit me esse deum, prædicabo & ego eum esse fidelem. Quisquis autem me repulerit, repellam & ego illum. Quod ergo dicitur, In me, Idem est, ac si dicat, mihi. Et quod dicitur, In illo ac si dicat, illi. Chrysostomus vero ait, quod non dixit, Quisquis confitebitur siue testimonium dederit mihi, sed in me siue per me, hoc est, à me adiutus. Vnde consequenter etiam intelligimus quum dicitur, Confitebor & ego in illo, perinde esse ac si dicat, A gratitudine ipsius motus. Quia autem futurum erat, vt turbatione ac cæde impleretur prædicatio, de hoc quoq; tractat, dicens:

F De pace & gladio †

Ne putetis quod uenerim pacem missurus in terram: non ueni pacem missurus, sed gladium. † Atqui nato eo dicebant angeli: Gloria in altissimis deo, & in terra pax. Et prophetæ pacem eius annunciauerant. Ipse quoq; discipulis iussit, vt quamlibet domũ ingredientes, pacẽ ei optarẽt. Quo ergo nunc dicit, Non veni missurus pacem, sed gladium? Quia gladius hic, pacem illam facturus est de qua dixerunt angeli, & ante illos prophetæ. Gladium autem vocat dilectionem erga se, vtpote fideles ab infidelibus diuidentem: cuius inexpugnabilis virtute, ipsi quoq; genere amicissimi, citius à mutua coniunctione sunt diuisi, facileq; abstracti. Alibi præterea vehementem eius actiuitatem demonstrans, dixit: Ignem veni mis-

Luc.12.

surus

surus in terram. Siquidẽ primum abscindere oportebat quod erat immedicabile: deinde pacificare cætera, & erga seipsum & erga deum. Propter hoc ergo durius ita loquutus est, vt his cognitis, postea non turbentur. Adhuc autem sermonẽ qui de hoc factus est explanat, breui verbo auditum eorum exercens, ne ob rerum difficultatem reclament. †

† *Quid per gladium significatur, nisi sectio uerbi, diuidens peius à meliori, & separans fidelem ab infideli: excitans filium & filiam ac nurum, aduersus patrem & matrem ac socrum: & noua ac recentia, aduersus antiqua & inueterata.*

Veni enim ut dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam. Rursus per hos charissimos, cognationem omnem significauit. Propriissime autem dixit, Vt hominem siue filium dissidere faciam aduersus patrem suum, filiam autem aduersus matrem suam. Siquidem chariores sunt: filius quidem patri, filia vero matri, propter naturæ similitudinem. Ad hæc nurum apte dixit aduersus socrum suam diuidendam esse: magnum enim cum obseruantia pudorem, reuerentiam, ac obsequium exhibebant nurus socribus. In nuru autem significauit & generum aduersus socerum suum separandum. Superius itaque simplicem fecerat enumerationem dicens: Prodet frater fratrem in mortem, & pater filium: hic vero alio modo enumerauit naturaliori, magisque proprio. Quod si dissidere facit hominem aduersus eum, qui ipso superior est, multo magis aduersus coniugem, quæ ipsi subiecta est: illud enim naturale, hoc autem ascititium est. Proinde hoc quasi manifestum reliquit intelligendum. In sequentibus vero etiam expresse de coniugibus commemorabit, dicens: Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centupla accipiet, & vitæ æternæ sortietur hæreditatem.

A

B

Sup.eodẽ

C

Infrà.19.

Et inimici hominis domestici eius. † Hoc propheticum est verbum, dictum olim aduersus Iudæos, quando contra se inuicem dissensiones habebant. Christus autẽ opportune aptauit his quæ dicta sunt, significans quod omnes domestici eius qui creditur est, inimici eius efficientur. †

Mich.7.

† *Michææ.7. Filius contumeliam faciet patri, & filia consurget aduersus*

D *aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis omnes domestici eius.*

Qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus. Hic quoque de solis ascendentibus & descendentibus in vnoquoq; disseruit, tanquam magis propriis & familiaribus. Qui amat, inquit, illos supra me: nam quando illi pij sunt, honestum est illos amare. Semper autem malum est amare illos supra deum.

Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Crucē vocat mortē ad ea quæ mundi sunt: quia mortis instrumentū erat crux. Oportet enim eū qui Christū sequutur, mortuum esse ad mundanas voluptates, sicut ille. Sequitur autem illum, quisquis per vestigia conuersationis eius incedit.

E *Qui inuenerit animam suam, perdet eam.* Qui inuenerit, hoc est, lucratus fuerit tempore martyrij, & non perdiderit per mortem, hic perdet eam in futuro seculo, hoc est, in supplicium iniiciet, nempe perdita fide.

Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Cui ablata fuerit mea causa ab infidelibus, hic potius inueniet illam, siue lucrabitur, id est, seruabit. Hæc autem dicebat abducens illos ab ignauo vitę amore, & ad martyrium prouocans:
infra.16. quod etiam tricesimotertio capite facit. Rursum alibi vario
Luc.14. modo Christus mentem impellit: sæpiusque id in multis facere solet.

Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Hęc dixit aperiens discipulis domos fidelium. Quis
F enim læta fronte illos non excipiet hospitio, per ipsos susceppturus filium, & per filium, patrem?

Qui recipit prophetam nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Etiam hæc propter eandem dixit causam. Generaliter autem primo simpliciter de propheta sentit, ac simpliciter de iusto
† intelligit: & deinde de discipulis infert. Dicit enim: Qui prophetam aut iustum hospitio excipit, non ad demonstrationē, aut alio quopiā simulato modo, sed ob nomen prophetæ vel iusti, id est, propter hoc ipsum, quod nominantur & sunt, ille propheta, & hic iustus: mercedē prophetę & iusti accipiet. Id autem duplicē habet interpretationē. Vel quod æqualibus cū his honoribus dignus habebitur: Nam magna res est hospitalitas:

litas: & præcipue si dei sint cultores qui excipiuntur. Aut A
quod dicendo, Mercedem prophetæ & iusti, ostenderit discipulos, & prophetas & iustos futuros. Ne quis vero paupertatis velamentum obtendat, vide quousq; sermonē demittat.

Et quicunque ad bibendum dederit uni ex his pusillis poculū aquæ frigidæ tantū, nomine discipuli, Amen dico uobis, non perdet mercedē suam. Pusillos dixit discipulos, docens eos modestiam seruare. ψυχρὸν communiter dicunt aquam frigidam, quanquam simpliciter aquam significare potest. Vnde & Marcus ποτήριον ὕδατος, id est, poculum aquæ absolute dixit. Marc.9.

Et factum est quum finem fecisset Iesus præcipiendi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, ut doceret & prædicaret in ciuitatibus illorum. Progressus est inde ad docendum & prædicandum in ciuitatibus discipulorum, à quibus illi orti erant: siue B
in ciuitatibus Iudæorum. Cap.11.

CAPVT VICESIMVM DE DISCIPVLIS A IOANNE MISSIS.

QVum autem Ioannes audisset in carcere opera Christi, missis duob⁹ è discipulis suis, dixit illi: Tu es ille qui uenturus erat, an alterum expectamus? Lucas vero dicit, quod ipsi renunciauerūt signa Ioanni, & tunc duos quosdā ex illis misit, quod æmulationē siue inuidiam manifestat, quā habebant isti aduersus Christū. Misit autē illos Ioannes interrogans, an ipse esset, quem venturū esse dicebant libri prophetarū, non tanq̄ ignorans: quo enim pacto dubitaret, qui antea eum prædicauerat, & propriis ma- C
nibus baptizauerat, ac desuper testimonium de eo audiuerat, diuinumq; spiritū super eum descendentem quasi columbam conspexerat? sed sciens discipulos suos inuidia moueri aduersus Christū: siquidem prius quoq; accesserant, dicentes, Rabbi, qui erat tecū trans Iordanem, cui tu testimoniū perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum: vehementer enim præceptorem suum amantes, & pariter gloria illius frui cupientes, indignabantur, videntes Christum celebrem fieri. Verum quia sæpius eos admonendo, persuadere nequiuerat, nunc autem breui moriturus erat: delectis duobus qui prudentiores essent, hos mittit ad Christū, prætextu quidem interrogandi, an ipse esset ille qui vēturus erat: vera tamē causa erat, Luc.7. Ioan.3.

D vt conspectis miraculis quæ faciebat, crederent: sciebat nanq; testimoniũ ab operibus credibilius esse, magisq; suspitione carere. Ideo etiã Christus, cognito quod ob id potius Ioãnes eos misisset, statim in illa hora multa operat⁹ est miracula, sicut dicit Lucas. Nam si Ioannes manifeste misisset eos quo spectatores fierent, nequaq̃ persuaderi potuissent, vt illuc abirent. Ob hanc ergo causam prætextũ finxit interrogationis.

luc. 7.

Et respondens Iesus dixit illis: Ite & renunciate Ioanni quæ uidetis & auditis. Cæci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resuscitantur, pauperes lætum euangelii nuncium accipiunt. Vide quomodo non ad effictam eorum

E interrogationem responderit, sed ad veram causam, propter quam missi erant. Pauperes autem qui lætum euangelij nuncium accipiunt dixit apostolos. Quid enim eo pauperius qui artem exerceat piscatoriam?

Et beatus est quicunq; offendiculum non acceperit in me. Hoc præsertim ppter ipsos dixit Ioannis discipulos, detegens illis cordis eorũ arcanum: ostenditq; quod se nõ lateret ipsos quoque offendi, quia cum publicanis & peccatoribus manducabat: & manifeste prius gastrimargiam ipsi obiecerant aduersus discipulos eius, vt dictum est decimoquarto capite.

supra. 9.

His autẽ abeuntibus cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne. Illi quidẽ meliores redditi abscesserunt. Quare autem non ipsis præsentibus loquutus est de Ioanne: Ne ei videretur adulari.

Quid existis ut uideretis in desertum? arundinem uento agitatam?

F Audita à turbis Ioannis interrogatione, quum intentum ignorarent illius, turbatæ sunt: quomodo is qui de hoc tot ac tanta testatus fuisset nunc dubitabat, & immutatum eum esse suspicabantur, quo cognito Christus, huiusmodi medetur suspitioni: docens simul, & quod cordium esset cognitor, & confundendo eos redarguens. Ait ergo: Quid existis in desertum, vt videretis arundinem quæ à vento agitatur? hoc est, leuem & instabilem hominem, & ad modum arundinis facile mente mutabilem, vt nunc suspicamini? aut ediuerso stabilem, saxoque solidiorem, vt tunc vestrum studium ac concursus testabantur?

Sed quid existis ad uidendum? hominem mollibus uestibus amictũ?

Delitiis scilicet gaudentem, vt etiam ex hoc mollis videatur facileq; mutabilis? aut potius econtrario, duris exercitatum, vt etiam

vt etiam vestis eius ac cibus confirmarunt? A

Ecce qui mollia gestant in domibus regum sunt. Hic vero primum quidem in deserto versabatur, nũc autem in carcere retinetur. Quia vero quidam à domo leues esse monstrantur, & quidam à delitiis hoc patiuntur: posuit Christus & hoc & illud: ac probauit neutrum posse dici de Iohãne. Deinde quod verum est infert, & veritati attestatur, ac Baptistæ elegantem contexit encomij coronam.

Sed quid existis ad uidendum? prophetam? utique dico uobis, & excellentiorem propheta. † Excellẽtiorem, hoc est maiorem. Deinde dicit in quo maiorem: videlicet in eo, quod venerit circa Christi aduentum. Nam maiores aliis inter præcones sunt hi, qui prope regem præcedunt. †

B

† *Excellentiorem propheta, utpote qui suis uidit oculis à se prophetatum, quẽ prophetæ ipsum præcedentes in ænigmate conspexerãt.*

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui apparabit uiam tuam ante te. Post suum testimonium adfert & propheticum: est enim Malachię verbum. Dictum est autem quasi à patre & deo, ad filium etiã deum. Iohannem vero angelum suum deus nominauit: siue quia ἄγγελος dicitur nuncius, & Iohannes quæ sibi dicta erant de Christo, annunciauit populo: Factum est, inquit, verbum dei super Iohannem Zachariæ filium in deserto: siue quasi angelicam degentem vitam, eo quod super terrena eleuabatur, ac cœlestia sapiebat. Ante faciem tuam, hoc est in conspectu tuo præcedentem, tanquam domesticum tuum, qui etiam coram te parabit viam tuam. Via autem Christi animæ erant hominum per quas oportebat verbum procedere prout tertio capite latius diximus. Potest etiam dici excellentior propheta, quia eum quem vidit prophetabat: quod nulli contigit prophetarum. Nec vidit tantum, verum etiam baptizauit.

Malach.

Luc. 3.

C

Supra. 3.

Amen dico uobis: Non exortus est inter eos qui è mulieribus nascuntur, maior Iohanne Baptista. Non natus est, inquit, inter homines, qui è mulieribus nati sunt, maior illo. Quis enim alius in vteri tenebris absconditus, lucem venisse agnouit, & illam exultatione adorauit? Nullus alius præter hunc solum, qui merito sane cunctis maior est. Et rursus, quis ab infantia ita solitariam ac eremiticam duxit vitam, taleq; elegit exercitiũ?

De Iohanne.

D ercitium? Certe nullus omnium. Postquam ergo Baptistã laudauit à concursu Iudæorum ad ipsum: deinde à virtute illius: & tertio à suo suffragio: quarto quoq; à prophetæ testimonio: & maiorem prophetis eum prædicauit, ac vniuersaliter omnibus maiorem hominibus: curat hãc laudum magnitudinem, ne propter hæc, ipso etiam Christo honoratiorem ducerent. Et vide quid dicat.

Qui autem minor est, in regno cœlorum maior est illo. Minorem seipsum dicit, eo quod ita videretur apud Iudæos: Nam Iohannem eo maiorem habebant, vtpote qui ab infantia in eremum secesserat, & admirabili vitæ instituto vsus fuerat. Christum vero tanquam communi modo conuersantem de-
E iiciebant. Qui inquit minor est, id est, qui videtur minor illo, maior eo est in regno cœlorum, hoc est, imperando cœlis: vtpote non homo solum, sed etiam deus.

A diebus autem Iohannis usque nunc, regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Chrysostomus dicit, quod hic regnum vocat fidem in ipsum, vtpote arrhabonem ad regnũ cœlorum, ad fruitionem inquam bonorum quæ habentur in cœlis. Vim autem patitur, hoc est violente ab hominibus arripitur, dum illi sibiipsis vim inferũt, ac certe necessitate propriorum vincunt affectuum, aut etiam infidelitatis tyrannidem. Ideoq; hoc manifestans, subiunxit quod violenti rapiãt illud. Hanc vero laudabilem violentiã, incepisse dicit à die-
upra.3. bus prædicationis Iohannis, qui populo clamauit: Resipiscite: instat enim regnum cœlorum. Hoc autem nũc dixit Chri-
F stus, simul quidem in laudem Iohannis, quasi hominum salutem sit auspicatus: simul quoque excitans auditores, vt & ipsi similiter vim inferrent sibiipsis.

Omnes enim prophetæ ac ipsa lex, usque ad Iohannem prophetauerunt. Legem vocat veterem legislationem. Siquidem etiã in hac multa de Christo prædicta sunt: & maxime in legibus de sacrificiis, figuram aut præsagium habentibus eius, qui pro mundo erat offerẽdus. Dicit ergo: Omnes prophetæ, qui vidélicet de vẽturo Christo prophetauerãt, & lex quæ in ouiũ & agni immolatione, prophetabat de Christo immolando, huiusmodi prophetias ad Iohannem vsq; protenderunt. Hæ siquidem prophetiæ erant vsque ad Iohannem: deinceps vero cum illo iam non prophetiæ manserunt, sed operum exhibitiones

bitiones factæ sunt. Nam horum ipse vidit euentum: ideoque A
agnito Christo, agnum eum appellauit, dicens: Ecce agnus *Iohan.1.*
dei qui tollit peccatum mundi. Christus autem hunc loquutus est sermonem, simul Iohannem hinc laudans, tanquam primum qui harum prophetiarum cognouit euentum, quasi & ipsum prophetam: simul quoque docens, quod aduenerit iam qui prophetabatur, nec deinceps alterum oporteat expectare. Est autem & alia quædam expositio, quod omnes simpliciter prophetæ, & lex prophetandi, vsque ad Iohannem Iudæis prophetauerant, & hic vltimus est prophetarum: deinceps vero nullus alius eis prophetabit. Huic ergo quasi postremo, omnino credere oportet, qui multa de me testatus est:
& venit vt omnium animas tanquam sponsas ad me adducat: B
Nam & hunc Malachias propheta missum dixit, vt appare- *Sup.eodẽ*
ret viam meam ante me.

Et si uultis recipere, ipse est Elias qui uenturus erat. Expectãt Iudæi Christum tunc venturum quum venerit Elias, vt præcurrat aduentum eius. Malachiæ namque prophetia est quæ *Malac.4*
dicit: Mittam vobis Eliam Thesbyten, qui restituet cor patris ad filium. Et certe venturus est Elias, vt præcurrat Christi aduentum, sed secundum: Iohannes namq; primũ præcucurrit. Dicit ergo Christus: Si vultis recipere quod futurum esse dictum est de hoc tempore: siue suscipere, id est rebus animum aduertere: ipse est Elias qui venturus erat, vtpote ipsum illius ministerium perficiens. Sicut enim ille secundum meũ aduentum præcurrens, cõuertet corda Iudæorum illius tem- C
poris ad apostolos: patres siquidem apostolorum sunt Iudæi: ita & hic conuertit, præcurrens meum aduentum, corda eorũ qui crediturí sunt Iudæorum, ad me qui sum filius eorũ. Nam secundum humanitatem Christus à Iudæis descendit. Et sicut primus Elias, secundus præcursor dicitur: ita sane & primus præcursor, secundus Elias appellatur propter simile ministerium, vt dictum est.

Qui habet aures ad audiendum audiat. Aures nunc dicit intelligibiles: omnes siquidem auditores habebant sensibiles. Dicit autem: Qui habet aures intelligibiles ad intelligẽdum, intelligat quod dictum est, puta quod Iohannes sit Elias: videbatur enim ænigmati simile. Nam demonstrãdo quod Iohannes esset Elias, simul quoque demonstrauerat aduenisse

Christum

D Christum. Dicens autem, Qui habet aures ad audiendum audiat, excitat eos ad interrogandum de eo quod ænigma videbatur.

Cui autem assimilabo generationem hanc? Lucas habet, Cui assimilabo homines generationis huius? Assimilabo vero, id est cõparabo. Vult autem esse difficile cõuincere Iudæos. *Similis est puerulis in foro sedentibus & acclamantibus cõsodalibus suis.* Puerulis Iudæos comparauit, propter eorum insipientiã. Forum autem locus est publicus in quem multitudo vndique confluit negotiationis gratia. Consodalibus vero, hoc est amicis suis: & seipsum ac Baptistam intelligit, quibus acclamabant siue colloquebantur Iudæi.

E *Et dicentibus: Tibia cecinimus uobis, & non saltastis: lugubria cecinimus uobis, & non planxistis.* Dicunt prædicti consodalibus suis, Tibia cecinimus vobis, &c. Habent autem hunc sensum: Ostendimus vobis facilem viuendi normam, & non placuit: ac difficilem, & rursus displicuit. Tibia namque læta canere, facile est: lugubria vero canere, difficile. Et rursum saltare, altero læta canente tibia, delectat: similiter plangere siue lugere, aliquo lugubria canente complacet. Deinde subdens interpretatur prædicta dicens:

De Christo & Ioanne.

Venit enim Iohannes neque manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Et uenit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: En hominem comedonem ac uini potorem, publicanorum amicum & peccatorum. Iohannis viuendi modus difficilis erat

F & asper: neque enim panem edebat, neque vinum bibebat: Christi vero, facilis ac lenis: panem siquidem edebat vinumque bibebat: & erant inuicem contrariæ hæ viuendi rationes, neutrius tamen conuersatio placuit: sed Iohannem quidem propter escarum, vinique abstinentiam, dæmonium habere dicebant: Christum vero, quod ederet ac biberet, comedonem, vinique potorem nominabant: quanquam manifeste horum calumnias non scripserit Euangelista, præsentem sermonem arbitratus sufficere. Quemadmodũ enim duo venatores, animal captu difficile venari conantes, quod solis duobus modis capi potest sibi mutuo contrariis, diuidentes hos inter se, vt alterum quisque eligat, oppositoquidem inter se inuicem modo venantur: idem tamen faciunt. Ita quoque hic dispositum est, vt Iohannes quidem durioremvi-

Luæ. 7.

rem viuendi regulam haberet, Christus vero molliorem: vt A
siue hunc, siue illum eligentes, obedirent eis: & vel per hunc vel per illum caperentur. Et erant sane hæ viæ inter se inuicem contrariæ: simile tamen erat opus. Verum hi, tanquam fera captu difficilis, vtrumque fugientes, vtrique detrahebant. Interrogemus ergo illos. Est ne proba vita asperior? quomodo ergo non obedistis Iohanni Christum vobis demonstranti? At fortassis vita mollior ac suauior magis placet. Et quare non obedistis Christo viam salutis vos docenti? Verum quam ob causam Iohannes potius asperam viuendi normam habuit? Quia oportebat pœnitentiæ prædicatorem tristemquandam grauitatem præ se ferre: & remissionis peccatorum largitorem, humanum atque benignum esse. Et quia B
Iohannes nihil amplius, quàm solam vitæ normam Iudæis *Iohan. 10*
demonstrauit: Siquidem Iohannes, inquit, nullum fecit signũ: Christus vero etiam à diuinis miraculis testimonium adeptus est. Præterea quoque sciens imbecilles esse homines demittit sese, vt illos magis lucrifaceret, & propter hoc ad men- *Supra. 9.*
sas etiam publicanorum dispensatorie accedebat: & indignã tibus causam reddebat, dicens, Non veni ad vocãdum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Neque tamen duram viuẽdi normã neglexit, in deserto cum feris versatus, ac diebus quadraginta ieiunans, vt supra dictum est. Præterea quoq; ad mensas accedens verecunde, temperate, & prout sanctos decet, religiose edebat ac bibebat.

Et iustificata est sapientia à filiis suis. Iustificata est, id est, iu- C
sta habita est, siue admirationi habita est dei sapientia, quæ disposuit vt Christus ac Iohannes oppositis viis incederẽt, propter ipsam hominum vtilitatem. Admirationi autem habita est à filiis suis, siue ab intelligentibus illam: filij nanq; sapiẽtiæ sunt sapientes aut intelligentes. Vel iustificata est, hoc est iusta ac irreprehensibilis habita est: vtpote quę fecit quicquid debuit: & omni modo vsa est ad illorum salutem.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus æditæ fuerant plurimæ uirtutes eius, quod non resipuissent. Exprobrare, hoc est miseras dicere ac deplorare. Nam probrum miseria est. Virtutes autem dicit miracula.

Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & cinere resipuissent.

D respuissent. In sequentibus Sodoma & Gomorrha ponit, vtpote in libidine nominatissima: Tyrum autem & Sidona tãquam maxime in idololatria insignes.

Attamen dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicii quàm uobis. Attamen, id est propter hoc. Significat autẽ miseriam ac minas, vt vel erubescant vel paueant.

Et tu Capernaum usque ad cœlum exaltata, usque ad inferos detraheris: quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, permansissent usque in hodiernum diem. Capernaum celebris fuit, eo quod habitauerit in ea Christus, multaq; miracula in ea ediderit. Dicit ergo: Et tu per gloriam vsque ad cœlum exaltata, vsque ad inferos detraheris per ignominiam. Sunt autem quæ dicuntur alterius rei significatiua. Siquidem vsque ad cœlum, gloriæ demonstrat magnitudinem: vsque
E ad inferos autem, ignominiæ. Augmentum vero criminis & demonstratio extremæ prauitatis est, non solum peiores esse peccatoribus qui tunc erant, sed & illis qui vnquã fuerant.

Attamen dico uobis quod Sodomis tolerabilius erit in die iudicii, quàm tibi. Vobis, ad ciuitatis illius ciues dictum est: Tibi vero ad ciuitatem.

In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. ἀποκρίσεως vocabulum (quod nos communiter responsionem vertimus) varia significat: Mitto nunc separationem ac digestionem secundum medicos, & quæ ad hoc fit, terminationem. Interdum quidẽ prin-
F cipij locum habet, vt quum dicitur, Respondens Iesus dixit, Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, de quo nunc est sermo: nulla enim præcessit interrogatio. Quandoquẽ vero ad interrogationem redditur, vt est illud, Respondens Simõ
Infra.19 Petrus dixit, Tu es Christus filius dei viui: præcessit enim
Infra.15 interrogatio. Interdum quoque sermonis continuationem significat, vt capite vicesimonono huius, quum Cananea dixisset, Vtique domine, nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt à mensa dominorum suorum: consequenter statim subiungitur, Tunc respondens Iesus dixit illi: O mulier magna
Infra.13 Infra.26 est fides tua: Fiat tibi sicut vis. Ad hæc quoque significat exhortationem siue deprecationem: vt quum dicitur, Respondens autem petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam hanc.

Quando-

Quandoque autem abundat: vt quum dicitur, Respondens A
autem Petrus dixit illi: Et si omnes offendantur per te, ego ta Mar.14
men nunquam offendar. Siquidem Marcus prætermisit Respondens, & dixit: Petrus autem ait illi, &c. Interdum vero significat etiam interrogationem: vt quum dicitur, Respondit eis Iesus, Num ego vos duodecim elegi? Confiteor au- Ioan.6
tem dicit nunc gratiarum actionem. Sapientes vero & prudẽtes, eos qui tales populo videbãtur, puta Scribas & Pharisæos. Paruulos vero, Apostolos, propter simplicitatem & innocentiam, ac synceritatem. Gratias tibi ago, inquit, quod abscõderis fidei mysteria, à sapientibus & prudentibus, illa cognoscere nolentibus: & reuelaris ea paruulis, læto animo ipsa susscipientibus. Gratias autem agens patri, demonstrauit se filiũ
B eius esse ab illo missum. Egit ergo gratias credentium nomine, significans quem erga homines haberet amorem. Hanc autem gratiarum actionem deo obtulit etiam pro septuaginta quos emiserat, quando ad eũ reuersi sunt, sicut dixit Lucas. Luc.10

Vtique pater, quia sic fuit bona uoluntas apud te. Vtique gratias tibi ago pater, quia ita fuit bona voluntas, siue beneplacitum coram te, hoc est, quia ita bene placuit tibi, vt hæc repelleres ab iis qui ea repellunt tanquam indignis, reuelares autẽ ea his, qui ad illa accedunt tanquam dignis: idque iustũ est. Ne tamen patri gratias agens, videatur hominibus minus illo potens, & à natura paterna alienus, dixit.

Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Omnia videlicet quæ Ioan.16
patris sunt. Siquidem etiam alibi dicit, Omnia quæ pater habet, mea sunt. Quod si omnia ei tradita sunt, omnium vtique C
dominus est: si vero omnium dominus est, æqualis certe est patri. Id autem, Tradita sunt, prout deum decet intellige: non quod primum ea non habens, postmodum acceperit: nihil enim illum præcessit, ne ipse quidem pater, sed simul pater & simul filius, simulque omnium dominus. Verum consuevit dispensatorie hęc sępius dicere, patrem honorans. Hanc ergo in similibus habeto solutionem.

Et nemo cognoscit filium, nisi pater: neque patrem quisquam cognoscit, nisi filius. Cognitionem dicit non vulgarem, sed iuxta naturam ipsorum. Quod enim sint pater & filius, cognoscimus omnes credentes. Quis autem sit pater iuxta naturam, & quis filius, nemo cognoscit. Dicit enim Lucas: Nemo co- Luc.10

gnoscit

D gnoscit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius. Hoc ergo dixit Christus, minifestius docens æqualitatem ad patrem. Nam si soli omnium æqualem habent de se inuicem cognitionem, æquales vtique sunt.

Eodem. *Et cuicũque voluerit filius reuelare.* Etiam hoc æqualitatem indicat. Si enim reuelat pater, vt supra dictum est, reuelat & filius: æquales certe sunt. Reuelabit autem naturam patris iis, qui digni fuerint in futuro seculo. Quod si patris naturam reuelabit, vtique & suam & spiritus sancti. Vna enim & eadem est trium. Dicendo vero: Nemo cognoscit, creaturas significauit: spiritum sanctum autem, vtpote increatum non comprehendit. Et quam ob causam de hoc etiam manifestius
E non est loquutus? Quia nondũ tempus erat vt de eo doceret. Primum siquidem oportebat filij cognitionem mentibus discipulorum insinuari: deinde etiam illis ea reuelari, quæ sunt spiritus sancti.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Qui laboratis in opere peccati, & eius pondere onerati estis. Vides quomodo ostenderit peccatum, & laborẽ & pondus habere? Nam laborem habet priusquam perficiatur: habet pondus postquam perfectum est. Potest autem & alio modo dici? Qui laboratis ad vana, & horum curis onerati estis. Et ego refocillabo vos, siue liberabo tali labore, taliq; pondere.

De iugo. *Tollite iugum meum super uos.* Iugum nominauit euangelica præcepta sua, quod in iugi modum superponantur accedentibus ad ea: & ipsos colligent, ad se inuicem, & ad aurigam Christum.
F

Et discite à me quod mitis sim, & humilis corde. Mititatem hic dicit modestiam: pars siquidem modestiæ est mititas. Ideo postquam dixit, Quod mitis sim, interpretatur quod dixit: & vide quid addat: Neque enim dixit, humilis tantum, sed humilis corde, hoc est humilis animo & electione. Humilitas namque ab infortunio procedens, infructuosa est, vtpote leuis & inuoluntaria: Præterea humilitatem eis attulit, tanquã omnis radicem virtutis. Seipsum item in exemplum constituit, vt facilius sermo susciperetur.

Et inuenietis requiem, animabus uestris. Humilitas enĩ cordis quæcunque patitur: verbo solum pati videtur, neque turbatur.

batur. Quidam vero Requiem, eam quæ æterna est interpretantur. A

Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Iugum quoque vocauit onus: sed iugum quidẽ propter dictam causam: onus autem, eo quod graue sit inexercitatis. Vide ergo quomodo & iugum dixerit, & suaue vocauerit: onus quoque dixerit, & leue appellauerit: vt neque despicias, quasi facilia: neque fugias, tanquam laboriosa. Quære autem in quinto capite interpretationem eius quod dicitur de angusta porta & stricta via quæ ducit ad vitam. Suprã. 7

In illo tempore ibat Iesus sabbatis per segetes. Sabbatis, hoc est, die sabbati. Segetes, hoc est, agros seminatos frumentis. Cap.12.

Discipuli uero eius esuriebãt, & cœperunt uellere spicas & comedere. Marcus autem dixit: Cœperunt discipuli eius inter ambulandum vellere spicas. Quia enim per medias segetes transibant, vnã spicas auellebant, vt pregredi possent, & auulsa grana edebant, confricantes manibus, sicut dixit Lucas, hoc est, terentes: nam esuriebant, tanquam fame compulsi hoc facientes: siquidem minimam corporis curam gerebant, sed omni tempore auditu & assiduitate saluatoris detinebantur, & ideo fame premebantur. Marci. 2. Lucæ. 7. B

Pharisæi autem quum uidissent, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbato. Lucas vero ait, quod ita dixerint discipulis: Quid facitis quod non licet facere sabbatis: Siquidem & Christo & discipulis hæc dixerunt, anxie circa minutula occupati, ac carpendi quærentes occasionem: & de hoc quidem dixit Matthæus, de illis autem Lucas, taliaque frequenter inuenies. Indignabantur autem quod vellerent, ac si opus esset, non quod manducarent. C

Iesus autem dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo ingressus sit domum dei, & panes propositionis ederit, quos non licebat illi edere, neque his qui cũ eo erãt, sed solis sacerdotibus. Primo Regũ volumine scriptũ est, quod Dauid insidiis apperitus Saul soceri sui, ac fugiens, esuriit: & ingressus Nobe ciuitatem sacerdotum dei, finxit quod quadam necessitate missus esset à rege Saul, panesque petiuit, quumque casu alios non inuenisset, accepit à sacerdote fame compulsus propositionis panes. Propositio † autem illa, erat mensa, super quam panes oblationis in templo posit⁹ De Dauid. 1. Reg. 2. †

D positi erant: & acceptos comedit ipse, & pueri qui cum eo erant. Hæc itaque est historia. Illud autem, Non licebat, id est, non erat à lege concessum. Hanc vero historiam, Christus pharisæis obiecit in patrocinium discipulorum suorum: ostendens quod venia digni essent propter famem, propter quam ipse quoque Dauid famatissimus soluit legem panum propositionis: neque solum correptus non est à sacerdote, qui tunc sorte sua ministrabat, imò potius ipsos ab illo accepit.

† † *Non uidetur autor hic phrasim considerasse Hebraicam, quam in plerisque sequutos fuisse euangelistas in principio libri diximus: per quam & hic dicũtur panes propositionis, id est, propositi, quia recentes super mensam coram propitiatorio ponebantur singulis sabbatis, ut habes Leuit. 24.*

E *Num legistis in lege quod sabbatis sacerdotes in templo sabbatum prophanant, & sine crimine sunt?* Ipsis frequenter recensebat, Num legistis? exprobrans illis vanum laborem, vt qui nõ intelligerent quæ legebant. Nam lex erat, quæ præcipiebat nullum opus fieri in sabbato: & rursus altera lex permittens sacerdotibus vt sacrificarent sabbato, & propter sacrificium ligna scinderent, ignem accenderent, animalia pascerent, & alia quædam similia facerent. Et certe omnino operabantur: & ita sabbatum prophanabant siue contaminabant, sed tanquam res sacras operantes, sine crimine erant. Historiam itaque Dauid posuit, discipulos venia dignos iudicans, vt prædiximus. Præsens autem sumpsit exemplum, abunde ostendens quod omnino sine crimine erant. Et vide à quot par-
F tibus hoc cõfirmauerit. Primum à persona: Sacerdotes inquit. Deinde à loco, quia in tẽplo. Tertio à re ipsa, quia prophanant: Non enim dixit, Irritum reddunt sabbatum, sed quod grauius est, prophanant. Deinde induxit quod rei caput erat, Quod etiã sine crimine sunt. Præposuit itaq; leuiorẽ respõsionem, ac postmodũ adduxit & fortiorem. Dauid siquidem propter casum inopinatũ semel legem soluit de panibus propositionis, & per veniã dimissum est ei crimẽ. Sacerdotes vero quotidie sine huiusmodi casu legem de sabbato soluentes, per legem suæ transgressionis fructum referunt.

Dico autem uobis quod templo maior est hic. Ipse enim templi dominus, hic præsens est. Quod si sacerdotes templi, sabbatum soluentes sine crimine sunt, multo magis discipuli domini

mini templi: Nam sicut illi propter causam rationabilem cri A
mine vacant, eo quod sacrificent, & sacra faciant opera, ita etiam isti. Hebræis siquidem propter suam imbecillitatẽ vnum hebdomadæ diem attribuit, quo ab operibus cessarent, puta sabbatum: vt in eo & ipsi ab aliis vacarent operibus: & serui sui ac iumenta requiescerent: darent autem operam legis lectioni & sacrificiis. Christianis vero tanquam fortioribus, to ta hebdomada iussit operam dare lectioni ac spiritualibus sacrificiis: & illis quidem alia prohibuit, vt operam darent lectioni ac sacrificiis: hos autẽ spiritualibus vacãtes, ne ab aliis quidem abstraxit. Non enim illorum manus alligari oportebat, qui eas ad nihil prauum extendebant: neque de paruis legem ferre his, qui de magnis philosophabantur, aut imperfectos æqualiter sese in modo viuendi habere cum perfectis. B
Nos vero dominicum diem præcipue honoramus, tanquam proprie requiem, in quo à mortalitate requieuit is, qui nostræ massæ primitias accepit, & innouauit nobis resurrectionem, vitamque immortalem.

Quod si sciretis, quid sit, Misericordiam uolo & nõ sacrificium, ne-quaquam condemnassetis innocentes. Quia odiosius videbatur *Osee. 6*
quod dixerat, Templo maior est hic, sermonem ad veniam mutauit, sed cum increpatione: nam rursum illis ignorantiam improperat scripturarum, dicens: Si sciretis quid significet prophetæ dictum, quo misericordiam præponit deus sacrificio, miserti vtique fuissetis adeo esurientium, vt immaturum ederent triticum: nec eis indignati fuissetis, quum culpa vacarent: & si non ob aliud, at saltem propter famem. Si enim
propter sacrificium soluitur sabbatum, vt prædictum est, mul C
to magis propter misericordiam: maior est enim misericordia sacrificio, iuxta dictam sententiam.

Dominus enim est sabbati, filius hominis. Rursum diuinitatem suam ostendit. Interdum siquidem hanc obumbrat propter obtusum aspectum quærentium carpendi ansam: quandoque vero manifestat ob acutum visum modestiorum. Dominus est, inquit, sabbati qui incarnatus est, vtpote effector ac legislator eius: itaque me domino præsente ac tolerante, vos frustra meos condemnastis. In euangelio autem iuxta Marcum aliam quoque inuenire est responsionem, vbi ait *Marci. 2*
Christus: Sabbatum propter hominem factum est, non homo

D propter sabbatum, hoc est, sabbati ocium ad hominis vtilitatem statutum est, & nō ediuerso: Aut etiam sabbatum ipsum, cunctique dies illud præcedentes, ad hominis vtilitatem facti sunt. Non autem admirandum est, si quædam vnus euāgelista proponit, alius vero prætermittit. Neque enim simul, vt Christus loquebatur, euangelia scripserunt, vt omnium etiam verborum illius possent meminisse: sed multis postmodum annis: & ita verisimile est, quum homines essent, quorundam oblitos fuisse: hanc ergo ad similia additamenta aut prætermissiones habeto solutionem. Sæpius quoque breuitatis causa quædam aliqui reliquerunt: interdum etiam tanquā non necessaria.

Marci.5 Lucæ.6 E *Et progressus inde, uenit in synagogam illorum.* Marcus autem dixit, quod rursum ingressus est synagogam. Lucas vero manifestius loquutus est, dicens: Factum est autem, vt altero quoq; sabbato ingrederetur synagogam & doceret.

CAPVT XXI. DE EO QVI MANVM HABEBAT ARIDAM.

ET *ecce homo erat manum habens aridam.* Lucas autem dixit etiam vtra manus fuerit, quum scriberet: Et manus eius dextera erat arida.

Et interrogauerunt eum, dicentes: An licet sabbatis curare? ut accusarent eū. Suspicātes quod rursus sabbatis quosdam curaturus esset, interrogatione eum anticipant: vt quum respondisset licitum esse, sumerent occasionē F illum iam accusandi tanquam transgressorem: & ita prohiberent, & illū ne curaret, & alios qui propter sanitates fuissent crediturī. Malebant enim suæ gentis homines morbis corrūpi, quàm Christum glorificari.

Ille autem dixit eis: Quis est ex uobis homo, qui habebit ouem unam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehendet eam & eriget? Vide quomodo illos hoc exemplo concluserit: ostendens possessionum potius amatores esse quàm hominū: & quod iumentis parcentes, hominum non misererētur. Obserua etiam quo pacto diuersas variis in locis dederit de sabbati solutione rationes, prout res expetebat: vt rationabiliter legem solueret, nec tamen Iudæos perturbaret.

Quanto

Quāto ergo est homo præstantior oue. Quum illi suo silentio A ei assentirent: id enim quod ipse interrogauerat lex permittebat, nec contradicere poterant: enunciatiue dixit, quod homo longe dignior est oue.

Licet itaque sabbatis benefacere. Quum exemplo ab oue sumpto illorum ora obturasset, deinceps ad id quod ab eis interrogauerat respondet. Siquidem Marcus & Lucas di- Marci.3 cunt, quod etiam hominem statuerit in medium, & interro- Lucæ.8 gauerit eos: Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? Postquam enim eis respondērat, statuit illum in medium, vt à miserabili aspectu dissolueret cordis illorum duritiem, eisque persuaderet vt inuidiam abiicerent, conspicientes quod semper bonum sit eos qui dira patiuntur curare. Deinde con B tra, etiam illos inexplicabilem interrogat quæstionem. At illi veritate redarguti, tacebant quidem, sed ob prauam voluntatem non plene ei acquiescebant: ideoque cum ira circumspiciebat eos, sicut dicit Marcus, quo illos confunderet, contristatus super duritia cordis ipsorum. Nam ab inuidia induratum, nec aspectu miserabili placabatur, nec sermonem cui contradicere non poterant, recipiebat.

Tunc ait homini: extende manum tuam. & extendit: restituta- que est sanitati sicut altera. Suo hunc iussu curauit: & illos exterrens, & deum se esse ostendens. Gestat autem dextram manum aridam, quisquis dexteram operationem non exercet: dico sane virtutem.

C

Pharisæi uero egressi, cœperunt consilium aduersus eum, quo modo illum perderent. Consilium cœperunt inter se inuicem. De Hei dianis. Marcus autem dicit quod cum Herodianis consultarunt, qui Marci.3 & ipsi genere quidem erant Iudæi, vehemēter autem Herodem colebāt, & ipsum esse dicebant Christū à prophetis promissum. Nam quia prophetatum erat tunc venturū esse Christum quando deficeret qui ex Iudæis imperaret: defecerat autem diebus Herodis qui infantes necauerat: primus siquidem hic alienigena Iudæis imperauit: ideo hunc esse suspicabantur qui venturus expectabatur: & coniuncti inuicem, propriam fecerunt sectam. Et quia Herodem plurimum amabāt, Herodiani cognominati sunt. Hæc itaque de Herodianis dicta sint: De Iudæis autem dixit Lucas, quod dementia re- Luc.6 pleti sunt, & mutuo colloquebantur, quidnam ipsi Iesu face-

 rent.

D rent. Neque enim solum perterriti non erant, sed & inuidia obtenebrati, & dementia repleti erant: & primum quidem colloquebantur quidnam ipsi facerent mali, deinde cõsultauerunt, vt eum interficerent.

Quo cognito Iesus secessit inde. Oportet enim à prauis recedere: nec, se periculis obiiciendo, eorum insaniæ permittere. Simul etiam, quia nõdum aduenerat tempus mortis ipsi⁹, multosq; adhuc oportebat curari ac frui doctrina eius.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ, curauitq; eos omnes, & interminatus est eis ne se facerent manifestum. Hoc in loco verbum ἐπετίμησε interminatus est, tantundem valet, ac si dicas, præcepit & variis verbis suasit. Vide autem quomodo & ægrotorum curam habet, & Iudæorum deuitat inuidiam, præcipiens ne se manifestum facerent quod curaret: plerumque enim
E futurum erat, vt hoc audientes exasperarentur. Quia autem huiusmodi præceptum præ magna mansuetudine ac lenitate faciebat, malens suam gloriam penitus occultari, quàm hos ad maiorem insaniam accendi, inducit prophetam euangelista, qui de tanta eius lenitate ac tolerantia olim fuerat loquutus, & dicit.

Vt compleretur quod dictũ est per Iesaiam prophetã, dicentẽ: Ecce
Isa.42 *filius meus quem elegi.* Hæc sub persona patris dicit, Ecce filius meus vnigenitus, quem elegi, hoc est omnibus prætuli. Quia autem duo continet in se Christus: in eo quod dicit, Filius, diuinitatem significat. In eo vero quod addit, Quem elegi, humanitatem. Et similia sunt quæ sequuntur.

Dilectus meus in quo bene complacuit sibi anima mea. Pari modo, Dilectus meus, de diuinitate dictum est: In quo bene
F complacuit sibi anima mea, de humanitate. Est enim dilectus vnigenitus. In ipso vero bene sibi complacuit, vtpote in quo oblectatus est: vel tanquam in eo, per quem bona voluit, dico sane hominum salutem. Ipso quoque baptizato, huiusmo-
Matt.3. di vocem pater desuper emisit, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacitum est: similemque ibi dedimus enarrationem: lege ergo & illam, vt planius intelligas. Quod autem dicitur, In quo bene cõplacuit sibi anima mea, idem est quod, In quo bene mihi complacitum est: Multa itẽ huiusmodi quæ hominum sunt, veteris testamenti scriptura dicit de deo, propter crassam Hebræorum mentem: quæ omnia in-

nia intelligere oportet quatenus deo conueniunt. A

Ponam spiritum meum super eũ. De filio incarnato hoc dixit, tanquam de homine proficiente per accessum spiritus sancti: de quo etiam dicit Lucas: Puer autem crescebat & corLuc.2. roborabatur spiritu, plenus sapientia, & gratia dei erat super illum.

Et iudicium gentibus annuntiabit. Iudicium vocat legem euangelicam, quam per Apostolos prædicauit gentibus. Vel iustum iudicium suum, quo repellentibus eum Iudæis, assumpsit gentes. Hoc enim vere iustum est iudicium, ne omnino pereat opus manuum eius.

Non contendet, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis uocem eius. Propter hæc verba totam posuit prophetiam. B Nam quum mansuetus esset ac mitis, non contendit aduersus contradictores, neq; clamauit, dum ei fieret iniuria: neq; foris docuit, vt faciunt hi qui gloriam ab hominibus venantur: sed in templo, & in synagogis Iudæorum, ac in desertis montibus & littoribus. Deinde prophetat etiam de imbecillitate eorum, qui huic omnipotenti deo insidiabantur.

Arundinem comminutam non confringet. Arundinem vocauit Iudæos, tanquam valde imbecilles ad diuinam & inexpugnabilem eius potentiam: nec tamen simpliciter arundinẽ, sed etiam cõminutam, ad augmentum imbecillitatis eorum. Dicit ergo quod potens sit eos tanquam arundinem comminutam facillime confringere: nec tamen hoc faciet propter suam tolerantiam ac modestiam.

Et linum fumigans non extinguet. Hic Iudæorum accensum C aduersus Christum animum significat: quem etiam linum fumigans appellat, vt quod facile extingui possit à Christi virtute: sicut facile quis extinguit linum fumigans, id est accensum. Linum autem in hoc loco intelligimus pannũ lineum: hunc tamen nõ extinguet vt patiatur: & patiendo demõstret eximium, quem erga nos gerit amorem suum.

Donec eiiciat ad uictoriam iudicium suum. Donec ad finem ac perfectionem deducat iustitiam suam. Siquidem victoriam nominauit perfectionem: iudiciũ autem, iustitiam. Quousq; adimpleat iustitiam suam, quousque suas ostendat iustificationes, quibus Iudæos condẽnet, & eorum impudentẽ amputet causationem. Post hæc autẽ tanquam vasa figuli, confringet Psal.2

illos in virga ferrea, principatu Romanorum Vespasiani & Titi, qui eos obsederunt ac exterminauerunt.

Et in nomine eius gentes sperabunt. Sperabũt quod solus ipse in afflictionibus inuocatus, sperantes in se liberabit.

CAPVT. XXII. DE DAEMONIACO CAECO ET MVTO.

Vnc adductus est ei dæmoniacus cæcus & mutus, & curauit illum, sic ut qui cæcus & mutus fuerat, & loqueretur, & uideret. Dictio τότε tunc, interdum consequentiam, rerumque ordinem significat: sicut etiam particula ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ. In illo tẽpore: quandoque vero vtraque harum tempus solum denotat, quo facta sunt ea quæ dicenda sunt. κωφὸν autem hoc in loco mutum accipimus non surdum, vt alibi.

Et obstupuerunt omnes turbæ, ac dicebant: Num hic est filius ille Dauid? Audierant enim prophetas annunciantes, quod de semine Dauid venturus esset Christus.

Quo audito pharisæi, dicebant: Hic non eiicit dæmonia nisi per Beelzebul principem dæmoniorum. Inuidia nanque ad gloriã illius mordebantur: ideo etiam sua praua æmulatione, non verebantur diuinæ naturæ opera Beelzebul ascribere, dicentes: Hic non eiicit dæmonia propria virtute, sed per Beelzebul: illum sibi familiarem habẽs & amicum. Nam alibi quoque dicebant: Beelzebul habet.

Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit illis. Apud sese enim hæc dicebant timentes turbam, ipse vero secretũ cordis eorum publicauit, hinc etiam deum se esse demonstrans. Vide autem quod primum ob id accusatus non obiurgauit illos, cognoscendam tradens suam potentiam, tum à pluribus signis, tũ à doctrina quæ inde sequuta est. Quia vero rursum idem dicentes, perseuerabant in nullo meliores effecti, deinceps eos obiurgat, ac redarguit illorum insaniam. Id tamen cum mansuetudine facit, instruens nos, vt peccantes mansuete arguamus. Et ab his quę cõmuniter accidunt format rationem, sumitq; tria exempla notissima & indubitata. Primum quidem supremæ potentiæ, alterum mediæ, tertium vero infimæ, confirmans quod siue magnum quippiam, siue mediũ, siue

siue infimum sit, quod aduersus seipsum exerceat seditionem, A
peribit.

Omne regnum diuisum aduersus seipsum, desolatur. Seditionem inter se inuicem agentibus his qui diuisi sunt.

Et omnis ciuitas uel domus diuisa aduersus seipsam, non stabit. Non stabit propter dictam causam.

Et si Satanas Satanam eiicit, aduersus seipsum diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Si Satanas qui princeps est dæmoniorum, aperte ac violenter Satanam persequitur, neq; enim suum domicilium vltro vnquam relinqueret: sed omnino inimicus est is qui patitur, persequutionem inferenti. Itaq; contra seipsum diuisus est, separatis ab eo dæmonibus, qui subiecti erant: & quomodo stabit regnum eius, quod in illos habet? Si ergo princeps illorum est, nequaquam eos expellendo B
seditionem aget aduersus illos: nequaquam homini contra dæmonem auxiliabitur: nec hominem vnquam amare poterit, qui ab initio homicida est.

Et si ego per Beelzebul eiicio dæmonia, filii uestri per quem eiiciunt? Post primã accusationis dilutionem, ad secundã procedit manifestiorem. Nam quia discipuli quoq; eius iam dæmones eiiciebant, sumpta ab ipso potestate, ab his magis Pharisæos arguit, qui sola moti inuidia eum accusabant. Siquidẽ nihil huiusmodi illis obiicientes, solum ipsum ita accusabãt. Filios autem Pharisæorũ Apostolos nominauit, eo quod Pharisæi patrum ordinem retinerent inter Iudæos, à quibus descendebant Apostoli: vel quia illis iuniores erant. Interrogat ergo: Per quem eiiciunt? an etiam per Beelzebul? & quare il- C
los quoq; non accusatis? Si autem per diuinam gratiam, vtiq; deus ego sum: Nam per nomen meum dæmonia eiiciunt.

Ideo ipsi iudices uestri erunt. Quia ergo ipsi quoq; dæmonia eiiciunt, nec accusantur à vobis: propterea ipsi iudices vestri erunt: & cõdemnabunt vos non de omnibus quæ in vita perpetrastis. Nã id solius dei est: sed de hac blasphemia, quoniam illis relictis, moti inuidia me solum accusatis. Vel propter hoc, quia quum sint filij vestri, & agnouerint veritatem, cõdemnabunt vos patres suos, qui hanc cognoscere noluistis.

Si autem per spiritum dei ego eiicio dæmonia, profecto peruenit ad uos regnum dei. Postq̃ demonstrauit, quod nõ per Beelzebul eiiceret dæmonia, simul etiam ex cõsequenti ostendit,

D quod ea per spiritum dei eiiceret. Spiritum autem dei nunc
potentiam vocat. Nam & Lucas, Per digitum dei dixit, hoc
† est, per manum. † Manum vero dei, potentiam dei dicimus,
Si vero ego per potentiam, inquit, diuinam eiicio dæmonia,
non quasi nudus homo, sed quasi dei filius, profecto peruenit
ad vos regnum dei. Suum autē dicit regnum, quod videlicet
per Christum esse venturum, prophetę prænunciauerunt. Nā
solius dei est per potentiam diuinam dæmones eiicere. Apo-
stoli nanq; non propria potentia, sed per diuinam gratiā illos
eiiciebant. Neq; enim potuerunt tanquam deus, sed gratiam
à deo habebant. Christus siquidem solo iussu dæmones fu-
gabat: illi vero per nomen eius ipsos expellebant. Si vero per-
uenit ad vos regnum dei, quare illud repellitis? quare contra
vestra bona pugnatis? hoc nanque tempus est vestræ salutis,
E quod olim prædixerunt prophetæ.

† † *Digitus dei hic dici potest spiritus sanctus. Quum enim cæteri euangelistæ dixerint, Si ego per spiritum dei eiicio dæmonia, Lucas dixit, Si ego per digitum dei eiicio dæmonia.*

Alioqui quomodo potest quispiam domum fortis ingredi: uasaque eius diripere, nisi prius uinxerit fortem, & tunc domum eius diripiet? Ab exemplo sermonem producit. Per fortem autem, prin-
cipem dæmoniorum subindicat: non q̄ natura fortis sit, sed
quod vsque tunc tyrannice regnauerit: eosq; qui præ segni-
tie imbecilles erant, oppresserit. Vasa vero eius subiecta dę-
monia erant, quæ & arma eius dici possunt: Nam τὰ σκεύη e-
tiam arma dici solent. Ideo quoq; Lucas arma eius ipsa voca
F uit: per quæ miseros homines in seruitutem redigebat. Hoc
ergo exemplo considerationem inducit, quæ ostendat non so
lum quod principem dæmoniorum amicum non habeat, sed
potius quod fortitudinem eius tanquam inimicissimi alliga
uerit. Est autem considerationis scopus, quod sicut non po
test quisquam domum fortis ingredi, vasaq; eius diripere, ab
illo conseruata, nisi primum fortem vinxerit: ita neq; hic ra-
puisset dæmonia, hoc est dispersisset, nisi primū vinxisset prin
cipem illorum, qui eis fortitudinem præstabat. Scire autem
oportet, quod nonvndiquaque exempla ad omne propositum
aptantur rebus ad quas assumuntur: sed vt plurimum in magis
propriis ac principalioribus partibus. Quidam vero dicunt
vasa dæmonum esse dæmoniis agitatos, quos Christus ab il-
lis rapuit,

lis rapuit, vinctis eorum virtutibus. Possunt quoque dici vasa A
diaboli, omnes qui opera diaboli exercent, eiusque voluntatibus subseruiunt.

Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non congregat mecum, spargit. Altera quoq; consideratione confirmat, quod potius sit ei inimicissimus princeps dæmoniorū. Quod enim non sit cum Christo, nec cum eo congreget, manifestum est ab vtriusque operibus. Christus siquidem omnem docet virtutem: quumq; omnes amet, ægrotos sanat: Ille vero ediuerso omnem docet prauitatem: & quum homines odio habeat, sanos corrumpit. Quod si neq; cum eo est, nulla videlicet in re ei conformis, sicut demonstratum est, neque cum eo congregat ad fidem: omnino aduersus eum est, & spargit quos Christus congregat, quantum in se est. Quum autem dixisset, Qui B
non est mecum, aduersum me est, ac obscure loqui visus esset: sermonem interpretatus est, addens: Et qui non congregat mecum, spargit: diabolo vero coniunxit Iudæos, qui aduersum se erant: & quæ ipse congregabat, quantū in eis erat spargebant.

Propter hoc. Quia talia aduersus me dicitis.

Dico uobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: at in spiritum blasphemia non remittetur eis. Non simpliciter De spiritu blasphemiæ.
omne peccatum, & omnem blasphemiam dicit: per ea enim quæ sequuntur, manifestauit quam omnem dicat blasphemiā & quod omne peccatum. Ait enim:

Et quicunque dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur ei: quicunque autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in præsenti seculo, neque in futuro. Quicunque, in- C
quit, peccauerit aduersus humanitatem meam, hoc est, quisquis dixerit blasphemum verbū aduersus eam, offensus quod tanquam homo edam, bibam ac dormiam, aliaque quæ humanæ sunt propria naturæ, vt homini conueniunt, & faciam & patiar, confirmans quod vere humanam susceperim naturam huic omnino ignoscetur, quasi non ex industria male egerit, sed per veritatis ignorantiam blasphemauerit. Qui vero deo dignas videns operationes, quas solus facere potest deus, ipsi quoque Beelzebul illas ascripserit, vt vos etiam nunc facitis, & ita aduersus spiritum sanctum blasphemiā dixerit, siue aduersus diuinitatem (nam hanc vocat nunc spiritum sanctum)

hic

D hic quasi ex industria manifeste ac scienter peccans,& deum iniuria afficiens, ac inexcusabiliter delinquens, veniam non consequetur. Quod autem sequitur, Neque in præsenti seculo, neque in futuro:addidit, docens maximam ac tremendam esse aduersus deum blasphemiam: & quod hominum quidam hic & in futuro seculo supplicia sustinent, vt Sodomitæ & Iudæi. Et de Sodomitis quidem prædiximus decimo nono capite: Iudæi vero & hic pœnas dederunt, à Romanis miserabiliter afflicti: & ibi miserabilius cruciati dabunt. Quidam vero hic solum puniuntur, vt fornicarius ille apud Corinthios Satanæ traditus Aliqui autem ibi tantum, vt diues ille in flamma cruciatus. Præterea nonnulli neque hic neq; ibi, vt Apostoli & prophetæ ac Iob. Nam quæ ipsi patiebantur,

Supra.10. Iosephus loco supra dicto. 1.Corin.5. Luc.16. Iob.1.2.

E non vltionis erant à deo immissæ, sed certaminum ac luctarum. Quod ergo minatur, aduersus illos est, qui immutabiliter in peccato remanent. Manifestum est autem, quod eis qui resipiscunt, & hic & ibi remittetur. Multi enim qui tunc ita deliquerant, quum postmodum credidissent, veniam omnino sunt adepti.

De bona & mala arbore. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem uitiosam, & fructum illius uitiosum. Ex fructu enim arbor cognoscitur.* Facite, hoc est, dicite. Rursum autem confundit illos, tanquam ea deducentes in accusationem, quæ sibi mutuo non constabant, sed præter naturã erant. Nam quia opus abigendi dæmones non improbabant, quanquam admodum impudentes essent, eum vero calumniabantur qui illos abige-

F bat: ab exemplo illos redarguit, vt qui opus quidem iudicaret bonum, eum autem qui operaretur, malum: quod impudentiæ est ac repugnantiæ. Et arborem sane appellat seipsum: fructum vero, opus suum. Ait ergo: Aut dicite operatorem bonũ, & opus eius bonum: aut operatorem malum, & opus eius malum. Nam si opus bonum est, operator quoq; eius bonus erit. Ex opere siquidem cognoscitur operator: si boni operis bo-

Supra.7. nus: si praui, prauus. Quinto enim capite docuit, quod non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor vitiosa fructus bonos facere.

Progenies uiperarũ, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? Non mirum est si huiusmodi conuitia iactatis. Nam quum mali sitis, non potestis bona loqui. Deinde naturali quoque ratione

ratione demonstrat, quod hoc non possint. A

Ex abundantia enim cordis os loquitur. Siquidem quum in corde vitium scaturiat, necessario ab eo quod abundat, effunditur prauitas quæ est sermo malus. Et quẽadmodum medici circa principia quidem, exilientes humores intus remanere cogunt: quum autem illi subscaturiunt, iam yincuntur, & sic illi abundantes prosiliunt: Ita sane & qui praua nutriũt consilia. Ipsos vero progenies viperarum appellauit, sicut etiam Ioannes baptista tertio capite. Ibi ergo & huius quære Supra.3. expositionem.

Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. Docet nunc id quod dictum est, puta os ex abundantia cordis loqui, non in malis tantum fieri hominibus, verum etiam in bonis. Et thesaurum quidem vo- B cat scaturiginem fontemque bonitatis ac prauitatis: bona autem & mala, bonos malosque sermones.

Sed dico uobis quod de omni uerbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. Otiosum dicit calumniatorium & vanum, vel superfluum ac nociuum: rationem vero, examen & responsionem. Non est autem modica correctionis pars, non solum respondere & redarguere, sed & comminari, quod sane plerunque facit.

Ex uerbis enim tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condẽnaberis. Ex bonis quidem iustificaberis, ex malis vero cõdemnaberis.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM DE REQVIRENTIBVS SIGNVM. C

Tunc responderunt quidam Scribarum ac Pharisæorum dicentes: Magister uolumus à te signum uidere. Quum admirari ac succumbere oporteret, tunc rursum impudenter loquuntur: & quem pauloante dæmoniacum temerario ausu vocabant, nunc adulatorie magistrum vocant: & post tot miracula, signum videre quærunt: non vt credant, sed vt eum opprimant. Quum enim non possent ei contradicere, dum facile illos cõuinceret: ad opera transeunt. Lucas autem dicit quod alij tentantes Luc.11. signũ de cœlo querebãt ab eo. Suspicabanꝰ siquidẽ quod signa Ioan.9. in terra, præstigiis fallendo, æderet: signum vero de cœlo nequaq̃

D quaquam facere posset, quum à deo non esset. Etenim alibi quoque dicebant: Hic homo nonest à deo.

At ille respondens dixit eis: Generatio prauа & adultera signum quærit. Quum illi contumelioſi essent, patienter eos ferebat: dum autem adularentur, aspere respondit, vtpote qui neque animi vehementia vinceretur, neque adulatione mollesceret: hos vero à progenitorum carpit prauitate, tanquam dignam illis sobolem. Prauam quoque dixit hanc progeniem quasi iam olim incredulam ac tentantem. Ait enim Dauid:

Psal.77. & 105. Et non crediderunt in mirabilibus eius. Ac rursum: Et tentauerunt & exacerbauerunt deum excelsum. Adulteram vero propter progenitorum à deo defectionem: qui olim fide à

E deo diſiuncti, fidei dæmonum adhæserunt. Adulteriū quippe

Ezech. 16 Osee. 1. & 4. etiam nominauit idololatriam veteris testamenti scriptura, idque frequenter in propheticis libris inuenies.

Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Nō dabitur ei, quia non ex fide, sed ex dolo, tentando signum quærit. Quid ergo, non fecit deinceps signum vllum? fecit vtique: at non propter illos, nam ipsi obdurati erant: sed ad aliorum vtilitatem. Signum vero Ionæ prophetæ, vocat resurrectionem suam è sepulchro post tres dies & tres noctes. Iam enim hanc Iudæis prædicit: vt quum resurrexerit, ad memoriā reducant quod hanc illis prædixerit, diebus etiam ac noctibus propriæ sepulturę ad minutum designatis. Propter hoc siquidem ipso sepulto, congregati sunt summi sacerdotes & pha-

F risæi ad Pilatū, dicentes: Domine recordati sumus quod im-

Infra. 27. postor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Hanc vero, signum Ionæ prophetæ nominauit, propter similitudinem, quam etiam manifestat dicens.

Ionæ. 2. † *Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit & filius hominis in corde † terræ tribus diebus ac tribus noctibus.* Hoc vere signum erat, & signorum omnium maxime admirandum: nullius enim facta est vnquam talis à mortuis resurrectio. Datum est autem huiusmodi signum Iudæis infidelibus, hoc est opere impletum est apud eos hoc miraculum: quo certiores sint hunc deum esse omnipotentem: & deinceps quasi deo repugnantes, conscientiam habeant acerbe illos torquentem, & futura quę eos comprehensura sint mala præsagientem. Cor vero terræ intelligit illius profunditatem.

ditatem. Nam in profunditate illius, lapidibus inciſum erat A sepulchrum. Tres autem dies cum noctibus sub terra permā-sit, vt crederetur fuisse mortuus.

† *Cor terræ sepulchrum uocat.* †

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cū generatione hac, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ: & ecce pluſquam Ionas est hoc loco. Simul tanquam omnia præcognoſcens & horum prædicit impœnitentiam, quæ etiam post suam futura erat resurrectionem: & simul ipsos exterret. Dicere solemus hunc aut illum in futuro iudicio nos condemnaturum: non quasi ille futurus sit iudex: siquidem omnium iudex vnus erit Christus: sed quod illius operatio nostris collata confundet nos. Hanc quoq; consuetudinem se- B quutus est Christus. Plus autem ait, quàm Ionas est hoc loco. Ionas enim seruus erat, Christus vero dominus: Ille è ceto egressus est, iste ab inferno: ille inuitus prædicauit, iste sponte: ille peregrinus erat, iste cognatus secundum carnem: ille subuersionem prædicauit, iste regnum cœlorum: ille nullum fecit signum, iste innumera: de illo nullus prædixit, de isto omnes prophetæ. Præterea Niniuitæ barbari erant, Iudæi diuinis enutriti scripturis. Et illi quidem nihil à Iona audierunt præter id tantum, † Adhuc tres dies & Niniue sub- †
uertetur, & statim ei crediderunt: isti vero variam à Christo ac profundiſſimam audierant doctrinam, nec ei crediderūt. Multa quoque & alia inuenire poterimus, quæ Christus maiora habuit.

C

† *Ne nos accuſes quod tres dies hic posuerimus, imo nec authorem nostrum: uide translationem. 70. interpretum Ionæ. 3. qui* τρεῖς ἡμέρας *legūt. In Hebræo tamen legitur* ארבעים *arbahim. hoc est quadraginta. Verum author noster proculdubio linguā ignorabat Hebræam, sequutus semper. 70. interpretes.* †

Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac, & cōdemnabit eam: quia uenit à finibus terræ ad audiendam ſapientiam Solomonis: & ecce pluſquam Solomon est hoc loco. De regina Austri.

Austrum dicit regionē à qua flat Auster, dico sane Aethiopiam, quam Saba vocauit tertius Regum liber. Sita est autem hæc regio ad finem orbis habitabilis. Plus inquit est hoc loco quàm Solomon. Nam Solomon solius Iudææ rex erat, Chri- 2. Re. 10.
stus vero rex cœli & terræ. Ille de sapientia humana ipsi diſ-

seruit,

seruit, hic de sapientia diuina sermones habuit. Postquam ita prauitatis illorum excessum à comparatione demonstrauit, prædicit deinceps per parabolam quæ eos comprehẽsura essent mala.

De spiritu immundo.

Quum autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat loca arentia, quærens requiem, & non inuenit. Arentia loca dicit deserta. Significat autem sanctorum animas nullum affectionis humorem habentes, quæ etiam desertę sunt, nec vllius vitij fœcundæ.

Tunc dicit, Reuertar in domum meam unde exiui. Domum suam vocat hominem à quo egressus est non volens, sed iussu diuino.

Et quum uenerit, inuenit eam uacantem, scopis purgatam & ornatam. De liberatis à dæmone hoc dixit, qui ob segnitiem ac negligentiã facile rursus à dæmone inuaduntur & capiũtur. Inuenit, inquit, priorem domum suam vacantem ac vacuam spiritu sancto seu virtute. Præterea scopis purgatam & mundatam, hoc est instructam ad ipsius susceptionẽ: insuper & ornatam siue delectabilem sibi.

Tunc uadit & assumit secum alios septem spiritus sceleratiores se †, *& ingressi habitant ibi.* Sceleratiores, hoc est fortiores ad malefaciendum. Timuit enim ingredi, ne forte tanquam solus ac imbecillis rursus eiiceretur. Septẽ vero, Hebræi simpliciter pro multis accipiunt.

† † *Spiritus malus qui assumit septem spiritus se sceleratiores, est cogitatio gastrimargiæ siue gulæ, quam sequuntur cogitatio fornicationis, auaritiæ, inuidiæ, iræ, tristitiæ siue pigritiæ, uanæ gloriæ & superbiæ.*

Et fiunt nouissima hominis illius peiora primis. Prius enim ab vno dæmone torquebatur, postmodum vero à multis.

Sic erit & generationi huic peruersæ. Sicut qui à dæmone inquit agitabantur, si postquam ab eo liberati fuerint, negligentes sint, facile rursus vexationem sustinent: Ita erit & generationi huic incredulæ & impersuadibili. Et vere ita illi contigit. Prius siquidem Iudæi dæmonibus agitabantur, colentes idola, eisque filios suos ac filias immolantes: ab his autem per prophetas liberati sunt. Sed quia salutis domum neglexerunt, suumque Saluatorem occiderunt, facile rursus à dæmonibus capti sunt. ideoque insanientes, mouerunt aduersus se

sus se inuicem seditiones: cædibusque suæ gentis hominum, Hierosolyma impleuerunt, prout scripsit Iosephus. Et iam factæ sunt nouissimæ eorum calamitates grauiores prioribus. Nam quæ sub Vespasiano & Tito passi sunt, longe miserabiliora fuerunt his, quæ ab Aegyptiis & Babyloniis ac Antiocho sustinuerant. Ideo etiam Christus dicebat: Erit afflictio magna qualis nunquam fuit neq; erit. Dicta igitur parabola nos quoque docemur, quod quisquis à malo liberatus est, nec melior efficitur, duram sustinebit vltionem: & ei qui postquam à peccato tyrannice primum imperante liberatus est, rursus illi sese accessu facilem præbet, miserior erit posterior condemnatio priore. Hac enim causa dixit Christus paralytico: Ecce sanus factus es, non pecces deinceps, ne quid deterius tibi contingat.

Adhuc autem eo loquente ad turbas, ecce mater & fratres eius stabant foris quærentes ei loqui. Dixit autem illi quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui. Foris, id est, extra domum in qua docebat, stabant: eo quod propter turbã ad eum accedere non poterant, sicut dixit Lucas. Miserunt autem ad illum qui euocarent illum, vt ait Marcus, siue extra vocarent. Fratres autem eius dicit filios Ioseph, eo quod horũ pater esset, & matrem illius sibi desponsauerat.

At ille respondens, ait dicenti sibi: Quæ est mater mea, & quinam sunt fratres mei? Hoc dixit non abnegãs matrem suam. Qui enim hoc facere potuit, qui morti suæ vicinus magnam illius curam habuit: neque dedignatus est ipsam habere matrem? Quo modo inquam hoc feciſſet, qui propter reuerentiã quam erga illam gerebat, aquam in Cana cõuertit in vinum: & subditus erat non ipsi solum, verum etiam ei qui pater suus dicebatur: Et erat inquit subditus illis. Si enim negaturus illã fuisset, aut ob eam pudore afficiendus, nequaquam ab ea natus fuisset. Sed quia tunc multitudinẽ docebat, nec æquum erat vt hos relinqueret, & ad matrem ac fratres procurreret, ait: Quæ huiusmodi mater mea est, aut qui huiusmodi fratres mei sunt, vt propter illorum obsequium, tantæ multitudinis vtilitatem paruipendam? Non ergo vilipendens illos hunc loquutus est sermonem: sed docens quod præponendam iudicet perditorum, salutem parentum ac consanguineorum obsequio. Nec mirum, quum propter hos, parentes ac consanguineos

A Libro de bel. Iudaï potissimũ 6. & 7. Exodi. 1. 5. 4. Reg. 17. 24. 25. 1. Mach. 1. Infra. 24. B Ioan. 5. De matre & fratribus dñi. Lucæ. 8. Marci. 3. Iohan. 19. C Ioan. 2. Lucæ. 2.

Cap.12.

D sanguineos habere sustinuerit.

Et extenta manu ad discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Matrem eos nominauit, quasi doctrinæ verbum in intelligibili animæ vtero susciplentes, & congruo tempore ipsum parientes. Fratres vero tanquam à patre cœlesti ad optatos per fidem, quam in Christum habebant, factosq; regni illius cohæredes. Deinde sermonẽ hunc interpretatur.

Quicunque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est. Ipse meus frater, sorer & mater est: hoc est propinquus ac domesticus meus, vtpote eadem faciens quæ ego: siquidem & ego facio volũtatem patris mei. Sororis autem mentionem fecit, quia filias etiam habebat Io E seph: aut propter vxores hoc dixit. Dei autem voluntatem facit, qui euangelica præcepta seruat & custodit. Itaque neque mater eius aut fratres eius fuissent mater eius, nisi dei voluntatem fecissent. Non est ergo hic sermo abnegantis consanguinitatem illorum iuxta carnem: neq; enim dixit, Nõ sunt, sed præponentis eam quæ secundum virtutem est, ac docentis nullam illius esse vtilitatem, nisi & hæc adsit. Quod si nec dei matri genuisse illum profuisset, nisi virtutem sequuta fuisset, cui alteri proderit, viri sancti esse cognatum, si virtutem non habeat. Contingit enim & cognatos non haberi pro cognatis, & non cognatos pro cognatis haberi: illud quidem propter vitam dissimilem, hoc autem propter conuersationis similitudinem. Quia & alibi quum mulier quædam dixisset, Lucæ.11. F Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, non negauit, sed pari modo dixit, Beati qui audiunt verbum dei & custodiunt illud. O admirandam virtutem, quæ ad se accedentes ad tantum extollit honorẽ, vt ipsos Christi faciat esse cognatos. Chrysostomus autem dixit quod mater eius humanum quiddam & ipsa tunc patiebatur, volens turbis demonstrare quem erga se Christus haberet honorem: ideo etiã quum ille doceret, importune accessit, & mittens accersiuit eum extra domum, tanquam videlicet sua authoritate ad interpellandum eum accederet: Nam sperabat illum continuo relictis omnibus ad se egressurum, quasi ad matrem. At ille hoc cognito contrarium potius fecit: & non solum ad illam non est egressus, sed magis verbis suis intentionem illius qua gloriolam venabatur confudit, & tyrannicum vanæ gloriæ affectum

affectum abegit. A

In die autem illo egressus Iesus de domo sedebat iuxta mare: & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut ipse nauim ingressus sederet. Cap.13. Domus erat alicuius qui in illum crediderat. Sedebat ergo iuxta mare propter loci amplitudinem: magna vero multitudine inibi aggregata, ingressus nauim quæ in portum adducta erat, sedens piscabatur eos qui erant in terra.

CAPVT XXIIII DE PARABOLIS.

Omnisque turba in litore stabat: & loquutus est illis multa in parabolis. Per parabolas omnem hunc texit sermonem: eo quod maximæ turbæ, immixti essent plures Scribæ & Pharisæi, quibus nolebat doctrinæ nuda proponere secreta, propter insanabile illorum vitium. B

Dicens: Ecce exiit qui seminabat ad seminãdum. Lucas autem addidit, Semen suum. Qui seminabat erat Christus docẽs: semen vero suum, sermo doctrinæ illius. Exiuit ergo in ciuitates & vicos Iudææ ad ipsum seminandum in terram intellectualem animarum humanarum, siue in mentem illorum. De seminato semine.

Et dum ipse seminaret, alia quidem ceciderunt iuxta uiam: & uenerunt uolucres cœli & comederunt illa. Interpretat⁹ est Christus ipse hanc parabolam, & eas quæ in sequentibus ponuntur: dicemus tamen & nos de ipsis iuxta vires. Via dicitur qui C segnis est: qui verbum doctrinæ auditu quidem percipit, verum illud in corde suo præ segnitie non abscondit: sed quasi via conculcata, ideoque dura, ipsum fert leuiter impositum.

Volucres autem cœli dæmonia sunt in aëre habitantia (nã & aerem cœlum appellauit scriptura) quæ super ipsum deuolantes, quod in corde eius seminatum erat tollunt, vtpote non occultatum: quod enim dicitur, Comederunt, idem est ac si dicatur, abstulerunt & corruperunt. Psal.8.

Alia uero ceciderunt in loca petrosa, ubi non habebãt terram multam: & statim exorta sunt, quia non habebant terræ profunditatem: quum autem exortus esset sol, exusta sunt: & quia non habebant radicem, exaruerunt. Petrosa loca pusillanimis est aut parui homo animi, qui semen quidem in corde suo abscondit, verũ

l non ha-

D non habet terram multam siue profunditatem : in quo protinus exorta est fides, non tamen firmiter solidata, eo quod stabilitatem, vt dictum est non habeat. Nam quæ modica terra occultantur, velociter exoriuntur. sole autem exorto, dico sane proposita tentationis probatione, exuruntur ac inflammãtur: & quia radicem non habent, qua refrigerentur siue stabiliantur, exarescunt, fidemque produnt.

Alia autem ceciderunt in spinas, & ascenderunt spinæ ac suffocauerunt illa. Spinæ sunt vitæ solicitudo, pungens animam ac deiiciens: præterea & deceptio diuitiarum, sicut & delitiæ ac vana gloria, vinolentia aliaque huiusmodi, quæ omnia sunt mera deceptio: bona siquidẽ videntur, verum pungunt & hęc
E in modum spinæ, ac molesta sunt. Ascenderũt autem, hoc est creuerunt, potentiores effectæ sunt.

Alia uero ceciderunt in terram bonam. Terra bona est anima bona, & prędictis affectibus libera, ac conueniens ad fructum virtutis ferendum. Vide autem quàm rara sint bona, quamque pauci sint qui saluentur. Ecce enim sola quarta seminis pars fructificat, tres autem pereũt. Et quidem is qui seminabat, super omnes seminabat, hunc ab illo non discernẽs: attamen semen in quibusdam periit, apud alios vero plurimũ multiplicatum est : & hoc factum est non ob seminis naturã: nam ipsum æqualiter ac super omnes iactatum est: sed ob dissimiles hominum mentes, super quos semen proiectum est. Et quare indifferenter seminabat super viam, super petrosa
F & super spinas? Omnino propter bonitatis ac iustitiæ suę magnitudinem, ne dicere possent in die iudicij, quod si etiam super eos seminasset, fructum vtiq; attulissent. Sciebat nempe illos infrugiferos fore: attamẽ quod suum erat effecit, tanquã
Iesa. 5. hominum amator, vt dicere posset. Quid me facere oportuit & non feci? Hanc autem parabolam loquutus est, discipulos exhortans ne defatigentur si plures inueniant qui pereãt, quã qui saluentur, neque ob id seminare desinant: præceptorem suum in exemplum habẽtes, qui etsi infructuosos prædicognosceret, seminabat tamen etiam super ipsos.

Et dederunt fructum, aliud quidem trigecuplum, aliud autem sexagecuplum, aliud uero centuplum. Quemadmodum inter se differunt hi qui pereunt, ita rursus differunt illi qui saluantur. Tres siquidem eorum qui pereunt enumerauit ordines:

puta

puta segnes, pusillanimes & seculi curis occupatos, simul & A
diuitiarũ fallaciæ seruientes. Et rursum tres constituit ordines eorum qui saluantur: dico sane ferentium fructum centuplum, sexagecuplum & trigecuplum. Per cẽtuplum enim significauit perfectam virtutis fructificationem, per sexagecuplum mediam, & per trigecuplum minorem. Nam ad triginta duplum sunt sexaginta : centum vero triplum, imo & supra triplum propter perfectionis excellẽtiam : vt illud quidem ferat centum, hoc est quandoque in hoc homine centũ: interdum vero quæ sequuntur, in aliis & aliis. Suscipit tamen & primos & secundos & tertios. Ne ergo ob segnitiem semẽ perdamus: aut ob pusillanimitatem ipsum prodam⁹: vel propter seculi curas, seu diuitiarum fallacias, illud suffocemus. B
Oportet enim primum vigilem esse ad eius susceptionẽ : deinde tentationes longanimiter ferre: atque deinceps ab omni solicitudine seculari, ac diuitiarum vanitate separari : & ita terram bonam fieri, fructumq; iuxta virtutem ferre siue perfectum siue medium siue minorem, & nequaquã perire. Nam si hæc quidem negligimus, illorum autem curam habemus, omnino perimus: vnde enim oriretur dissimilitudo ? Certe si non per segnitiem, attamen per pusillanimitatem, & si non per pusillanimitatem, tamen per anxiam curam & vanitatem perire poterimus.

Qui habet aures ad audiendum audiat. Hoc quoq; vicesimo dixit capite, ibi ergo quære & huius expositionem.

Quumque accessissent discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris illis? Intuiti turbas ægre ferentes, accesserunt tanquã C
magis familiares, & de illis hoc dixerunt. Supra. 11

At ille respondens dixit eis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. Vobis recte videntibus & audientibus, ideoque credentibus. Mysteria vero, hoc est arcana & ineffabilia quæ sunt regni cœlorum, siue regis cœlorum datum est autem à deo.

Illis uero non est datum. Dolose videntibus & audientibus, & ita non credentibus: eos autem dicit, qui erant immutabiles. Quid enim prodesset nosse & non credere : Hæc itaque conformia sunt his quæ prius dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & Supra. 11
prudentibus, & reuelaris ea paruulis.

D *Qui enim habet, dabitur ei & abundabit: qui uero non habet, etiã id quod habet auferetur ab eo.* Qui fidem habet, dabitur ei secretorum cognitio idque abunde: qui vero fidem non habet, auferetur ab eo etiam id quod habet à deo donum. Vniuersi enim donum à deo habent: hic quidem hoc, iste vero illud: qui autem sese digne præparant, non solum accipiunt huiusmodi notitiam, verum etiam abunde accipiũt: cæteri vero qui ita se non habent, non solum hanc non accipiunt, sed ab illis quoq; auferuntur gratiæ quas prius acceperant.

Propterea in parabolis loquor illis, quia uidentes non cernunt, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Quia videntes corporeis oculis quæ à me fiunt miracula, claudunt animæ oculos: & corporalibus auribus meos audientes sermones, claudunt eas quæ sunt animæ, ideoque omnino increduli remanent. Vt autem scias quod animæ cæcitatem ac surditatem dicat, addidit: Neque intelligunt. Intelligere siquidem est secũdum animam videre & audire. Talibus ergo merito, ac dispensatione quadam in parabolis loquebatur, ita vt ipsi quidem audirent, verum non intelligerent: merito quidem, quia propter voluntariã prauitatem suam indigni erant, qui nuda audirent mysteria: quadam vero dispẽsatione, ne secretorum cognitionem, redderent cõtradictionis materiam: & ita grauiorem sibi inducerent condemnationem.

Et completur in illis prophetia Iesaiæ. Huiusmodi prophetia iam ex parte completa erat in prioribus Iudæis, qui duri cordis fuerant: nunc autem perfecte complebatur in istis.

Quæ dicit: Auditu audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non cernetis. Auditu corporali audietis sermones, & non intelligetis veritatem, quasi sponte obsurdescentes, quod ad animam spectat: & corporaliter videntes videbitis miracula, nec tamen veritatem cernetis, pari modo tanquam volũtarie quo ad animam cæcutientes. Deinde addit quoq; propheta causam, ob quam hæc passi sint.

Incrassatum est enim cor populi huius. Incrassatum est, hoc est induratum est, excæcatum est inuidia, aliisque iniquitatibus: & ideo intellectu carent.

Et auribus grauiter audierunt: & oculos suos concluserunt. Aures ac oculos dicit animæ. Grauiter autem audierunt, hoc est obsurduerunt.

Nequando

Nequando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligãt, ac conuertantur & sanem eos. † Inuidiæ magnitudine, aliisq; vt dictum est prauitatibus, excæcati sunt ad intellectũ, & obsurduerunt ad supernaturales sermones: oculos vero clauserunt ad stupenda opera, quasi præ ignauia timentes, ne quo modo audiant, videant, & intelligant à me quod opus est, vnde cõuertantur & sanem eos. Nam ex Christi persona dicũtur verba hæc. Addidit autem ista ad carpẽdum eos, quod ad extremam deuenerint dementiam. A †

† *Dictio μήποτε nequando, intelligi potest, ut tantundem ualeat quantum, Ne quo modo: quale est & illud Apostoli: In mansuetudine instruite eos qui obsistunt, nequando det illis deus intellectum ad salutem.* †

Adduxit autem deus hoc prophetæ dictum tanquam existimantis frustra ad huiusmodi populum prædicari. 2.Timo.2. B

Vestri autem beati sunt oculi, quia uident: & aures quia audiunt. Felices quia recte vident & audiunt.

Amen quippe dico uobis, quod multi prophetæ & iusti desiderauerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Multi, & non omnes: quidam enim hæc & viderunt & audierunt, quanquam id supernaturaliter, vt Abraham & qui insigniores fuerunt. Aut multi, hoc est omnes: veluti quum dicitur, Et curauit multos, omnes nanq; tunc curauit, vt habet alius euangelista. Et rursum ibidem, Et dæmonia multa eiecit. Tunc enim omnia eiecit. Desiderauerunt autem deum videre incarnatum, Christique miracula, & eius audire doctrinam. Prophetas vero appellauit etiam iustos. Aut iustos intelligit & alios sanctos, qui ea quæ de Christo erant à prophetis audientes, desideraverunt videre & audire quæ dicta sunt. Marci.1. Supra.8 C

Vos ergo audite parabolam eius qui seminabat. Vos qui creditis.

Quum quisquis audit uerbum regni, nec intelligit, uenit ille malus & rapit quod seminatum est in corde ipsius. Verbum regni dicit verbum dei, vel verbum fidei. Regnum enim est & fides. Nam qui credit, affectibus imperat, Christoque conregnat. Non intelligit, hoc est in cordis profundum non recipit verbum: sed illud duntaxat auribus percipit. Malum vero, dixit diabolum, quemadmodum quinto capite precationem interpretãtes tradidimus: Rapit autem quod seminatum est, Supra.6.

tanquam in superficie positum nec occultatum.

Hic est qui iuxta uiam seminatus fuit. Seminatur semen, hoc est in terram proiicitur: seminatur & terra id est semen suscipit. Ideo quod hic dicitur, Qui seminatus fuit, non de semine intelligimus, sed de terra: ac si dicat: Hic est iuxta viam seminata terra, & idem in reliquis dicendum.

Qui uero super petrosa seminatur, hic est. Quæ vero iuxta petrosa seminatur terra, hic est de quo dicturus est.

Qui uerbum audit, & protinus cum gaudio recipit illud: non habet autem radicem in seipso, sed temporarius est. Antea radicem diximus esse firmitatem. Temporarium vero dixit, facile mutabilem. Qui enim dum docetur facile verbum suscipit, etiam quum tentatur facile reiicit.

Facta autem afflictione aut persequutione propter uerbum, statim offenditur. Verbum nunc dicit illud, quod est de fide.

Lucæ.8. Lucas autem, afflictionem ac persequutionem, vno verbo tentationem appellauit: & loco verbi Offenduntur, dixit, Recedunt.

Qui autē in spinas seminatus est, hic est. Terra quę circa spinas seminata est, hic est quem dicturus est.

Qui uerbum audit, & solicitudo seculi huius, ac deceptio diuitiarū

Marci.4. *suffocant uerbum, & infrugiferum efficitur.* Marcus vero deceptioni addidit, Et cæterarum rerum cupiditates, complectens omne nociuum desiderium. Lucas quoq; similiter solicitudini voluptatem coniunxit. Seculi autem huius, hoc est vitæ huius. Est enim & alia vita, futura vita, quę proprie vita dicitur, vtpote quæ semper durat, nec finem habet.

Qui autem in terram bonam seminatus est, hic est. Terra vero quæ iuxta terram bonam seminata est, hic est qui significabitur.

Qui uerbum audit & intelligit. Qui intelligit, siue in profundo cordis abscondit, vbi nullas pati possit insidias. Ideo quoque Marcus dixit: Qui verbum audiunt & recipiunt.

Rursum Lucas, Qui in corde honesto ac bono auditū sermonem retinent. Cor vero animam vt plurimum sacra appellat scriptura.

Qui sane fructum reddit, facitque: hic quidem centuplum, ille uero sexagecuplum, ille autem trigecuplum. Hæc in præcedentibus perfecte sumus interpretati.

Aliam

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Assimilatum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Regnū cœlorum nunc seipsum nominat, qui assumpta carne homini assimilatus est. In similitudine, inquit hominum factus. Semē autem bonum alio modo filios regni vocauit, prout ipse interrogatus à discipulis interpretatus est, quemadmodum dicemus, quum eo peruenerimus. Ager vero eius, mundus est, tanquam creatura ac possessio eius. A Alia parabola de zizaniis agri. *Philip.2* *Infra.cod*

Dormientibus autem hominibus uenit illius inimicus ac seminauit zizania inter triticum & abiit. Hac parabola alteras diaboli insidias denuntiat. Quum enim terram bonā viderit fructum producere aut cētuplum aut sexagecuplū, aut trigecuplū: nec posse se aut semen rapere, aut quod germinatū est vrere vel suffocare: secundas aggreditur insidias: & tanquam eius qui seminauit inimicus, nititur illius laborem perdere: dormientibusque hominibus, siue curam circa agri custodiam remittentibus (indicat autem præceptores & magistros, qui orthodoxorum sunt custodes) interseminat zizania, hoc est hæreticos inter orthodoxos: nam hos triticum nominauit, tanquā ei qui seminauit vtiles. B

Quum autem germinasset herba, fructumq; fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Quemadmodū zizania tritico similia sunt in arundine, dissimilia vero in fructu, eiq; nociua sunt: ita & hæretici orthodoxis sunt similes habitu, sed virtute dissimiles, quæ est fructus: Virtus autē & primus omniū fructus est, dogmatū veritas. Et quemadmodum zizania vsq; ad fructificationem occultata crescunt, tunc autē dignoscūtur: ita sane & hæretici quousq; doceant, latentes permanēt: vbi vero magnam assumpserint fidutiam, tunc venenum effundunt ac dignoscuntur. Ideo quoq; in præcedentibus dixit, A fructibus eorum cognoscetis eos. Præterea & aliter: quando seminauit Christus, tunc non apparuerunt hæretici: quum autem creuissent orthodoxi, tunc demonstrati sunt. C

Accedentes uero serui patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania. Paterfamilias ipse est Christus tanquā mundi dominus: seruos vero suos qui hæc dicant effingit orthodoxos, qui feruentiorem erga cultum suum gerunt zelum, qui frequenter admirātur cum indignatione, quod deus zizania nasci permittat.

Ille autem dixit eis: Inimicus homo hoc fecit. Hominem dixit diabolum tanquam nihil ab hominibus differentem, in eo quod est affectionibus ac voluptatibus esse subiectum, & tanquam æque vt homo res amantem corporeas, terrenisque admixtum esse.

At serui dixerunt illi: Vis ergo ut egressi colligamus ea? Colligamus, violenter euellentes, ac gladiis demetentes.

Ille autem dixit eis: Non, ne quando colligentes zizania eradicetis cum eis simul & triticum. Prohibuit auferri hæreticos, ne etiam pariter orthodoxi auferrentur. Futurum enim erat vt bella inuicem ac cædes orirentur.

Sinite ergo utraq; simul crescere usq; ad messem. Vtrunque genus. Messem autem dicit mundi consummationem. Iubet ergo vt vtriusq; generis homines sinant viuere crescentes, auctosq; numero in mundo vsq; ad consummationem. Verisimile siquidem est, ante id tempus multos conuertendos hæreticos: nec tamen ob hoc illis commiscri oportet: spatiosus enim est hic mundus: & illos per se viuere oportet, non ablatos quidem, sed separatos, ne docendo corrumpant quod seminatum est triticum.

Et in tempore messis dicam messoribus. Messores nunc angelos nominat.

Colligite primum zizania. Metite falce mortis inuēta tunc zizania. Quare autem primum? Ne etiam tunc viuentes orthodoxi simul cum hæreticis mixtim demessi, prauam concipiant spem.

Et ligate ea in fasciculos. Colligate eos inuicem. Ostendit autem sermo quod hi qui in eodem peccato cōmunicant, etiam in supplicio communicaturi sunt eodem, simulque vltionem sustinebunt.

Ad comburendum ea: triticum uero congregate in horreū meum. Similia quoq; Baptista Sadducæis ac Pharisæis comminatus est tertio capite, dicens de Christo, quod etiam triticum suū congregabit in horreum suum, paleam autem comburet igni inextinguibili. Quære ergo ibi, & inuenies quid appellet cōbustionem, quid horreum. Superfluum enim est semel declarata, rursum eodem modo interpretari.

Aliam parabolam adiecit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis †, quod acceptū homo seminauit in agro suo. Regnum

gnum cœlorum nunc dicit sermonem fidei, tanquā regni cœlorum arrhabonem. Cōparat autem illum grano sinapis: quia breuis & paucis inclusus seminabatur, eo quòd nō possent discipuli in principio maiora ferre. Hinc est quod & propheta sermonem abbreuiatum olim illum appellauit. Verum postquam ab agricola cultus, diuini spiritus irrigationibus creuerit, omnem alium excedit sermonem, ac omnibus excelsior apparet. Per hanc vero parabolam prædicationis augmētum prænuntiat. De homine autem qui seminauit & de agro, in præcedenti parabola disseruimus. Dicitur autem mundus ager, ob hanc etiam causam, quia seminatur ac colitur in eo rationale frumentum. Iesa.10 Rom.9

† *Grano sinapis prædicationem comparauit, & ob paruam apparentiam, & ob uilitatem dictionis seu phrasis: quæ in tantum creuit, ut attica ac mirabilis ad ratiocinandum Græcorum philosophia, occultata sit magnitudine euangelii, quod rusticitatem præ se ferebat.*

Quod minimum est omnium seminum: ubi autem creuerit, maximum est inter omnia holera. Minimū quidem est quantitate, sed maximū qualitate siue virtute: ideo quoq; in magnitudinem excrescit. Ad huius seminis similitudinem & discipuli cum paruus grex essent, in magnū excreuerunt.

Et fit arbor ita ut ueniant uolucres cœli, & nidificent in ramis eius. Hæc dixit ad demonstrationē magnitudinis ac firmitatis eius. Quidā vero ramos sermonis fidei, dixerūt hoīes credentes, in quib⁹ aues cœli siue angeli nidificant, seruātes eos. Alij autem dicunt ramos esse virtutes quas germinare solet fidei sermo: aues vero eos qui terrena supergrediuntur, atque ala mentis eleuantur ad cognitionis altitudinem.

Aliam parabolam loquutus est eis: Simile est regnum cœlorū fermento. Per sinapis parabolam, fidei crementum prius demōstrauit, quod fit additione eorum qui quotidie credunt: per parabolam vero, fermenti vim eius prodit. Regnum enim cœlorum rursum pro fidei sermone sumendum est.

Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus. Satum (quod etiam Græci σάτον dicunt) genus erat mensuræ apud Hebræos. Tria vero nunc dixit multa: nam sæpius per numerum trium, multa significare solent. Et mulier intelligitur sapientia, siue ipse Christus, eo quod fertilis sit ac nutriat. Fideles siquidem per baptismū generat, eosq; cibo dogmatum fidei enu-

dei enutrit. Fermento autem cõparatur sermo fidei. Sicut enim fermentum quum sit modicũ, in multa tamen farina absconditum, per consperſionem totam farinam in vnum simul corpus vnit, & in alteram speciem, ab ea quam prius habebat, transmutat: quumq; farina res sit mortua, eam quodammodo viuificat, ac vim habens actiuam, sursum ascendere facit. Ita quoque fidei sermo, quum vt dictum est, quantitate sit modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnit ecclesiæ corpus, ac in alteram cõuersationis speciem transmutat: quumque mortui sint ad opera virtutis, viuificat ad eius operationem: & sursum ascendere facit ad cœlum, omniaq; efficit sua ineffabili potentia.

Donec fermentetur totum. Neque enim in hominum animabus occultatum quiescet, donec omnes in vnum vnierit, quos sapientia illa præfiniuit, quæ omnium mentes præcognouit. Nam tria sata quanquam significatione multitudinem demonstrent, attamen numero tandem definita sunt. Magna ergo est prædicationis virtus: quodq; semel fermentatum est, rursum reliquæ parti fermentum fiet. Quidam autem farinam dicunt homines: sata vero tria siue tres mensuras, Iudæos, Samaritanos & Græcos.

† De ipsis parabolis.

Hæc omnia loquutus est Iesus turbis in parabolis †, *nec sine parabolis loquebatur eis: ut compleretur quod dictum est per prophetam qui ait: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione seculi.* Sine parabola non loquebatur eis, tempore illo videlicet: multa enim sæpius illis loquutus est sine parabolis: tunc autem per parabolas loquebatur eis, vt compleretur quod dictum fuerat per Dauid. At translatio septuaginta interpretũ habet φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς, loquar problemata siue propositiones obscuras ab initio. Qui vero præsens euangelium in Græcam transtulit linguam, dixit ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, eructabo absconditа à constitutione seculi, Hebraicis hærens dictionibus, quæ & hæc & illa significant. Sicut Eructo significat etiam loquor: & illi προβλήματα dixerunt αἰνίγματα, sicut & Aquila testatus est. Aenigmata vero sunt etiam euangelicæ parabolæ. Quemadmodum enim ænigmata absconditam habent veritatem, ita sane & illæ. Quod autem dicitur, A constitutione seculi, idem significat quod, Ab initio mundi.

mundi. Marcus vero dixit, Et huiusmodi parabolis multis loquebatur eis sermonem, prout poterant audire, hoc est quatenus digni erant ad audiendum Scribę & Pharisæi. Nam quia non ad sumendam vtilitatem audiebant, sed ad struẽdam sermonibus eius calumniam: in parabolis loquutus est eis: vt & ipse suum opus adimpleret, & illi nõ intelligẽtes quæ diceret, per illa nihil proficerent.

† *Hæc dictio parabola significat quandoque narrationem, ut quum dicitur: Posuit nos in parabolam in Gentibus. Interdum autem ænigmaticum sermonem, ut est illud: Intelligere parabolam & obscurum sermonem. Significat præterea similitudinem, ueluti sunt hæ, quæ hic proponuntur. Ad hæc designat tropologiam, ut est illud: Fili hominis dic illis parabolam hanc: Aquila magna magnarum alarum, uocans aquilam regnum Assyriorum. Insuper significat figuram, ut quando dicit Paulus de Abraham quod obtulit filium, qui iuxta promissiones susceptus erat, Vnde in parabolam, inquit, recepit eum.*

Tunc dimissis turbis uenit Iesus in domum. In domum vbi hospitabatur.

Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Seorsim libere interrogabant, vt qui prius audierant datum illis esse vt nossent mysteria. De sola vero hac parabola interrogant, vtpote reliquas duas intelligentes, puta de sinapi & de fermento, tamquam manifestiores: hæc autem formidabiliores circa finem minas habebat, quæ ipsos exterrebant.

Respondens autem dixit eis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Filium hominis seipsum nominat, propter humanitatem suam quæ apparebat: & hoc frequenter dicit, confirmans quod vere humanitatẽ assumpserit. Erit ergo tibi hoc deinceps manifestum.

Ager uero est mundus. Superius de hoc prædictum est.

Bonum uero semen, hi sunt filii regni. Filij regni dicuntur, qui rectam seruant fidem: vtpote à rege Christo seminati ad colendam virtutem, & ad possidendum eius regnum. Filij vero mali illius, sunt hæretici, tanquam à diabolo seminati ad colendam prauitatem, & similiter ad possidendum ignem ipsi præparatum.

Zizania

Universidad de Deusto Biblioteca

D *Zizania uero sunt filii illius mali.* Modo de illis dictum est. *Inimicus autem qui seminauit ea est diabolus. Messis uero consummatio est seculi: messores autem sunt angeli.* Etiam de his prædiximus. upra.9. Te autem meminisse oportet, quod decimooctauo capite messem vocauerit eos qui crediturí erant, veluti paratos vt colligerentur: messores autem qui illos colligebant, Apostolos: in præsenti vero loco messem dicit seculi consummationem, propter excisionem à vita mortali: messores autem angelos, qui ab ea sunt illos excisuri. Similiter & semen superius sermonem fidei nuncupauit: in hac vero parabola eos qui crediderunt, iuxta alium videlicet & alium intellectum. Qui enim credidit & triticum dicitur, tanquam fructus primi seminis, verbi scilicet fidei: poterit nihilominus dici se-
E men, vtpote rursus alterum ad fidem fructificans. Non est autem interpretatus qui nam sint dormientes homines, & qui serui patrisfamilias, sed illos prætermisit, aut tanquam manifestos: aut etiam docens quod non oporteat parabolas ad verbum interpretari, vt ait Chrysostomus, sed tantũ in locis maxime necessariis, propter quę etiam assumuntur: Nam reliqua eo tantum fine pariter adduntur, vt apte effingantur. Nec iam vacat periculo, etiam hęc curiose scrutari.

Sicut ergo colliguntur zizania, atque igni comburuntur, ita erit in fine seculi huius. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ipsius omnia offendicula, & eos qui operantur iniquitatem. Regnum suum vocat mundum, vt qui natura illi imperet iuxta diuinitatem: aut tanquam data sibi omni potestate in cœlo
F & in terra. Offendicula vero, eosdem dicit quos & operantes iniquitatem. Colligent autem eos, quum illi ex mortuis resurgent. Scire enim oportet, quod simul cum his resurgent & iusti. Verum antequam illi colligantur, rapientur hi in nu .Thess.4 bibus in occursum domini in aëra, sicut dixit Paulus: illi vero deorsum relicti quasi indigni, colligentur postquam ipse descenderit. Et primum quidem boni ac iusti comprobabuntur deinde mali condemnabuntur. Post has vero datas sententias primo sane peccatores reiicientur in supplicium æternum: ofra.25. deinde iusti in vitam æternam, sicut dicit sexagesimo primo capite.

Et mittent eos in caminum ignis. Per se quidem seminat, ostendens quod sibi proprium est beneficia præstare: per alios vero

vero suppliciũ infert, demonstrans quod sit à se alienũ punire. A

Ibi erit fletus & stridor dentium. Ibi in camino ignis sempiterni: vel in illis qui punientur. Per fletum autem stridoremque dentium, vehementem dolorem demonstrauit.

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Verum quum tunc futurum sit vt dei splendor illos circundet: vtique ipsi conformes erunt ac diuini reddentur: & consequens est, vt sole splendidiores efficiãtur, quomodo ergo dicit, Sicut Sol? Quia noto apud illos exemplo vtendum erat: nec quicquam illis notum erat, quod esset sole splendidius.

Qui habet aures ad audiendum audiat. Hoc frequenter dictis addit, excitans illos quo reddantur perspicaciores.

Rursum simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, Alia para *quem qui inuenit homo abscondit: & præ gaudio illius abit, & omnia quæ habet uendit, emitq; agrum illum.* Quare turbis non B bolade præsentibus, in parabolis adhuc loquebatur discipulis? Quia thesauro sciebat iam illos per ea quæ dicta sunt sapientiores effectos, abscondi ita vt possent intelligere. Ideo etiam post finem parabola- to. rum ait eis: Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: Etiam domine. Sicut autẽ in duabus suprapositis parabolis de sinapi & de fermento, regnum cœlorũ dicebat fidei sermonem: ita quoq; in ista. Comparat autem ipsum thesauro propter spiritus sancti diuitias, quæ in illo sunt. Ager autem est mundus vt prædictum est. Scito ergo in mundo absconditam esse fidem: in fide vero diuitias spiritus. Et cętera quidem parabolæ, prout dicta sunt relinque. Considera autem quo modo is qui hũc ditantem thesaurum reperit, siue cognouit illum, studiose conatur (nam hoc indicat quod dicitur, Abit) & cum gau C dio cuncta quæ habet distrahit, vt hunc solum lucrifaciat. Et intellige quod omnes doceat huiusmodi parabola, non solum ne contristentur abiectis siue erogatis omnibus quę possident pro fide, sed etiam vt cum gaudio hoc faciant: & hanc abiectionem siue amissionem, lucrum ducant maximum: quodq; is qui aut illa non respuit, aut non cum gaudio respuit, non potest fidei lucrifacere thesaurum. In omnibus autem quæ habet, intelliguntur quæ in opere ac sermone, & in mente sunt peccata: quæ omnia similiter vendere oportet, hoc est, relinquere.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti pulchras De hoĩ negotiatore.

† D pulchras margaritas, qui ubi inuenit unam pretiosam margaritam, † abiens uendidit omnia quæ habebat & emit illam. Regnum cœlorum proprie intelligimus desiderium regni cœlorum? & hominem quidem illud appellauit, eo quod in homine operatur. Negotiatorem vero, quia propriam negotiatur salutem. Vide enim quod vbi inuenit vnam pretiosam margaritam, sermonem videlicet fidei: qui vnus est propter vnam fidei veritatem, & quia nullus alius est huiusmodi: πολύτιμος autem, id est, pretiosus, quia multi precij, & quia multis honorabilis, qui videlicet illum cognouerunt: Abit, quod diligentiam ac festinationem manifestat: & relinquit omnia quibus antea fruebatur: eumq; solum adipiscitur. Hæ aût duæ parabolæ in multis inuicem sunt similes: & breuiter in hoc solo differunt,

E quod illa fidei sermonem thesaurũ vocabat, hæc autem margaritam: sicut & duarum præcedentium parabolarum, vna quidem granum sinapis illum appellabat, altera vero fermentum. Et sicut per duas illas significauit incrementum vimq; fidei, ita rursum per has duas, illius significauit diuitias & excellentiam. Crescit siquidem quasi granum sinapis: vim habet vt fermentum: ditat veluti thesaurus: eximia est tanquam margarita pretiosissima. Reliqua vero quæ in parabola habentur, non sunt nobis magnopere curanda. Ne autem de sola fide præsumamus, aut sufficere eam ad salutem credamus, addit & aliam parabolam, qua discimus quod non omnes qui credunt salui fiunt, sed multi eorum pereunt: Ait enim.

† *Margarita etiam dominus appellatus est, quia diuinitatis profunditati unitus, & solis piscatoribus suisq; discipulis cognitus est.*

F De verriculo. *Rursum, simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere congreganti.* Regnum cœlorum iterum vocat fidei sermonem: mare vero mundum propter amaritudinem vndasque tentationum. Omnimoda autem piscium genera sunt, variæ multitudines inhabitantium in eo hominum, virorum, mulierum, puerorum, senum, cœlibum, coniugatorum: aliorumque similium: aut etiam differentiæ variæ gentium.

Quod quum impletum fuisset, subduxerunt in littus: & sedentes collegerunt bona in uasa, praua uero foras abiecerunt. Quum impletum fuisset, hoc est, quando omnes crediderãt: quidam voluntarij, quidam autem non voluntarij, Littus vero intelligit

git locum in quo iudicaturus est dominus: colligentes autem A angelos. Porrò bona quæ capra sunt iustos significant, praua autem malos: vasa vero ea quæ solis iustis in hæreditatẽ sunt reposita. Reliqua autem huius parabolæ similiter non sunt magnopere curanda.

Sic erit in consummatione seculi. Sic, sicut dicturus est.

Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Atqui Infra.25. in sexagesimoprimo capite ait quod ipse separabit eos à se inuicem. Quid ergo dicendum est? Quod ipse quidem separabit eos suo iussu: angeli vero separabunt eos operatione, præceptum domini tanquam ministri exequentes. Est autem separare, diuidere. Quia vero in fine parabolæ dixit quod praua foras abiecerunt: ne quis suspicetur sine periculo esse eiusmodi eiectionem: interpretatur dicens, quod etiam mittent eos B in caminum ignis, & cætera.

Dicit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia? Quæ videlicet in parabolis necessaria sunt: Atqui sciebat tanquam deus quod ea intellexerant. Reliquum est ergo, vt hoc more humano interrogauerit.

Dicunt ei: Etiam domine. Ille autem dixit eis: Propterea omnis scriba edoctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui depromit de thesauro suo noua & uetera. Quum illi fassi essent se intelligere, parabolam subinfert quæ doceat, omnes legitime ab ipso edoctos, intelligẽtia ditescere. Omnis, inquit, scriba siue sapiens edoctus à rege cœlorum qui est Christus, intelligentia dines est: edoctus inquam ab eo priusquam scilicet C fallatur: & similis factus est homini patrifamilias, id est, diuiti, qui depromit quãdo vult de thesauro suo nouas veteresq; res aureas. Intelligitur autem per noua, intellectus noui testamenti: per vetera autem, veteris. Quod vero dicit: Propterea, non est nunc causæ redditiuum, sed confirmatiuum, id est, vere.

Et factum est quum finiuisset Iesus parabolas has, digressus est illinc, & uenit in patriam suam: docebatque eos in synagoga illorum. Patriam eius vocat Nazaret tanquam patriam matris eius, & illius qui putabatur pater eius: & tanquam locum vbi nutritus erat. Dicit enim Lucas quod venerit Nazaret vbi fue- Luc.4. rat nutritus. Docebat autem eos. Quos? Eos videlicet qui

è patria

D è patria sua erant. Causam vero propter quam in synagoga
Supra.4. docebat, prædiximus in principio quarti capitis.

Ita ut stuperent ipsi ac dicerent: Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Sapientia sermonum & virtutes verborum. Aut virtutes vocat miracula. Videntes enim eum docentem quæ excelsiora erant, magisque appositа ad persuadendum quàm quæ docuerant viri quondam insignes: facientem etiam maiora miracula: & ignorantes eum dei esse sapientiam ac virtutem, mirabantur & sermones eius & miracula. Offendebantur autem per eum, qui talia doceret ac miracula huiusmodi æderet, ob aliud nihil, nisi quod humilibus ortus esset paren-
E tibus. Sed vere cæca & insensata res est inuidia. Vnde enim magis admirari eumque adorare oportuit, quod ab eiusmodi parentibus talis progenitus esset filius, inde per eum offendebantur.

Num hic est fabri filius? nonne mater eius uocatur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioses: & Simon & Iudas, sorores quoq; eius nonne omnes apud nos sunt? Hæc omnia per interrogationem legenda sunt: nam hæc hæsitantes inuicem dicebant.

Vnde ergo huic omnia ista? Vide extremam dementiam. Dicunt enim: Parentibus ortus est tenuibus, vnde ergo huic omnia ista prouenerunt? Atqui ô vani, non ob parentum generositatem, neq; ob diuitiarum affluentiam, aut aliud quippiam huiusmodi, sed ob egregiam vitam intelligentia ac miracula diuinitus his qui digni sunt donantur.

F *Et offendebantur per eum.* Hoc est super illo.

Iesus autem dixit illis: Non est propheta sine honore nisi in patria
Mar.6. *sua & in domo sua.* Marcus autem dixit, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua. Ab exemplo autem seipsum significauit Christus, & in patria, dixit propter totam Nazaret: Inter cognatos vero, propter eos qui quomodocunque cognati eius erant: In domo autem, propter solos fratres eius: Omnes enim despiciebant eum: illi quidem tanquam patriotam, isti vero velut cognatum, hi autem quasi frattrem. Ideo etiam quum supernaturaliter magnificaretur, offendebantur super eo, hoc est, propter inuidiam ei credere non poterant: & si quidam magis, quidam autem minus inuiderent. Non est ergo, inquit, propheta sine honore apud quos videtur prophe ta, nisi in patria sua, & inter cognatos & in domo sua. Hi enim

enim quanquam prophetam eum esse nouerunt, tamen despi A
ciunt eum propter causam dictam: & quia assueta facile despiciuntur. Lucas autē dixit, Nullus propheta acceptus est in patria sua, vocans etiā ipse acceptum, id quod in honore est.

Et non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatem illorum. Virtutes dicit miracula, tanquam diuinæ virtutis opera. Et vide sapientiam. Fecit siquidem aliquas, ne dicere possent, Quia odio nos habet, non curat eos qui sunt apud nos: q; si etiam apud nos hæc egisset, credidissemus vtique & nos: Non multas autem, propter incredulitatē eorum, quia nec his quæ factæ sunt credebant. Propterea Marcus quoq; dixit: Et mirabatur propter incredulitatem eorum, tantam videlicet impudentiam. Sed Matthæus quidem dixit, Non fecit ibi virtutes multas: Marcus vero: Nec potuit ibi ne vnam quidem vir B
tutem operari, nisi quod paucos infirmos impositis manibus curauit. Quomodo ergo dixit quod non potuit? Quia impotentiam vocare solemus nō solum defectum potentiæ, verum etiam impedimētum huius aut illius causę: sicut etiam nunc. Impediebat enim incredulitas illorum quibus beneficiū præstabatur. Non poterat ergo, hoc est, impediebatur: & non oportebat eos inuitos beneficio afficere.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM, DE HERODE TETRARCHA QVI Ioannem interemit.

C
IN illo tempore *audiuit Herodes* † *Tetrarcha famam* Cap.14.
Iesu, & dixit famulis suis: Hic est Ioannes baptista: ipse †
surrexit à mortuis, & ideo uirtutes agunt in illo. Si- Marc.6.
milia dicit & Marcus: Lucas vero ait: Audiuit He Luc.9.
rodes Tetrarcha vniuersa quæ fiebant ab eo: & hærebat eo quod diceretur à quibusdam quod Ioannes surrexisset à mortuis: à quibusdam vero quod Elias apparuisset: ab aliis autem, quod prophera quispiam ex antiquis surrexisset: & dixit Herodes, Ioannem ego decollaui: quis est autem iste de quo ego talia audio? & cupiebat videre eum. Quomodo ergo Mattheus & Marcus scripserunt quod affirmabat Herodes ipsum esse Ioannem: Lucas vero, quod dicentibus hoc quibusdam, Herodes potius asserebat non esse illum: Ioannē,

D inquit, ego decollaui, itaque consequens est non esse ipsum Ioannem? Quid ergo dicemus? Quod suspicatus hunc à mortuis surrexisse, ac miraculorum gratiam ob iniustam sui cædem à deo accepisse: eis tamen qui hoc dicebant, asserebat non esse Ioannem, ne ad eum concurrerent, & contra se seditionem concitarent: suis autem famulis confidenter detegebat secretum. Nam παιδας hoc in loco pro ministris posuit Euangelista. Id autem eis confidit, q̃ hunc maxime timeret tanquam fortiorem iam effectum, & quasi futurum esset, vt deinceps vehementius eum argueret. Et vide rem admirandam. Is qui interemerat timet interemptum. Talis est enim qui iniquus est, vt & mortuos timeat: & talis est qui virtutem colit, vt pauorem etiam post mortem immittat viuentibus.

E Incidente autem occasione de Ioanne, narrat consequenter Euangelista quo modo mortuus sit.

† *Herodes iste fuit filius eius qui infantes in Bethlehē interemit.*

Quum enim apprehendisset Herodes Ioannem uinxerat eum, ac posuerat in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Nō licet tibi habere eam. Quumq; uellet eum occidere, metuebat multitudinem: quia tanquam prophetam eum habebant. Marcus autem dixit quod Herodias insidiabatur ei, hoc est, molesta illi erat: volebatq; eum occidere, nec poterat. Deinde causam quoque addidit cur illa non poterat eum occidere. Ait enim qđ Herodes metuebat Ioannē, sciens eum virum iustum & sanctum, ac obseruabat illum, & audiēs eum multa faciebat, libenterq; eum audiebat. Hæc sane scri-

F pſit Marcus. Quod si sciens eum virum iustum & sanctum, obseruabat illum, quomodo dixit Matthæus, quod volebat eū occidere, timebat autem multitudinem? Præterea si multa faciebat eorum quæ Ioannes admonebat, & si libenter eum admonentem audiebat, quare vinxit eum ac recluſit? Quia quæ dicit Marcus primum facta fuerant: quæ autem dicit Matthæus, postmodum facta sunt. Primum enim Herodias negotium faceſſebat Ioanni, volebatque illum occidere: Herodes vero non permittebat, sciens eum virum iustum & sanctum, ideo quoque audito eo multa faciebat & libenter eum audiebat. Quum autem vehementer illum vrgeret, arguens ac increpans eum, tandem Herodes hinc quidem deuictus molestia, hinc autem vim quodāmodo ab Herodiade perpeſſus, iam pu

dorem

dorem in iram commutauit: nec omnino quiescens volebat A
eum occidere, timens vero multitudinem vinxit eum quasi puniens: & ligauit eum, ne varia loca circumiens obiurgaret eum. Arguebat autem illum Ioannes, vt qui contra legem haberet vxorem fratris sui. Duabus vero de causis eum increpabat: primum quidem, quod viuente fratre suo abstulerat violenter & illius vxorem & tetrarchiam. Deinde quod etiam, quum ipsa filiam ex illo peperisset, duxerat eam: quorum vtrumque contra legem erat. Iubebat enim lex fratris vxo- Deut.25.
rem ducere, non tamen adhuc viuentis, neque eam quæ ab illo prolem suscepisset.

Quum autem agerentur Herodis natalitia, saltauit filia Herodiadis in medio: & placuit Herodi: unde cum iuramento pollicitus est se daturum illi quicquid peteret. Marcus autem dicit quod iura- B
uit ei: Quicquid à me petieris dabo tibi vsq; ad dimidium regni mei. Quum autem agerentur natalitia, hoc est, celebrarentur. Moris nanque principibus erat propria festiue celebrare natalitia. Hanc autē promissionem appellat hic ὁμολόγησιν, quod tamen vocabulum sæpius assensum, pactum, aut confessionem significat. Verum ô magnam dementiam: & datum se iurauit, & petitionem in manu puellæ posuit, & dimidium regni sui breui saltatiuncula commutauit.

Illa uero à matre sua præmonita, Da mihi, inquit, hic in lance caput Ioannis baptistæ. Præmonita, id est, edocta. Dicit ergo: Da mihi hic, id est, nunc in conuiuio. Marcus autē eam dixiſ se ait: Volo vt des mihi confestim, hoc est, statim, repente. Nacta siquidem Herodias tempus opportunū, sicut iterum scri- C
pſit Marcus, qui dixit, Quum dies opportunus accidisset, quū ad se ingressa esset filia interrogans quid petitura esset, præcepit illi vt statim in conuiuio peteret dari sibi caput Ioannis: metuens ne si tempus illud præterlaberetur, Herodem omnino pœniteret, vbi decocto vino ad sobrietatem rediisset: vel etiam ne amicorum quidam deprecati, Ioannem liberarent.

Et contristatus est rex. Cōtristatus est, tū quia magnū virū occisurus erat, tū quia multitudinē in sui odiū concitaturus.

Attamen propter iusiurandum, & propter eos qui simul discumbebant, iussit dari. O muliebre mancipium: periurij testes habere timuisti, iniustæ autem cædis tam multos habere spectatores non formidasti. Te enim temere iurasse non oportuit:

D quia tamen incircũspecte iurasti, melius erat peierare: è duobus nanque malis, leuius est eligendum.

Quumq; misisset, amputauit caput Ioannis in carcere. Quum misisset, videlicet speculatorẽ aut carnificem, sicut dixit Marcus. Clam illum occidit, ne interfectus quoq; publicaret obscœnum concubitum: & ne multitudinẽ haberet, factum hoc prohibentem. Deus autem id sustinuit: simul quidem vt iustũ amplius coronaret, simul etiam vt his qui iniuste patiuntur, consolationis exemplum relinqueret.

Et allatum est caput eius in lance. O fœdum ac ferale conuiuium: quomodo non vociferati sunt qui simul accumbebãt, conspicientes hominis adhuc calidi caput, quod etiamnum sanguinem stillabat, super mensam adductum quasi ferculũ? quomodo non exhorruerunt?

E *Datumq; est puellæ.* Execranda merces impudentis operis.
† Vere talis matris digna filia: quæ vbi semel abiecit pudorem, & in conspectu tot virorum seipsam in theatrum exposuit, ac varie indecoros exercuit motus, crudelem sibi parauit animũ lanceméque ausa est contingere cæde plenam: nec solum contingere, verum etiam quasi donum aliquod gratissimum perferens, lætissime obtulit matri. Ait enim:

Et illa obtulit matri suæ. Neque enim satis erat execrandæ matri, quod interfectus esset: sed optabat quoque in manus sumere caput, quod in suam inuehebatur lasciuiã ac libidinẽ, vt illud cõtumelia afficeret, ac insectaretur conuitiis. Huiusmodi sunt mulieres adulteræ, oĩm improbissimæ crudelissi-
F mę ac sceleſtissimę. Et vide quot perpetrauerit mala. Seipsam dedecore affecit, suumq; virum Philippum & adulterũ Herodem ac filiam. Deinde occidit quidem adulterij insectatorem, vt adulterium committens, eos qui tunc erant lateret: sed quia ipsum occidit, non solum illos non latuit, verum etiam posteris publicatum est: semperque in vniuerso mundo publicatur.

Et quum accessissent discipuli eius, tulerunt corpus eius & sepelierunt illud. Marcus autem dicit, quod tulerunt πτῶμα eius. vocauit autem corpus eius πτῶμα ἀπὸ τῦ πεσεῖν, id est, à cadendo in pauimentum post capitis amputationem.

Ac uenientes renunciauerunt Iesu. Iam erga illum beneuolentiam demonstrantes: magis enim eos flexit calamitas.

Quumq;

Quumq; audisset Iesus secessit inde nauigio in desertum locum seorsim. A Quum audisset occisum esse Ioannem. Siquidẽ etiam quum audiuit traditum esse in carcerẽ, secessit: cuius causam tertio capite diximus: quod etiam factum est, vt seipsum in tempus passioni conueniẽs reseruaret. Quidam autem interpretantur: Quum audisset quod Herodes arbitraretur illum esse Ioannem: huius nanque interfectionem dicunt per interpositionem nunc ad memoriam esse reductam, illiusque narrationem ad præsens vsque verbum terminari. Deinde rursum sermonem ad priorem sui consequentiam restitui. Verisimile est autem vtrunque eo tempore audisse, & propter vtramque causam secessisse. Præterea tertiam quoque huius secessionis causam scripsit Marc⁹, puta quod requiescere vellet discipulos à prædicatione reuersos. Ita enim dixit: Et con- *Marc.6.* B gregantur Apostoli ad Iesum, ac renunciant illi omnia, quęq; fecissent, quæq; docuissent. Et dixit eis: Venite vos soli seorsim in desertum locum, & requiescite paulisper. Erant enim qui veniebant & abibant multi, sic vt nec comedere vacaret: & egressi sunt nauigio in desertum locum seorsim. Hæc sane Marcus. Proxima his sunt quæ dicit Lucas addens etiam si- *Luc.9.* gnum quo desertum nosceretur. Ait enim quod secessit seorsim in desertum locum ciuitatis quæ vocatur Bethsaida. Scire etiam oportet Christum humano more & audire & secedere, & ea quæ circa se erant dispensare. Omnia enim tanquam deus sciebat, nec illi fuga opus erat.

Et audierũt turbæ, & sequutæ sunt eũ ab urbib⁹ pedestri itinere. Marcus vero ait quod etiam viderunt eos abeuntes. Quidam C enim viderunt illos, quidam autem audierunt hoc ab his qui viderant: omnesque pedestri sequuti sunt itinere: huiusmodi enim desiderium, omne repellit impedimentum.

Et egressus Iesus uidit turbam multam, & misertus est illorum, curauitque eos qui inter illos infirmi erant. Vidisti desiderium, vide & eius præmium. Nec ab his fidem expetebat: illam enim demonstrauerant pedestri itinere absque alimentis sequentes in desertum locum. Marcus vero & Lucas dixerunt quod etiam cœpit docere illos multa, quodque loquebatur illis de regno dei. Vnde autem egressus sanabat & docebat? Certe dubium nõ est quin à monte. Ait enim Ioannes: Abiit *Ioan.6.* Iesus trans mare Galilææ quod est Tiberiadis: & sequebatur

D eum turba multa, quia videbant eius signa quæ ædebat in his qui infirmabantur. Ascendit autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Disseruit enim in naui cum discipulis: quumque ascendissent in montem, requieuerunt: Deinde egressus est & sanabat & docebat.

Vespera autem appetente accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterit: dimitte turbas, ut egressi in uicos emant sibi cibaria. Dies declinare cœperat sicut dixit Lucas: ipsi tamen ieiuni permanebant, audiendi amore famis necessitatem vincente. Christus vero quum idcirco eos cibare vellet, expectauit tamen vt ab aliis occasionem sumeret, ne videretur ad miraculi operationem assilire: neque hic solum, verum etiam alibi idem frequenter obser-
E uat. Præterea, vt etiam qui esurierant, maiori miraculi sensu mouerentur.

Iesus autem dixit eis: Non est illis necesse egredi, date uos illis quod edant. Non dixit: Ego pascam illos: hoc enim arrogantiæ videbatur, sed discipulos adhortatur, vt dent illis quod edant, vt ipsis inopiam obtendentibus, iam tum ipse necessitate coactus faceret quod suum erat. Sed Matthæus quidem
Mar. 6. Marcus & Lucas dicunt discipulos suggessisse Christo de tur-
Luc. 9. barum dimissione, quo cibaria emerent. Ioannes vero ait: Quum sustulisset oculos Iesus & vidisset quod turba multa veniret ad se, ait ad Philippum. Vnde ememus panes, vt comedant hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum
F denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque eorum pusillum quippiam accipiat. Hæc sane scripsit Ioannes. Verisimile est autem primum discipulos suggessisse: deinde eum dixisse illis: Non necesse est illis egredi: date vos illis quod edant. Postmodum sustulisse oculos ac vidisse turbam aliam multam venientem: & tunc humano more tentasse Philippum, siue probasse an crederet ipsum posse omnes pascere. Tentabat autem illum tanquam ceteris eo tempore imperfectiorem: aut etiam per hunc, sermonem & ad alios dirigebat, tentans quoque & illos. Manifestum est ergo quod ea quæ alij dixerunt euangelistæ, prætermisit Ioannes: quæ vero illi prætermiserunt, hæc iste narrauit.

Caput

CAPVT XXVI DE QVINQVE PANIBVS.

A

ET *illi dicunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces.* Iohannes vero ait Andream dixisse: Est puerulus hic vnus, qui habet quinque panes ordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tam multos? Proculdubio autem puerulus ille discipulis hæc vendebat, ideoque tanquam illa iam habentes, responderunt se aliud non habere præter hæc tantum. Ita neglectui illis erant corporalia dum mordicus spiritualibus inhærerent: duodecim enim, solis quinque panibus iisque ordeaceis cibandi erant.

B

Ipse autem dixit, Afferte mihi illos huc. Iussit quidem panes ac pisces afferri, docens quod etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus, eosque sibiipsis præponere. Illi vero quãquam similiter fame cruciati, nihil aliud haberent, sine vlla tamen contradictione obediunt.

Quumque iussisset turbas discumbere super gramina. Marcus autem dixit quod iussit vt discumbere facerent omnes distributis conuiuiis in viridi gramine: & discubuerunt distributi in areolas centeni & quinquageni. Quod autem dicitur, † distributis cõuiuiis, in litera habetur συμπόσια συμπόσια, † hoc est per distributa conuiuia: siue vt hic sit vna congregatio, ibi alia congregatio, & alibi alia & alia. Idẽ quoq; significat quod additur, Distributi in areolas, quod litera habet C πρασιαὶ πρασιαὶ, hoc est per distributas areolas. Potest quoque & alio modo dici quod συμπόσια fuerint cõgregationes in circuli speciem ordinatæ, πρασιαὶ vero in quadrãguli speciem. Huiusmodi enim sunt hortorũ areolæ. Lucas vero talia vocauit discubitus à discumbendo, κλισίας videlicet à κλίβω, id est reclinari suo quoque certo ordine.

† *Huiusmodi sane phrases sunt Hebraicè. In ueteri siquidem testamento qui Hebraicè norunt: talia frequentissime reperiunt pro numero uidelicet distributiuo, geminari dictiones.* †

Acceptis quinque panibus duobusque piscibus, quum suspexisset in cœlum, benedixit. Suspexit in cœlum patrem honorans, ac ostendens deo se non esse contrarium. Præterea docens non prius mensam esse attingendam, donec deo gratias agamus.

D qui nobis alimẽtum ſuppeditauit, eiuſq; benedictionem cœlitus trahamus. Interdum ergo quaſi deus propria authoritate miraculum operatur: quandoque vero deprecatur ob prædictas cauſas, ne malos offendat.

Et fregit, deditque diſcipulis panes: diſcipuli uero turbis. Dedit diſcipulis tum quaſi magis familiaribus, tum etiã ne eos lateret miraculum, ad quod ſuis manibus ſubminiſtrauerant.

Et comederunt omnes & ſaturati ſunt. Qui prius eos ſpirituali alimento ſaturauerat, docendo vt dictum eſt & loquendo de regno dei: nunc quoque ſatiat illos & corporali: nec id ſolum, verum etiam multa docet eos. Ab accubitu quidẽ ſuper gramen, animi modeſtiam. Ab eo quod nihil præter pa-
E nes & piſces præberet, temperãtiam. Ab eo vero quod omnibus pari modo diſtribueret, æquitatem.

Et ſuſtulerũt quod ſuperfuerat de fragmentis duodecim cophinos. Quinque panes quos fregerat dedit: horum autem fragmenta in manibus diſcipulorũ nouo miraculo multiplicabat. Neq; enim ſolum fuerunt ſatis donec ſatiaretur populus, ſed & diffundebantur donec ſupereſſet: ſupereſſet inquam, ad duodecim plenos cophinos: vt etiam duodecim Apoſtoli ſuos perferrent cophinos: & ſicut manus ita & humeros haberẽt miniſtros ac teſtes huiuſmodi miraculi. Marcus vero dixit, quod duos quoque piſces diuiſit eis, & quod etiam ab illis ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant.

Qui autem comederant fuerunt uirorum circiter quinque millia
F *præter mulieres ac pueros.* Hoc & augmentum eſt miraculi, & laus turbarum, quod etiam cum vxoribus & pueris aſſidebant. Et quia cum tota familia ſequebantur, cum tota etiam familia beneficij fructum perceperunt.

Statimque compulit Ieſus diſcipulos ut conſcenderent in nauigiũ, & præcederent ſe in ulteriorem ripam, donec dimiſiſſet turbas. Quum ab ipſo diſtrahi nollent, compulit illos in nauigiũ cõſcendere, & præcedere in vlteriorem partem: hoc quidẽ prætextu, vt ipſe relictus dimitteret turbas: in veritate autẽ, vt ſecum habentes fragmentorum cophinos, per otium abſente illo curioſe fragmenta ſciſcitarentur, ac confirmarentur, quod nõ phantaſtice factum eſſet miraculum. Nam & propter hoc ſuperfuerant, & oportebat diſcipulos de ea re certiores fieri ſupra cæteros, vtpote qui tanquam communes omnium magiſtri

giſtri in orbem erant ingreſſuri. Et hæc quidem vna cauſa eſt A
cur diſcipulos præmiſerit. Altera vero, quia volebat ſolus in
monte aſcendere, prout ſtatim ſubiungitur, docens hinc quod
neque oporteat continue multitudini immiſceri, neque ſem-
per fugere multitudinem: ſed vtrumque vtiliter efficere. Iam
itaque & nos relictis vrbibus earumque diſtractionibus, pe-
dites ac leues Chriſtum ſequamur, ad ſolitudinem ſiue quie-
tem & ſilentium ac otium abeuntem, eique aſſiſtamus ſalutaria docenti, vt affectionum abſtinentia ieiunantes, diuina gratia repleamur.

Quumque dimiſiſſet turbas aſcendit in mõtem ſeorſim ad orandũ. Facta autem ueſpera ſolus erat illic. Aptus eſt enim mõs ad orationem: nox præterea & ſolitudo, ſilentium ac indiſtractionẽ B
præbent, & immobilitatem in oratione.

Nauis autem iam in medio maris erat, & afflictabatur ab undis: erat enim uentus contrarius. Nunc rurſum diſcipuli fluctuãt Supra.8.
ac periclitantur ſicut & prius. Verum tunc quidem quum eſſent imperfectiores, aderat & ipſe ad conſolationem, quanquam dormiebat: nunc vero quum iam profeciſſent aberat, vt nuſquam habentes conſolationem efficiantur fortiores.

CAPVT XXVII DE AMBVLATIONE CHRISTI ſuper mare.

VArta autem uigilia noctis abiit ad illos Ieſus ambulans ſuper mare. Marcus autem dixit quod etiã C
vidit eos laborantes in remigando. Iohannes vero quod remigauerant ferme ſtadia vigintiquinque aut triginta. Stadium autẽ locus eſt ſiue mẽſura centum vlnarum, quæ vlna Græce ὀργυιὰ dicitur, & eſt manuum cum pectoris latitudine extenſio, continens ſex pedes. Quartam vero noctis vigiliam nominabant antiqui, qui in exercitibus nocte vigilabant, quartam noctis partem, poſtremas videlicet tres horas: Permiſit ergo Chriſtus diſcipulos ad id vſque tempus fluctuare, docens vt fortes efficiamur ad pericula, quæ diſpenſatorie inducuntur: nec facilem aut velocem quæramus liberationem. Præterea vt mortem præ oculis habentes, & ab ea mirabiliter liberati, agnoſcerent deũ eſſe eum, Marci. 6 Iohan. 6.

D esse eum, qui se seruasset: Nondum enim perfectam habebāt certitudinem: ideo quoque post liberationem adorauerūt eū dicentes, Vere dei filius es.

Et intuiti eum discipuli super mare ambulantem turbati sunt dicētes: Spectrum est, *& præ timore clamauerunt.* Timorē qui ab vndis erat excipit alter timor: nec hunc soluit donec clamauerunt, vt exercerentur ad ferendas tentationū successiones.

Ac protinus loquutus est eis Iesus dicens: Bono animo estote: ego sum, nolite terreri. Quia nocte impediēte, à persona eum cognoscere nequiuerunt, sui nunc indicium puta vocē eis inducit, quæ illos vtroque timore liberaret.

Respondens autem Petrus dixit ei: Domine si tu es, iube ut ueniā
E *ad te super aquas. At ille ait:* Veni. Peruenire ad illum super aquas quærit, vt hinc certior efficeretur, an ipse esset Christus. Potius tamen dicendum, quod quum vocem eius percepisset, supra modum gauisus est, & optabat ante alios ad eum accedere.

Quumque descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas ut ueniret ad Iesum. Videns autem uentum ualidum, territus est: &
quum cœpisset demergi, clamauit dicens: Domine serua me. Mare quidem non timuit, quanquam fureret: sed de iubentis potentia confisus, audacter ambulabat super aquas, & recte gradiebatur: vento autem magis territus est, ne forte circumagēdo eum euerteret. Huiusmodi enim est humana natura, vt plerunque in magnis recte se gerat magis autem cōuincatur re-
F prehensione digna esse in minoribus. Consequens itaque est, vt debilitata fide, per quam contra fluctus audentior erat illius destitueretur gratia, quæ leuem ipsum efficiebat, & demergeretur.

Et continuo Iesus extenta manu apprehendit eum: & ait illi, O homo modice fidei, cur hæsitasti? Hæc improperans ostendit, quod nequaquam venti violentia illum deiiciebat, sed exigua fiducia, hoc est infirmitas dictæ fidei. Exiguæ ergo fidei hominem illum appellauit, vt qui ventum timens, magnam eius partem abiecisset. Dicit itaque illi: Cur hæsitasti? siue, quare primum fidutiam habēs, post modum timuisti? id enim appellauit hęsitationem: nam qui cōtra fluctus te fortem reddebat, vtiq; & contra ventum te fortem reddidisset.

Quumque nauim essent ingressi, conquieuit uentus. Nō statim nauim

nauim ascenderunt, sed ventovehementer vrgente, longo adhuc A
spatio ambulauerunt, vt Petrus certior redderetur, & de sua exigua fidutia conuinceretur. Dicit enim Iohannes quod voluerunt eum sumere in nauim & ilico nauis appulit terræ ad quā ibant. Et inde manifestum est quod quum nauis terræ proxima esset, tum demum in eam intrauerunt.

Cæterum qui in naui erant, uenerunt & adorauerunt eum dicētes: Vere dei filius es. Miraculi magnitudo perfectiorem eis induxit fidem. Mare siquidem increpare minus est, quàm super illud ambulare: nec solum eum super illud ambulare, sed etiam alteri id præstare: neque hæc tantum, verum etiam facere illud quum venti violentia impetuose flaret, ac mare à suo statu submoueret. Sed præsens quidem Euangelista dicit, B
quod communiter omnes confessi sunt esse ipsum dei filium. Marcus autem dixit, quod admirati sunt, verum non intellexerunt. Ait enim: Et vehementer supra modum intra sese stupebant & admirabantur: neque enim intellexerunt de panibus: nam cor eorum obcæcatum erat. Est autem sensus dictorum huiusmodi, quod supra modum admirabātur eum veluti hominem qui talia posset, quum maxime illū adorare oportuisset, tanquam deum omnia potentem. Volens autem ostendere quod neque in prædicto panum miraculo se conuertissent ad id quod oportuit, addidit quod non intellexerūt neque de panibus. Adduxit autem causam cur non intellexerunt, dicens: Erat cor eorum obcæcatum. Nos tamen dicimus quod simul vt ingressus est nauim Iesus, contigerunt ea quæ Ç
dixit Marcus: deinde dissoluta cæcitate, facta sunt ea quę scripsit Matthæus. Scire enim oportet, quod interdum quidem tenebatur cor discipulorum, nec poterant intelligere: quandoque vero soluebatur & intelligebant: vtrunque autem diuina dispensatione contingebat. Et nos ergo quum demergi cœperimus tempestate perturbationum animi, Iesum inuocemus: & continuo porriget etiam nobis auxiliarem manum, & extrahet nos.

Et quum traiecisset uenerunt in terram Gennesaret. Marcus autem dixit, quod compulit discipulos suos conscendere nauim & præcedere in vlteriorem ripam ad Bethsaidam. Ioannes vero quod venerūt traiecto mari ad Capernaum. Sunt autem & Bethsaida & Capernaum in terra Gennesaret: stagnū

vero

D vero Genneſaret vnitum erat Tiberiadi.

Quumque agnouiſſent eum uiri loci illius, emiſerunt nuntios in totam undique finitimam regionem illam: & obtulerunt ei omnes male habentes, ac deprecabantur eum, ut uel fimbriam ueſtimenti eius tangerent: & quotquot tetigerunt, ſalui facti ſunt. Vidiſti quomodo diſcipuli paulatim profecerint? vide & multitudinē. Nō iam ipſos in domū trahunt, neque vt manus imponat quærunt, neque verbi iuſſum expetunt, ſed excelſius ac longe diuinius ſalutem accerſunt: illa enim quæ ſanguinis profluuio laborauerat maiorem illis fidem induxerat.

Cap. 15

Tunc accedunt ad Ieſum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi dicētes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas quando panem edunt. In vniuerſis quidem duodecim tribubus erant Scribæ & Phariſæi: cæteris tamen iniquiores erant qui ab Ieroſolymis erant, vtpote metropolim inhabitantes, ideoque faſtum maiorem præ ſe ferētes. Viderant magnam populi fidem, & illam minuere conabantur: verum in Chriſto nihil erat quod carpere poſſent: ſed diſcipulorum accuſabant non iniquitatem, ſed humani præcepti tranſgreſſionem. Neque enim iubebat lex diuina ne ederent priuſquam lauarent, ſed ſeniores populi. Ait enim Marcus: Phariſæi omnesque Iudæi niſi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, obſeruantes mordicus traditionē ſeniorum: & à foro reuertentes, niſi aſpergantur, non comedūt, multaque ſunt alia quæ ſeruanda acceperunt, nempe lotiones poculorum & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. Hæc quidē ait Marcus. πυγμῇ autem lauari (quod habet Marcus) eſt vſque ad cubitum lauari. (Aduerte quod vbi in Marco cū cæteris omnibus interpretibus vertentes dicimus, Crebro lauerint, loco dictionis Crebro, habent Græca πυγμῇ, ideo dicit autor noſter quod πυγμῇ lauari, eſt vſque ad cubitum lauari: idque ab etymologia deducividetur. Eſt enim πυγμὴ, ῆς, pugnus, & πυγών, ῶνος cubitus.) Lauabant autem pocula, vrceos, æramenta & lectos, exiſtimantes ea hoc modo ſanctificari: aliaque multa huiuſmodi tradebant obſeruanda, legem quidem tranſgredientes, hæc autem ridicula obſeruantes. Diſcipuli vero frequenter illotis manibus edebant, nō ſectantes iſta. Quomodo enim facere poterant, quum nunquam tale quippiam obſeruaſſent: ſed ſolius virtutis curam haberent,

Marci. 7

rent, corporales conſuetudines deſpicientes, eo quod earum trāſgreſſio nullum animæ poſſet adferre nocumentum?

CAPVT. XXVIII. DE TRANSGRESSIONE PRAECEPTI DEI.

AT ille reſpondens dixit eis: Quare & uos tranſgredimini præceptum dei propter traditionem ueſtram? Non dixit, Benefaciunt tranſgrediēdo, ne Iudęis contentionis occaſionem præberet. Nec dixit, Malefaciunt, ne huiuſmodi traditionem confirmaret. Neque eos calumniatur qui illam tradiderant, ne tanquam contumelioſum eum auerſarentur. Sed ſtatim ediuerſo de maiori peccato accuſat: oſtendens non oportere eos qui dei præceptum tranſgrediuntur, accuſare illos, qui hominum traditionem prætereunt. Deinde etiam dicit, quod dei præceptum tranſgrediuntur, & propter quam traditionem ſuam: ac illam præcipue in medium adducit iniquitatem, quę tunc inde emergebat.

Nam deus præcepit dicens, Honora patrem & matrem. Et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. In libro Exodi am bo hæc præcepta habentur.

Vos autem dicitis: Quiſquis dixerit patri uel matri: Munus, quodcunque ex me in tuum uertitur commodum. Difficilis eſt horum ordo verborum, niſi primum rem enarrem⁹. Seniores Iudęorum docuerant iuuenes, vt prætextu diuini cultus parētes cōtemnerent. Si quis enim parentum peteret à filio ouem aut vitulum, aut aliud quippiam, præcipiebant illis, vt dicerent: Munus eſt deo, quodcunque ex me in tuum vertitur commodum, hoc eſt deo conſecratum eſt quodcunque à me lucrifacis: & ita docebant eos deſpicere parentes ac legem tranſgredi. Ignominia ſiquidem eſt, legisque tranſgreſſio, filios reſiſtere parentibus. Nam & ipſos parentes dei prætextu fraudabant re debita, & nec deo illam offerebant. Hæc itaque rei narratio eſt. Nunc vero oportet & dicta interpretari. Vos autē dicitis: hoc eſt vos interpretamini, vos docetis deceptionem illam humanam: Quiſquis dixerit patri vel matri, Munus eſt deo conſecratum quicquid ex me in tuum vertitur commodum, ſiue quicquid ex me lucrifacere cupis †.

De patr & matr Exod. 20 & 21

†

Quidam

† *Quidam autem per defectum interpretantur hoc dictum dicẽtes: Deus quidem hæc uel illa præcepit: uos autem hæc reiicientes dicitis, Quisquis dixerit patri uel matri, Corban siue munus est deo quæsitum, quodcunque ex me in tuum uertitur commodum, liberatus est. Hoc enim dicunt deficere utpote Iudæis notum ad quos dirigebat sermonem.*

Et non honorabit patrem suum uel matrem suam. Et talis homo iam impudens effectus, deinceps non honorabit parentes suos.

Et irritum fecistis præceptum dei propter traditionem uestram. Quum manifeste demoustrauerit illos iniquitatis esse præceptores, ex consequenti quoque discipulos suos accusatione liberauit quod illorum nõ seruarent traditionem, qui dei præceptum non seruabant.

esa. 29 E *Hypocritæ bene prophetauit de uobis Iesaias.* Hypocritas illos dixit, quia legem seruare videbantur, ipsam tamen transgrediebantur. Prophetam autem in medium adducit, qui iam olim illos accusabat de his, de quibus ipse nunc eos accusat: & se eum esse ostendit, qui etiam illa per prophetam loquebatur.

Dicens: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis suis me honorat, cor autem eorum procul abest à me: sed frustra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Postquam dixit appropinquat mihi ore, interpretatus est hoc, addens: Et labiis me honorat, deum me esse confitens & creatorem ac dominũ vniuersi: Cor autem eorum longe abest à me, non appropinquans meis volũtatibus. Frustra autem colunt me, quum mea non seruent præcepta, sed doceant doctrinas quæ sunt præcepta hominum & non dei. Timeamus ergo & nos qui sumus Christi populus, ne etiam aduersum nos hæc dicantur. F

Et aduocata turba dixit eis. Illos tanquam incurabiles reliquit, vbi silentium eis imposuisset, eosque confudisset: conuertit autem sermonem ad turbam tanquam digniorem quæ audiat.

Audite & intelligite. Audite quod dico & intelligite illud. Hoc autem ait honorãs illos, vt facilius suscipiatur quod dicturus est.

e escis. *Non quod intrat in os impurũ reddit hominẽ.* Hoc est, Nõ sordes manuũ illotarum quæ vnà cum escis in os ingrediuntur, contaminant aut conspurcant hominẽ, quia nec tangunt animam: solum nanque peccatum fœdum est, quod animæ nocet. Talis autẽ dicti huius interpretatio in promptu est. Aiunt autem & alterã profundius esse recusam, puta quod nihil factum à deo, natura impurum est. Ait enim Moses: Et vidit deus quęcunque fecerat, & ecce bona valde. Dicunt ergo hac profundiori interpretatione ciborum reiici obseruationem, quam Iudæi seruabant. Nam quum lex, quæ de cibis erat, allegoricum haberet intellectum, Iudæi qui nihil excelsum cogitare poterant, corporaliter & prout in conspicuo erant, omnia excipiebant. A Gene. 1

Sed quod egreditur de ore, hoc impurum reddit hominẽ. Egreditur de ore omnis sermo: sed nunc de malo loquitur, qui cor pro fonte habet. In sequentibus autem manifestiora reddit, quæ hic obscure dicta sunt. B

Tunc accedentes discipuli dixerũt ei: Nosti Pharisæos audito sermone offensos fuisse. Quo sermone? Eo videlicet quo dicebat, Non quod intrat in os impurum reddit hominem: subuertebat enim traditionem seniorum.

At ille respondens dixit: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. Plantationem nunc dicit traditionem seniorum & præcepta hominum.

Sinite illos. Tanquam incurabiles. Ideo enim neque ipse curauit illorum offensionem, sciens nihil illis profuturum esse quicquid diceret.

Duces sunt cæci cæcorum. Cæcos vocat eos tanquam animæ oculo à fluxu affectionum excæcatos, & quasi non potentes oculos intendere in lucem veritatis. Nec solum hoc, sed & duces eorum, qui ab ignorantia scripturarum excæcati sunt. Grande siquidem malum est aliquem esse cæcum: eum vero qui cæcus est, ducatum alteri cæco præstare, duplex certe malum est. De incurabilibus cæcis. C

Porro si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadunt. Hoc manifestum est.

Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam hãc. Marcus autem dixit: Et quum ingressus esset domum semotus à turba, interrogauerunt eum discipuli eius de parabola. Quum enim Petrus inchoasset, alij quoque pariter interrogauerunt. Parabolam autem vocãt Hebræi ænigma & sermonem Marci. 7.

Dmonem obscurũ. Nam quia superius dixerat Christus, Quod egreditur de ore hoc impurũ reddit hominẽ. Deinde sicut refert Marcus, subiũxerat, Si quis habet aures ad audiendũ audiat, visus est eis sermo obscurus, & ideo parabolam illũ vocantes de ipso interrogant.

Iesus autem dixit: adhuc & uos iutelligentia caretis? Non intelligitis quod quicquid intrat in os, in secessum † emittitur? Omnia hæc per interrogationem legenda sunt. Marcus autem postquam dixit, & in secessum egreditur, addit, Quod purgat omnes escas, hoc est puras relinquit. Dictæ enim sordes in secessum egressæ, pura relinquunt quæ intus remanent alimenta, quæ videlicet natura retinuit.

† E † *Ἕδρα quidem inter alia significat etiam corporis partem qua sedetur. Eius autem corpositum ἀφεδρὼν, ὦνος finius est uel stercus quod secernitur.*

Quæ uero de ore egrediuntur, à corde exeunt, & illa impurum reddunt hominem. Dixit enim etiam vicesimosecundo capite, quod ex abundantia cordis os loquitur. Supra.12 Primum enim in corde concupiscimus: deinde quod desideratum est, per os educimus, & ita quod foris ingreditur, rursum foras procedit: quod autem ab interioribus egreditur, adhuc intus manet & contaminat.

A corde enim egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Marcus vero latius enumerat & alia: auaritiam, malitiam, dolum, impudicitiam, oculum prauum, superbiam, & stultitiam. Vt autem breuiter & aperte dicam, cogitationes malæ sunt nociuæ concupiscentiæ: cædes vero, furtum, falsum testimonium, auaritia dolus & superbia nota sunt: adulterium autem est, ad alienã vxorem accedere: fornicatio vero ad eam quæ virum non habet: blasphemia autem esse deo contumeliosum vel ingratũ, aut illum accusare: Malitia est cogitare mala aduersus aliquem, aut suspicari de illo quæ non oportet: impudicitia est concubitus cum masculo, aut si quæ est huiusmodi lasciuia: oculum autem malum vocat inuidiam: Stultitia vero proprio Psal.13 est non nosse deum: Dixit stultus, inquit, in corde suo, nõ est deus. Sunt autem & alia mala innumera quæ nunc prætermisit Christus, eo quod sufficiant ea quæ dicta sunt, ad habendam etiam illorũ notitiam. Hæc ergo à corde dixit egredi, quoniam

di, quoniam ab illo principium habent. Horum autem principia concupiscẽtiæ sunt, quæ à corde solent emanare. Quia vero à corde, omnino etiam ab ore egrediuntur: quando in corde ebulliendo in modum mali humoris, quod superfluum est euomi cogitur. A

Hæc sunt quæ impurum reddunt hominem: illotis autem manibus comedere, non impurum reddit hominem. Scientes & nos deinceps quæ sint ea quæ hominem contaminant, hanc sane immunditiam abiiciamus, quæ sordidam reddit animam. Si enim ipsa sit impura, etiam si totis fluminibus corpus laueris, nihil tibi proderit: illa vero, aqua lachrymarum & purificatione virtutum abluitur.

Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis. Hæ ciuitates Cananæorum erant. Quomodo ergo qui discipulis præcepit ne in viam gẽtium abirent, ipse abit? Non abit prædicaturus, sed vt paululum requiesceret. Ideo etiam postquam Supra.10 abiisset, ingressus domum, prout Marcus ait, neminem scire Marci.7 voluit, nec potuit latere. B

CAPVT XXIX. DE PHOENICISSA SIVE CANANAEA.

Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa clamabat ad eum. Marcus ait: Erat autem mulier Græca, Syra, Phœnicissa †: hoc est Græca quidem religione, Syra vero lingua, Phœnicissa vero genere siue gente. Phœnices enim Cananæi dicebantur, eo quod metropolim Phœnicen haberent. Hæc ergo quum famam quidem eius iam olim audisset, nunc vero quod eo accessisset, sequuta est eius vestigia. C

† *Syra Phœnicissa est cuiusque anima, mentem quasi filiam habens, quæ materiæ tenetur amore: & ideo comitiali morbo laborat, ac discruciari dicitur.* †

Dicens: Miserere mei domine fili Dauid: Filia mea male à dæmonio torquetur. Filia quæ à dæmonio torquebatur relicta, eo quod omnino sensu careret, seipsam profert quasi maxime indigeat vt sui misereatur, quia morbum sentiebat, & ideo innumera sustinebat incommoda. Filium autem Dauid eum vocat, quod didicerat à genere Dauid Christum oriundum.

D Omnibus siquidem nominatissimus erat Dauid. Male, inquit, à dæmonio torquetur, hoc est misere.

Ipse autem nõ respondit ei uerbum. Illa quidem alte vociferatur, dolorem qui latebat in corde significans: ipse vero penitus silet, sustinens donec omnis illius fides, animi modestia ac prudentia manifestaretur: quod vario modo facere solet in multis. Simul etiam vt ediuerso Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret affectum, quum infirmos eorum semel tantum rogatus, imò nec semel quidem, statim curabat: gentilium vero non ita.

Et accedentes discipuli eius rogabant illum dicentes: Dimitte illam quia clamat post nos. Quod hic dicitur, Rogabant, litera habet ἠρώτων, quod verbum licet vtplurimum interrogare
E significet, interdum tamen significat deprecari. Nam & hoc loco Marcus eo vtitur, quum de muliere loquens ait: ἠρώτα,
Marcæ.14 hoc est, deprecabatur eum vt dæmonium eiiceret à filia sua. Et Lucas quinquagesimoquarto capite ἐρωτῶ, hoc est deprecor te habe me excusatum. Est & vbi iubere significat, vt quum circa finem decimi capitis apud Lucam dicitur: Ingressus autem in vnam nauim quę erat Simonis ἠρώτησεν, id
Lucæ.5 est iussit eum vt à terra abduceret pusillum. Tanquam præceptor enim iussit. Nam & paulo post quasi autoritatem habens dixit, duc in altum.

At ille respondens dixit, Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Sufficiebat quidem silentium, vt eam in desperationem coniiceret: at responsio multo etiam amplius desperationem intendit. Respondit enim: Non sum missus nisi ad
F Iudæos, hos enim appellauit oues perditas domus Israel. Nã
Suprà.10 decimonono quoque capite rursum ita dixit Apostolis: Ite autem potius ad oues perditas domus Israel. Quid ergo mulier? Quum sese videret esse despectam, repudiatos etiam illos qui pro ea deprecarentur, non desperauit: nam magnam habebat fidem ac prudentiam: sed impudens est honesta impudentia: & iam relicto clamore qui eminus fiebat, propius accessit. Nos autem non ita, sed vbi statim non assequimur, desistimus: quum propius oporteret accedere, & feruentius orationi incumbere.

Porro illa quum accessisset, adorauit eum dicens: Domine adiuua me. Vsque tunc enim neque in illius conspectum ausa fuerat accedere

rat accedere indignam sese reputans. A

Ille autem respondens dixit: Non est decens sumere panem filiorum & obiicere catellis. Quantum illa augebat petitionem, tantum ipse repulsionem. Marcus ait quod dixerit ei: Sine primum saturari filios. Vndique enim ostendebat familiaritatem ac dilectionem erga Iudæos, eorumque procurabat honorem. Filios quidem eos vocauit tanquam suos ac dilectos: Ethnicos vero catellos tanquam impuros ac sceleslos. Panem autem dicit sanitatem non corporum tantum, verum etiam animarum. Et vide mulieris prudentiam: Christi enim verbis perculsa, suum ab illis texit patrocinium.

At illa dixit: Vtique domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt à mensa dominorum suorum. Certe domine vere dixisti: illi quidem sunt filij, ego vero vna è catellis: ideóque mei B
potius misereri oportet. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt à mensa dominorum suorum. Quia ergo catella sum, non aliena sum, neque de micis participare prohibeor, sicut neque catelli: de micis inquam intellectualibus, id est sanitatibus collatis ab eo, qui nunc casu sese obtulit. Quod ergo adeo repulsa non discessit, fidei erat: quod vero se catellam est confessa, humilitatis: quod autem à Christi sermonibus patrocinium sibi aptauerit, prudentiæ. Propterea enim Christus sanitatem distulit, vt hæc manifesta fierent: atque per illa huius philosophiam demonstraret, vtque confunderentur Iudæi, adeo fide, humilitate ac prudentia à gentili muliere superati: præterea vt hæc videntes Apostoli, sume- C
rent audaciam, quum postmodũ ad gentes emitterentur. Iam itaque Christus illius fidem promulgat.

Tunc respondens Iesus dixit illi: O mulier magna est fides tua. Fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ab illa hora. Marcus autem ait Christum ad illam dixisse: Propter hunc sermonem, abi: exiuit dæmonium à filia tua, hoc est propter hũc sermonem quo sapienter admodum vsa es ad patrocinium. Etenim Saluator & fidem eius laudauit & prudentiam. Et ideo Matthæus quidem laudem fidei eius scripsit: Marcus vero prudentiæ. Tu autem considera quomodo quum Apostoli pro illa deprecati fuissent, nihilque effecissent, ipsa potius perfecit. Hinc enim docemur, quod deus mauult

Dnos pro nobisipsis obsecrare: discipuli enim maiori libertate vtebantur, sed mulier magnam demonstrauit constantiam ac perseuerantiam. Et vere magna potest precationis assiduitas. Præfigurabat autem iuxta allegoriam Cananæa hæc mulier ecclesiam è gentibus congregandam, quæ dum in finibus suarum obseruantiarum permansit, filiam habebat à dæmonio agitatam, videlicet operationem dæmonibus subiectam. Vbi autem egressa est à finibus suis, oblita scilicet populi sui ac domus patris sui, Christi sermone digna effecta est, & à dæmonum violentia liberata.

Et progressus inde Iesus uenit iuxta mare Galilææ, conscensóque monte sedebat illic. Interdum quidem ipse circumit, sanans eos qui male habent: quandoque autem sedet expectans eos quibus cura opus est: illud quidem sua bonitate,
E hoc vero, vt de infirmorum fide sumat experimentum. Frequenter autem in montem ascendit, propter suæ altitudinem diuinitatis: ac docens à solo eleuari eos, qui deo appropinquare cupiunt.

CAPVT. XXX. DE TVRBIS SANATIS.

nfra.18

F *Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secũ claudos, cæcos, mutos, mutilos, aliosq; multos.* Κυλλοὶ (pro quo Mutilos vertimus) proprie dicũtur, qui manibus carent, sicut tricesimoseptimo capite manifestius patebit.

Et proiecerunt eos ad pedes Iesu: & sanauit illos. Vide proficientem illorum fidem. Neque enim amplius tangunt fimbriam vestimenti eius, sed proiiciunt solum ad pedes eius: & repente curat illos: non quod maioris sint fidei quàm Cananæa, sed quod Iudæi sint: vt ingratorum obturet ora Iudæorum, demonstrans illos maiori dignos supplicio. Ingratus enim quanto maioribus pluribusq; afficitur beneficiis, tanto ad maiorem pœnam luendam est obnoxius.

Ita ut mirarentur turbæ, aspicientes mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, & cæcos uidere. Mirabantur propter eorum multitudinem qui curabantur, & propter curationis velocitatem.

Et glorifica-

Et glorificabant deum Israel. Deum ipsius Israel, hoc est, A qui ab Israelitis colebatur.

Iesus autem aduocatis discipulis suis dixit illis: Miseret me turbæ, quia iam triduum perseuerant mecum: nec habent quod edant. † † Admiranda erat tanta turbæ perseuerantia. Quare autem tacent discipuli, nec dicunt vt prius, Dimitte turbas, idque tribus iam elapsis diebus? Quia videbant illos perseuerantes, ac gaudentes super sanitatibus infirmorum, nec famem penitus sentientes. Fortassis autem & ad tertium vsque diem escas detulerant: ideo tunc demum ad miraculum accedit, quando in ciborum indigentia constituti sunt. Quare autem rursum illos in deserto pascit? Vtique ne in via deficerent, sicut ipse consequenter dicit: & vt confirmaret signum præcedentium quinque panum: vndiq; enim diuulgatum erat, vt quod B publice factum fuerat.

† *Desertum intelligi potest humana natura, aut mundus iste: in quo assidui sunt ad sermonem uirtutis & cognitionis, qui propter fidem ac spem futurorum bonorum, mala patiuntur. Tres autem dies, tres animæ potentiæ per quas assidui sunt: per rationalem quidẽ inquirentes: per concupiscibilem uero, quod quæsitum est desiderantes: per irascibilem autem, pro eo quod concupitum est decertantes. Aut tres dies sunt tres leges generaliores: naturalis, scripta & euangelica, ad modum diei illuminantes, & ad eius quod expedit operationem excitantes. Qui ergo secundum hos etiam tres dies, ad dei sermonem perseuerant, & pro unoquoq; labores prompto sustinent animo, nequaquam ieiuni relinquuntur, sed suscipiunt splendidũ ac diuinum cibum: pro naturali quidem lege, promptissimam efficaC ciam eorum quæ naturali instinctu effici possunt: pro scripta uero, ne affectiones quæ præter naturam insurgunt sequantur: pro euangelica autem, unionem ad deum ac deificationem.*

Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Marcus autẽ Marci.8 addidit: Quidam enim eorum è longinquo venerunt. Vide ergo domini humanitatem. Nam sciens naturam humanam cibo indigere, prouidet ei etiam non requisitus, cibumq; præbet. Communicat autem cum discipulis, vt recordati miraculi quinque panum, offerant ei panes quos habent, & dicat: Multiplica etiam hos: sed non intellexerunt illi causam interrogationis: ideo rursus indigentiam obiiciunt.

Et aiunt illi discipuli eius: Vnde nobis in deserto tam multi panes

D *ad saturandam turbam tantam?* Et prius & postea in deserto loco longè à ciuitatibus ac vicis hoc facit miraculum, ne turbis videatur à propinqua ciuitate ac vico cibos deferre.

CAPVT. XXXI. DE SEPTEM PANIBVS.

arci.6 ET *dicit illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dixerũt: Septem & paucos piſciculos.* In quinque panibus hoc etiã interrogauit, ſicut dixit Marcus, & ne ſic quidem intellexerũt. Quod ſi tantæ eorũ cæcitati indignaris, quod quũ adeo recens præteriſſet illud miraculũ, adeo velociter obliti ſunt: admirare tamẽ quod
E veritatem ita colant, vt ſcribentes, ſuos etiam defectus non abſcondant. Aduerte etiam quantum ventri dominabantur. Quum enim eſſent in deſerto, & tres dies demorarentur, ſeptem tantum panes attulerant.

Et iuſſit turbis ut accumberent ſuper terram: ſumptos q; panes & piſces benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, diſcipuli uero turbæ. Et comederunt omnes ac ſaturati ſunt. Similia prioribus & dicit & facit, vt prius miraculum ex omni parte eis ad memoriam reducat.

Et ſuſtulerunt fragmentorum quæ ſuperfuerãt ſeptem ſportas plenas. Qui autem manducauerant erant quater mille præter mulieres & pueros. Quomodo ibi duodecim cophini ſuperfuerant, hic autem ſportæ ſeptem, quum oporteret hic magis ſupereſ-
F ſe? plures enim erant hic panes, & pauciores qui mãducauerant. Dicit Chryſoſtomus ſportas cophinis fuiſſe fortaſſe maiores. Vel alio quoq; modo. Ita diſpoſitum erat, vt huiuſmodi fragmentorũ diuerſitas ac inæqualitas, indelebilem vtriuſq; miraculi memoriam cõſeruaret. Præterea & aliter. Ibi quidem cophinos æquali numero cum Apoſtolis fecit: hic autem ſportas æquali numero cum panibus: vtrinq; docens facile ei eſſe quod velit facere. Iam vero ſecretius etiam conſiderare oportet de illis quinq; millibus, & de his quatuor millibus. Quinquies mille ſunt imperfecti in virtute: quater autẽ mille ſunt perfectiores. Multi ſiquidem ſunt & iſti & illi: ſemper tamen imperfectiores numero vincunt perfectiores. Edunt autem iuxta CHRISTVM, hoc eſt ſpiritualiter intelligunt:

intelligunt: imperfectiores quidem pauciora documenta propter imbecillitatem, perfectiores vero plura propter eorum fortitudinem. Superſunt tamen plura ab imperfectioribus, eo quod pauciora edant: à perfectioribus autem pauciora, eo quod pluribus alantur. Hæc ſane diximus nos ſimplicius ac manifeſtius: alij vero ſeipſos in ſubtiles diſputationes demittentes, multam & anxiam contraxerunt de minimis rebus diſceptationem ac moleſtiam: nec id in præſenti tantum loco, verum etiam in aliis multis conſiderationibus, quas pro moleſtis habentes prætercurrimus. A

Et dimiſſis turbis conſcendit in nauim. Non abiit pedeſtri itinere, ne ſequentes glorificarent eum.

Et uenit in fines Magdala. Marcus autem dicit quod ſtatim nauim ingreſſus cum diſcipulis ſuis, venit in partes B Dalmanutha: vtrumque enim cognomen regio illa habebat.

Quumq; acceſſiſſent Phariſæi & Sadducæi, tentantes rogabant eum ut ſignum aliquod de cœlo oſtenderet ipſis. Hic rurſum verbum ἐπερωτᾶν nõ interrogare, ſed deprecari ſignificat, vt prediximus. Signum autẽ de cœlo videre quærebant, quod prodigioſe circa ſolam fieret, aut circa lunam, aut in ſtellis. Hoc vero tentantes quærebant: neq; enim vt crederent, ſed vt quaſi Magum apprehenderent. Et alij quoque tentatores ante hos ſignum de cœlo quæſiuerunt ab eo, ſicut viceſimotertio capite prædictum eſt, & ibi aliam etiam quæras cauſam. Cap.16. Supra.12

At ille reſpondens dixit eis. Marcus vero dixit quod etiam ingemuit ſpiritu ſuo, hoc eſt, ingemuit à ſpiritu, ab animo, quod nos poſſumus dicere ab intimo cordis. Nam quum ten C tantes ipſos cognouiſſet, ingemuit propter incurabilem illorum malitiam, & dixit eis.

Quum cœperit eſſe ueſpera dicitis: Serenitas erit, nam rubet cœlum. & mane: Hodie tempeſtas, rubet enim cœlum triſte. Hypocritæ faciem cœli noſtis diiudicare, ſigna uero temporum non poteſtis? Hypocritas hos nominauit, non ſolum tanquam alia dicentes, & alia ſentientes, verum etiam tanquam habentes ſe pro ſapientibus, quum eſſent inſipientes. Dicit ergo: Apparentiam à cœlo noſtis diiudicare, quando ſerenitatem indicat, & quando tempeſtatem: ſigna vero temporum non poteſtis diiudicare? Quod ſi ſapientes eſſetis, cognoſceretis vtiq; quod hæc ſigna quæ in terra fiunt, præſentis ſunt tẽ

D poris: signa vero quæ de cœlo fiunt, temporis sunt consumma
tionis seculi. Tunc enim sol obscurabitur, & luna non dabit
splendorem suum, stellæque cadent de cœlo.

Et respondens dixit eis: Generatio praua & adultera signum re-
fra.24. *quirit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Hæc
supra.12. eodem modo dixit vicesimotertio capite, & in eo declarata
sunt. Tu vero eorum excæcationem cõsidera: quod quum
Ionam nossent, ac præsentia verba & prius & nunc quoque
audissent, noluerunt interrogare, ac discere quod esset hoc si-
gnum quod diceret: tentatores enim erant sicut dictum est:
ideo etiam ipse relictis illis abscessit.

Et relictis illis abiit. Marcus autem ait, quod conscensa na
ui rursum abiit in vlteriorem ripam.

E *Et quum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam, obliti sunt*
† *panes* † *sumere.* Marcus autem dicit, quod vnum tantum
Marc.8. panem habebant secum in naui?
† † *Qui uidelicet eis sufficerent.*

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM, DE FERMENTO PHARISAEORUM & Sadducæorum.

IEsus autem dixit eis: *Videte & cauete à fermento Pha*
risæorum & Sadducæorum. Marcus vero dixit,
quod etiam præcepit eis dicens: Videte & cauete
à fermento Pharisæorum & fermento Herodis.
Verbum autem Marci διεστέλλετο (pro quo ver-
F timus, præcepit) impropriè capitur, sicut alia plurima apud
Marcum. Significat enim vt plurimum distinguere, disputare
vel explicare. Illa autem reduplicatio, Videte, cauete, præce-
pti siue admonitionis exaggerationem demonstrat. Fermen-
tum vero Pharisæorum, Sadducæorum ac Herodis, vocat do-
ctrinam Pharisæorum, Sadduceorum ac Herodianorum. De
Pharisæis quidem & Sadducæis tertio capite, prædiximus: de
supra.3. Herodianis autem vicesimoprimo capite. Hanc vero doctri-
supra.12. nam vocauit fermentum, vtpote acetosam ac marcidam.

At illi cogitabant intra sese dicentes, Panes non sumpsimus.
Christus quidem fermentum appellabat prædictorum do-
ctrinã, & ab hac abstinere præcipiebat: discipuli vero fermen
tum,

tum, Iudaicos panes intelligentes, & de illorum abstinentia A
præcepisse putantes, cogitabant apud sese, hoc est, turbaban-
tur, prohibiti quidem Iudaicos edere panes, vt opinabantur,
quum tamen alios non adferrent: dicentes tanquam pœniten
tia ducti: Panes non sumpsimus à fidelibus qui nos excipiunt
hospitio, vt eis pascamur si moram facere contingat. Quid er
go Christus, qui cogitationes illorum nouerat? Merito ꝓpter
vtrumq; reprehendit illos, & quia existimabant eum præce-
pisse de ciborũ obseruatione, quam vtpote Iudaicam ipse an-
tea reiecerat, quando docuit, quod non id quod in os ingredi
impurum reddidit hominẽ: & quia de cibo soliciti erant, quũ Supra.1
secum haberent eum qui cibum omnem subministraret.

Quo cognito Iesus dixit eis: Quid cogitatis apud uosipsos exiguæ
fidei homines, quod panes non sumpsistis? Primum cibi solicitu B
dinem illis improperat dicens: Quid turbamini quod panes
alicunde non sumpsistis. Rursus autem vocat eos exiguæ fi-
dei homines, quia non credebant quod ab ipso possent ali, sed
ipsi sui curam habebant.

Nondum intelligitis neq; recordamini quinq; panum quum homi-
nes essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? neq; septem
panum quib homines essent quater mille, & quot sportas sumpseritis?
Marcus vero grauius eos increpasse ait, addens: Adhuc excę-
catum habetis cor vestrum? oculos habentes nõ videtis, & au
res habentes non auditis? Et quare non tunc improperauit
potius eis quãdo dixerunt, Vnde nobis in deserto panes tam
multi? Quia non erat æquum vt hos coram multis confun-
deret. Simul etiã expectans donec ædito duplici miraculo,
grauior ac efficacior redderetur accusatio. C

Quomodo non intelligitis quod non de panibus dixerim uobis, Ca-
uete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Ecce iam ob-
seruationem quoq; ciborum illis improperat.

Tunc intellexerunt quod non dixerit ut cauerent à fermento panis
sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Vidisti præmis-
sam increpationem: vide etiam fructum eius: excitauit enim
mentem illorum quæ dormiebat, & intellexerunt. Siquidem
oportet non vbique mitem esse præceptorem, sed quandoque
asperum fieri: & interdum quidem libere se tradere discipulis
ad refocillationem: interdum vero increpare ad correptionẽ:
& hac varietate illorum procurare salutem.

Caput

CAPVT XXXIII. DE INTERROGATIONE APVD CAESAREAM.

Vum autem uenisset Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos dicens: Quem me esse dicunt homines filium illum hominis? Cæsaream hanc Philippus in honorē Cæsaris construxit. Erat autem & alia Cæsarea Stratonis. Et procul à Iudæis abductos discipulos interrogauit, vt sine timore libere responderent ad id quod interrogabantur. Nec de Scribis & Pharisæis rogabat: illi enim ipsum manifeste contumelia affi
E ciebant: sed de populari turba, quæ ab inuidia & malitia libera erat. Nam & Lucas dicit, Et factum est quum esset ipse so-
uc.9. lus orans, erant cū eo & discipuli: & interrogauit illos dicens:
Marc.8. Quem me dicunt esse turbæ? Marcus vero ait, quod in via interrogauerit eos. Est enim verisimile quod quum venisset in partes Cæsareæ simul orabat & ambulabat. Filium vero hominis ait, hoc est, eum, qui hominibus apparet nudus homo. Interrogauit autē non quasi ignorans, sed dispensatorio modo, vt Petrus diceret quod sibi reuelatū erat: & cæterorū omnium opiniones quę de ipso erant, reprobarētur tanq̄ erroneæ. Scie bat nanq; quod deus ac pater reuelauerat Petro de se, aperiēs mentē eius. Vide aūt quod non circa prædicationis initia interrogauerit, sed postq̄ multa magnaque signa ediderat, postq̄ multa magnaq; docuerat: postq̄ sufficientes de sua diuinitate
F ac æqualitate ad patrem, probationes euidentes tradiderat.

At illi dixerunt: Alii quidem Ioannem Baptistam: alii autem Eliā: alii uero Ieremiam, aut unū prophetarum. Ait illis: Vos autē quem me esse dicitis? Vos, inquit, qui mecum semper conuersamini, & multam habetis experientiam meæ potentiæ, quæ & opere & sermone eluceſcit. Quum ergo diceret illis, Vos autē quem me esse dicitis significauit turbas non recte dicere.

Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius ille dei uiuentis. Rursus Petrus vbiq; feruens prosilit & præce-
Sue.3. dit. Viuentis autem dixit, quia scriptum est, Deus viuens ego
Zech.18. sum. Et: Viuo ego dicit dominus: multaque similia, ad oppositam distinctionem mortuorum idolorum.

Et respondens Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Atqui

qui prius etiam discipuli sedata tempestate filium dei esse con A
fessi sunt, dicentes, Vere dei filius es, nec tamen beati prædi- Supra.14.
cati sunt. Et alij quidam deum esse crediderunt vt prædixi- Supra.8.
mus, sed nullum illorum beatificauit. Quid ergo dicendum est? Quod omnes qui ipsum esse dei filium confessi sunt, aut deum esse crediderunt, non natura & proprie hæc illum esse opinabantur, sed adoptione, & secundum excellentiam virtutis, veluti etiam omnes sanctos, dei filios esse dicunt. Solus autem Petrus vere Christū, & natura & ꝓprie filiū dei hunc esse intellexit. Ideo quoq; volens Christus discipulis demonstrare, quod solus hic recte cognouerit, & sine errore cōfessus sit, ipsum beatificat, tanquam assequutum diuinam de se reuelationem. Caro enim, inquit, & sanguis, hoc est homo, non initiauit te ad sacram hanc de me confessionem, sed pater meus, B
tanquam huiusmodi confessione dignum. † Quod autem di †
citur Bar, Hebraica dictio est, significans filiū: erat siquidem filius cuiusdam Iona'. Postquam ergo Petri opinionem confirmauit, & hunc à deo edoctum esse demonstrauit, vide quibus eum dignetur bonis.

† *Aiunt enim Hebræi* בן יונה *ben Iona. Sed Chaldæis* כר יונא *bar Iona sonat latinis filium columbæ.*

Et ego dico tibi quod tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Tu es Petrus, vt qui post abnegationem, fidei petra futurus es: vel tanquam iam prudentia firmus. Itaque super hanc firmitatem ædificabo ecclesiam meam, siue te ponam fundamentum credētium: Ecclesia enim fideles sunt. Hoc autem dixit, excitans eius prudentiam ad artem pascen- C
darum ouium.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Nō dominabuntur ecclesiæ: Portas aūt inferorum dicit blasphemias, quæ à gentibus ac hęreticis proferuntur. vtpote ad æternū introducentes cruciatū: vel supplicia ab illis inflicta, quasi ad mortē carnis inducentia. Deinde alium quoq; ponit honorem.

Et dabo tibi claues regni cœlorum. Quum confessus esset ipsum dei filium esse legitimum, iam ei demonstrat suæ diuinitatis dignitatem, dicens: Aedificabo super te ecclesiam meam: & dabo tibi claues regni cœlorum, videlicet vt ad illud introducas: siquidem clauigeri est introducere. Atqui donum hoc, cęterorum etiam fuit Apostolorum: sed primum

huic

D huic datum est, quia primus hic filium dei legitimum esse Christum fassus est: ideo quoque post Saluatoris in cœlum assumptionem, præ omnibus longo docuit tempore, multosque introduxit ad fidem.

Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum in cœlis. Etiam & hoc clauigeri proprium est. Ligare autem, dicit non ignoscere: soluere vero, ignoscere. Promittit ergo: Quodcunque peccatum non condonaueris super terram, neque in cœlo condonabitur à deo: & quodcunque condonaueris hic, erit & ibi condonatum. Sed & Marcus & Lucas breuitatis causa Petri responsionem per compendium dixerunt: ideo & beatitudi-
E nem eius & alium honorem tacuerunt: simul etiam scientes eum abunde honoratum. Matthæus vero diligentiæ gratia hæc omnia conscripsit, pariter etiam Apostolorum principem honorans.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Christus. Marcus autem dixit, Et interminatus est illis ne cui de se dicerent. Lucas vero, Interminatus præcepit eis ne cui hoc dicerent. Vnde liquet quod hic in Matthæo sumitur verbum διεστείλατο pro Præcepit: & apud Marcum ἐπετίμησε, hoc est interminatus est, pro, Cõfirmando præcepit: & similiter eius participium ἐπιτιμήσας apud Lucam. Vt nemini dicerent quod ipse esset Christus, naturalis videlicet dei filius, sicut Petrus confessus est. Necessarium siquidem erat,
F vt hoc ab ipso patre reuelaretur, ab ipso autẽ filio ante mortem suam confirmaretur, & à solis discipulis cognosceretur, vtpote qui popularibus perfectiores erant, & quasi communes orbis magistri: populares vero id nunc scire noluit vsque ad resurrectionem suam à mortuis: ne si nũc discerent illum natura esse dei filium, & natura deum: postea videntes eum ignominiose contumeliis affectum, & indigna patientem, ac acerbe interemptum, offenderentur: & rursum ad priorem incredulitatem recurrerent, ægreque ab ea reuocarentur. Nã si discipulos etiam, qui popularibus perfectiores erant, offenderunt non solum hæc conspecta, verum etiam de his rebus habiti sermones: quid non passæ fuissent imperfectæ turbæ dum hæc conspexissent, maxime ignorantes passionis mysterium, quod ipsis quoque discipulis erat receptu difficile?

Nam &

Nam & hi, quando post Saluatoris in cœlum ascensionem, A
venit super eos spiritus sanctus, tũc demum diuina gratia repleti, humanis cogitationibus abiectis, omnia cognouerunt mysteria. Verum semper ad id vsque tempus omnia ad humanitatem pertinentia offendebant illos. Propter hoc ergo vt dictum est, noluit à popularibus sciri, quod natura dei filius esset, & natura deus: idque multis modis præcepit discipulis. Quando vero completis ac finitis omnibus quæ offendere poterant, prædicaturus illum erat natura deum esse sol obscuratus, velum templi dissciissum, terra concussa, petræ diruptæ, & corpora sanctorum qui dormierant excitata, ipseque glorioſe à mortuis resurgens, tunc sane effulsit virtus diuinitatis eius, & indubitata erat demonstratio. Simul quoque B
immissurus erat spiritus sanctus intellectum, non solis discipulis, sed omnibus etiam credentibus: & tunc iam demum omnibus publicari volebat & diuinitatis & passionis suæ mysterium, vt absque vllo offendiculo prædicatio procederet.

Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret eum abire Ierosolyma: multaque pati à senioribus & principibus sacerdotum ac scribis, & occidi, tertiaque die resurgere. Ex eo tẽpore, ex quo firmiter cognouerunt discipuli, quod naturalis esset dei filius: tunc enim demũ cœpit demonstrare siue præ-
dicere illis quæ passurus erat: vt hæc præscientes, tempore passionis non offenderentur, neque suspicarentur quod propter naturæ imbecillitatem pateretur. Quo enim pacto id fieret de eo, qui prænouit & prædicit, ac festinat potius vt patiatur. C

Et assumens eum Petrus cœpit reprehendere illũ. Assumens, hoc est seorsim accipiens. Audito enim quod moriturus esset, grauiter tulit: Nam id sua diuinitate indignum putauit: ideoq; quasi iam sumpta libertate, eo quod beatificatus esset, seorsim increpauit illum siue reprehendit. Scire enim oportet quod hoc verbum ἐπετίμησε (pro quo vt plurimum vertimus Increpauit aut interminatus est) apud Euangelistas interdum quidem significat silentiũ imponere siue os obstruere: vt de dæmone qui dicebat se nosse Christum, quod sanctus ille dei esset. Ait enim ἐπετίμησε, hoc est increpauit illum, siue silentium imposuit. Interdum autem significat Re- *Marci. 1.*
frenauit siue imperauit: vt est illud ἐπετίμησε, id est, impera- *Supra. 8*
uit ventis & mari, siue refrenauit. Quandoque vero denotat

Confirma-

D Confirmauit: vt quum dicitur ἐπετίμησε eis, hoc est confir-
Marci. 8. mauit illos ne cui de se dicerent. Quandoque autem Repre-
hendit: vt est id de quo erat sermo. Interdum quoq; Increpa-
uit vel corripuit: vt est illud ἐπετίμησε id est increpauit Pe-
Infrá.19. trum, vt statim consequenter dicemus: Est & vbi significat,
Prohibuit, vt in fine quadragesimi capitis inueniemus.

Dicens: Propitius tibi sis domine, non erit tibi hoc. Tanquam consulens hoc ait, vt ingenuus amicus. Quod autem dicitur, Propitius tibi sis, cõsueto more loquutus est. Moris enim erat hoc dicere eum, qui indignaretur absurdum quippiã dicenti: vt, Propitius tibi sit deus ob talem sermonem. Id vero quod addit, Non erit tibi hoc, tantundem est ac si diceret: Ne con-
E tingat tibi hoc quod dicis.

At ille conuersus dixit Petro: Abi post me satana. Marcus autem dixit quod conuersus & intuitus discipulos suos, increpauit siue corripuit Petrum. Etenim voluit illos quoque increpationem audire ac castigari, qui idem quod Petrus patiebantur. Satanam autem eum vocat, quasi in hoc satanam imitantem, quod Christum occidi nolebat. Siquidem neque satanas Christum occidi volebat, vt mendaces viderentur prophetiæ quæ de morte eius loquebantur: & ne mors carnis huius, fieret mors suæ potestatis: quanquam ipse propria victus malitia Iudæos ad eius cædem incitauit. Potest autem & aliter dici: quod quia Satanas aduersarius dicitur, Petrus autem prohibens Christum mori, non sequebatur eius volũ-
F tatem sed aduersabatur, ait ei Saluator: Abi post me Satana, hoc est sequere me aduersarie.

Obstaculo mihi es. Impedimento mihi es, aduersarius meæ voluntati. Deinde dicit etiam causam propter quam aduersabatur.

Quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ sunt hominum. Hoc inquit pateris, quia non diuino sed humano modo sapis. Etenim si diuina gustares, vtique dignum me iudicares qui moriar pro mundo: quia vero humana sapis, potius indignum me iudicas qui moriar. Tu vero mihi considera eum qui paulo ante maxime beatus prædicatus est, nunc maxime increpatum, & ad correptionem suæ audaciæ: & vt intelligas quod Saluator non sit personarum acceptor: quum enim recte loquutus est, beatum prædicauit illum: quando autem non recte,

non recte, increpauit. Recte quidem loquutus est in his quæ A
per reuelationem diuinitus accepit: non recte vero loquutus
est, in his quæ à seipso dixit.

Tũc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me uenire, abneget Marci.8
semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Marcus & Lucæ.9.
Lucas aiunt etiam ad turbas & simpliciter ad omnes hæc illum dixisse. Dixit autem hęc, confirmans non solum non esse indecens vt ipse moriatur, sed neque posse quempiam suum esse discipulum, nisi & ille moriatur pro honesto. Si quis inquit vult post me venire, siue sequi me tanquam discipulus & imitator, abneget semetipsum, dico sane suiipsius volũtatem, volupratum ac vitæ amorem, aut suum proprium corpus, nõ parcens illi laboranti & afflicto, sed exponat illud periculis: B
& tollat crucem suam, siue ferat in memoria suam mortem. Per crucem enim mortem significauit: quia tunc mortis instrumentum erat crux: semper suiipsius cedem expectet, semper ad mortem paratus sit, & quotidie voluntate moriatur. Alio etiam modo præsens dictum interpretati sumus decimonono capite. Vide autem quomodo dixerit. Si quis †vult, Supra.10
siue vir siue mulier, siue præsidens, siue cui alius præsidet: Si †
velit: neminem enim inuitum cogit. Ne putes autem quod mala pati solum sufficiat: nam & latrones & depręd atores ac magi, aliique praui homines innumera mala patiuntur, addidit: Et sequatur me: docens non solum oportere talia pati, sed etiam se sequi, hoc est per vestigia conuersationis ipsius incedere.

† *Τὶς enim Græcis tam fœmininum est quàm masculinum: ut etiam* C
Quis interdum apud latinos. †

Quisquis enim uoluerit animam suam saluare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Dixit etiam hæc decimonono capite: quære ergo ibi horum interpretationem. Marcus autem dixit, Propter me & euãgelium, hoc est propter me & meam doctrinam.

Quid enim prodest homini si totum mundum lucrifecerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Impossibile quidem est quempiam totum mundum lucrifacere: si tamen possibile foret, nulla esset vtilitas. Siquidem omnia quæ mundi sunt, mortalia sunt, anima vero immortalis: & horum sane delectatio temporalis illius vero supplicium sempiternum. Deinde auget & terro-

rem. Inde

D rem. Inde enim plerunque meliores reddere solet auditores.

Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Si enim neque mundus totus correspondens est animæ rationali, quid dabit quispiam commutationis vt hanc ab æterno supplicio eripiat? Certe nihil. Omnibus itaque relictis, huius curam habere solius oportet, cuius iactura est maxime mortalis, & ob quam perditam nulla potest dari commutatio. Vt autē discāt quod segnibus non sine vltione erit sua segnities, neq; sedulis præmio carebit sua sedulitas: vtq; illi amplius terreantur, hi vero maiorem accipiant consolationem, dicit.

Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique iuxta id quod operatus est. Simul
E demonstrauit quod eandem habeat cum patre gloriā. In gloria inquit patris sui. Quod si eandem habet gloriam, eiusdem vtiq; substantiæ est & potentiæ ac diuinitatis: quorum enim gloria est eadem, horum & cætera quoq; sunt eadem.

Amen dico uobis: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo. Postquam de seipso dixit, quod futurum est vt veniat in gloria cum satellitio ac comitatu & præmissione angelorum: cognito quod discipuli de hoc sermone diffiderent, confirmat illum: præmittens quod non multo post, quidam se visuri essent in gloria: hanc enim regnum nunc vocauit. Significabat autem suæ transformationis splendorem, quem post breue tempus demōstraturus erat Petro, Iacobo & Ioanni: Nam de
F his dixit, Sunt quidam hic stantes. Regnum autem suum siue gloriam suam, splendorem illum nominauit, cum quo postmodū descensurus est, quando reddet vnicuiq; iuxta id quod
Roma. 2. operatus est. Venientem vero dixit, hoc est apparentem.
Cap. 17. *Et post sex dies assumit Iesus Petrum & Iacobum ac Ioannem fratrem eius.* Lucas autem dixit, Post octo: nec tamen contra-
Lucæ. 9. rius est. Siquidem annumerauit ille & duos dies alios, hunc videlicet quo prædicta loquutus est Iesus discipulis, & eum quo illos assumpsit: Matthæus vero vtroque prætermisso, medios tantum enumerauit. Quare autem solos hos tres assumpsit, non modo tantum, sed & aliàs frequentius, sicut in progressu inueniemus? Quia cæteris discipulis præstantiores erant: Petrus quidem eo quod valde diligeret eum, propter fidei feruorem, Ioannes vero quia plurimum diligebatur ab illo, propter virtutum excellentiam, Iacobus autem quia grauis admodum erat Iudæis, intantum vt Herodes occiso illo maximam præstiterit gratiam Iudæis. Vide autem quo modo Matthæus non occultauerit illos qui sibi præpositi sunt. Hoc autem & Ioannes plerisque in locis facit, præcipua Petri encomia libenter describens: Apostolorū namq; chorus expers erat inuidiæ. Ideo autē quum dixisset Christus, Sūt quidā de hic stantibus, horum occultauit nomina, ne cæteros contristaret: nam indignos sese arbitrati, doluissent se despici.

A
Actor. 12.

Iohan. 2.

Et subduxit illos in montem excelsum seorsim. Lucas autem dicit, quod assumpsit illos, ascenditq; in montem vt oraret.

CAPVT XXXIIII DE TRANSFORMATIONE CHRISTI.

B

ET *transformatus est coram illis: resplenduitque facies eius sicut sol, uestimenta uero eius facta sunt candida sicut lumen.* Subducit illos in mōtem excelsum, vt à nullo alio conspici possit: ideo etiam addit, Seorsim. Nihil enim faciebat ad gloriam, sed omnia ad vtilitatem. Præterea vt discamus oportere à terrena subleuari humilitate eum, qui diuina contemplatione dignus habendus est. Et transformatus est, corpore quidem in propria figura manente, diuino vero splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem eius illustrante, speciemque illius ad maiorem dei similitudinem immutante. Coram eis autem, ne transformatum ipsum intuiti alterum esse suspicarentur: vtque scirent eum facillime quod velit facere posse.
C Splenduit vero facies eius sicut sol, quia ita illis apparuit: ille enim supra solem erat, diuinus quidam & ineffabilis. Vestimenta autem eius facta sunt candida sicut lumen, diffuso etiam in illa splendore. Itaque si nostrum quoque aliquis Iesum vt Petrus amauerit, & amatus ab eo fuerit vt Ioannes, ac inimicis illius grauis fuerit vt Iacobus: inimici vero illi⁹ præcipui sunt dæmones: subducetur ab eo in montem excelsum, siue in altitudinem cognitionis: & gloriam illius intuebitur, quātum homini permissum est: dico sane mysteria quæ multis occultata sunt ac inuisa. Non erit autem præter intentum aut intempestiuum, vt dicamus faciem Iesu intellectum sermonum illius: vestimenta vero eius dictiones sermonum, quibus occultatus in eis intellectus tanquam vestimentis in-

o duitur:

duitur: talisq; eius facies apparebit, splendens ac illuminans
D eos qui in illâ defigunt oculos: & rursum talia eius vestimẽta
candida sunt, nihilq; tenebrosum aut obscurum habentia.

Et ecce uisi sunt Moses & Elias cum eo loquentes. Propter multas causas secum astare fecit Mosen & Eliam. Quia enim
prd.16. turbæ dicebant: hi quidem Ioannem esse Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum veterum prophetarum: constituit coram se tanquam seruos, eos qui in veteri testamento insigniores refulserant, vt discrimen quod est inter se & illos appareat, & quantum ipse ab illis differat. Hæc itaque vna fuit causa. Altera rursum: quia accusabant illum de
han.10. legis transgressione dicentes, Non est hic à deo, quia sabbathum non custodit: Rursusque blasphemiæ eum accusabant,
E & quod dei gloriam sibi vendicaret dicentes, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia homo quum sis facis teipsum deum: astare fecit coram se Mosen, vt ostenderet quod si legis transgressor esset, nequaquam in modum serui legislator sibi astitisset: Eliam vero, vt appareat quod si blasphemus esset, nequaquam is qui semper dei gloriã vehemẽter amauerat ac tuit⁹ fuerat, tanquã seruus illi astaret qui deo cõtrarius esset. Tertia quoq; causa, vt mortis vitæq; dominus cognosceretur. Moses enim mortuus erat, Elias autẽ viu⁹ & vt vidẽtes postmodũ discipuli illũ morientẽ, intelligerent quod hæc volũtarie pateretur, & cogitarẽt quod nequaquam moreretur inuitus, qui mortis viteque esset domin⁹. † Potest
† F & alia addi causa quod hos propter discipulos adduxit, vt ad eorũ imitationẽ excitarẽtur. Siquidẽ Moses linguæ tardioris erat, Elias vero durior ac asperior: ambo etiã inopes erant, & aduersus tyrãnos magna loquẽdi libertate vsi sunt, Moses q-
Exo.6.7.8 dem aduersus Pharaonẽ, Elias vero aduersus Achab: & à per-
IReg.18 uersis hominib⁹ qui à se magnis affecti erãt beneficiis, plurima passi sunt pericula, & nec sic destiterũt eos ad bonũ semper dirigere. Vtque vehementius imitarẽtur Mosis quidẽ clementiam, Eliæ vero zelum quem pro deo gerebat: vtriusque autem administrationem, laborumque tolerantiam: millies namque quod in se erat pro dei beneplacitis moriebantur, & pro populo sibi concredito, suasque perdendo animas inuenerunt eas. Colloquebantur autem cum eo, ostendentes quod lex quæ per Mosen data erat, ac sermo qui per prophetas de morte

morte eius fuerat, conformiter cum illo præsignauerant: ille A
quidem in figuris victimarum, hic autẽ in diuersis vaticiniis.
Lucas vero dicit quod etiam hi in gloria siue splendore appa- Lucæ.9
ruerunt: vt discamus quod omnes qui secundum deum vixerunt, diuinum induunt splendorem. Quid autẽ colloquebantur cum eo? Rursus hoc docuit Lucas, dicens quod dicebant excessum eius quem completurus erat Ierosolymis excessum vocans ab hac vita exitum siue transitum. Quædam autem exemplaria non ἔξοδον, id est, Excessum sed δόξαν, id est, Gloriam habent: nam gloria quoque appellatur crux ipsa. Aliis siquidem omnibus probrum erat vtpote magnorũ pœna criminũ: soli vero Christo gloria facta est, magni videlicet erga
B nos amoris præmium. Quis enim gratum habens animum, audiens quod qui omni dignus erat honore, huiusmodi pro nostra salute perpessus est ignominiam, non glorificabit illum? Est & altera ratio iuxta quam dicitur, Crux gloria eius, quam suo referemus tempore. Interim vero Moses & Elias dicebant excessum eius, & gloriam eius, hoc est loquebantur de exitu, vel de gloria eius, siue de cruce eius, quomodo crucifigendus erat. Dignum est autem, vt inquiramus vnde discipuli post tam multos annos Mosen & Eliã agnouerunt. Neq; enim apud Hebræos erant imaginum tabulæ. Dicimus ergo quod in libris quidã vetustiorum Hebræorũ species insigniũ virorum posteris reliquerant, quas legentes, inde eos agnoscebant. Verisimile quoque est, ex traditionibus viua voce traditis, in memoria habitas fuisse illorum species aut figuras. For
C tasse autem & ex diuina reuelatione illos agnouerunt.

† *Aut etiam aliter: Iuxta Christum apparent Moses & Elias, significantes quod mysteria legalia ac prophetalia in unum intendunt Christum, & ea quæ Christi sunt præsignant.* †

Respondens autem Petrus dixit Iesu: Domine bonum est nos hic esse: si uis faciamus hic tria tabernacula, † *tibi unum, & Mosi* † *unum, & Eliæ unum.* Quum Petrus vehementer præceptorẽ amaret, nec vellet eum abire Ierosolyma, ne eo digressus pateretur, sicut prædixerat: palam quidem non audet eum prohibere, ne rursum increparetur: viso autem quod mons magnam haberet securitatem, vtpote insidiatoribus incognitus: simul autem Mosen & Eliam idoneos qui vleiscerentur. Nã 4.Reg.1
ille plurimas Gentes deuicerat, hic vero ignem super quin-

D quagenarios de cœlo detraxerat: consulit illi dicens: Bonum, est nos hic esse. Cognito autem quod male loquutus fuisset ex propria mente statuens, addidit, Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Mosi vnum, & Eliæ vnum. Quid ais ô Petre? Paulo ante naturalem hunc dei filium confessus es, nunc autem cum seruis dominum connumerans, etiam ab ipsis seruandum eum speras? Vide quomodo ante passionem imperfecti admodum erant discipuli. Simul autem Petrus duplam tunc mentis commotionem sustinebat: hinc quidem trepidans pro magistro, illinc vero à supernaturali illo aspectu turbatus est & confusus, taliaque loquebatur nesciēs quid diceret, sicut dixit Lucas, hoc est quod inconsiderate loque-
E retur. Marcus autem ait: Neq; enim sciebat quid loquuturus
Marci.9. esset, id est, non nouerat quid aliud melius loquuturus esset
Lucæ.9. vel loqui posset. Deinde addidit & causam dicens, quod erāt exterriti. Lucas vero scripsit, quod erāt somno grauati: Exterriti quidem visa specie plusquam humana: Grauabantur autē somno prę sopore qui à splēdore procedebat: neq; enim nox erat sed dies, splendoris tamen excessus obscurabat illorum oculos, ac mentem aggrauabat, donec perfecte experrecti, sicut dixit Lucas, siue ad se à tali sopore & obtenebratione reuersi, viderunt, quantum possibile erat, gloriam eius. Petrus itaque confusam adhuc mentem habens, inconsiderata & incongrua loquebatur.

† † *Tria tabernacula intelligi possent tres ad salutem dispositiones, uidelicet operationis, contemplationis, & theologiæ. Operationis itaque typus fuit Elias fortis ac temperatus. Contemplationis Moses legislator ac iuris dator. Theologiæ uero Christus utpote omnimode perfectus. Hæc autem tabernacula sunt, comparatione futurarū quietum incomparabiliter melioru̇m.*

F *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos, & ecce uox de nube.* Nubes & vox, vt certiores redderentur dei esse vo-
Psal.103. cem: didicerant enim quod deus in nube veheretur: Ponens
Exodi.19. inquit nubes ascensum suum: multaque huiusmodi frequēter habet scriptura. Considera vero quo pacto dum minatur, obscuram ponit circa se nubem, vt super Sina: nunc autem filiū ostendere volens, lucidam illam habet.

Dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est.
Supra.3. Hęc tertio etiā capite quum Saluator baptizaretur dixit cœlitus

litus pater: sed ibi propter circumstantiū multitudinē, hic au- A
tem maxime propter Petrū: ac si diceret vox patris: Quid times ô Petre de Iesu: hic est filius meus: nec simpliciter filius, vt hi qui per virtutē à me sunt adoptati, sed dilectus siue electus tanquā vnigenitus: nec id tantū, verum etiā in quo mihi cōplacitum est, hoc est in quo requiesco, in quo oblector, vt in vnanimi & æquali mihi: ne ergo illi timeas. Quātumcunq; enim illū diligas, nō adeo eū diligis vt ego. Triplex est nāq; apud me vis amoris erga illū. Siquidē tanquā filiū illū diligo, & tanquā dilectū, & tanquā me recreantē mihique placentē. Reliquū est igitur, vt si huius nō fidis potentiæ, at meæ fidas. Nemo enim adeo dilectum irrationabili causa destituit.

Ipsum audite. Huic obedite: huic credite, si quid aut dixe- B
rit aut fecerit. Quod si etiam crucifigi voluerit, nemo illi obsistat: vos enim ignoratis dispensationis suæ mysteriū. Nam quicquid ipse & dicit & facit, mea voluntate & dicit & facit, Ipsum itaque audite, lege Mosaica, propheticisque sacrorum initiationibus relictis: complemētum siquidem legis ac prophetarum est Christus: & iam omnia illa completa sunt, vtpote quæ vsque ad hunc solum protendebantur.

Et audita uoce, discipuli prociderunt in faciē suā, & territi sunt uehementer. Atqui prius etiā in Iordane vox facta est huiusIoan.12. C
modi: & post hęc rursum quando tonitru dicebant factū esse: & nullus quicquā tale passus est: quomodo ergo nūc hi prociderunt in faciem suam? Quia altitudo magna erat, profundaque solitudo ac multum silentium. Præterea transformatio
facta est horroris plena, & lux immortalis eluxit, ac subito desuper circūpositā nube, voceque super eos delapsa, merito perculsi sunt & exterriti. Potest quoque & aliter dici quod prociderunt in faciem suam, hoc est adorauerunt.

Et accedens Iesus tetigit eos dicens: Surgite & nolite timere. Miseratus est imbecillitatem eorum, & cito soluit timorem.

Eleuatis autē oculis suis neminē uiderūt nisi Iesum solū. Vt certiores redderētur q̄p de ipso facta esset vox, sol⁹ iā illis videt.

Et descēdentibus illis de mōte præcepit eis Iesus dicēs: Nemini dixeritis uisionē, donec filius hominis à mortuis resurgat. Quāto enim maiora de eo dixissent, tāto difficilius credibilia videretur. Iubet ergo visionē hāc ab illis occultari, quia futurū erat, vt neq; ipsi persuadere possent: & Iudęi magis exasperarent.

D Et interrogauerũt eum discipuli eius dicẽtes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliã oporteat uenire primũ? De diuinitate eius iam ad plenũ edocti, & à Petri cõfessione, & à trãsformatione, & à cœlesti voce, interrogãt: Quum tu sis Christus, quare Scribæ dicũt quod Eliã oporteat venire ante Christũ? quo modo nõ venit hic ante te? Hoc itaq; interrogauerunt discipuli. Scire autẽ oportet, quod scripturæ duos Christi aduentus dicunt, eum videlicet qui factus est & futurũ. De vtroq; docuit Paulus: de priori quidẽ, Apparuit inquit gratia dei salutaris.

um.2. dem. De posteriori vero: Expectãtes beatã spem & apparitionem magni dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Et prioris quidẽ factus est Ioannes præcursor: posterioris vero fiet præcursor

E Elias, de quo dicit propheta Malachias: Mittam vobis Eliam

alac.4. Thesbiten, qui restituet cor patris ad filiũ, hoc est qui cõuertet corda Iudeorũ qui tunc superfuerint, ad Apostolos, vt obediant doctrinis eorũ, credantq; Christo. Patres enim Apostolorum erant Iudæi. Sed Scribæ duos Christi aduẽtus in vnũ cõfundentes, & posteriorẽ in priorẽ cõtrahentes, de solo posteriori docebant populũ: & propterea Christum nõ suscipiebant dicentes, quod Eliã oportet venire primũ, & mox Christum. Sed nũc Christus de duob⁹ aperte docet Aduerte ergo:

Iesus autem respondẽs dixit eis: Elias quidem ueniet primum, & restituet omnia. Dico autem uobis quod Elias iam uenit, & nõ cognouerunt eum. Elias quidem prior siue Thesbites nondum venit: veniet autẽ circa secundum meum aduentum: & restituet

F omnem qui ei crediderit: hoc est cõuertet cor patris ad filiũ, vt ait propheta Malachias. Dico autem vobis quod Elias secundus siue Baptista iam venit circa primum meum aduentum, vt dicunt scripturæ: & non cognouerunt scribæ quod etiam hic esset Elias tanquam præcursor. Non cognouerunt autem eum vtpote male intelligentes scripturas.

Sed fecerunt in eo quæcunque uoluerunt. Herodes videlicet: multa enim in eum fecit, in carcerem illum iniiciens: deinde amputatum caput deferri iubens in lance.

Ita quoq; futurum est ut filius hominis ab eis patiatur. Ita quoque: non cognitus scilicet quod sit Christus: Non cognitus autem propter prauam mentem ipsorum. Sed quo nam modo fiet, vt quũ præsentes Hebræi Christo non crediderint, qui tunc erunt credãt Eliæ? Quia agnoscunt eum, sciuntq; de illo prædi-

prædixisse Malachiam. Simul etiam tam longum tẽpus quod A in medio intercidet, tantáque virtus prædicationis, emollient duritiem cordis eorum.

Tunc intellexerunt discipuli quod de Ioanne baptista dixerat eis. Nam vicesimo quoque capite prædixerat eis, quod ille sit E- Supra.1 lias qui venturus esse dicitur.

CAPVT XXXV. DE LVNATICO.

QVumque uenissent ad turbam accessit ad eum homo, procidens ad genua eius & dicens: Domine miserere filii mei, quia lunaticus est, & misere affligitur. De lunatico prędictum quidem est modo naturalio- Supra.4 ri insistendo, quarto capite: dicetur autem & nũc B perfectius, quod dæmonũ quidam secedentes, aduersus quosdam homines tempus certum lunæ obseruabant: & tunc insultum in illos faciebant, vt dum luna mali causa videretur, eius creator calumniæ exponeretur.

Frequenter enim cadit in ignem, & frequẽter in aquam. Itaque si non etiam tunc dei virtus dæmonem cohibuisset, iamdudum eum perdidisset. Marcus autem dicit, quod dæmo- Marci.9 nium quod in eo erat, mutum erat ac surdum: non quod natura esset huiusmodi, sed quia dæmoniaci vocem liganerat & auditum.

Et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt curare illum. Non potuerunt propter offerentis incredulitatem. Licet enim eum adduxerat, nõ tamẽ indubitanter credebat, quòd dæmonẽ fu- C gare possent: Hoc autem & ex eo manifestum est quod dixit Christus, O generatio incredula: & rursus ab eo quod dixit adducens, Si quid potes adiuua nos: & ex eo quod interrogauit Christus, Si potes credere: & iterum ab eo quod ipse respondit, Credo domine auxiliare incredulitati meæ. Nam hæc latius scripsit Marcus.

Respondens autem Iesus dixit: O generatio incredula & distorta. Generalius increpat propter Iudæos quosdam similiter incredulos, licet innumera huiusmodi conspexissent, non per ipsum tantũ, sed & per discipulos facta miracula. Distorta autem, id est tortuosa, non recte intelligens.

D *Quousque ero uobiscum? quousque patiar uos?* Indignatur, & mortem quærit, eo quod essent ipsi infidelitate immedicabiles.

Afferte illum mihi huc. Ne ipse quoque impotens videatur, eiicit dæmonium. Iubet autem adduci dæmoniacum, vt manifesta fiat sua potentia his, qui etiam ipsum impotentem esse putabant.

ar.9 c.9. *Et imperauit ei Iesus.* Hoc est præcepit. Marcus autem & Lucas dicunt, quod imperauit spiritui immundo. Siquidem vtrique imperauit: dæmoniaco quidem vt resipisceret, dæmoni vero vt fugeret: Hic enim verbũ ἐπετίμησε idem significat quod præcepit.

E *Exiuitq; ab eo dæmonium: & sanatus est puer ab illa hora.* Hęc certe manifesta sunt. Verum à dæmone quoque muto & surdo possidetur, quisquis non loquitur neque audit diuinos sermones. Hunc autem proiicit dæmonium: interdum quidem in ignem iræ & concupiscentiæ, interdum vero in aquam cõmotionis aliarum affectionum.

Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsim dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illud? Iesus autem dixit eis: Propter incredulitatem uestram. Marcus vero dixit, quod quum ipse domum ingressus esset interrogauerunt. Interrogant autem, timentes ne forte perdiderint, quam acceperant virtutem, aduersus spiritus immundos. Verum Christus coram multitudine incredulitatem offerentis pro causa reddit: seorsim vero discipulorum causatur incredulitatem. Etenim hi etiam priusquam F aggrederentur, diffidebant se posse laborantem curare, quum tamen alios multos curassent: & ita quum conarentur, non potuerunt. Optime ergo coram multis multorum incredulitatem reprehendit: semotis autem arbitris suorum diffidentiam. Neque enim æquum erat, vt coram multis confunderet communes orbis præceptores.

Amen quippe dico uobis: Si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit. Fidem nunc dicit, non de hoc quod ipse sit deus, sed ad facienda signa. Dicit enim: Si habeatis fidem adeo acrem & vehementem ac feruentem sicut granum sinapis: illud enim talis est qualitatis: credentes sine vlla trepidatione quòd facturi estis signa: tantam habebitis virtutem, vt ipsos etiam montes transferatis, si volueritis.

volueritis. Tãtam autem fidem aliquem habere, videtur quidem facile, est tamen etiam excelsum valde. Nascitur siquidem ex libertate ad deum: rursum talis libertas est ex mente placide composita. Est autem magni certaminis ex placabilitate acquirere talem erga deum libertatem, vt credat illum daturum quicquid postulabitur. Petite, inquit, & dabitur vobis. Quod si palam non fecerunt transmigrare montes Apostoli, ne miteris: non enim hoc ideo fuit quòd non possent, sed quia noluerunt, vtpote huiusmodi necessitate aut vtilitate sese illis non offerente: post hos nanque sancti alij Apostolis longe inferiores, vrgente necessitate montes demigrare fecerunt, iuxta dominicam sentẽtiam. Potest quoq; mons dici diabolus propter opinionis suæ elationem, quem facile B sancti à sua sede commouent, quando volunt. A

Et nihil impossibile erit uobis. Non solum, inquit, montes transferetis, imò nihil etiam aliud impossibile erit vobis.

Hoc autem genus non egreditur nisi per orationem & ieiunium. Genus dæmonum omnium non alio modo egreditur, nisi per orationem & ieiunium: non solum eius qui sanat, sed eius etiam qui patitur. Oratio siquidẽ dæmoni admodum terribilis est. Hanc autem fortiorem reddit, & valde potentem efficit ieiunium, non sinens corporis satietatem remittere firmitatem, aut fumos qui ab ea ascendunt turbare cerebrum, mentemq́ue confundere: itaque corpore firmo, mentéque sine distractione operante, vehementius igne, omniq́ue re terribilius ascendit oratio: ideo has semper coniunctas esse oportet.

C *Quum autem uersarentur in Galilæa dixit illis Iesus: Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominũ, & occident eum, & tertio die resurget. Et contristati sunt uehementer.* Discipulis de sui occisione frequenter prædicit: vt præexercitati monitionis frequẽtia, facile ferant quũ acciderit: & vt vno verbo dicam, propter causam, quã tricesimotertio capite tradidimus. Sup.16 Vide ergo quomodo licet ibi Petrus fuerit increpat⁹, & postmodum iusserit pater vt eum audirent, ipse quoque resurrectionem post tres dies promiserit: nec sic tamen ferre potuerunt, sed contristati sunt: & non vtcunque sed vehementer. Hoc autem factum est, eo quod ignorarent virtutem eorum Marci 9 quæ dicebantur, sicut Marcus & Lucas dixerunt. Nam ille Lucæ.9 dixit

dixit quod ignorabāt verbum, & timebant eum interrogare:
D Hic autem, Et erat absconditum ab eis vt non intelligerent illud. Diuina autem dispensatione occultabatur ab illis verbi cognitio tanquam ab imperfectis, & qui necdum poterant ad supernaturale eius penetrare mysterium. Verum si illud ignorabant, quomodo contristati sunt vehementer? Non penitus ignorabant, sed de morte eius intelligebant, quum de ea sæpius audissent, & de hac contristati iunt vehementer: de resurrectione vero ignorabant, de qua etiam sæpius audierant, nec tamen poterant intelligere quid ea essent. Dicit enim Marcus inter alia, quod cōquirebāt inter se quid esset, A mortuis resurgere. Suspicabātur nanq; hanc etiam quandam esse parabolam. Siquidem post resurrectionem aperuit mentem
E illorum, vt intelligerent scripturas de omnibus.

CAPVT. TRICESIMVM SEXTVM DE EXIGENTIbus Didrachma.

T quum uenissent Capernaum accesserunt ad Petrum qui didrachma † accipiebant, & dixerunt: Præceptor uester num soluit didrachma? ait: etiam. Primogeniti omnes Hebræorum singulis annis didrachma pendebant deo in gratiarum actionem: eo quod olim Aegyptiorum primogenita perdiderat. Quia ergo Christus etiam primogenitus erat, qui hæc congregabant,
F ad ipsum quidem accedere verebantur, honorantes eum propter miracula: ad Petrū autem tanquam principē iam discipu
† lorum accedunt: nec exigunt, sed cum mansuetudine interrogant. Est autem didrachmum genus numismatis.

† *Drachma minæ Atticæ pars est centesima. sex continens obulos: didrachmum, duodecim.*

Quumq; domum ingressus esset, præuenit eum Iesus dicens: Quid tibi uidetur Simon: reges terræ à quibus accipiunt tributum uel censum, à filiis suis an ab alienis? Priusquàm loqueretur Petrus de didrachmo præuenit eum Iesus: demonstrans non opus esse sibi vt ab alio disceret, quum sciret non tantum quæ dicebantur,

tur, verum etiam quæ cogitabantur. Per exemplum autē ostē A
dit quòd quum naturalis sit dei filius, non debet pendere patri didrachmum. Nam reges non à propriis filiis, sed ab alienis tributum vel censum accipiunt. Idem autem significant τέλος (quod tributum vertimus) & κῆνσος census: sed illud apud Græcos, hoc apud Romanos.

Dicit ei Petrus: Ab alienis. Ait illi Iesus: Ergo liberi *sunt filii.* Liberi ne pendant tributum vel censum.

Verum ne simus illis offendiculo, profectō ad mare mitte hamum, & eum piscem qui primus prodierit, tolle: & aperto ore illius inuenies stater em: illum acceptum da eis pro me & te. Demonstrato primum quòd ipse non debeat pendere propter diuinitatem, tamen dare iubet propter humanitatem, ne offendiculum paterentur, quasi ipse Deum despiceret, volens & ipse deo pendere didrachmum. A mari autem dat tributum hinc quoque ostendens quòd tanquam omnium dominus præcipit & mari, quod quasi præcepto eius subiectum, mittit piscem qui tributum domino deferat: nec pro ipso solum, sed & pro primo eius discipulo: Nam Petrus quoque Suprā. 8
primogenitus erat. Prius siquidem etiam hoc diuersimo- Sup. 14
de demonstrauit: & quando ipsi furenti imperauit: & quādo per ipsum quasi per aridam pedes ambulauit. Et nunc quoque idem rursum aliter ostendit, vario modo subiectionem illius significans. Est & stater numismatis genus duo didrachma, id est quatuor drachmas continens. Vide autem quomodo nunc Iudæis offendiculo esse noluit: alibi vero Pharisæorum despexit offendiculum, quando de C
cibis disputabat. Docet enim quòd aliquando offendicu- Matth. 15
lum cauere oportet, interdum vero illud despicere, & cum iudicio hoc & illud facere. Vniuersaliter enim in his quæ iuxta dei præceptum dicuntur aut fiunt, offendiculum oportet despicere: in his autem quæ iuxta voluntatem nostram, offendiculum curare conuenit, prout præcepit Magnus Basilius.

CAPVT.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM, DE DICENTIBVS QVIS MAIOR.

Cap.18.

IN illa hora *accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis nam maximus est in regno cœlorum?* Humanum quiddam discipuli tunc patiebantur. Intuiti siquidem præpositum fuisse Petrum: nam & Iacobus primogenitus erat & alij: sed nihil tale pro eis dixit, doluerunt: & tamen affectum suum cõfiteri eruburunt, sed indistincte præceptorẽ interrogant, quisnam maximus esset eorum. Nec id solum affectum hunc excitauerat, sed & alia multa. Nam & prius quoq; beatificauit eum, multaque illi promisit: alibi etiam visa illius libertate subtristes
E effecti sunt. Marcus vero ait, quod primum inter se disputauerant, quis maximus esset. & huic consonat etiam Lucas: & id quidem priusquam ad Petrum accessissent qui didrachma accipiebant, sed tunc videntes rursus Petrum præhonorari. magis iritati sunt, & ita demum interrogauerunt. Videntur autem de eo interrogare quod iam nouerant, non tamen est ita. Siquidem ex his quæ videbant, sciebant quod in terra Petrus sibi præponeretur: volebant autem scire vtrum etiam in cœlo prehonorandus esset. Sed tunc quidem de his dolebant: verum postmodum quum effecti essent perfecti, primos honores inuicem concedebant.

Marc.9.
Luc.9.

Et accersito puero statuit eum Iesus in medio illorum. Marcus
F autem ait: Et amplexatus illum dixit eis. Lucas vero quod statuit eum iuxta se. Omnia autem facta sunt. Primum siquidem statuit eum in medio illorum: deinde iuxta se: postmodum amplexatus est illum. Vult autem per exemplum de puero sedare hunc illorum affectum.

De puero.

Et dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum. Vos quidem de primatu in regno cœlorum interrogatis: ego autem dico vobis quòd nisi conuersi fueritis à prauitate ad synceritatem, & efficiamini innocentes vt pueri, in illud omnino non ingrediemini. Puer siquidem est simplex, non curiosus, neque vanæ gloriæ cupidus, sine fastu, liber est & ab inuidia, æmulatione, sui amore, contentione, & vt semel dicam, solutus est ab omni voluntario affectu, non per exercitium sed per simplicitatem.

tem. Si quis ergo discesserit à voluntariis affectionibus, effi- A
cietur sicut pueri, habens per exercitium quod habent pueri per simplicitatem.

Quisquis ergo sese demiserit sicut puer iste, hic est maximus in regno cœlorum. Quisquis voluntarie seipsum vehementer deiecerit, sicut puer iste non voluntarie vehemẽter deiectus est: oportet enim, vt dictum est, imitari puerum, qui multas habẽs virtutes, ob nullam illarum extollitur.

Et quicunque susceperit unum talem puerum in nomine meo, me susciput. Et quicunque hospitio exceperit vnum talem puerum qualem dixit, videlicet vnum aliquem factum sicut talis puer, dico sane humilem, vilem & abiectum. Quod autem dicit, In nomine meo, hoc est, propter me, & quia talis est meus. Vide ergo quantum talem amet: hunc, inquit, suscipiens, me B
suscipit. Marcus vero addidit, Quisquis autem me suscipit, nõ me suscipit, sed eum qui misit me. Est autem sensus omnium dictorum talis. Quicunque susceperit eum qui factus est veluti puer, per illum quidem me suscipit, per me autem patrem meum qui misit me. Pater siquidem appropriat sibi eum, qui mihi defertur, honorem: ego vero delatum illi qui factus est veluti puer. Quid igitur tali susceptione beatius, per quem suscipit quis beatam trinitatem? Nam si filium & patrem, vtiq; & spiritum sanctum: inseparabilis siquidem est beata trinitas. Nondum autem tempus tunc erat docendi de spiritu sancto. Quod vero addit. Non me suscipit, per vsum loquendi dictum est. Frequenter enim dicere solemus: Quod mihi facis, non mihi facis, sed deo. Ideo etiam Lucas reliquis positis illud reliquit tanquam loquendi proprietatem.

C
De offendiculoq; Græci σκάνδαλον vocant.

Quicunque autem offendiculo fuerit uni de pusillis istis qui credunt in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. Offendiculum vocat hic contumeliam. Dicit enim: Sicut qui hos honorantes suscipiunt illos propter me, excelsa digni sunt beatitudine: ita sane & qui ipsos contumelia afficientes despiciunt illos, extremum luent supplicium. Vni autem de pusillis istis, videlicet qui pusilli apparent & viles. Dicit autem de illis qui facti sunt veluti pueri. Dicens vero quod expedit ei vt miseram sustineat vltionẽ, ostẽdit quod miseriorẽ passurus est in futuro seculo.

Væ mundo ab offendiculis. Prædicit damnum quod ab offendiculis

D fendiculis proueniet, vt expectantes ea, semper vigilent non soli Apostoli, sed & omnes. Mundum siquidem eos dicit, qui in mundo sunt. Offendicula vero impedimenta rectæ conuersationis. Deplorat autem mūdum propter offendicula, vt qui ab illis multa passurus sit.

Necesse est enim ut ueniant offendicula. Propter hoc dicunt quidam. Si necesse est vt veniant offendicula, necesse est vt fiant peccata. Si autem necesse est vt fiant peccata, iniuste pœnas luunt peccatores: Nam quod ex necessitate fit, culpa caret. Quibus dicimus, quod necesse est vt veniant offendicula, propter necessitatem dæmonum: non est autē necesse, vt virtuti dediti offendiculū patiantur: id enim in sua voluntate situm est quum liberum habeant arbitrium. Vt ergo veniāt offE fendicula non in nobis situm est: vt autem offendiculum patiamur, omnino in nobis situm est. Sciēs ergo Christus quod omnino futura sint offendicula, prędicit de illis, vt sicut dictū est caueamus: non tamen ideo ventura sunt, quod prædixerit: sed propterea prædixit, quia ventura erant.

Veruntamen uæ homini illi per quem offendiculū uenit. Offendiculum quidem à dęmone seminatur: ab homine vero alitur & augetur ac recipitur, qui prauam & corruptā habet voluntatem, quem etiam nunc deplorat, tanquam dæmonis ministrum. Deinde etiam docet quomodo offendicula deuitemus.

Si autem manus tua uel pes tuus est tibi offendiculo, abscide ea, & proiice abs te. Melius tibi est ingredi ad uitam claudum aut mutilum, quàm duas manus uel duos pedes habentē proiici in ignem æterF num. Non de membris corporis hoc dicit, sed de cognatis & amicis ac ministris, quos horum membrorum loco habemus: Supra.5. quemadmodū quinto capite particularius enarrauimus. Nam & hæc in illo dicta sunt: quære ergo ibi expositionem. Sed ibi de affectu erat sermo, hic autem de qualicunque nocumento. Vide autem nunc quod κωλὸν, hoc est mutilū, vocat eum qui manibus caret.

Et si oculus tuus offendiculo est tibi, erue eum & proiice abs te, Matt. 18. *Melius tibi est unoculum ad uitam ingredi, quàm duos oculos habentem proiici in gehennam ignis.* Dictum est etiam de his in illo capite, & superfluum foret repetere. Vere ergo nihil est adeo noxium sicut prauorum consortium. Quod si etiam in membris nostris amputamus frequenter quædam ex illis quādo & ipsa

ipsa immedicabilia manserint, & cætera corrumpunt: multo magis in cognatis & amicis ac ministris facere hoc oportet, vbi nobis obstaculo fuerint aut impedimento ad rectam conuersationem. Præstat enim sine illis saluum fieri, quàm cum illis perire. Postquam ergo prauos fugere admonuit, bonos honorare iubet. Ait enim. A

Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Qui hominibus quidem pusilli videntur propter abiectionem & simplicitatē, vere tamen magni sunt propter virtutē. Ne vnum quidē horum despicere oportet: manifestum est ergo quod neq; duos omnino, neq; plures. Deinde etiā aliūde venerādos illos facit.

Dico enim uobis quod angeli eorum semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. † Inde manifestum est iustos habere an- †
gelos custodes. Dicit enim Dauid: Castra metabitur angelus B
domini in circuitu timētium eum, & eripiet eos. Quos autem seruant angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, vt semper videant Deum qui in cœlis est, vere hos despicere nō Psal. 32.
oportet: & si non propter illorum virtutem, at saltem propter custodes eorum. Faciem vero patris, hoc est patrem meum: Deinde aliam quoque ponit rationabiliorem causam, cur eos despicere non oporteat.

† *Vident autem illum non perfecte sicut est in essentia, sed prout* †
eis permittitur. Deum enim (ait) nemo uidit unquam, non materialis Ioan. 1.
solum creatura, sed etiam immaterialis.

Venit enim filius hominis ad saluandum quod perierat. Venit inquit in mundum, siue incarnatus est, vt saluaret eos qui antea perditi erant. Quod si ego tantam illorum habui curam, quomodo vos despicietis illos? Deinde vero ponit & parabo- C
lam, qua demonstrat amoris sui magnitudinem.

CAPVT .XXXVIII. DE CENTVM OVIBVS.

Vid uobis uidetur. *Si fuerint homini cuipiā cētum oues, & aberrauerit una illarum, nonne relictis nonaginta nouem, profectus in montes quærit eam quæ aberrauerat?* Hominem seipsum significat: centum vero oues, omnem rationalem creaturam, hominem videlicet: oues quidem propter ipsorum subiectionem, & quod ab eo pascantur: centum vero propter perfectionem

D fectionem ordinum rationalis huius creaturæ : tot enim sunt quot oportet. Numerum autem centenarium in perfectione solet ponere, vt in terra frugifera, quod vnum dedit centuplũ, supra.13. sicut vicesimoquarto capite prædictum est. Ouis autem errans ordo est hominum qui à dei ouili abiectus est, & sequutus fallaces dæmones. Montes vero secundum aliquos cœlum est propter altitudinem, in quo alios ordines dereliquit. Iuxta alios autem terra, propter agrestes dæmones, qui in ea commorari gaudent, tanquam fere in montibus : & quia fructum non defert lenem & suauem, qui suauem dominum nostrum delectet, sed agrestem & acerbum, qui acerbo satanę suauis sit. Ad hos profectus est, vt quærat ouem errantem. Quod si homo errantem irrationalem ouem non despicit,
E quum tamen multas habeat non errantes, multo magis deus rationalem nõ despicit, cuius misericordia ad humanam est, sicut mare totum ad vnam aquæ guttam.

Et si contingat ut inueniat eam: amen dico uobis gaudet super illa magis, quàm super nonaginta nouem, quæ non aberrauerunt. Neque enim tantum gaudemus de his quæ secure possidemus, quantum de eo quod postquam perditum erat inuentum est. Etenim quum illa semper habeamus, non adeo sentimus gaudium quod de ipsis habemus : quum autem illud perdiderimus, ac vehementer contristati simus, tanquam damno affecti: vbi inuenerimus, vehementer gaudemus, tanquam illud lucrati.

Ita non est uoluntas coram patre uestro qui in cœlis est, ut pereat
F *unus pusillorum istorum.* Ita, sicut docuit parabola, Patrem vero discipulorum seipsum nominat: non solum tanquam ipsorum præceptorem, sed etiam tanquam creatorem. Scire enim oportet quod interdum patrem suum dicit patrem discipulorum, interdum vero seipsum. Coram patre vestro autem, hoc est, in patre vestro. Nam & hic sermo linguæ proprietas est. Verum quomodo signum non dedit quo pusillos cognituri simus: Vt eum qui dignus est ignorantes, nullũ despiciamus, sed omnium curam habeamus.

De correctiõe fratris. *Si peccauerit in te frater tuus, abi & argue eum inter te & ipsum solum.* Quia vehementi sermone disseruit aduersus eos qui sunt offendiculo vel obstaculo, & vndique eos terruit: tandem ad eos quoque transit, qui patiuntur offendiculum, & iubet

bet non aspernari eos, qui sunt offendiculo. Fratrem autem di A
cit, eiusdem gentis ac fidei hominem. Et quia is qui fuit offendiculo non facile veniret ad confessionem aut purgationem, rubore ac cõfessione detentus : ducit illum qui offendiculum passus est ad eum: Abi inquit & argue eum, hoc est, suggere quòd fuerit offendiculo: doce quod iniuste egerit, fraterne tamen & in modum corrigentis, non quasi inimicus aut increpans: & vt facilius recipi possit correptio, exhortatur vt fiat inter duos tantum, ne forte publicatus improbior fiat ac incorrigibilis.

Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si tibi obedierit corrigenti, resipueritque, ac seipsum condemnauerit, magnum fecisti lucrum, ipsum videlicet fratrem tuum, membrum tuum: hunc enim perdideras propter offendiculum, diuulsum à fra B
terna coniunctione tua, quod grande damnum est his qui vere fratres sunt.

Si autem nõ audierit, assume tecum adhuc unum aut duos: ut in ore duorum testium uel trium stet omne uerbum. Quia solus non valuisti curare, assume tecum adhuc non multos, ne ille publicari se reputans, durior efficiatur: sed vnum aut duos auxiliatores: vt si perdurauerit non mollescens, sint etiã testes tuæ man suetudinis & duritiei illius. Vtque iuxta veteris legis sententiam, in ore siue per os duorum testium uel trium, stet, hoc est Deut.19.
confirmetur omne verbum, puta te feciſſe quod in te est, nihilque prætermisisse: primum enim solus abiisti ad eum, deinde aliis quoque assumptis.

Quod si nec illos audierit, dic ecclesiæ. Ecclesiam nunc vocat C
præsides fidelium ecclesiæ. Renuntia illis quæ circa hunc aguntur : Fortasse illi immutabunt eum veri tum dignitatem ipsorum.

Porro si nec ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Sit tibi deinceps incommunicabilis, cum quo nullam ineas vitæ societatem, tanquam immedicabili. Ethnicis autem infidelibus coniunxit publicanos, propter pecuniæ amorem & auaritiam, incompassibilitatem & iniustitiam. Audiamus ergo qui huiusmodi affectionibus sumus obnoxij. Vide autem quantum adhiberi iusserit vt corrigantur hi, qui fuerint offendiculo: quum neque illos curare sustineamus, quibus præstitimus offendiculum. Quid ergo, hæc sola erit vltio

D illorum qui sunt incurabiles? Nequaquã, sed audi etiam quæ sequuntur.

Amen dico uobis: Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcunq; solueritis in terra, erunt soluta in cælo. Vbi tandem ecclesiæ dicere iussisset, præsidibus videlicet ecclesię: nũc ad eos sermonem intendit, dicens: Quæcunque ligaueritis in terra, &c. Hoc autem & ad Petrum dixit tricesimotertio capite: ibi ergo quære enarrationem. Est autem nunc orationis sensus iste. Quicquid vos in terra censueritis, aut sententia decreueritis, hoc Deus in cœlo ratum habebit: siue eos qui sunt incurabiles ab ecclesia amputaueritis, siue postmodum resipiscẽtes receperitis. Hæc autem comminatus est, non vt hæc fiant, sed vt quisque territus & ecclesię amputationem & Dei
E sententiam mutet ac liberetur, & eam euadat. Nam & propter hoc, primum, secundum, ac tertium tribunal constituit, & tandem iudicauit eum abiiciendum: vt si primum non audiret, obediret secundo: si autem & hoc despiceret, timeret vel tertium: quod si etiam hoc contemneret, iam tunc abiectionem formidaret amaram, supernamque sententiam, quæ hac abiectione magis formidanda est: & ita omnino corrigeretur.

upra.16.

Rursum, Amen dico uobis, quod si duo ex uobis consenserint in terra, de omni re quancunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Papę quantum ponit de dilectione studium, variis euangelij locis de hac iterans sermonem. Nunc siquidem postquam magna minitatus est his qui ponunt offendiculum: & his qui non corriguntur, eorum studio qui offendiculum pas-
F si sunt: rursum magna promittit his qui diligunt: vt tum minis, tum promissis ad amorem congreget Christianos. Dicit ergo: Si duo ex vobis videlicet in amore viuentes, concorditer petierint à Deo de qualicunque re, exaudientur: quod si duo, multo magis plures. Quomodo ergo frequẽter aliqui duo in dilectione existentes, & Deum concorditer de aliquo postulantes, non exaudiuntur? Quia non sunt similes Apostolis. Neque enim simpliciter dixit, Si duo consenserint: sed, Si duo ex vobis, hoc est similes vobis, virtutem colẽtes: vel quia non ea præstant quę possunt: vel inutilia petunt: vel aduersus eum qui molestia affectus est deprecantur: vel pro indigno postulant: vel omnino aliqua alia ratio adest quæ causet repulsam: qua sublata, qui vitam degunt secundum virtutem &

in amo

in amore viuunt, ac concorditer petunt, statim cõsequuntur: A mentiri enim non potest qui promisit. Atqui etiam vnus virtuti deditus si sic petat exaudietur. Sed non tantum quantum duo conformes. Quia vero dixit, Fiet illis à patre meo: Docet consequenter, quòd non solus pater dat, sed etiam ipse: ideo consequenter dicit.

Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In nomine meo, hoc est, propter me, propter mea præcepta, & non propter aliam causam. Vbi ergo ita congregati fuerint, ibi sum in medio eorum, colligans & custodiens eos, ac complens eorum petitiones. Non autem dixit Ero, sed Sum protinus. Deus vero inter hos quidem esse dicitur, inter illos vero non esse: non tanquam loco circumscriptus: neque enim loco circũscribi potest, sed quod virtus eius B inter dignos libenter commoretur.

Tunc accedens ad eum Petrus dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus & remittam ei? Quum de dilectione ac iniuriarum obliuione docuisset dominus: interrogat rursus discẽdi cupidissimus Petrus, ignorans quòd semper oporteat ignoscere peccantibus.

Num usque septies? De hoc tanquam per additamentum interrogat: arbitratus videri hoc magnanimi ac patientissimi animi. Quid igitur Christus.

Ait illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Septuagies septies inquit Chrysostomus, non significat hic numerum, sed immensum, cõtinuum & semper. Nam sicut μυριάκις, hoc est, decies milies, significat frequenter, apud Græcos, ita sane & septies apud Hebræos: & multo ma- C gis Septuagies: ac insuper quod ex vtroque compositum est Septuagies septies. Quia ergo infinities in Deum peccamus, infinitis vicibus iussit ignoscere his qui in nos delinquunt, si semper resipiscant: eum namque qui non resipiscit, post tertiam monitionem repelli iussit tanquam ethnicum & publicanum: quo modo enim remittet quis ei, qui remissionem non quærit?

Propterea assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui uoluit conferre rationem cum seruis suis. Propterea, quare? Quia oportet ei semper ignoscere qui semper resipiscit. Regnũ autẽ

D cœlorum seipsum nunc appellat tanquam regem cœlestem, prout sæpe diximus. Conferre vero rationem, hoc est, sumere ac subducere computum inter seruos suos, qui sunt homines. Fingit autem hanc parabolam, volens ostendere, quòd is qui non ignoscit in se peccanti, priuat seipsum Dei misericordia.

CAPVT .XXXIX. DE EO QVI DEBEBAT DECEM MILLIA talentorum.

Vumque cœpisset cõferre rationem: oblatus est ei unus, debitor decem millium talentorum. Vnus videlicet seruus. Quod autem est apud Græcos λίτρα, hoc est libra auri, id apud Hebræos est talentum. Erat enim numismatum pondus maximi precij, cætera omnia excedens pondera.

E *Et quum non posset ille soluere, iussit eum dominus eius uenundari & uxorem illius, & filios ac omnia quæ habebat, fierique solutionẽ.* Vt omnino solueretur debitũ. Non tamen hoc ex crudelitate iussit, sed ex compassione, vt tali sententia territus deprecaretur, ac remissionem consequeretur. Nisi enim eo fine talem protulisset sententiam, nequaquam deprecanti remisisset debitum. Nam si valde facile remissionem percepisset, futurũ erat vt gratiæ magnitudinem non cognosceret: propter hoc ergo in magnam necessitatem eum redegit, vt ad memoriam in posterum reuocare posset, qua condemnatione absolutus esset: & compassiuus etiam ipse erga suum fieret debitorem, propriis edoctus calamitatibus.

F *Prostratus ergo seruus ille adorabat eum dicens: Domine patiens ac lenis esto erga me, & omnia tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius absoluit eum, & æs alienum remisit illi.* Vide pœni tentiæ vires ac domini humanitatem. Pœnitentia siquidem fecit seruum à malitia cadere: stans enim firmus in prauitate, non poterat remissionem accipere. Dei vero humanitas siue benignitas omnino ignouit, & æs alienum remisit. Atqui seruus non omnimodam remissionem, sed longanimitatem ac protelationem quærebat. Disce ergo Deum plura conferre quàm nos postulemus: tanta est Dei benignitas & humanitas etiam quum durior videtur, puta iubendo venundari eum, & omnia

omnia quę illius erãt. Neque enim hoc ex asperitate dicebat, A sed vt seruum terreret & persuaderet, eumq; ad humiliter deprecandũ adduceret, & ad respiciendũ quomodo inuitaretur.

Egressus autem seruus ille inuenit unum de conseruis suis qui debebat ipsi centum denarios & appræhensum eum suffocabat dicens: Solue mihi quod debes. Non post longum tempus sed statim: beneficentiam faciens tramitem, ad id quod neque Deo gratum est, neque hominibus.

Prostratus ergo seruus ad pedes eius rogabat eum dicens, Patiẽs ac lenis esto erga me & soluam tibi. Ille autem noluit: sed abiit & coniecit eum in carcerem, donec solueret debitum. Neque formã supplicationis veritus est, qua & ipse misericordiam percepit: neque sermone placatus est, per quem & ipse seruatus erat: neque à simili, propriæ meminit calamitatis, sed permãsit om B ni fera crudelior. Atqui non pro æqualibus erat supplicatio: ipse enim pro talẽtis, hic pro denariis rogabat: & ipse pro decem millibus, hic autem pro centum: & ipse dominũ, hic autem conseruum: & dominus tantum debitum ipsi vniuersum remiserat, ipse vero neque dilationem conseruo dedit.

Videntes autem serui quæ fiebãt, contristati sunt uehementer, & uenientes manifestauerunt domino suo cuncta quæ fiebant. Incompassibilitas enim non à deo solum habetur odio, sed neque mansuetis hominibus grata est.

† *Tunc accersuit eum dominus eius & dixit ei: Serue sceleste to* † *tum debitum illud remisi tibi, quia obsecrasti me: Nonne oportebat & te misereri conserui tui: sicut & ego tui misertus sum?* O immen C sam mansuetudinem? † Ex equo disceptat cum eo qui omni sermone indignus est: & patienter ac leniter eum conuincit, qui per se condemnatus est, ostenditq; quòd ipse sibiipsi priorem etiam gratiam subuertit, & ex eo vltionem adduxit. Et quum non posset soluere, non eum scelestum nominauit, sed eius potius misertus est: quando vero erga conseruum nõ est motus compassionis affectu, tunc & scelestum appellauit & puniuit. Audiamus nos qui non compatimur & horreamus: sciamus quòd ipsi nosipsos omnino condemnamus, Dei misericordiam quam erga nos exhibuit subuertentes, æternumque supplicium attrahentes.

† *Quantum exceditur aquæ gutta ab inexhausto maris pelago* † *tanto & multo amplius exceditur nostra humanitas & benignitas à*

D dei humanitate & benignitate.

Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque soluceret sibi totũ debitum. Hoc est,cõtinue & semper:postea enim nunquam soluet. Tu vero reliqua parabolæ ne curiose scrutaris,quæ persuasibilitatis gratia sunt coassumpta : sed hoc solũ ex ea manifeste accipito : peccata quæ in Deum cõmittimus infinitis modis plura esse,his quæ delinquũt in nos fratres nostri. Nam quisq; nostrum Deo debitor est decẽ millium talẽtorum,hoc est,multi ac magni reus debiti: debemus enim illi multas graueſque pœnas, propter magna grauiaque peccata. Quisq; autem eorum qui in nos deliquerũt, nobis debitor est centum denariorum,videlicet parui vilisq; debiti,si conferaE tur ad decem millia talentorũ. Quum ergo Deo tanta debeamus, nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus, subuertemus etiam quæ iam nobis supplicantibus remiserat: & postmodum omnium pœnæ à nobis sine vlla compassione expetentur. Vide enim quæ sequuntur.

Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris delicta illorum. Propter hũc sermonem totam composuit parabolam,exemplo illum confirmãs, quo facilius reciperetur. In principio siquidem parabolæ seipsum posuit regem ac legislatorem: post finem vero ipsius,patri vltionis autoritatem attribuit,ne iactabundus ipse videretur:simulque ostendens vnam vtriusque esse autoritatem. De F cordibus vestris autem,hoc est,ex corde,& non tantũ ab ore.

Et factum est ubi finiuisset Iesus sermones hos,transiuit à Galilæa Cap.19. *& uenit in fines Iudææ trans Iordanem.* Venit in extremas Iudææ partes:quia instabat tempus passionis ipsius.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ,curauitque illos ibi. Rursum vt frequenter diximus, à doctrina transit ad miracula: quandoq; curans animas,interdum vero corpora,& nihil vnquam negligens.

CAPVT XL. DE INTERROGANTIBVS VTRVM LICET HOMINI DIuortium facere cum vxore.

ET accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum,& dicentes ei: Vtrum licet homini diuortium facere cum uxore sua qualibet ex causa? Rursum visis miraculis ac virtute illius, efferati fuerant : & quia facta eius reprehendere

reprehendere non poterant,accedunt tentantes, an in sermonibus eum possent cõprehendere:quumque id sæpe fecissent, & vbique mirabiliter impositum ipsis fuisset silentium, impudens tamen ac improba erat eorum inuidia. Interrogant ergo si liceat homini diuortium facere cum vxore sua ex qualibet *Supra.5.* causa. Et considera mihi astutiam: quia enim de hoc quæsito in præcedentibus docuerat, quinto videlicet capite, dicens, Quicunque repudiauerit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam adulteram esse, &c. putauerunt eum doctrinam illam obliuioni tradidisse. Ideo etiam non dicunt, Quare hoc docuisti:sed quasi de hoc nondum docuisset prauo more suo interrogant: vt si licere diceret, opponerent dicentes:Et quomodo in præcedentibus docuisti non licere? Si B vero diceret non licere, opponerent ipsi legem. Quære autẽ prædicto quinto capite dicti illius enarrationem. Quicunque repudiauerit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam adulteram esse : ibique & legem facile discES & causam ob quam statutum erat. Quid ergo Christus qui horum astutias ac dolos perfecte nouerat?

At ille respondens dixit eis: Num legistis quod qui fecit ab initio, *Gene.1.* *masculum & fœminam fecit eos?* Eos videlicet homines. Hoc autẽ verbum in libro Geneſis scriptum est. Tu vero admirare domini mansuetudinẽ : quomodo sciens quod eum tentarẽt, non dixit: Quid me tentatis? quod alibi dixit ad eos. Neque exasperat° est sicut alio loco:neque omnino arguit eos,vt suã ostẽdat lenitatẽ,& vt discipulos doceat iniurias leniter ferre. C Non tamen semper exhibet lenitatẽ, ne putent scelesti hæc illum latere,vtque refrenaret malitiã. Et vide sapientiã. Interrogatus an liceret,non statim dixit non licere, ne daret eis occasionẽ contẽtionis ac tumultus, sed hoc alio modo apte admodum astruit ab ipsa creatione quę ab initio facta est. Quid ergo ait? Num legistis quod qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos: hoc est vnum masculũ vnamque fœminã vt vnus vnam haberet. Nam si voluisset masculum hãc relinquere,rursumque hanc ducere,plures vtique formasset ab initio fœminas:quia ergo plures non formauit,restat vt voluerit virum non repudiare vxorem suam.

Et dixit:Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, *Gene.2.* *& adhærebit uxori suæ, eruntque duo in carnem unam.* Ostenso à

D creatione quod non liceat repudiare, ostendit hoc & à diuino iussu. Scire autem oportet, quod in libro Geneſis apparet præsens verbum ipsius Adam esse prophetantis de vxore: sed Christus nunc docet quod hoc dei fuerit præceptū, & nō ipsius Adam prophetia vt apparet. Nihil tamen vetat idē dictū & ipsius Adam fuisse prophetiā à deo inductā, & rursum dei præceptū dictum per Adam: vt id dixerit & Adam inductus à deo, & rursus dixerit etiā deus loquutus per Adam. Ait ergo quod etiā dixerit creator: Propter hoc videlicet, quia formata est vxor de latere viri sui, (nam & hoc ante prædictum præceptum scriptum est) relinquet homo patrem suum & matrē, &c. Eruntque duo coniuncti in carnē vnam siue corpus vnū
E propter coniunctionem vnitatis, siue coniunctiuā formam. Quia ergo vnum corpus hos esse iussit, non licet repudiare.

Itaque iam non sunt duo sed una caro. Postquā tentatoribus diuinum recitauit præceptum, interpretatur nunc quod post coniunctionem vnum corpus fiant duo coniuges. Deinde suā quoque infert sententiam. Ait enim:

Quod ergo deus coniunxit homo ne separet. Ecce id subintulit quod non licet: blande quidem modoque persuasibili vt diximus: ostendens præter naturam ac præter legem esse diuortium. Præter naturā quidē: nam vna caro diuiditur, præter legem vero, quum enim deus vnum esse iusserit, distrahuntur.

Dicunt ei: Quid ergo Moses iussit dare libellum repudii ac dimittere eam? Quid, id est quare vel quomodo. Libellū vero re-
F pudij dicunt scripturam repudiationis, quod etiam quinto capite diximus.

Ait illis: Moses quidem ad duritiā cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras: ab initio autem non ita factum est. Causam in caput illorum conuertit, quod frequenter facere consueuit. Propter duritiā cordis vestri inquit hoc permisit, iuxta diuersas causas eorum qui sibi nuptas oderant, neque illis reconciliabantur: Siquidem illas repudiare statuit, ne occiderentur. Cur autem libellus repudij daretur, manifeste diximus prædicto quinto capite. Ab initio autem non ita factū est. Nam si deus id ab initio voluisset, nequaquam vnum formasset masculum vnamque fœminā: neque iussisset duos esse in carnem vnam.

Proinde dico uobis: quisquis repudiauerit uxorem suam nisi ob stu-

prum, & aliam † duxerit, adulterium committit: & qui repudiatam duxerit, adulterium committit. Siue non repudiatā ab alio, siue A repudiatam duxerit, adulterium committit. Hęc autē Marcus ait ad discipulos esse dicta. Primum namque ad Pharisæos di Marc.10 cta sunt, deinde etiā ad discipulos in domo seorsum. Dictum est autem & de his quinto capite, & ibi quære enarrationem. Solam vero eam iussit eiici, quæ stuprū siue adulterium commisisset, propter fœtus confusionem, & propter dubitationem eius quod pariendum esset: quasi alia quæuis causa curari posit, hæc autem sola non recipiat curationem.

† *Intelligi quoq; potest sermo de uirgine secundo ducta, hoc est post relictam uxorem.* †

Dicunt ei discipuli eius: Si ita se habet causa hominis cum uxore, B *non expedit cōtrahere matrimoniū.* Nunc tandē intellexerunt præcepti grauitatē, tanquā rei quæ molestia afficiat. Siquidē graue admodum videbatur, difficilē prauamque tolerare mulierem, nec eam posse repudiare quæ fera sæuior est ac molestior. Ideoque dicunt: Si ita se habet causa hominis cū vxore: id est si vnica causa est vel mediū separās virum & vxorē, dico sane fornicationem, non expedit venire ad nuptias.

Ille autem dixit eis: Non omnes capaces sunt huius dicti. Non omnes suscipiunt hunc sermonem de non contrahendo matrimonio: non omnes ferunt. Magna enim res est cœlibatus: nec ab omnibus ferri potest.

Sed quibus datum est. Soli illi sermonem hunc suscipiunt & ferunt, quibus datum est hoc donum à deo: datum est autē C his qui petiuerunt. Petite enim, ait, & dabitur vobis: petentibus (inquam) non simpliciter, sed feruenter & perseueranter: & vt semel dicam, sicut oportet. Significatum est ergo virginitatem, dei donum esse, datum his qui petunt vt oportet.

Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt †, & sunt eunuchi qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Quia de cœlibatu incidit sermo, docet nunc de innuptis: & tria enumerat genera eunuchorum: quorum primum nullam sustinet calumniam, secundum autem vituperatur, tertium vero laudabile est: eorum videlicet qui seipsos castrauerunt, vt regnum cœlorum consequerentur: non nouacula ferrea execantes genitalia, sed continentia insaniam concupiscentiæ amputantes: & amore

virginitatis

D virginitatis,coitus amorē emarcescere sinētes. Quorum enim naturam manus humana transformauit,ferrumque deprauauit,non tantum obseruatam virginitatem laudātur, quantum hi qui veluti libidinis accusati,vltionem susceperunt, quæ id etiam vincat,quod à ferro est auxilium.

† † Gregor.Theol. *Hi quidem natura iuclinātur ad bonum. Quā autem dico naturam,non abiicio uoluntatem, sed utrumque pono: & inclinationem ad id quod honestum est, & quæ ad opus bonum ducit naturam. Quibusdam uero à præceptoribus amputantur affectiones, quidam autem per seipsos illas amputant,ut qui præceptores non assequuti,seipsos docent quæ conueniunt: & radicem uitiorum excidētes,& membra prauitatis exterminantes.*

E *Qui potest capere capiat.* Tandē vbi cœlibes laude dignos demonstrasset,& ita talem cœlibatum laudasset, ac eo modo latenter auditores ad virginitatē prouocasset:sciēs id magnū esse,& à paucis deligi:relinquit rem in hominum voluntate. Qui potest inquit capere hoc,aut peruenire ad hoc,capiat.

De infantibus ac pueris. Lucæ. 18. Marc.10. *Tunc oblati sunt ei paruuli,ut manus imponeret eis,& oraret: discipuli uero increpabant illos.* Infantes dixit Lucas,qui offerebantur in fide parentum. Discipuli vero eos increpabant qui offerebant,sicut scripsit Marcus,hoc est prohibebant. Verisimile est autem quod & pueros increpabant. Nam & hos & illos,præceptorem honorando prohibebant.

Iesus autem dixit:Sinite paruulos, & ne prohibueritis eos uenire ad me: talium est enim regnum cœlorum. Marcus dixit, quod F etiam indignabantur prohibentibus. Recipit autem pueros, significans se recipere simplices, ac docens oportere fastum qui à sublimitate procedit conculcare: & se suscipere despicabiles. Non dixit autem: Horum est regnum cœlorum, sed talium,imitantium videlicet horum simplicitatem:de quibus supra.18. latius dictum est triceſimoseptimo capite.

Et impositis manibus super illos progressus est inde. Marc⁹ dixit quod etiā complexatus est illos, ac impositis manibus super eos benedicebat illis. Hoc autem faciebat illorum adimplens petitionem qui eos adduxerāt. Oblati sunt enim,inquit ei paruuli, vt manus imponeret eis & oraret. Simul etiam ostendit iterum quod amplectitur, sibique familiarem efficit eum,qui dolo ac malitia caret: & ponit super eū manus siue excubantem suā virtutem,ac benedicit,eumque sanctificat.

Caput

CAPVT XLI DE DIVITE INTERROGANTE IESVM.

A

ET *ecce unus accedens dixit ei: Præceptor bone quid boni faciam,ut habeam uitam æternam?* Principem dixit hunc Lucas,videlicet Iudæorum. Non erat autem hic adolescēs dolosus aut fictus, vt aiunt quidam: neque enim intuitus illum Iesus dilexisset eum, quod dixit Marcus, sed in cæteris quidem bonus erat, vitæque cupidus æternæ:sed auaritiæ spina pingue suę animę aruum perdiderat.

Ipse autem dixit ei:Quid me dicis† bonum? Nemo bonus nisi unus, nempe deus. Nullus neque corporeus, neque incorporeus B proprie bonus est,nisi solus deus: quia deo secundum naturā conuenit bonitas, ideoque mutari non potest: cæteris autem omnibus visibilibus & inuisibilibus secundum voluntatem,& ideo mutabilis est. Quia ergo hic Christum hominem tantū esse suspicabatur,bonumque vocabat eum, non tanquā deum sed tanquam hominem,& vnum quempiam præceptorum apud Hebræos:ad huiusmodi suspitionem eius nunc etiam ipse quasi homo cum eo disserit,dicens: Quid me dicis bonum, qui homo sum iuxta tuam suspitionem? Nam tanquam homo non sum bonus, tanquam deus autem, etiam maxime bonus sum:solus namque deus proprie bonus est. Hoc autem dixit non homines priuans bonitate,sed de ea quæ proprie bonitas est docuit:simulque adulationem reppulit,& instruxit nos ne C laudibus assentiamur.

Quod si ad uitam uis ingredi,serua mandata. Ait illi: Quæ? Nō tentando dixit, Quæ? sed putabat præter legalia esse alia,quæ ad talem inducerent vitam.

Iesus autem dixit: Non facies homicidium: non committes adulterium:non fornicaberis:non falsum testimonium feres: honora patrem tuum & matrem: Et diliges proximū tum sicut teipsum. Dicit ei adolescēs, Omnia hæc custodiui ab infantia mea. Principaliora præcepta legalia dispensatorie ipsi profert †, simul ea honorans, † & vt ipso respondente, Hæc omnia opere compleui: nam id significat Custodiui, & ab infantia. Sciebat enim & quod opere cōpleuisset,& quod ita responsurus esset:auditoribus manifestaretur conuersatio illius virtuti consentanea.

Deinde

D Deinde tandem prolato ei vno euangelico præcepto, dico sane diuitiarum abiectione, facilius conuinceret eum esse auarum: & ita bona occasione demonstraret manifeste auaritiã corrumpere omnem virtutem: & ita demonstrato damno deuitari posset huiusmodi affectus. Quare autem non protulit illi primum & maximum præceptum, puta, Diliges dominũ deum tuum? Quia alia huius bona opera occulta erant: pietas vero huius ad deum omnibus nota erat. Dubitabit autem aliquis, vtrum proposita legalia præcepta concilient vitam æternam? Cui dicere possumus, quod conciliant quidem, at nõ talem qualem euangelica. Nam vita æterna accipienda est fruitio quæ est in cœlis, quæ varia est & multiplex: multæ enim apud solum deum fruitiones sunt. Rursum dubitabit aliquis, vtrum vere dicebat adolescens? Siquidem quum multas
E haberet possessiones, quomodo diligebat proximum sicut seipsum? Vtrum enim diuidebat has parum aut nihil habentibus? Quid ergo dicendum est? Quod hoc quoque præceptum compleuerat, quatenus ipsum compleri tunc permissum erat. Diligebat namque proximum sicut seipsum: sed quasi nullum ei inferendo nocumentum, non quasi diuidendo suas cum eo possessiones. Nam id excelsum est & supra Iudaicam in humum depressionem.

† *Quæ eo tempore maxime erant necessaria. Cætera quidem in una Exodi parte statuta sunt. Illud autem: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, in alia: & manifeste ita habetur in Leuitico. Assumpsit autem & hoc tanquam maxime necessarium.*

Exo.20. Leui.19

Quid adhuc mihi deest? Quid adhuc habere me oportet quo
F careo? Hoc autem dicens manifestabat quod maiorem desiderabat virtutem. Ideo quoque, vt ait Marcus intuitus illum Iesus dilexit eum, & dixit ei, Vnum tibi deest. Lucas autem dixit, Vnum tibi deficit. Intuitus siquidem est illum mansuetũ: dilexit autem eum quasi vehementer salutem appetentem: quanquam auaritiæ tyrannide præpediebatur. Quid est autem quod deficit? Vt sequatur eum. Audi ergo.

Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, abi, uende quæ habes, & da pauperibus, habebisq; thesaurũ in cœlo: & ueni sequere me. Quia ea quæ habebat, id est, diuitiæ impedimento erant ne sequeretur: iubet hæc vendi, dariq; pauperibus. Dicit ergo: Si vis perfectus esse: imperfecti enim sunt, qui sola legalia cõplent præcepta:

præcepta: quia & ipsa imperfecta erant propter Iudæorum A
imbecillitatẽ. Habebis thesaurũ autem, dixit cõsolans eius auaritiam: ac promittens quod iterum thesaurum reconderet: nec id tantũ, sed & melius, quia in cœlo. Vocat autẽ thesaurũ in cœlo bonorum retributionem operum, quæ ibi his qui digni fuerint, reposita sunt. Quod autem addit, Veni, sequere me, tantundem est ac si dicat: Gradere iuxta vestigia meæ cõuersationis, sequere mea præcepta: hoc enim tibi deficit, qui legalia adimpleuisti.

Audito autem hoc sermone adolescens abiit contristatus: habebat enim multas possessiones. Quo plura habebat eo magis seruus eorum effectus erat: additio siquidem diuitiarum, additionem facit auaritiæ. Opulẽtia itaque causa fuit tristitiæ & incredulitatis. B

At Iesus dixit discipulis suis: Amen dico uobis, Diues difficulter intrabit in regnum cœlorum. Quod si diues difficulter, auarus nullo modo. Si enim condemnatur qui non dat quæ sua sunt, multo amplius qui rapit aliena.

Rursus autem dico uobis. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Quum rem dixisset difficilem, hanc subiunxit impossibilem: nec simpliciter impossibilem, sed & impossibili magis impossibilem. Impossibile siquidem est camelum viuum transire per foramen acus: hoc autem impossibilius est illud. Fertur autẽ hic sermo per exaggerationem ad auarorũ terrorem. Quidam autem camelum vocant funem nauis crassiorẽ. Verum hæc dicẽs Christus nõ vituperat diuitias, sed seruire diuitiis. Est autem optimum exemplum: nam sicut foramẽ acus non est capax cameli propter nimiam sui angustiam, & propter grandẽ illius molem ac tumorem. Ita quoque via quæ ducit ad vitam non capit diuitem propter suã angustiam, & propter huius tumorem. Oportet ergo omnem repellere tumorem iuxta Apostolum, & attenuari per voluntariam paupertatem. C

Quum autem audissent hæc discipuli, exterriti sunt ualde dicẽtes: Quis ergo potest saluus fieri? Exterriti sunt, id est, turbati sunt, non tamen pro seipsis, quum pauperes essent, sed pro diuitibus. Cœperunt enim præceptorum assumere viscera, ac dolere plurimum pro perditione hominũ dicentes, Quis ergo diuitum potest saluus fieri?

Intuitus autem

D *Intuitus autem Iesus, dixit eis, Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia sunt possibilia.* Primum miti aspectu exterritam eorum mentem consolatus est. Deinde dixit: Apud homines diuites, hoc puta saluum fieri, impossibile est: fortiter enim auaritiæ vinculis alligati sunt, factique impotentes, vt à seipsis solis huiusmodi tyrannide liberentur. Deus autem non solum saluare hos potest, sed etiam omne aliud potest. Saluabit ergo hos, si quod possunt studium adhibentes, ac diuitias in pauperes euacuantes, ignémque cupiditatis diuitiarum extinguentes, hunc inuocauerint auxiliatorem ac libertatis assertorem. Docuit ergo omnis hic sermo, quod auarum impossibile est salium esse, nisi quod in se est adferat studium, vt dictum est: & Deum habeat adiutorem ad liberationem illi⁹ miserrimæ affectionis. Aiunt autem quidam, quod si Deo

E omnia sunt possibilia, vtique & facere malum Deo possibile est. Quibus nos dicimus, quod facere malum nō est potentiæ, sed impotentiæ. Ideo etiam Dauid peccata appellauit imbecillitates siue infirmitates dicens: Multiplicatę sunt infirmitates eorum. Et Paulus ait, Quum nos essemus infirmi siue peccatores. Præterea & alio modo iuxta Gregoriū Theologum, principium mali est negligere bonum: quomodo autem bonum negliget, qui est ipsa bonitas.

Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Quæ omnia beate Petre? An arūdinem, rete, nauim, artémque piscatoriam? Vtique inquit, quæ & quanta habebam: mea siquidem voluntas integra fuit. Quum ergo dixisset Saluator adolescenti, Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, habebísque

F thesaurum in cœlo: timuit Petrus sibi ac condiscipulis: quasi ipsi minus fecissent, quia non vendiderant quę habebant, nec dederant pauperibus: ideo etiam ait, Ecce nos non vendidimus, nec pauperibus dedimus, sed simpliciter omnia quæ habebamus reliquimus, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis retributionis?

Iesus autem dixit eis: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me, in regeneratiõe quum sederit filius hominis in sede gloriæ suæ, sedebitis & uos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Regenerationem dicit nunc à mortuis resurrectionem, quasi iteratam viuificationem. Quid ergo, sedebūt tunc Apostoli

Apostoli & iudicabūt? Nequaquam: solus enim Christus se- A
debit, & solus ipse iudicabit. Sed per duodecim sedes innuit
fruitionem siue requiem ac præcellentiam duodecim discipu
lorum, & regni sui communicationem. Iudicantes autem di-
cit, hoc est condemnantes. Ait ergo: Fruemini tunc siue re-
quiescetis, & præcelletis ac conregnabitis mihi, condemnā-
tes Israelitas: nō quod ipsi iudicaturi sint, sed sicut vicesimo-
tertio capite dicebat Niniuitas ac reginam Austri condem-
naturos generationem illam: ita & hos nunc condemnatu-
ros ait duodecim tribus Israel. Ideo enim non dicit Gentes
aut Orbem, sed solos Israelitas suos contribules, suos cogna- *Suprà.12*
tos. Condemnabunt enim eos non quasi iudicantes, sed quia
is qui iudicabit, à fide horum sit condemnaturus illos. Siqui- B
dem quum eisdem moribus ac legibus & hi & illi sint enu-
triti: hi tamen crediderunt, illi vero credere noluerunt, Quid
ergo, Iudas ne etiam sedem habebit & condemnabit? Nequa-
quam: communis enim facta est promissio ad duodecim di-
scipulos, ne per hanc Iudas in vllo cæteris deterior habere-
tur: ipse vero animæ prauitate seipsum hac priuauit. Est e-
nim dei lex à Ieremia promulgata ad Iudæos, quę dicit, Si cō
uersa fuerit gens illa ab iniquitatib⁹ suis, pœnitebit & me ma *Ierem.18*
lorum quæ cogitaueram facere illis. Deinde ait, Et si fecerit
malum coram me, vt non audiat vocem meam, pœnitebit &
me de bonis quæ decreueram facere illis. Quid ergo ait ista
lex? Si comminatus fuero vt faciam tibi malū, & tu corriga-
ris: solues meam sententiā: & si promisero tibi bona, & igna- C
uiter egeris, solues meam promissionem: tua enim causa fa-
ctus es ea indignus. Pœnitentiam ergo in deo intelligimus
propositi mutationem, cuius nos omnino causa sumus. Scire
autem oportet, quod discipulis connumerat eos, qui postmo-
dum in chorum duodecim discipulorum subingressuri sunt,
vtpote eandem fidem idemq; ministerium suscepturi.

Et omnis qui reliquerit domum aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomē meū, centupla accipiet, & uitam æternā hæreditate accipiet. Vobis quidē duodecim contingent quæ dixi, cæteris vero credentibus e-
runt hæc & ista. Matthæus itaque dixit, Propter nomen me-
um, id est propter me. Marcus autem addidit, Et propter euā- *Marci.10*
gelium, hoc est propter prædicationem. Lucas vero ait, Pro- *Lucæ.18*
pter

Propter regnum dei, vt scilicet illud consequatur. Quemadmodum autem quando dicebat, Qui perdiderit animã suam mea causa, inueniet eam: non hoc dicebat, vt nosipsos interimamus, sed vt ipsi etiam animæ nostræ, fidem quæ in ipsum est præponamus. Ita & nunc dicens, Qui reliquerit vxorem: non hoc dixit, vt nuptias penitus diuidat, sed vt ipsi quoque coniugi præponamus & ipsum & euangelium, & regnum dei. Hoc autem & in omni alia cognatione & familiaritate dicendum est. Marcus præterea & Lucas manifestius de his recitantes, centuplam retributionem hoc tempore rependi dicunt, in hoc videlicet seculo, vitam autem æternam venturo siue futuro. Centupla vero, hoc est, varie multiplicata, aut multo plura, sicut dixit Lucas. Sed quomodo varie multiplicatam accipiet quis hanc retributionem in præsenti seculo? Quomodo? Sicut acceperunt Apostoli & martyres cæterique omnes iusti. Vide enim quod omnium fidelium domus sibi habebant apertas: fratres etiam & sorores parauerunt omnes sanctos & sanctas: patres vero omnes ipsos colentes, ipsorũque curam habentes, ac erga ipsos compassionis affectu tactos: nam hæc sunt propria patris: matres quoque omnes pari modo se habentes: vxores vero omnes ministrantes, subseruientes ac curantes eos: hæc siquidem vxoris sunt opera: filios, præterea omnes discipulos. Ad hæc omnes fidelium agros in sua potestate habebant: quodque omnium est maxime admirabile, omnia hæc habebant cum persequutionibus, prout addidit Marcus, hoc est à fidei inimicis persequutionẽ sustinentes. Potest etiam esse multiplicatio, gratia sanitatum, aut prophetia, aut aliud quippiam simile.

De primis & nouissimis.

Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Multi qui hic videtur primi, erunt ibi postremi. Hoc autem & simpliciter de omnibus dictum est, vt nunquam hi qui præponũtur in vita, extollantur: neque qui hic despiciuntur, animum despondeant: & præcipue ad Pharisæos eisque similes sermo refertur, qui primatus totis vendicabant viribus. Quia vero non omnes eo tempore credebant, sed alij quidem prius, alij vero postea, ponit parabolam quæ posteriores consoletur animæque iniiciat alacritatem, quam totam pariter necesse est primum accipere, ita exposcente eius enarratione, & demum ea quæ videbuntur similiter de ea dicere: quanquam enim longiuscula

longiuscula sit, apta tamen est vt facile capi possit. A

CAPVT XLII. DE MERCEDE CONDVCTIS OPERARIIS.

Cap.20 De vine

Simile enim est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo simul diluculo, ut mercede conduceret operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cũ operariis ex denario per diem, emisit eos in uineã suã. Et egressus circiter tertiã horam uidet alios stantes in foro ociosos, & ait illis: Abite & uos in uineã meam, & quodcunque fuerit iustũ dabo uobis. Illi autem abierunt. *Rursus egressus circiter sextam & nonã horam fecit similiter. Circiter undecimam uero horam egressus, inuenit alios stantes ociosos, & ait illis: Quid hic statis toto die ociosi? dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Ait illis: Abite & uos in uineã meam, & quicquid iustum fuerit accipietis. Facta autem uespera dixit dominus uineæ procuratori suo: uoca operarios, & red de illis mercedem, incipiens à postremis usque ad primos. Quumq; accessissent qui circiter undecimã horam uenerant, acceperunt singuli denariũ. Venientes autem primi, arbitrati sunt quod plus essent acceptur i: acceperunt autem & ipsi singuli denarium. Et quum accepissent, murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi postremi unam horam fecerũt in opere, & pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum* †. *Ipse autem respõdens, uni eorũ dixit: Amice non facio tibi iniuriam: Nonne denario pactus es mecũ? Tolle quod tuum est & abi. Volo autem & huic postremo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis?* B † C

† *Intelligi potest pondus & æstus diei, grauitas tentationum, & ignis indomitarum uoluptatum, ac ferocium affectionum quæ portauerunt siue sustinuerunt, ne ab eis uincerentur.* †

Huius omnis parabolæ solum exponenda sunt quæ opportuna videntur, veluti monet Chrysostomus: cætera vero non sunt curiose scrutanda, sicut vicesimo quarto capite prædiximus. In hac enim regnum cœlorũ intelligitur ipse Christus, sicut in parabolis frequenter diximus. Vinea autem eius, euãgelica ipsius præcepta sunt. Operarij vero huiusmodi vineæ, homines operatores talium præceptorum. Tempus operationis, præsens vita. Diluculum vero, hora tertia, sexta, nona, & vndecima, variæ hominum ætates quibus ad fidem veniunt, Sup.13

a.20.

D & probi facti deo placent. Diluculum siquidem siue prima hora, ætas est eorum, qui ab infantia vocati sunt ad dictæ præceptâ. Tertia autem hora, ætas epheborum. Sexta vero, virorum. Nona, senum: & vndecima, decrepitorum, quibus breue est reliquum vitæ tempus. Exiit ergo Christus in mundum, tum per seipsum, tum per Apostolos, eosque præceptores qui illos sequuti sunt, vt mercede conduceret operarios in vineam suam, quæ botros fructificat virtutum, lætificantes patremfamilias, qui dominus est vniuersi. Merito autem dixit, Vt mercede conduceret: merces enim reposita est præceptorum operariis, puta cuiusque salus: hanc enim intelligimus esse denarium. Effingit autem parabola primos murmurantes, impositumque illis silentium: non quòd in regno cœ-
E lorum futura sit inuidia. Nam si hic adhuc viuentes iusti suas animas pro hominibus ponunt, multo magis ibi, videntes eos saluos esse gaudent. Sed tale figuratum est murmur, impositumq; silentium, ad solam demonstrationem diuinæ benignitatis erga eos, qui postremi veniunt, vt confidant quod nihil illis oberit postremos veniisse, si deinceps operati fuerint. Et nos siquidem vbi aliquem multo dignari fuerimus honore, & postmodum voluerimus huiusmodi magnitudinem demonstrare, solemus dicere quod quidam ob tantum honoré murmurabant. Hoc autem dicimus non illum reprehẽdentes, sed hunc ad gratiarum actionem excitantes. Quare autem non omnes simul vocauit ad vineam? Quia non simul omnes in-
F uenit: impossibile enim erat eodem tempore, vt prædiximus, eademque ætate omnes accedere. Tunc autem vnumquemque inuenit, quum ille obediens efficitur. Ait enim Paulus: Vbi vero beneplacuit ei, vt me separaret ab vtero matris meæ. Tunc autem beneplacuit, quando hic obediuit. Docet itaq; parabola, ne eos qui extrema senectute accedunt reprobemus: sed sciamus quod possibile sit breui etiam studio ac diligentia saluari. Hic siquidem scopus eius est. Oportet autem nos solo ipsius scopo adepto, cætera non magnipendere: reliqua enim omnia propter finale intentum composita sunt, vt facilius excipiatur: neque periculo vacat, etiam illa scrutari, veluti tradit Chrysostomus capite de parabolis.

Galat.1

Supra.13 *Si oculus tuus malus est, quod ego bonus sum.* Quod, pro Sed, hic sumitur. Ait enim, Si oculus tuus inuidus est, atqui ego bonus

bonus sum, seruans & te & illum. Tu vero ne ex hoc turberis A
quasi æqualia dentur brabia his qui à prima ætate vsque ad finem euangelica seruauerunt præcepta, & his qui in postrema ætate acquieuerunt. Solum enim docuit parabola quòd æqualiter salui fiunt, non quod etiam æqualiter glorificantur: salus siquidem est non perire: gloria vero consequi brabia quæ varia sunt iuxta proportionem data his qui seruãtur.

Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Non hoc ex parabola conclusit: nam impertinens est. Ibi enim primis æquales sunt postremi, hic autem postremi dicũtur primi. Sed alius est hic sermo, docens quod sicut illud accidit, vt qui à prima ætate operati sunt, æqualem accipiant mercedem his qui in postrema acquieuerunt: ita sanè & hoc contingit, vt B
nouissimi appareant primi, & primi nouissimi. Possunt autem hi esse Christiani & Iudæi: aut fidelium quidam in principiis negligentes, postmodum vero serio operam dantes: quidam autem in principiis diligentes, postmodum vero negligentes: neque enim in fide solum, sed in vita quoque fiunt huiusmodi transitus.

Multi enim sunt uocati, pauci uero electi. Multi quidem ad fidem vocati sunt, pauci vero acquiescunt.

Et quum ascenderet Iesus Ierosolyma, assumpsit duodecim discipulos suos seorsim in uia, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolyma: & filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac scribis, & cõdemnabunt eum morte, tradentq; eum gentibus ut illudatur, & flagelletur, & crucifigatur. Ascendẽs iam ad passionem rursum prædicit discipulis quæ futurum est vt ipsi contingant, vt crebro C
illis prædicendo, auferat vehementem eorum tristitiam. Seorsim autem de his disserit illis. Siquidem non multos hæc scire oportebat ne offenderentur. Nam si hæc audientes discipuli turbabantur, multo magis turbæ. Cur ergo non dictum est de his & ad turbas? Dictum est quidem, sed nõ manifeste: Sic erit, inquit, filius hominis in corde terræ tribus Sup.12
diebus & tribus noctib⁹: & alibi similia illis obscure dicebat, sicut in sequentibus inueniemus. Verum quum hæc non intelligerent, quare omnino ea dicebat illis? Vt quum postmodum ea cognoscerent, scirent quòd quæ passurus erat præcognouerat, & voluntarie ad passionem venerat. Sed neque discipulis principio particulariter de his loquutus est,

D sed primum quidem obscure, deinde manifestius. Nunc vero quum tandem passionis opinione exercitati sunt, etiam alia particularius addit: quod tradent eum gentibus siue militibus Romanis, præsidem agente Ierosolymis Pilato, quòdq; hi illudent eum & flagellabunt ac crucifigent.

Et tertio die resurget. Vbi tristitia dixisset, addit etiã quod consolationem adferat: vt quum illa viderint, etiam hoc exlucæ.18 pectent. Lucas vero Christum quoque eis dixisse ait: Et consummabuntur omnia quæ dicta sunt per prophetas de filio hominis, & quod ipsi nihil horum intellexerunt. Prophetę siquidem particulariter de omnibus quæ passurus erat prædixerunt: & nisi in longum protrahendus esset sermo, omnes de his afferrem in medium prophetias: discipuli vero tunc E nihil horum illexerunt, quæ videlicet per prophetas scripta erant, sed erat sicut idem scripsit Lucas, verbum hoc absconditum ab eis, siue ignoratum: hoc inquam, Tertio die resurget: nec intelligebant quæ dicebantur de illo, sicuti etiam diprd.17 ximus in fine tricesimiquinti capitis. Addit quoque & aliam huius ignorantiæ causam Chrysostomus: quia de alio quidem qui ab alio excitatus esset, & audierant & viderant: de mortuo vero qui seipsum excitasset, neque audierant, neque viderant. Præterea & de eo quod occidendus esset Christus, vbi ad humanas respiciebant operationes, credebant hoc & contristabantur: vbi vero diuinas in mentem assumebant, increduli permanebant, nec intelligebant quæ dicebantur de hoc, id est non suscipiebant tales de hac re sermones, suspiF cantes & hos aliquam esse parabolam.

CAPVT XLIII. DE FILIIS ZEBEDAEI.

Vnc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi adorans & petens aliquid ab eo. Ille autem dixit ei: Quid vis? Ait illi, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus à dextris tuis, & alter à sinistris tuis in regno tuo. Quum
prd.19 quadragesimo primo capite dixisset saluator discipulis, Quum sederit filius hominis in sede gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, audissentq; filij Zebedæi Iacobus & Ioãnes arbitrati sunt sedem glorię dici thronũ regni, quo

gni, quo Ierosolymis regnaturus esset. Quumque paulo ante A rursum dixisset, Ecce ascendimus Ierosolyma, & quæ sequũtur: non ea de afflictionibus intellexerunt, vt superius significauimus, sed sperabant instare iam regnum eius. Siquidem prophetas quoque audiebant appellantes Christum regem Israel. Statim ergo præeminentiæ amore capti sunt: nam se præ cæteris honorari sciebant: sed Petrum timebãt. Ideo primum quidem, vt ait Marcus, ipsi soli ad eum accedunt dicentes: Magister volumus vt quicquid petierimus facias nobis. Mar.10 Ille autẽ dixit eis: Quid me vultis facere vobis? At illi dixerunt ei: Da nobis vt vnus à dextris tuis, & alter à sinistris tuis sedeamus in gloria tua. Verum non cognoscentes ideo se passos esse repulsam, quod indigna peterent: ad supplicationem assumunt & matrem. Interrogat autem Christus primum B quidem illos, deinde & matrem illorum tanquam homo: simul etiam vt eorum responsio fieret quodammodo affectus sui confessio.

Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petitis. Deinceps illis respondet, vt qui matrem suam submiserant, vt pro ipsis postularet, & ait: Nescitis quid petitis. Sedere enim à dextris aut à sinistris in regno meo, magnum est, & supra dignitatem non hominum tantum, verum etiam supernarum virtutum. Siquidem regnum meum non est ex hoc mundo, prout vos Iean.18 putatis. Quia vero opinabantur tempus illud non regni solum esse, sed etiam requiei: hoc quoque, quod in se est, corrigit: demonstrans hoc potius esse tempus afflictionis & cædis. Ait enim.

Potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor baptizari? Poculum dicit mortis: & baptismum C qui fit per sanguinem. Nam & poculum & baptismum vocat eædem: poculum quidem, vtpote læto animo pro hominibus susceptam: baptismũ vero, tanquam purificationem ipsorum. Addens autem, Quod ego bibiturus sum, & Quo ego baptizor, subindicat, quod qui afflictionibus eius non communicat, neque regno suo communicabit.

Dicunt ei: Possumus. Omnia promittunt, petitionem consequi cupientes. Chrysost. autem dicit, quòd neq; poculo & baptismo intellectis, à sola animi promptitudine gratiã quærebant. Quid ergo Christus?

D Et ait illis: *Poculum quidem meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini.* Prophetabat eis, quod ipsi quoque occidendi essent, ac martyrij morte honorandi. Et de Iacobo quidem nouerunt omnes, quod ab Herode Tetrarcha sit interemptus. De Ioanne vero quæstio est apud multos. Aiunt enim quod quia infallibile est Christi vaticiniũ, & ille nondum martyrij mortem sustinuit, nondum mortuus est, sed adhuc viuit: & cum Enoch & Elia circa seculi consummationem occidendus est. Chrysostomus autem manifeste docet, quod mortuus est & interemptus. Nam interpretando eius euangelium, ait de illo secunda homilia: Euangelio totum comprehendit orbem, corpore vero mediam obtinuit Asiam, dico sane Ephesum: anima autem ad illum

E secessit locum qui sanctis congruus est. In prima vero dicit, quod etiam Christi bibit poculum, & baptismo eius baptizatus est: voluntate enim & hic interemptus est, plagis martyrij susceptis, & passus innumera propter Christum pericula. Nam athleta ac martyr dicitur non solum qui violente mortuus est propter Christum, verum etiam qui flagellatus est, aliáque multa passus propter eum. Inuenimus siquidem & post hunc plerosque certasse quidem, verum animam in pace deo commendasse: nec propter hoc dicet quispiam eos à martyrij excidisse dignitate. Quod autem mortuus sit, ipse idem ait: in euangelio quidem dicens: Non dixit ei Iesus, Non moritur. In libro autem Apocalypsis sub persona Saluatoris: Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt tot diebus † amicti saccis. Hi autem

F sunt Enoch & Elias.

† *Scio communia exemplaria habere, Diebus mille ducentis sexaginta: non fuit tamen animus quicquam immutare ab eo quod in nostro repertum est exemplari.*

Sedere autem à dextris meis aut à sinistris, non est meum dare, sed iis continget, quibus paratum est à patre meo. In præcedentibus diximus, quod sedere à dextris eius aut sinistris, excedit dignitatem non hominum solum verum etiam supernarum virtutum: nullus itaque sedebit. Et quomodo hic dicit, Non est meum dare, sed iis continget quibus paratum est à patre meo? Ostendit enim quosdam sessuros. Dicimus ergo quod quum præeminentiam inter discipulos peterent, nunc

nunc Christus cathedram à dextris & sinistris, dicit primam A
inter ipsos sedem, qua Petrus & Paulus digni habiti sunt principes discipulorum, vt qui plus cæteris laborauerunt. Et quomodo qui omnipotens est, ad hanc dandam redditur impotens? Quod dixit, Non est, non impotentiæ est, sed iustitiæ. Nam quia gratis sibi dari primatum petebãt: Non est inquit meum dare gratis primatum siue primam sedem: id siquidem significat Dare: iustus enim sum, non personarum acceptor: sed hoc (ait) est illorum, quibus paratum est à patre meo. Paratum est autem his, qui digni sunt vt hoc consequantur, Nõ enim sola mihi cæde communicare, primam cõciliat sedem: sed primas omnium ferre etiam in cæteris virtutibus. Inde autem maxime traduxit illos. A patre meo autem dixit, tum vt patrem honoraret, tum vt seipsum demõstraret tanquã idem B
cum patre potentem. Ego inquit & pater vnum sumus. Ioan.10

Et quum audissent decẽ indignati sunt de duobus fratribus. Duo quidem supra decem discipulos elati fuerant: decem vero de duobus inuidebant, eo quod primas sedes desiderauerant: & ita omnes imperfecti erant. Nondum enim spiritus sanctus descenderat. sed postmodum ipsos perfecte cognoscito, & videbis omni affectu liberos, ac inuicem extollentes, & mutuo primatus concedentes. Tunc itaque indignati sunt, siue grauiter tulerunt. Siquidem quando frequenter Christus illos præ cæteris honorauerat, non ægre tulerant, ipsum scilicet veriti. Quando autem per se primatum petierũt, indignati sunt: & maxime cognito quod exauditi non essent: ex præceptoris enim responsione intellexerunt quid petiissent. C

IESVS *autem aduocatis illis dixit.* Qua duo ab aliis diuisi ad eum accesserant, & astantes colloquebantur, aduocat & alios: ac primum quidem turbatos placat, per coadunationẽ quæ inter se & illos erat. Deinde ait:

Scitis quod principes Gentium dominentur eis: & qui magni sunt potestatem in eas exercent. Non ita autem erit inter uos. Cognito quod hoc fine duo illi petierant primatum, vt cæterorum haberent principatum: hoc intentum carpit quasi à Gentibus sumptum. Principes inquit Gentium, & qui magni sunt inter illas, dominantur, & potestatem exercent in alios. Non ita autem erit inter vos qui mei estis. de dominationẽ magnatum.

D Deinde docet etiam quo pacto oporteat parare primatum. Audi ergo quid dicat.

Sed quisquis uoluerit inter uos magnus fieri, sit ueſter miniſter: & quicunque uoluerit inter uos eſſe primus, sit ueſter ſeruus. Sicut ſuperius eoſdē dixit Principes & Magnos: ita & nunc eundem vocat Magnum & primum. Hæc autem omnia ad ſubiectionem dixit, vt quæ ſingulis vtilis eſt, Dicit ergo: Poteſtatē in alios exercere, Gentium eſt: ego vero legem vobis ſtatuo parandi principatus, à miniſtrando aliis, eiſq; ſeruiendo. Qui enim hoc facit, illum ego magnum ac primum declaro, & hic apud me primatum habebit. Deinde ſeipſum quoque ponit in exemplum, qui nō ſolum omnibus miniſtret, ſed etiam pro

E omnibus moriatur.

Sicut filius hominis non uenit ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret. & tradat animam ſuam redemptionem pro multis. Sit inquit hic aliorum miniſter & ſeruus, quemadmodum ego non veni in mundum vt aliqui mihi miniſtrarēt. Quanquam enim ſocrus Petri & Martha ſoror Lazari, aliæque mulieres miniſtrabant ei, non tamen quaſi ipſe harum miniſteria cuperet. Non ergo veni vt miniſtretur mihi ab aliquibus, ſed potius vt ipſe aliis miniſtrem, curans ac ſanans quorundam animas, quorundam corpora, quorundam & animas & corpora: quodque miniſterio ac ſeruitio maius eſt, vt tradam animam meam redēptionem pro multis, qui ſerui facti erant diaboli. Multis autē, dicit nunc pro omnibus. Frequenter enim ſcriptura multos di

F cit pro omnibus. Itaque pro omnibus tradidit animam ſuam omneſque redemit: quanquam multi ſua ſponte in ſeruitute remanſerunt. Quodam etiam modo animam ſuam tradidit

c.23. patri. Exclamauit enim moriens, Pater in manus tuas commendabo ſpiritum meū. Atqui non à patre, ſed à diabolo detinebamur. Aduertendum autem ad difficultatis ſolutionem, omnem redemptionem ſiue precium liberationis in aliis, ſitam eſſe aut venire in poteſtatem eius qui aliquos retinet, eoſque qui detinentur per illius manum liberari. Pretium vero quod à Chriſto datum eſt, vtpote differenti modo & omni alio pretio ſupernaturalius, liberauit ſane eos qui detinebantur: ipſum vero non venit in poteſtatem eius qui illos retinebat, quum illud non poſſet accipere. Patri autem hanc tradidit, tanquam animam filij ſui: ideo etiam quaſi dato iam pretio,

tio, quanquam non potuerit illud tyrannus accipere, liberati A ſunt qui detinebantur. Et quomodo tradidit animam ſuam redemptionem pro multis? Quia voluntarie ſeipſum in mortem obtulit pro libertate hominum: moriens enim, apta occaſione tyrannum perdidit, tanquam occidentem illum qui peccato carebat. Peccati ſiquidem mulcta, eſt mors: ſolus autem Chriſtus peccatum non fecit. Scire autem oportet, quod non ſola Chriſti anima vocatur redemptio noſtra, verum etiam ſanguis ipſius. Itaque quæ nunc de anima eius dicta ſunt, de ſanguine quoque eius dicuntur.

CAPVT XLIIII. DE DVOBVS CAECIS.

B

ET egredientibus illis ab Iericho ſequuta eſt eum turba multa: Et ecce duo cæci ſedētes iuxta uiam, audito quod Ieſus tranſiret, clamauerunt dicentes: *Miſerere noſtri fili Dauid.* Similia quoque ſcripta ſunt decimo- *Supra.9.* ſeptimo capite, ibi ergo quære enarrationem integre conſcriptam.

Turba autem increpabat eos ut tacerent. Imponebat illis ſilentium in honorem Ieſu, quem illi moleſtia afficiebant.

Illi uero amplius clamabant dicentes: Miſerere noſtri fili Dauid. Vide perſeuerantiam. Hos imitemur & nos, qui animæ oculis excęcati ſumus: & clamemus ad eum ex toto corde. Quod ſi ab aliquibus impediti fuerimus, intentiorem reddamus deprecationem. nec deſiſtamus: & eum omnino flectamus ſicut C & iſti.

Et ſtans Ieſus uocauit eos, dixitque: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine ut aperiantur oculi noſtri. Quare interrogauit illos? Ne putaret quiſpiam quod alia volentibus accipere, ipſe daret alia. Et cur non requiſiuit ab eis fidem? Quia fidei demonſtratio erat clamor, & perſeuerantia in eo, quum alij ſilentium eis imponere conarentur.

Miſertus autem Ieſus tetigit oculos eorum, & protinus uiſum receperunt oculi illorum, & ſequuti ſunt eum. Non ſolum perſeuerantes erant, ſed & grati ſequebantur eum, rependentes beneficium. Aiunt autem quidā vnum horum cæcorum inſignio- *Marc.1*
rem fuiſſe, de quo à Marco facta eſt mentio triceſimoprimo euangelij

Euangelij sui capite, qui Bartimeus dicebatur: à Luca vero
c.18. sexagesimo quarto sui euangelij capite: alterum autem, ab his
silentio præteritum tanquam illius ministrum: quemadmodũ
prá.8. sane & de duobus dæmoniacis duodecimo capite prædictũ
est: idque coniectura assequuntur, eo quod eadem & dixerint
& audiuerint, ac similiter sequuti fuerint. Ego vero re attẽtius
considerata, alterum ab his duobus esse dico eum, de quo ha-
bet Marcus: rursumque alterum ab eo, de quo Marcus, illum
de quo loquitur Lucas. Is siquidem de quo Marcus, vestem
præ nimia festinatione proiecit: & sine cõtactu sanitatem ac-
cepit. Is autem qui apud Lucam est, Christo potius ingrediẽ-
te Iericho, & non egrediente, sanitatem est consequutus. Hu-
iusmodi etiam opinionem mihi confirmat Chrysostomus,
E qui de illis vtpote aliis nihil omnino significat.

CAPVT .XLV. DE ASINA ET PVLLO.

Cap.21.

ET quum appropinquassent Ierosolymis, uenissentque Bethphage ad montem oliuarum: tunc Iesus misit duos discipulos dicens illis: Ite in castellum quod contra uos est, & confestim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quis uobis quippiam dixerit, dicite: Domino his opus est, & protinus emittet eos. Iam morte sua appropinquante, maiori autoritate negotia at-
F tingit: & quia de asina & pullo prophetatum erat, nunc tanquam omnium dominus iubet his quos emittebat vt dicant, Domino his opus est, & post habitum vsum reduci hos ad do
.dr.11. minum eorum. Sed Matthæus asinam dicit & pullum: Mar-
uc.19. cus vero pullum solum. Inuenietis inquit pullum alligatum,
an.12. super quem nullus hominum sedit. Similiter autem scribit & Lucas. Ioannes vero pullum asinæ hunc appellauit, tanquam tenellum asinum. Quid ergo dicemus? Quod vtroque opus erat Christo: sed pullo vt super eum veheretur: asina autem vt pullum sequeretur: explebat enim mysterium quod futura præfigurabat. Et erat pullus in figuram noui è Gentibus populi, venturi ad fidem quæ est in Christum: qui ad diuinæ legis iugum inexercitatus erat: super quem nullus hominum sederat:

sederat, propheta videlicet vel apostolus. Asina vero in ty- A
pum veteris è Iudæis populi sub iugo legis degentis. Et pul-
lus quidem Christum vehit insidentem: asina vero sequitur:
docente re ipsa, quod postquam Christus Gentibus insederit,
& in eis tanquam in se credentibus requieuerit, sequentur &
Iudæi. Dicit enim & Paulus: Cæcitas ex parte facta est in Rom.11
Israel, donec plenitudo Gentium intrauerit: & tunc omnis
Israel saluus erit. Propterea ergo Matthæus exacta diligen-
tia vtriusque iumenti meminit: cæteri autem breuitatis cau-
sa pullum quidem scripserunt, eo quod super illum vectus sit
Saluator: asinam vero silentio præterierunt, vt quæ tantum so
quebatur. Vectus est itaq; super pullum Christus: simul præ-
figurans, vt dictum est, quod futurum erat: simul etiam, quia
contingebat quosdam imbecilliores indigere iumentis, etiam B
in hoc modum posuit, ostendens non oportere discipulum
suum equo aut mulo vti, sed asino: vt vbique sola id fieri ne-
cessitate.

Hoc autem totum factum est: ut compleretur quod dictum est per Zach. 9.
prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi man-
suetus ascendens super asinum † & pullum filium subiugalis. †
Hoc, Quid? Discipulos missos esse vt asinam & pullum adduce-
rent. Prophetam autem dicit nunc Zachariam. Completa
est itaque huiusmodi prophetia: eius vero completio rursus
facta est alterius rei prophetia, puta fidei Gentium vt dixi-
mus. Filia autem Sion † est ipsa Sion, sicut filius hominis ip †
se homo. Nam & hoc idioma est Hebraicæ phrasis. Et Sion
quidem est Ierusalem: rex autem Sion ipse Christus, vel tan-
quam Deus, vel tanquam è regia Dauid radice progenitus:
vel etiam tanquam is qui in eam plurima contulit beneficia. C
Venit ergo ad eam mansuetus: neque satellites habens, neque
qui lanceam, gladium, aut faces ferant. sed multam præ se fe-
rens mansuetudinem ac humanitatem. Sedens vero super a-
sinum & pullum, non diuisim, modo super hunc, modo su-
per illum: neque tanquam super bigam ab his tractam, sed
asinum & pullum, intellige ipsum pullum, asinum quidem na
tura, pullum vero ætate. Tu ergo interroga Iudæum quis rex
venerit Ierusalem asino & pullo vectus: nullum enim alium
dicere poterit præter Christum.

† Non te

† † Nonte turbet quod in hac prophetia asinum masculino genere uerterimus. Ad id enim & autoris enarratio nos coegit & Græcum uocabulum ὄνος, quod tam asinum significat quàm asinam id permittit, maxime quum hic careat articulo. Præterea apud Zachariam litera. 70. interpretum non habet ὄνον sed ὑποζύγιον, id est, subiugale. In Hebraica autem origine hæc dictio תמור hamor, asinum masculino genere ubique significat.

† † Aliter quoque filia Sion est Ierusalem, eo quod subiecta sit monti qui uocatur Sion. Dicitur quoque ipsa Ierusalem Sion, propter montẽ Sion qui supra ponitur, ut sit metaphorica appellatio.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus, & duxerunt asinam & pullum. Marcus autem particularius recitat id quod fecerunt. Ait enim: Abierunt & inuenerunt pullum alligatum iuxta ianuam foris in biuio: soluuntque illum. Et quidam eorum qui ibi stabant dixerunt eis, Quid facitis soluentes pullum? At illi dixerunt sicut præceperat Iesus, & dimiserunt eos. Hæc sane Marcus, ianuam dicens domus dominorum pulli. Considera autem quod omnia ad præfigurationem faciant. Sicut enim asina & pullus funiculis alligati erant foris in biuio, ita quoque antiquus Iudæorum populus, nouusque Gentium, peccatis alligantur extra ecclesiam in vita: Nam hanc per biuium intelligimus. Et quemadmodum Apostoli soluta illa animalia adducunt ad Christum, ita sane & istos. Ad hæc sicuti tentauerunt quidam prohibere hos, puta domini ipsorum, sicut dicit Lucas: audito autem quod domino his opus esset, concesserunt: ita sane & in his: tentant quidem, qui dominantur eis dæmones prohibere: auditoverò quod deo his opus est, permittunt.

Et posuerunt super eos uestimenta sua. Posuerunt & super asinam & super pullum, ignorantes super quem illorum vehi vellet.

† Et sedit super ea. Super ea † puta vestimenta quæ pullo erant superposita. Possunt autem discipulorum vestimẽta reconditiori intelligentia dici virtutes, quæ intelligibilia sunt animæ vestimenta, illos adornantia qui Christo adducuntur. Lucas autem dixit, quod discipuli imposuerunt Iesum super pullum: discipuli enim verbum Gentibus superimponunt.

† † Hanc cõmode adiunxit expositionem, quæ apud Græcos ἀνταῦθα sensum faciat ambiguum. uide autem in nostris additiunculis, quas de uaria

uaria exemplariorum lectione in principio libri adiunximus.

Plurima autem turba strauit in uia uestimenta sua. Ostenderunt quod plusquam prophetam eum habebant: ideo etiam excellenti modo ipsum honorauerunt. Nam & modico ante tempore quum Lazarum resuscitasset, magnam apud eos reuerentiam acquisiuit. Abiiciamus ergo & nos corporis ornatum propter Christum, & ornemus viam eius, abiiciẽtes opes ac affectiones quibus induimur aut circundamur.

Alii autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in uia. Marcus vero στιβάδας dixit. Est autem στιβὰς ramorũ congeries. Oliuarum nempe rami erant. Nam tunc montem oliuarum præteribant.

Turbæ autem quæ præibant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid. Hosanna Hebraicum est, & significat interdum † hymnum siue laudem: quandoque vero † serua. Nunc ergo tantundem est ac si dicat, Hymnus filio Dauid.

† Hinc plane liquet autorem nostrum utpote Hebraicarum literarum ignarum ad eundem cum Hilario impegisse lapidem. Nam † תושיעהנא hosia na, dictiones duæ sunt, quarum prior hosia imperatiuus est tertiæ Hebræorum coniugationis significans idem quod saluum fac: cuius fores siue radix quam uocant est ישע iasa, id est saluauit: altera pars interiectio est efflagitantis uel obtestantis, ac si dicas Saluum fac obsecro, ut habetur psalmo. 117. Potest etiam dictum uerbum in prædicta imperatiui persona habere תושע hosa, ut dicatur תושענא hosa na: & ita nostri uerterunt. Quod autem dicitur, Hosia na filio Dauid, & Hosia na in excelsis, phrasim epinamur esse Hebræorum, qui hosia na tanquam particulam bene ominantis uel precantis & acclamantis, uariis addere solent dictionibus, ut τῷ υἱῷ capiatur pro τὸν υἱόν: quemadmodum ל apud Hebræos articulus datiui, nonnunquam etiam designat accusatiuum: Et ἐν τοῖς ὑψίστοις capiatur pro ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις qui es in excelsis: sicut ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς qui es in cœlis. Est ergo sensus: Saluum fac obsecro filiũ Dauid: & saluum fac obsecro tu qui es in excelsis.

Benedictus qui uenit in nomine domini. In nomine domini, hoc est à domino. Benedictus qui venit à deo, benedictus qui missus est à deo. Marcus autem addidit: Benedictum quod venit regnum in nomine domini patris nostri Dauid. Existimabant enim, quod erigeretur abiectus thronus regni Dauid:

vnde

Dvnde gaudentes dicebant, Benedictum quod redit regnum primi patris nostri Dauid. Quod venit in nomine domini autem, hoc est à deo. Ioannes vero dicit, Benedictus qui venit in nomine domini rex Israel. Verisimile enim est tunc omnia fuisse dicta à turbis quæ præcedebant & quæ sequebãtur: quæque egressæ erant in occursum eius. Intelligitur etiã, In nomine domini, in maiestate domini, in ordine regio.

Hosanna in excelsis. Laus in excelsis. Laudent etiam qui sunt inter excelsas virtutes siue angelos deum qui nobis misit regem, ac instaurauit regnum Dauid. Lucas vero loco Hosanna in excelsis, dixit, Gloria in excelsis. Hic autem & de discipulis scribit, quod dicebãt, Benedictus qui venit rex in nomine domini, pax in cœlo & gloria in excelsis. Considera vero quomodo in tali plausu tantoque clamore, pullus quanquã omnino indomitus, mansuetissime tamen incedebat, præfigurans plane Gentium obedientiam, & omnimodam eorum ad disciplinam immutationem.

Quumque intrasset ipse Ierosolyma, commota est uniuersa ciuitas dicens, Quis est hic? Commota est, id est, turbata est, excitato tumultu propter plausum & fauores.

Turbæ uero dicebãt, Hic est Iesus propheta à Nazaret Galilææ. Etsi plusquam prophetam eum habebant, prophetam tamen eum dicebant: quia nihil excelsius concipere poterant propter humana eius opera. Lucas autem dicit, Et quidam pharisæorum de turba dixerunt ad eum, Magister increpa discipulos tuos. Et respondens ait illis, Dico vobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt. Inuidia enim moti dicebant, Prohibe discipulos tuos, ne te huiusmodi plausibus ac fauoribus prosequantur. Dicens autem, Si hi tacuerint, lapides clamabunt: ostendit, quod impossibile sit suam taceri gloriam. Possunt quoque lapides dici, qui ex Gentibus crediderunt, tanquam prius mente indurati ac insensibiles ad diuinam dei cognitionem, qui postquam Apostoli morte tacuerunt, iam clamant prædicantes.

Et ingressus est Iesus templum dei, & eiecit omnes uendentes ac ementes, mensasque numulariorum euertit, ac sedilia eorum qui columbas uendebant. Similia quoque dicit Ioannes: sed ille quidem circa principium euangelij: Matthæus autem & cæteri circa finem. Manifestum ergo quod bis hæc fecerit Christus, variisque

Ioan.2.

variisque temporibus. Et tunc quidem dicunt ei Iudei. Quod signum ostendis nobis? modo autem tacent. Et vide abiectionem eorum. In templo siquidem cauponabantur: & hi quidẽ vendebant indigentibus, quæ ad sacrificium apta erant, oues dico, boues ac columbas: sicut Ioãnes manifestauit, & si quid est simile. Alij vero emebant. κολλυβιστὰι autem pro quibus vertimus Numularios, sunt mensarij siue trapezetæ, & quos multi καταλλάκτας vocant, hoc est vt vulgus dicit, Cambiatores. Nam κόλλυβος obulus, & κολλυβίζω commuto dicitur. Ingressus est ergo Christus templum cum magna libertate, tanquam paterfamilias domum suã, & eos qui iam dicti sunt eiecit, ac potentiam quam vt deus ad omnes habebat manifestans, & propter immunitatem à peccato cõfidens, hinc quidem ornatus templi sui curam habet, hinc autem sacrificiorũ quæ per sanguinem fiunt reiectionem manifestat. Præterea instruit nos, vt pro ecclesia libere agamus.

Et ait illis, Scriptum est: Domus mea, domus orationis uocabitur, Scriptum est in propheta Iesaia.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Latrones nominauit eos, qui in illo cauponabantur, quod ad modum latronum lucris inhiarent: latrones siquidem lucri auiditate tenentur. Aut quia ea quæ vendebantur ex rapina vel auaritia erant. In Ieremia autem scriptum est, Num spelunca latronũ domus mea est? Iesa.56.

CAPVT XLVI DE CAECIS ET CLAVDIS.

Et accesserunt ad eum claudi & cæci in templo, & curauit eos. Claudus est quisquis non recta advirtutem incedit. Et cæcus est omnis, qui quod bonum est ac honestum non intuetur.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecerat, ac pueros clamantes in templo & dicentes, Hosanna filio Dauid, indignati sunt. Dispẽsatorie ordinauit deus, vt pueri quoque laudarent eum: quo ab omni contradictione excluderentur Iudæi, videntes filios qui apud se fuerant enutriti ac instructi, mirabiliter ac supernaturaliter motos ad Christi laudem. Verum illi fiunt ex hoc multo impudentiores, atq;

D res, atque inuidia dirupti insaniunt.

Et dixerunt ei, Audis quid isti dicunt? O impudentiã: æquum potius erat vt diceret eis Christus: Auditis quid dicunt hi filij vestri, qui me nunquam viderunt?

Iesus autem ait illis: Vtique. Omnino inquit audio. Et quia plurimum impudentes erant sicut diximus, increpatoria vsus est responsione, dicens.

Psal.8. *Nunquam legistis: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Dauid dictum est, quo ea quæ tunc fiebant prophetauerat. Itaque stupore plenissimum est hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum lactentium clare loquutus est. Siquidem non simpliciter pueri erant, sed pueri infantes ac lactentes. Perfeciſti vero, id est perfectam ex imperfecto ore feciſti. Bene autem dixit, Ex ore infantium. Nam os erat infantium: id autem quod dicebatur, potentiæ ipsius erat quæ disertam reddebat immaturam lactentium linguam. Et hoc quoq; miraculose factum est ad discipulorum cõsolationem, vt de seipsis confiderent, quod qui disertam fecerat balbutientem linguam, sapientem etiam facturus erat eorum ruditatem. Erat & hoc figura Gentium, quæ quum ad Theologiam & diuina verba balbutirent, repente ita perfecte resonarunt, vt ab omnibus exaudiri possent.

Et relictis illis exiuit è ciuitate in Bethaniam, & demoratus est illic. Exiuit vt affectus tumorem in illis remitteret, & accẽsum inuidiæ eorum ignem extingueret.

F

CAPVT XLVII DE FICV QVAE EXARVIT.

MAne uero reuertens in ciuitatem esuriit: & uisa ficu † quadam in uia, uenit ad eam: nihilque inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & protinus exaruit ficus.

Quia frequenter demonstrauerat potentiam suã, qua beneficia præstabat: seueram autem & vltionis inflictiuam, ne semel quidem: iam etiam demonstrare eam intendit, vt hic quoque discipuli confiderent, quod potens esset vlcisci insidiantes Iudæos, quodque non pateretur non volens. Hãc autem in hominem nõ exercet, vtpote hominum amator, sed in plantam.

in plantam. Ideo se finxit esurire, & venit ad ficum, si forte in A ea quippiam inueniret, sicut dixit Marcus. Atqui sciebat se nihil in ea inuenturum. Nam & hoc dixit Marcus, addens quod non erat tempus ficuum. Dispensatorie autem hæc effinxit, vt apta occasione ad miraculi operationem descẽdat, soloque verbo ficum arescere faciat, & suam punitiuã ostendat potentiam, sicut eius intentum erat. Arefacit quoq; plãtam, quæ præ cæteris maiorem habet humorem, vt maius fiat miraculum. Ne ergo inquiras, cur punita sit planta, quæ nihil offenderat, sed solum intuere miraculum, eumque admirare qui operatus est. Punita est enim, non quod peccauerit, sed vt discerent qui sequebantur, quod etiam vltionem sumere posset Christus.

B

† *Ficus foliis ornata foliis, Iudæorum erat synagoga, fructum non habens iustitiæ. sed consuetudinum efficiarum ostentationem, tanquã folia producẽs? Vel etiã aliter: cultus diuinus qui in umbris & figuris corporalibus erat, ac Iudaicæ obseruationes possunt dici ficus illa.* †

Et uidentes discipuli admirati sunt dicentes: Quomodo repente exaruit ficus? Videntes: nõ statim, sed die sequenti. Ait enim Marcus: Et quum iam facta esset vespera, egrediebatur extra ciuitatem. Et mane prætereuntes, viderunt ficum exaruisse radicitus. Recordatusq; Petrus ait illi: Rabbi ecce ficus quã execratus es, exaruit. Recordatus enim execrationis ostendit ei ficum.

Respondens autem Iesus dixit eis: Si habueritis fidem, nec hæsitaueritis, non solum quod de ficu contigit facietis, uerum etiam si mõti huic dixeritis, Tollere & proiice te in mare, fiet. Similia quo- C Supra.17. que his dixit tricesimo quinto capite. Quære itaque ibi enarrationem, per quam scire & hæc manifeste poteris. Marcus vero Iesum dixisse refert. Quicumq; dixerit monti huic, Tollere & proiice te in mare, & non dubitauerit in corde suo, sed crediderit quod quę dicit fient: erit illi quicquid dixerit. Mõs tamen etiam diabolus intelligitur propter elationẽ: mare vero abyssus & chaos siue vorago inferni.

Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Marcus autem dixit: Et quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & erunt vobis. Omnia autem nõ simpliciter intelligit, sed quæ digna sunt.

CAPVT XLVIII DE PRINCIPIBVS SACERDOTVM ET SENIORIBVS DOMINVM INTERROGANTIBVS.

D QVumque ipſe ueniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem principes ſacerdotum & ſeniores populi dicentes: In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit poteſtatem hanc? Quia miracula carpere non poterant, de eiectione conqueruntur eorum, qui in templo emebant ac vendebant, dicētes: In qua poteſtate hæc facis, prohibens quæ nos non prohibemus? & quis tibi dedit poteſtatem hanc, cui nullus templi principatus cōmiſſus eſt? E Atqui bonum opus fuerat operatus repurgato templo: verum inuidia, etiam bona calumniari ſolet.

Reſpondens autem Ieſus, dixit eis: Interrogabo uos & ego unū ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego uobis dicam in qua poteſtate hæc faciam. Baptiſma Ioannis unde erat, è cœlo an ex hominibus: E cœlo, hoc eſt cœlitus à deo. Ex hominibus, id eſt ab hominum præcepto. Vide autem quo modo non ſtatim reſpondit eis: ne ſeipſum magnificare videretur, & ne ipſum carperent, quaſi dei aduerſarium. Quia autē Baptiſta multa de eius magnitudine teſtatus fuerat: inde eos eduerſo interrogat: & inperplexitatem eos concludit: ita vt etiā ipſi agnoſcentes turbati ſint.

At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Si dixerimus: E cœlo: dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis ei? F Hæc eſt perplexitas. Dixiſſet enim eis: Quare non credidiſtis ei, quum multa & magna de me diceret? Nam ſi his quæ dicebat credidiſſetis, cognouiſſetis vtique in qua poteſtate hæc faciam. Nunc itaq; conuincimini, quod fruſtra Ioannem habueritis prophetam, quum illi non credideritis.

Si autem dixerimus: Ex hominibus: timemus turbam. Omnes enim habent Ioannem tanquam prophetam. O miſeram hominibus placendi captiuitatem. Deum contemnunt, homines vero timent: & ad eorum gratiam omnia operantur.

Et reſpondentes dixerunt Ieſu: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico uobis in qua poteſtate hæc faciam. Oportebat quidem eos dicere, quod baptiſma Ioannis à deo erat, & quod Ioannes à deo miſſus erat. Quia vero argui timebant, vt qui non credidiſſe

credidiſſe illi viſi fuerant, veritatem abſcondebant. Ait ergo: A Neque ego dico vobis quod ſcire cupitis: non ſicut vos veritatem abſcondens, ſed reſponſione iudicans vos indignos, qui ita doloſe verſamini.

Quid autem uobis uidetur? De his quæ dicam. Quum enim dicere noluiſſent vnde erat baptiſma Ioannis, ne arguerentur quod ei non credidiſſent, per parabolam eos aggredi parat, vt ſeipſos ipſi condemnent tanquam incredulos, & dicit.

CAPVT XLIX. DE DVOBVS FILIIS PARABOLA.

B Parabol ad Iudæos.

HOmo habebat duos filios: & accedēs ad priorem dixit: Fili abi hodie, operare in uinea mea. At ille reſpondens dixit: Nolo. Poſtmodum uero pœnitentia ductus abiit: Et accedens ad alterum dixit ſimiliter. Ille uero reſpondens dixit: Ego domine: Et non abiit. Hominem ſignificat deum, tanquam videlicet humanum aut hominum amatorem. Duos autem filios eius, populum Gentilem & Iudaicum, qui ſunt facturæ ipſius. Et is qui non promiſit, ſed tamen abiit, populus eſt Gentilis: qui vero promiſit nec tamen abiit, Iudaicus. Gentes ſiquidem non promiſerunt ſe deum audituras, & tamen poſtea audiuerunt, obedientes Chriſto ac deo, & in eum credentes: Iudæi vero promiſerunt, dicentes in libro Deuteronomij: Omnia quæ C dixit deus faciemus & audiemus: poſtmodum autem obaudierunt, ipſi permanentes CHRISTO ac deo increduli. Hæc tantum de parabola elige & intellige, reliqua vero prætereas, quemadmodum & in reliquis parabolis admonuimus, tanquam hoc ſolo fine in ea poſita quo firmior eſſet, & Iudæi nihil de ſeipſis intelligentes, rectam proferrent ſententiam.

Deuter. Exod. 24.

Quis horum fecit uoluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Coegit illos vt dictum eſt, ſententiam qua condemnarentur proferre. Deinde ad publicanos trāſit & meretrices, hos plus quàm illos arguens.

Ait illis Ieſus: Amen dico uobis, Publicani & meretrices præcedunt uos in regnum dei. Publicanos dicit qui pœnitentiam

Degerant, baptizatique fuerant prædicante Ioanne, & meretrices similiter præcedunt, hoc est priora sumunt. Deinde & rationem docet, quomodo priora sumunt, dicens.

Venit enim ad uos Iohannes per uiam iustitiæ: & non credidistis ei: Publicani uero & meretrices crediderunt illi. Venit ad vos non per ignauam vitam, sed per viam virtutis, vt fide dignus haberetur, & non credidistis ei, quum resipiscere admoneret, paratique ad susceptionem regni dei.

Vos autem uidentes, nec resipuistis postmodum ad credendum ei. Vos autem videntes, quo modo publicani & meretrices ad prædicationem Ioannis conuersi erant, non resipuistis ad credendum?

E

CAPVT L. DE VINEA PARABOLA.

'arabo-
i ad Iu-
æos.

ALiam parabolam audite: Homo quidam erat paterfamilias qui plantauit uineam: & sepem circundedit ei: foditque in ea torcular: & ædificauit turrim: tradiditque eam agricolis: ac peregre profectus est. Hominem similiter ænigmatice significat deum & patrem, propter hominum amorem, & propter parabolę morem. Plantata autem vinea ab illo, populus est Iudaicus, quam plantauit in terra promissionis. Dicit enim Dauid, Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti Gentes & plantasti eam. Sepes vero lex, non sinens eam commiscri Gentibus. Potest quoque dici sepes, dei custodia, quę vineam hanc ab omnium circumiacentium Gentium insidiis custodit. Destruxisti inquit sepem eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Lacus siue torcular est altare in quo sanguis effundebatur. Turris vero templum, propter structuræ fortitudinem ac sublimitatem. Agricolæ autem, sunt principes sacerdotum & scribæ, senioresque populi. His enim tanquam præceptoribus concredidit deus hanc vineam. Profectionem autem patrisfamilias, dicit Chrysostomus longanimitatem ac patientiam eius in his qui peccauerunt.

sal.79.

F

Quum autem appropinquasset tempus fructuum, misit seruos suos, ut acciperent fructus illius. Et agricolæ apprehensos seruos eius, hunc quidem cæciderunt, illum autem occiderunt, alium uero lapidauerunt.

Rursum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Fructus dictæ vineæ obseruatio erat legalium præceptorum ac virtutes. Serui autem prophetæ: quos diuersos, diuersisque temporibus missos ad repetitionem huiusmodi obseruationis mandatorum ac virtutum, vt dictum est, variis modis punierunt. Marcus autem & Lucas tres missiones descripserunt dicętes missos esse: primo vnum seruum, deinde alterum, postmodum tertium. Nec id contradicit his, quæ scribit Matthæus. Nam & hic per duas missiones comprehendit omnes: & similiter illi per tres: hic tamen generalius, illi vero particularius, qui etiam per vnum seruum omnes significant, qui vna missione missi sunt, eodemque tempore. Quid est autem quod dicit Marcus, Et hunc lapidantes ἐκεφαλαίωσαν? Quidam dicunt tantundem significari, ac si dicatur, quod iniuriam in hoc collegerunt siue impleuerunt. Ego autem puto ἐκεφαλαίωσαν significare, Caput illi comminuerunt. A *Marc.12* *Lucæ.20* B

Postmodum uero misit ad eos filium suum dicens: Reuerebuntur filium meum. Hoc dixit non quasi futurum: sciebat namque quod hunc reuerituri non essent, sed tanquam id quod fieri deberet, ac si diceret, Oportet vt reuereantur filium meum. Lucas autem ait, quod dixerit dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: fortassis hunc intuiti reuerebuntur. Dixit autem, Quid faciam? non ex ambiguitate, sed ex humani generis amore. ostendens quantum sint illi curæ ingrati, nondum eos punire volendo: sed modum quærendo, quo hos exasperatos, redderet mansuetos. Dictio autę ἴσως apud Lucam (pro qua vertimus Fortassis) id quod decens est & æquum innuit. C

Agricolæ autem uiso filio dixerunt intra se: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Cōsidera quā diligenter prædicit ea quæ ventura erant. Atqui non occiderunt hunc tanquam dei filium. Non occiderunt eum vt dei filium, sed occiderunt tanquam vineæ hæredem siue tanquā regem Israel. Aspicientes siquidem ad ea quæ operabatur miracula, & audientes ea quæ sapientissime disserebat: cognouerunt quidem apud semetipsos hunc esse quem prophetę regem Israel annunciauerant: verum inuidia deuicti & ab ea excæcati,

D excæcati, id sane occultauerunt: consilium vero ceperunt vt eum occiderent, & ita occuparent, deinceps eius hæreditatem, hoc est populum. Occidamus, inquit Marcus, eum, & nostra erit hæreditas. Nihil autem de eo quod in posterum succederet suspicabantur. Etenim viuens adhuc arguebat eos, & exprobrabat illis, non tamen ei fides habebatur.

Et apprehensum eum eiecerunt extra uineam & occiderunt. Extra terminos vineæ suæ, extra ciuitatem. Nam hunc extra illam crucifixerunt. Marcus autem dicit, quod hunc primum occiderunt, deinde foras extra vineam eiecerunt. Quid ergo dicemus? Quod ille Foras eiicere, iuxta aliud dixit significatum, vt tantundem sit sicut Hæreditate priuare,
E prout illis videbatur.

Quum ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Rursum eos interrogat: vt contra semetipsos ipsi concitarentur, ac sese prolata sententia condemnarent.

Dicunt ei: Malos male perdet. Mali quum sint, acerbe illos puniet.

Et uineam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Nolentes prophetant & ipsi quod futurum est. Veniens enim dominus huius vineæ, puta Christus hæres à mortuis resurgens, ac propria potestate reuersus, tradidit eos Romanis in perditionem & interitum. Locum autem vineæ locauit Christianorum Episcopis, qui temporibus suis, quando videlicet Christianorum tempora florebant, va-
F rias virtutes fructificabant. Verum Matthæus quidem ipsos ait contra sese protulisse sententiam. Marcus autem & Lucas dicunt ipsum contra illos sententiam tulisse. Verisimile ergo est primum illos tulisse sententiam: deinde Christum dixisse quod illi dixerant, confirmando dictum ipsorum. Propriissime autem dixit Lucas, quod quum audissent dixerunt: Absit. Antea enim ignorantes, quod de ipsis esset parabola, condemnauerant seipsos: postmodum vero sententiam, confirmante Christo, intellexerunt & dixerunt, Absit.

Psal.117. Dicit illis Iesus: *Nunquam legistis in scripturis: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Dauidica prophetia est. Ostendit autem per hanc Christus, quod omnino futura sunt quæ dixit, quæ etiam à spiritu sancto olim

prænunciata

prænunciata fuerant. Et quidem ab eis occidetur Christus, A
siue reprobabitur: verum à mortuis resurgens, fiet in caput anguli. Quid est autē hoc? Dicimus quod prophetia Christum appellauit lapidem: ædificantes vero, magistros Iudæorum, quos etiam agricolas nominauit præcedens parabola. Reprobauerunt autem siue repulerunt hunc lapidem, primum quidem dicentes: Hic non est à deo. Et rursum: Hic Ioan.9
seducit mundum, aliaque similia: vltimo vero crucifigentes. Ioan.7
Caput autem anguli, est lapis angularis. Itaque Christus factus est in caput anguli, siue factus est lapis angularis, quum assimilatus est huiusmodi lapidi. Nam sicut ille coniungit in seipso duos parietes: ita & Christus in seipso duos coadunat populos, gentilem videlicet & Iudaicum, ac per fidem facit vnum. Quidā autem angulum intellexerunt ecclesiā, vtpote fideles colligantem, in cuius caput factus est Christus, caput B
videlicet siue principium & dominator.

A domino factus est hic, & est mirabilis in oculis nostris. Etiam hoc pars est dictæ prophetiæ, docens, quod dei quoque voluntate fiet huiusmodi angulus, id est coniunctio populorum: & quod admirationi apud omnes erit hic angulus, non solum quia variis adornabitur virtutibus, sed etiam quia omnibus insidiis erit superior.

Ideo dico uobis, quod tolletur à uobis regnum dei, & dabitur nationi facienti fructus ipsius. Regnum dei dicit custodiam eius qua seruabantur: Nationem vero facientem dignos eius fructus, vocat genus Christianorum.

Et qui ceciderit super hunc lapidem, confringetur. Offendens C
in illum, sibiipsi nocebit, & non illi: quod passi sunt principes sacerdotum & scribæ ac seniores populi.

Super quem uero ceciderit, conteret eum. Super quemcunque aggrauauerit se, hoc est cui iratus fuerit, cōminuet & disperget, ac exterminabit eum, quod factum est in totum genus Iudæorum: traditum nanque est Romanis militibus in direptionem.

Et quum audissent pontifices ac pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de se diceret: & quærentes eum apprehendere, timuerunt turbas: quoniam tanquam prophetam eum habebant.

Vbique homines timent, Christus autem & parabolas sane dixit, & prophetiam adduxit: vt timore correpti mali-

 tiam

Etiam relinquerent: ipsi vero occidere magis illum quærebant. Atqui sciebat quod mutandi non essent: attamen vbique quod suum est facit, nihilque prætermittit eorum quæ conueniunt.

CAPVT. LI. DE VOCATIS AD NVPTIAS.

Cap.22 ET respondens rursum Iesus, dixit eis in parabolis, & ait: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos suos ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire.* Parabola præcedens ea tractauit, quæ ad passionem vsque contigerunt, puta dei prouidentiam qua erga Iudæos vsus E est, prophetarum cædem, & tandem ipsius Saluatoris occisionem. Hæc autem quæ nunc proponitur, ea quæ post crucem contigerunt indicat: regnum cœlorum vocans deum & patrem: nuptias vero mysticam filij coniunctionem ad ecclesiam credentium. Duplicem autem intelligimus huiusmodi coniunctionem: & quæ hic fit per fidem ac virtutes cæ
an.3 teras: & quæ illic magis supernaturaliter perficienda est. Id autē vocat Nuptias, tum propter desiderium quod habet ad ecclesiam, tum propter ipsius ecclesiæ gaudium. Siquidem & Baptista sponsum illum appellauit. Seruos quoque dicit Apostolos, qui primum Ierosolymis docuerunt. Inuitatos vero, Iudæos qui primum ad huiusmodi nuptias fuerant inuitati: olim quidem à prophetis, postmodum vero à Bapti-
F sta: siquidem ad hunc populum ipsos seruos transmisit. Præterea quoque & ab ipso sponso. Et vide hinc quidem Iudæorum prauitatem: illinc autem saluatoris bonitatem. Illi enim occiderunt: ipse vero quum essent homicidæ, rursum vocat eos ad gaudium sempiternum, illi autem ab eo resiliunt.

Rursum emisit alios seruos dicens: dicite inuitatis, Ecce prandium meum paratum est: tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata: uenite ad nuptias. Priores quidem seruos intelligit Petrū, & qui cum eo erant: Posteriores vero Paulum & suos. Prandium autem & tauros ac altilia mactata siue parata dixit iuxta morem qui seruari solet in nuptiis. Et hic quidem dici possunt delitiæ diuinorum dogmatum: in futuro autem cœleste gaudium

gaudium ac fruitio, Per tauros vero & altilia, pretiositas ac A magnificentia conuiuij declaratur.

Illi uero neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negociationem suam. Despexerunt inuitationē: abierunt ad propria opera: hoc est, detenti sunt his, quæ priora ac potiora habebant.

Reliqui uero apprehensos seruos eius, contumelia affecerunt & occiderunt. O impudentiam. Non solū non venerunt, sed & eos qui ad se missi erant, contumelia affecerunt & occiderūt. Et in præcedenti quidem parabola illi iugulati sunt, qui fructus repetebant, in hac autem qui ad nuptias vocabant. Quid huic insaniæ æquari poterit? quo magis rex patiens est & humanus, eo duriores efficiuntur hi ac ferociores.

Quumque audisset rex ille, iratus est: & missis exercitibus suis, B *perdidit homicidas illos & ciuitatem eorum succendit.* Vide gubernationem ac tolerantiam ineffabilem. Plantauit vineam & ad perfectum perduxit: tradidit eā agricolis, & peregre profectus est. Emisit in tempore seruos repetens fructus: his interfectis, emisit alios: etiam his iugulatis, suum misit filium dilectum: quo etiam iugulato, patienter sustinuit: imò missis seruis homicidas ad gaudium æternum inuitauit: noluerunt venire: rursus alios misit: illi autē & hos interfecerunt. Tūc demum quasi insanabiliter ægrotantes, occidit sceleſtos ac *Iosephus* perditos illos. Exercitus vero eius, intellige exercitus Ro- *de bel. Iu.* manorum (Omnes enim dei sunt ratione creationis) qui sub *li. 6 & 7* Vespasiano & Tito homicidas iugularunt, ac ciuitatem eo- C tum Ierosolyma succenderunt.

Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, qui autem uocati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quotcunque inueneritis, uocate ad nuptias. Exitus viarum dicit ciuitates & vicos gentium, quæ vocauit exitus viarum, significans abiectionem gentium: in exitibus enim abiecti commorantur. *Act.13* Primum siquidem Apostoli Iudæis prædicabant, quum ad- *Matth.28* huc apud eos essent: postquam autem illos eiecerunt, dicit eis Paulus, Vobis oportuit primum loqui verbum dei: quia *Act.1* autem indignos vos iudicastis, ecce conuertimur ad gentes. Atqui postquam resurrexit Christus, statim hos ad gentes emisit dicens: Euntes docete omnes gentes. Quomodo ergo primum Iudæis prædicauerunt? Scribit Lucas libro Actorū, quod

quod quum ascensurus esset Christus in cœlum, dixit Apostolis: Accipietis virtutem superueniente spiritu sancto super vos, & eritis mihi testes in Ierusalē, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad extremum terræ. Ecce quomodo significauerit, quod à Ierosolymis inchoaturi essent.

Et egressi serui illi in uias cōgregauerunt omnes quos inuenerūt, malos & bonos. Malos nominat malis assuetos, aut intemperantes in affectionibus: bonos vero simplices ac temperantes ad irrationales impetus, quibus simul omnibus prædicauerunt Apostoli, omnes ex æquo inuitantes ad coniunctionem cum Christo, & eam quæ in præsenti est seculo, & quæ erit in futuro.

Et impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Ingressus autem rex ut E *uideret discumbentes, uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptia-*
† *li* †, *& ait illi: Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem?* Dicens quod impletæ sunt nuptiæ siue domus nuptiarum, significauit quod multi ingressuri sunt vsque ad mūdi consummationem. In sequenti vero parabola docet de futuro iudicio. Tu autem nihil profundius scruteris, puta quis sit sponsus: & quo modo simul cum decenter ornatis ingressus est is, qui nuptiali ornatu carebat, & si quid est simile. Periculosa enim est talium indagatio, & propter profunditatem speculationis illorum, & propter libertatem parabolæ, suāq; legem. Siquidem id solum trahendum est hinc, quod neminē securum esse oporteat, eo quod ad nuptias intrauerit, sola videlicet in Christum fide: sed postquam baptismate ablutus
F est, opus est veste etiam nuptiali indui: hoc est, ornatum esse ac dignum futuris nuptiis. Est autem hæc vestis & ornatus, vita pura ac splendida, in modum vestis virtutibus contexta. Hominem itaque non vestitum veste nuptiali, appellauit omnem hominem indigne ornatum. Vestis vero non nuptialis, vita est sordida & impura. Amicum autem dixit vtpote Christianum, quanquam indigne tali appellatione conuersantem. Atqui per gratiam omnes vocauit: quomodo ergo eos scrutatur? Quia conuenit etiam eum qui ad nuptias vocatus est, regio ornatu omnino ingredi, & decenti stola, gratiæ vocationis respondere. In corruptibilibus enim nuptiis respondere quispiam posset, quod digna stola difficilis inuētu foret: in his autē incorruptibilibus nuptiis ablata est omnis excusatio.

In pro-

In proximo nanq; est ornatus ac inuentu facilis: si modo illū A vere quæsierimus. Iuste itaq; illum eiicit qui ornatus nō erat, tanquā segnem ac negligentem. Siquidē sicut iniuste erga illū egerunt, qui nō venerunt, ita & qui sordidi ingressi sunt.

† *Sordida nanq; gerit uestimenta, qui indutus nō est uiscera mi* † *sericordiæ, benignitatem, fraternum amorem, & similia.*

At ille obmutuit. Vtpote nihil habens quod responderet, dū is qui peccauit seipsum condēnat. Tacere enim, nec posse aliquo modo respondere, condemnationis est indicium.

Tunc dixit rex ministris. Angelis qui ad puniendum subministrant. Tanquam facta autem dicit ea quæ futura sunt in modum prophetiæ.

Ligatis illi manibus & pedibus, tollite eum, & mittite in tenebras B *extremas.* Catenam vocat detentionem siue cessationem operationis quæ manibus ac pedibus perficitur. Tunc enim cessabit omnis peccatorum operatio, nec amplius vel vna actio ad iudicem placandum dabitur. Operationis siquidem præsens tempus est, futurum vero retributionis. Ligantur autem manus, quæ iniqua perpetrabant: pedes vero, qui ad peccatum gradiebantur.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Ne putet quispiam quod solæ tenebræ sint huiusmodi punitio, hoc est sola lucis priuatio, addidit, Ibi erit fletus & stridor dentium: acerbos demonstrans ac doloribus plenos, qui erunt ibi, cruciatus. Audiamus & horreamus quotquot post diuini baptismatis ablutionem, animam perdita vita sordidauimus, eo quod nō tan- C tum à nuptiis eiiciendi sumus, verum etiam in miserrimum supplicium detrudendi. Habenda est itaq; cura de stola interiori & non de exteriori: quamdiu enim de externa curauerimus, de interna curam habere nō poterimus. Quæret autem fortassis aliquis, quomodo non patri potius coniungatur ecclesia quam filio? & audiet omnino quod filius qui carnem assumpsit, cum ea conuersatus est: & quod filio coniuncta, etiam patri coniungitur. Dicit enim filius: Ego & pater vnum sumus. Et: Qui vidit me, vidit & patrem. *Ioan.10* *Ioan.14* *Supra.2.*

Multi enim sunt uocati: pauci uero electi. Hoc etiam dixit in fine parabolæ de operariis mercede conductis.

Tunc abeuntes pharisæi consilium cœperunt, ut illaquearent eum in sermone. O profundam cæcitatem. Nihil eorum quæ

dicta

D dicta sunt tetigit animum illorum: sed inuidia ebrij, ad insidias conuertuntur: & quia propter turbam apprehendere eum non poterant, vt dictum est: simul deliberant, vt eum interrogatione illaquearent.

Et mittunt ad eum discipulos suos cum Herodianis. Dictum est de Herodianis vicesimo primo capite: hic autem dicit Chrysostomus per Herodianos intelligi milites Herodis, qui tunc eo accesserant, & simul à Pharisæis emissi sunt tanquã testes, si quid fortassis contra Cæsarem responderet. Erat enim Herodes amicus Cæsaris. Lucas vero de emissis eorum discipulis manifestius scripsit: insidiatores illos appellans, & quod iustitiam simulabant, propter quam videlicet eum interrogabant, & quod miserunt vt captarent sermonem eius: & traderent eum principatui & potestati præsidis. Sperabant enim
E quod contra Cæsarem responsurus esset.

Dicentes: Magister, scimus quod uerax sis. Vide impudentem adulationem qua vsi sunt, inflare eum cupientes ac emollire, vt omnino responderet. Verum si verax est, quomodo alibi dicitis, quod seducit mundum?

Et uiam dei in ueritate doceas. Et quomodo rursum dicitis, quod nõ est à Deo? Viam autem dei dicunt virtutem per quã progreditur quispiam ad Deum.

Et non curas quenquam: Non enim respicis ad personam hominis. Et hoc dicunt, incitantes eum ne Cæsarem vereretur: aut eius timore omitteret ad interrogata respondere. Vera certe erant quæcunque de eo testificati fuerant: ea tamen inuiti fassi fuerant ad insidiarum apparationem.

F CAPVT .LII. DE QVAERENTIBVS OCCASIONE CENSVS.

DIC ergo nobis, quid tibi uidetur? De hoc videlicet quod te interrogaturi sumus.

Licet censum dari Cæsari: an non? κῆνσος latina dictio est, idem significans quod tributum aut vectigal. Licet autem, hoc est fieri potest aut iustum est. Olim siquidem Iudæi dum leges suas obseruarent, omni fruebantur libertate: postmodum vero quum eas prætergrederentur, seruierunt Romanis, quorum princeps erat Cæsar, & illis

& illis tributa pendebant. Interrogant autem maligne ac do- A
lose: vt si licere dixerit, commoueant aduersus eum etiam turbas: vtpote suadentem seruire Cæsari, & subiicientem homini populum Dei. Si vero non licere responderit: tradant eum præsidi, tanquam defectionem à Cæsare, bellumq; consulentem. Quid ergo is qui fons est scientiæ?

Cognita autem Iesus malitia eorum dixit. Marcus simulationem dixit. Lucas autem versutiam. Marc.12.

Quid me tentatis hypocritæ? Simulantes quidem interrogare, vt quod iustum est cognoscatis: foueam autẽ fodientes per interrogationem, in quam me præcipitetis. Quum ergo oste
disset quod sibi cogniti essent: respondet tamen & ad interro- B
gationem: & vide quomodo.

Ostendite mihi numisma census. Apud Marcum ait: Afferte mihi denarium vt videam: & similiter apud Lucam. Numisma enim dicebatur etiam denarius. Quæsiuit autẽ videre numisma vt responsionem mirabiliter ab eo fabricaret.

At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius est imago hæc & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Non ignorans interrogauit: sed vt ex illorum responsione suam fabricaret sententiam.

Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quia Cæsaris est, reddite itaque Cæsari quæ sua sunt. Ideo enim non dixit, Date, sed Reddite, tanquam ea quæ eius sunt. Ne autem dicant, Homini nos subiicis & non Deo, addidit:

Et quæ sunt Dei Deo. Licitum est enim & hominibus da- C
re quæ conueniunt, & deo quæ debentur: illis quidem tributa, & si quid est simile: huic autem pietatem & obseruantiam mandatorum. Potest autem dici Cæsar diabolus, qui mundi princeps est, cui reddenda sunt quæ sua sunt, puta omnis malitia, omnisque carnalis affectus.

Et audientes admirati sunt, ac relicto eo abierunt. Admirati quidem sunt, verum non crediderunt, quod ipsum magna est eorum accusatio.

CAPVT .LIII. DE SADDVCAEIS:

IN illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. Dictum est de secta Sadducæorum tertio capite: hi ergo resurrectionem ex Supra.3.
mortuis negabant, eo quod in Mosaicis scripturis huius manifeste non fiat mentio: Nam has solas agnoscebant,

Cap. 22.

Dagnoscebant, aliis libris non receptis. Sed ò dem. etiam. Impositò pharisæis silentio, qui inter Iudæos diligentissimi & acutissimi erant, Sadducei his inferiores quasi succedentes occurrunt. Quumque maxime oporteret eos animo reprimi ac mœstos esse, audacia impudentes facit ac temerarios, & impossibilia tentantes. Et quia in propheticis scripturis manifestius cõtinebatur dogma resurrectionis: suspicabantur illud docere quod tales resurgerent homines, quales erant priusquã morerentur: cum eisdẽ habitibus & affectibus: ideoq; ad subuersionem huiusmodi dogmatis, efficta apud se occasione accedũt.

Et interrogauerunt eum dicentes, Magister Moses dixit, Si quis mortuus fuerit non habẽs liberos, ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Ex lege Mosaica occasionem commenti sumunt, vt verisimile appareat quod quæritur. In scriptura siquidem Deuteronomij præcepit Moses, vt vxorẽ mortui absque liberis, rursum ducat frater eius, & quicquid primũ natum fuerit nominetur id filius fratris mortui, ad eius memoriam. Hæc itaq; sunt legis. Vide autem quid hi machinentur. Deut. 25.

† *Erant ergo apud nos septem fratres †, & primus ducta uxore mortuus est, & non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo: similiter & secundus & tertius usque ad septimum: nouissime autem omnium mortua est & mulier, In resurrectione ergo cuius ex septẽ erit uxor? omnes enim habuerunt eam.* Septem eos supponũt, vt magis intricatum videatur problema. Intentum autem Saduccæorum erat, vt siue vnius, siue omnium respõderet, statim opponerent quod quum iterum futurę essent nuptiæ, certe essent & puerperia & nutritio infantum, quæstus pecuniarum, iudicia, bella, ac ægritudines, rursumque mortes, & omnia quæ in præsenti vita habentur, & ita vita illa non erit alia ab ista: quod si eadem erit, ad quid futura est resurrectio? Itaque non erit resurrectio. Quid ergo Christus?

† *Mulier quidem esse potest humana natura: septem autem uiri, septem leges uariis temporibꝰ à Deo ei traditæ ad institutionem & productionem fructuũ iustitiæ (nam dictio νόμος quæ legem significat, apud Græcos masculina est, ideo conueniẽter illis uiros denotat) cum quibus quasi cum uiris successiue conuersata est, nec tamẽ ab ulla uerum habuit fructum. Harum prima fuit, quæ Adæ in paradiso tradita est. Secunda rursus eidem data extra paradisum in statu pœnarũ. Tertia quæ Noe data est de arca, Quarta quæ Abraham data est de circumcisione.*

Quinta quæ eidẽ de Isaac immolatione. Sexta quæ Mosi. Septima quæ per prophetas. Itaque dæmones qui docent nõ credere resurrectionem, interrogant maligne per cogitationes. Si inquiunt futura est mortuorum resurrectio, iuxta quam harum septem legũ humana tunc natura conuersabitur: ut si secundum aliquam harum dixerimus: inferant, Non ergo sine fructu ibi erit aut uana humana uita, prioribus rursus obnoxia malis: Sed uera ac salutaris ratio pietatis, silẽtium his imponit: docens alteram esse uitam post resurrectionem, Quod si quis etiam septem millia annorum præsentis mundi accipiat, siue septem secula quibus uixit hominum natura, à uerisimili non aberrabit. Nullius autem erit uxor post resurrectionem, quum hæc finem habeant. sed aliud seculũ octauum quod finem non habet, accipiet illã.

Respondens autẽ Iesus dixit eis, Erratis nescientes scripturas neque uirtutem Dei. Fallimini, vt qui non intelligitis propheticas scripturas, quæ non talem, qualem vos suspicamini, docẽt resurrectionem: & veluti ignorantes virtutem Dei, quæ mortuos resuscitare potest, sine prioribus habitibus & affectibus.

In resurrectione enim neq; contrahent matrimonium, neq; nuptũ tradentur. Neque viri matrimoniũ contrahent, neque mulieres nuptui tradentur, hoc est non coniungentur viris, vtpote non existente ibi affectu nuptiali. Apud Lucam autem addidit, Neq; amplius mori poterunt: ostendens quod nuptię propter mortem factæ sunt, vt loco mortuorum alij generentur: vbi autem non est mors, iam neque nuptiæ sunt. Luc. 20.

Sed quasi angeli Dei † erunt in cœlo. De solis iustis dicit hic, quod deinceps quasi angeli erunt, quantũ ad affectionũ ac voluptatum carentiam: præterea etiam quo ad immortalitatem, lucemq; perpetuam. Quod autẽ dicit, Quasi angeli Dei in cœlo, hoc est, quasi angeli Dei, qui sunt in cœlo: Ita enim dixit Marcus. Lucas vero qđ maius est dicit, Et filij erunt Dei quũ futurum sit, vt sint filij resurrectionis, hoc est, regenerati per resurrectionem, quæ est iterata generatio. De iustis enim etiã ab eo dictum est, Qui vero digni habebuntur, vt seculum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, & cætera.

† *Angelorum natura diuisionem in masculum & fœminam non suscipit, quia mortalis naturæ est huiusmodi diuisio, ut per filiorũ procreationem, quæ in nuptiis est, repleat id quod morte euacuatur.*

De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente: Ego sum Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob?

Quia

D Quia illi Mosen obiecerunt, iam etiam Mosaica scriptura eo
xod.3. rum obturat ora. In libro enim Exodi scripta sunt, quæ hic di
cuntur. Et considera rationem. Ego sum Deus Abraham, &
Deus Isaac, Deus Iacob, non penitus mortuorum: nam si pe-
nitus mortui fuissent, dixisset vtique, Ego eram Deus, nũc au-
tem quia dixit, Ego sum Deus Abraham, & cætera, ostendit
quod eorum qui resurrecturi erant, tanquam viuorum Deus
esset, Sicut enim Adam, licet viuebat post ligni illius esum, at
tamen in die quo comedit, mortuus est per mortis sentẽtiam:
sic & isti quanquam mortui erant, attamen viuebãt per resur-
rectionis promissionem.

Non est Deus mortuorum sed uiuentium. Deus siquidẽ & est
& viuit: mortuus vero nec est nec viuit. Atqui alibi scriptum
E est, Vt & mortuorum & viuorum dominetur. Sed ibi quoque
Rom. 14. Mortuos intellige eos, qui resuscitandi sunt. Lucas autem ad-
didit, quod omnes illi viuunt siue apud illum.

Quumque audissent turbæ stupuerunt de doctrina eius. Turbę
simplices & incorruptę. Vt autem dixit Lucas, quidam etiam
dixerunt: Magister bene dixisti: hi enim resurrectionem qui-
dem confitebantur: attamen admirati sunt & ipsi argumenti
modum, & interpretationem illius sermonis, Ego sum Deus
Abraham, & cætera: nec amplius audebãt eum quicquam in-
terrogare. Nam etiam hoc dicit Lucas.

CAPVT. LIIII. DE LEGIS DOCTORE.

F

PHarisæi autem quum audissent quod silentium imposuis
set Sadducæis, conuenerunt in unum & interrogauit
unus ex eis legisdoctor tentans eum & dicens: Magi-
ster quod est mandatum magnum in lege? Silentio
illis imposito rursum irruunt hi, ac legisdoctorẽ
proferunt: non discere volentes, sed dolose agentes. Quia e-
nim id erat primum pręceptum, Diliges dominum Deum tuũ
& cętera, opinati sunt quod aliquid etiam de seipso additurus
esset, eo quod se quoque Deum diceret, & ita tanquã blasphe
mus, occasionem ipsis calumniandi pręberet.

IESVS autem ait illi, Diliges dominum Deum tuum in toto cor
de tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum &
magnum

magnum mandatum. Secundum † autem simile est huic, Diliges pro A
ximum tuum sicut teipsum. Cognita eorũ malitia, respondit qui
dem irreprehensibiliter, quod interrogabatur, sed addidit &
secundum præceptum, per hoc illos obiurgans, vtpote qui se
non amabant, sed inuidia ac insidiis prosequebantur: eoque si
ne etiam nunc rogabant: nam si diligerent non tentarent. Si-
mile autem primo dixit secundum, quo ad magnitudinẽ: ma-
gnum est enim & hoc. Nam sibi mutuo hærent, ac se inuicem
ferunt hæc duo præcepta. Siquidem qui deum diligit, etiam
proximum diligit, seruans illius præceptum, qui autẽ proxi-
mum non diligit, nec Deũ diligit, transgrediẽs eius preceptũ.

† *Secundum, non ordine legislationis, sed uirtute. In alia enim par*
te ponitur hoc præceptum.

In his duobus præceptis uniuersa lex & prophetæ pẽdent. Di- B
ctum est de hoc manifeste quinto capite. Quære ergo ibi di- *Supra.7.*
ctum illud, Ita enim est lex & prophetæ. Sed apud Matthæũ
tentator dicitur hic legisdoctor: apud Marcũ vero potius lau
dignus habetur. Quare? Quia primum certe tentauit, vt di- *Mar.12.*
ctum est, à Pharisæis directus: animaduersa autem responsio-
ne susceptt eam, & conuersus, rem ita se habere confessus est:
& deinde Iesus intuitus eum, quod adhibita mentis ratione
responderet, ait illi, Non longe es à regno Dei, hoc est appro
ximas fidei, qui veritatem confessus es: hoc autẽ dixit adhor-
tans illum ad perfectam fidem. Et hęc apud Marcũ inuenies.

CAPVT LV. DE INTERROGATIONE DOMINI AD PHARISAEOS.

C

COngregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus di
cens: Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? De
Christo inquit qui annunciatus est à prophetis,
Nondum autem aduenit vt vos dicitis, sed expe-
ctatur à vobis. Et vide sapientiam. Putabant illi,
vt dictum est, Christum additurum quippiam & de seipso in
primo præcepto, vt se quoque Deum esse demonstraret. Hoc
autem ipse nõ fecit, vt euitaret illorum vafritiem, sed seorsim
de sua disputat diuinitate, nec id ex manifesto sed oblique, vt
omni careret suspitione: & quantum ad id quod apparet, de
Christo qui expectabatur & interrogat & enunciat: in rei ve

D ritate autem hæc de seipso dicit.

Dicunt ei Dauid. A propheticis sermonibus hoc cognoscebant. Simpliciter autem filium Dauid, siue nudum hominem Christum suspicabantur: quum tamen prophetę hunc nō simpliciter filium Dauid, sed & deum prædicarent.

l. 109. *Ait illis, Quomodo ergo Dauid in spiritu dominū eum uocat dicens, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* In spiritu videlicet sancto, sicut dixit Marcus, & non à seipso.

Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Hoc dixit non tollens Christum filium esse Dauid, sed erroneam illorum arguens opinionem, quia non est eius filius talis, qualem ipsi suspicabantur: hoc est, nudus homo: sed & dominus E eius. Dicitur enim filius eius, vtpote ex radice eius, iuxta humanitatem generatus: dominus autē eius tanquā Deus illius. Ob id itaq; vsus est Dauidico verbo ad Pharisæorū confutationem, ostendens quod non solū filius esset Dauid, sed & dominus eius. Nos vero etiā hoc interpretari oportet. Ait enim Dauid: Dixit dominus pater, domino meo filio suo Christo, post assumptionē in cœlū: sede à dextris meis, siue fruere meo regno, pari in throno, pari in honore mecū permanens. Inimici autē Christi: inter sensibiles quidē primi sunt Iudæi, deinde Gentes ac hæretici. Intelligibiles vero sunt dæmones. Marcus autē ait, quod hoc dixerit docēs in tēplo, & qđ multa turba libēter eū audiebat. Verisimile est enī de hoc primū interrogasse Phariseos: deinde etiā de hoc in tēplo docuisse turbā.

F *Et nemo poterat ei respōdere quicquam: neque ausus fuit quisquā ab eo die amplius illum interrogare.* Ad mortem enim appropinquans de perfectis disseruit cum illis, nec solum os eis obturauit, sed & timorem in futurum ipsis incussit.

ap.23. *Tunc Iesus loquutus est turbis ac discipulis suis.* Tunc, quando? Postquam tentantes refrenauit: postquam effecit, vt amplius non auderent illum interrogare: postquam demonstrauit eos immedicabiliter ægrotare.

Dicens: In cathedra Mosi sedent scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint uobis ut seruetis: seruate & facite: iuxta opera uero eorum ne feceritis. Mosaicæ inquit sedis quæ doctorum est, facti sunt successores: ideo quæcunque dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite. Non enim quæ sua sunt dicunt quando

quando docent, sed quæ Dei, & quæ per Mosen statuta sunt. A Quum autem dicit omnia, non omne intelligit statutum, puta de sacrificiis quoque ac cibis, alitsque similibus. Quo enim pacto id iuberet, quum in præcedentibus finem his imposuerit? sed omnia simpliciter quæ mores corrigunt, ac meliores reddunt, nec euangelicis dogmatibus cōtraria sunt. Iuxta opera vero eorum ne feceritis. Suis namque doctrinis aduersantur, easque coarguunt. Docuit ergo non oportere in præceptores insurgere, etiam si prauam habeant conuersationē: sed doctrinæ quidem eorum obedire, vitam autem eorum indignam non imitari. Docentes nanque fide digni sunt, at non sunt imitatione digni conuersantes. Potest autem & aliter dici, quod quia ad seruandam turbam, tandem manifeste reprehensurus erat malas illorum operationes: ne putarēt quidam, B quod amore principatus eorū calumniaretur illos, huiusmodi primum curat suspitionem, dicens, Omnia quæcunque dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite: & si non propter vitam illorum, at propter dignitatem ac doctrinæ sedem. Ne tamen quidam adhærentes doctrinis eorum, imitarentur quoque ipsorum vitā, addidit, Iuxta opera vero eorum ne feceritis. Et ita vbi sese suspitione liberauit, incipit reprehensionē.

Dicunt enim & non faciunt. Vide vnde incipiat. Quicunq; certe legem transgreditur, condemnatione dignus est: præceptor tamen triplici dignus est: tum quia transgressor est: tum quia alios debet corrigere: tum quia nocet etiam discipulis.

Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Onera grauia portatuque difficilia, vocat altissima & exquisita præcepta circa conuersationem. Humeros vero operationem hominum. Apparet autem quod prēter legem quoque aliqua iubebant. C

Digito autem suo nolunt ea mouere. Non solū humeris suis portare nolunt, quæ aliorum humeris ferenda imponunt, vt suo exemplo promptiores illos reddant, sed nec digito suo ea mouere volunt: hoc est in parte, & summis, vt aiunt, digitis at *Luc.11.* tingere. Dicit enim & Lucas: Vno digitorum vestrorum onera non attingitis. Subditis siquidem iubent exactissima, sibipsis autem omnem permittunt licentiam, quum contrarium fieri oporteret: vt seipsos potius arctarent, aliis vero multa ignoscerent.

D *Omnia autē opera sua faciunt quo uideantur ab hominibus.* Omnia, quænam? Quæ sibi bona videntur. Et obserua quod prędictæ accusationes de crudelitate & segnitie erant: hoc vero crimen est insanientium ob vanæ gloriæ appetitū. Deinde ostendit quod neque de magnis glorientur, vtpote egregiis operibus destituti, sed de paruis quibusdam & vilibus, quod ipsum auget etiam accusationem.

Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorū. Hæc erant de quibus tanquam de egregiis operibus vane gloriabantur. Oportet autem & de his dicere. Quia cōtinue Dei beneficiorum obliuiscebantur, iussit ea Deus libellis inscribi, & Magistrorum appendi manibus: vt semper viderētur, & in memoria haberentur. Huiusmodi vero libelluli phylacteria
E dicebantur, eo quod ab obliuione seruarent ac protegerent ἀπὸ τοῦ φυλάττω. Rursum ne præceptorum Dei obliuiscerētur, iussit Deus fragmentum hyacintinum assui iuxta pedes oræ palliorum eorum: vt semper apparens, hos præceptorum Dei memores efficeret: & hæc vocabant κράσπεδα, hoc est, fimbrias. Scribæ itaque & Pharisęi præcepta quidem negligebant, huiusmodi autē latis phylacteriis sese ornabant, dictasque fimbrias palliorum suorum plurimum distendebant: his gloriantes ac stulte sese iactantes. Hæc autem Marcus stolas
Marc. 12. appellauit dicens: Prospicite siue cauete à Scribis qui amant in stollis ambulare. Similiter autē dixit & Lucas. Nec in his tantum amore gloriæ infirmi erant. Audī itaque.

Amantque primos accubitus in cœnis, & primas sedilia in synago-
F *gis.* Primos accubitus dixit in cœnis, ac prima sedilia in synagogis. Nā in cœnis accūbebant, in synagogis vero sedebāt.

Ac salutationes in foris & uocari ab hominibus Rabbi Rabbi. Amāt salutationes, siue corpore fiāt, siue appellatione. Amāt & vocari ab hoibus magistri, quod Hebraice dicitur Rabbi.

Vos autem ne uocemini Rabbi. Vnus est enim magister uester Christus: Omnes autem uos fratres estis. Cætera quidem, vsque ad illorum duntaxat perduxit accusationem tanquam vilia, nec ad sui correctionem, longiorem requirentia sermonem. Principatus autem amorem, vtpote multorum causam malorum, in medium adducit, ac diligentius castigat. Ne vocemini, id est ne vocari cupiatis. Nam si vos ita vocent alij, nō erit id ad vestram condemnationem.

Et pa-

Et patrem ne uocetis uobis in terra: unus enim est pater uester qui
A *est in cœlis.* Hoc dixit non prohibens vocari patres eos qui iuxta carnem genuerunt, aut etiam iuxta spiritum, sed vt scia mus quis sit præcipue & tanquam prima causa pater noster. Nam hic solus est nobis qui in cœlis est Deus: qui vero iuxta carnem ac iuxta spiritum sunt, cooperatores magis aut ministri natiuitatis nobis sunt. Dicit ergo: Patrem vobis præcipuū & tanquam primam causam ne vocetis vobis in terra. Is enim est vnus qui in cœlis est, qui in trinitate personarum vnus est Deus.

Nec uocemini magistri, unus est enim magister uester Christus. ῥαββὶ & καθηγητὴς (quod hic interpretamur magister) vnū sunt. Repetit ergo priorē sermonem ad augmentū detestatio nis huius modi mali. Sicut ergo quanquā vnus magister di-
B catur Christus, non excluditur pater, quin etiam dicatur magister: ita quoque licet vnus pater noster dicatur ipse pater, non excluditur filius quin etiam dicatur pater noster. Nam vnus & vnus ad oppositam distinctionem dicta sunt hominū & angelorum.

Qui autem maximus est uestrum, erit uester minister. Ablegata misera seruitute amoris principatus, docet etiam deinceps quo pacto id effugere poterimus, puta ministrādo siue deprimendo nosipsos. Deinde ponit etiam elationis prēmium simi liter & propriæ deiectionis, vt illa abiecta hanc assumant.

Quisquis autem sese exaltauerit, humiliabitur: & quisquis sese hu miliauerit, exaltabitur. Maxima possessio est animi modestia: ideo frequenter de ea disserit, continua monitione hanc ædificans in animis discipulorum. Iubet autem non solum prima
C De exal. tante se ipsum. non amare sedilia, sed magis postrema prosequi, illud enim deprimit amantem, hoc autem exaltat prosequentem.

CAPVT .LVI. DE DEPLORATIONE SCRIBARVM ET PHARISAEORVM.

VAE *autem uobis* Scribæ & Pharisæi *hypocritæ.* Vniuersalius accepto vocabulo, hos appellat hypocritas, vtpote simulantes pietatem ac virtutem.

Quia deuoratis domos uiduarum. Quibus auxiliari oportebat. Ad eas enim sub prætextu defen-

D sionis accedentes, magis atterebant, substantiam earum consumendo.

Et occasione prolixe precantes. Occasione deuorandi domos viduarum, siue quę in domibus earum sunt, prolixe exaggerata orantes, vt viderentur sancti ac reuerentia digni.

Ideo accipietis grauius iudicium. Quia tanquam tutores earum ingredimini, sed veluti corruptores egredimini, propter hoc grauius condemnabimini. Iudicium enim vocat condemnationem. Siquidē quisquis peccat, supplicio dignus est: qui autem virtutem facit peccāti occasionem, grauius punietur. Deplorat autem eos ac redarguit, populum instruens ne fallatur, ac ne propter illorum dignitatem velit etiam eos imitari.

Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum
E *cœlorum coram hominibus: uos enim non intratis, nec ingredientes si*
nitis introire. Clauditis inquit ipsum ante homines, puta ante vosipsos, & eos qui vobis subsunt: vt neque ipsi ingrediamini per fidem quæ est in me: neque alios finatis ingredi. Ingredientes autē dicit eos, qui parati sunt ac possent ingredi. Grauis est autem hæc accusatio. Nam si nulli prodesse, sufficit ad condemnationem, qui etiam nocet, nequaquam veniam percipiet, quum sit hominum pestis. Apud Lucam vero ait, Tulistis clauem scientię: ita vocans fidem quę in se est, vtpote introducentem ad sciētiam rectorum dogmatum ac ineffabilis sapientiæ, quam clauem tulerunt siue abstulerunt à populo.

Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare &
aridam, ut faciatis unum proselytum: & ubi factus est, faciatis eum fi
F *lium gehennæ duplo magis quàm uos estis.* Circumitis, percurritis. Nam id significat hoc loco περιάγετε. Proselytum autem appellabat lex eum, qui ab idololatria ad religionem accedebat Iudęorum. Dicit ergo Christus: Infinitis vix tandem laboribus vnum efficitis proselytum, & nec ideo illi parcitis, adeo estis & ad salutem idololatrarum inutiles, & ad eius qui iam aduenit segnes, imo potius proditores, corrumpētes eum vitæ vestræ nequitia: & facientes eum filium gehennæ, id est, familiarem gehennę, & ea dignum. In duplo autē dixit. Quisquis enim præceptorem habet prauum, non illius sistit malitia, sed eius vtens exemplo, solet vlterius procedere.

upra. 15. *Væ uobis duces cæci.* Quære vicesimo octauo capite dicti illius enarrationem, Cæci sunt duces cæcorum.

Qui

Qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem A
iurauerit per aurum templi, reus est. Nihil est, puta hoc: Reus De tēp
est, videlicet debiti. Si quis enim aliquid se donaturum iura- & altar
uerat: si quidem per templum id iurasset, dicebant hunc ad ni- & auro
hil obligari. Quod si per vas aliquod aureum id iurasset, dicebant illum debito teneri. Hæc autem propter insipientiam docebant: ideo etiam horum irridet fatuitatem.

Stulti & cæci: Vtrum enim maius est aurum, an tēplum quod san-
ctificat aurum? Cæcitatem illis exprobrat non corporis sed animæ.

Et, quicunq; iurauerit per altare, nihil est: quicunque autem iura-
uerit per donum quod est super illud, reus est. Stulti ac cæci: Vtrum
enim maius est donum an altare quod sanctificat donum. Altare dicit super quod iugulabant adductas victimas. B

Qui ergo iurauit per altare, iurat per ipsum, & per omnia quæ
super illud sunt: & qui iurauit per templum, iurat per illud, & per
eum qui habitat in illo: & qui iurauit per cœlum, iurat per thronum
dei, & per eum qui sedet in illo. Hæc dicit non quod iurare permittat: quinto enim capite prohibuit omne iuramentum, sed quod Iudæi per talia iurarent.

Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentha
& anethum, ac cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iu-
dicium & misericordiam, ac fidem.† Quum lex populo iuberet, vt daret decimas omnium fructuum, ipsi etiam circa mēthæ, anethi, ac cymini vilissimarum herbarum decimas, exactam subducebant rationem, legem prætendentes. Hos ergo irridet tanquā circa minima legis præcepta exactissime scru- C
tantes, magna vero negligentes. Iudicium autem dicit, quod fieri debet pro his qui iniuste afficiuntur iniuria: misericordiam quam fieri conuenit in egenos: & fidem, quæ est in deū. Lucas autem dilectionem etiam dei ponit.

† *Oportet unumquemq; doctorum à populo suo decimare, hoc est*
petere à decem sensibus puta quinque corporalibus, & quinque qui
sunt animæ, iudicium, misericordiam ac fidem.

Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Hæc primū quæ grauiora sunt, exequi oportuit: & rursum leuiora illa nō relinquere, si exacte legem seruare vultis.

Duces cæci excolātes culicem, camelū uero glutiētes. Qui paruā quidē curiosę seruatis, in magnis vero peccatis cōniuetis.

D Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia purgatis exterio-
rem poculi patinæque partem: cæterum interiora plena sunt rapina
& iniustitia. παροψίδα lancis aut patinæ genus esse dicunt.
Vnde Lucas huius loco πίνακα, hoc est, catinum, posuit qua-
dragesimotertio capite. Est autem hic sermo ænigmaticus, id
innuēs. Corpora quidem vestra purgatis: illa enim vocat ex-
teriorem poculi ac patinæ partem: interiores autem animæ,
plenæ sunt rapina & iniustitia affectionum, hoc est, corpo-
ralis quidem purificationis curam habetis, eam vero quæ ani
mæ est negligitis. Iniustitiam autem nunc dicimus etiam o-
mne peccatum, eo quod iustitia quoq; dicatur omnis virtus.
Lucas autem manifestius dixit: Quod intus est vestri, plenū
E est rapina & malitia.

Pharisæe cæce munda primum interiorem poculi & patinæ par-
tem, ut munda fiat etiam pars exterior. Quum enim purificatur
anima, simul etiam & corpus purificatur: quum autem purifi
catur corpus, non simul purificatur & anima. Animam itaq;
purificare conuenit, vt pariter purificetur & corpus.

Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepul-
chris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus autem sunt
plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & uos foris quidem
apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniqui-
tate. Lucas autem dixit: Quia estis vt monumenta quæ non
apparent, & homines ambulātes super ea nesciunt. Sepulchra
enim quæ non apparent, intus plena sunt spurcitia, foris autē
F apparent terra munda ac via publica.

Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra
prophetarum, & ornatis monumenta iustorum ac dicitis, Si fuissemus
in diebus patrum nostrorum, nequaquam fuissemus socii eorum in san
guine prophetarum. Væ inquit vobis, nō quod hæc facitis &
hæc dicitis quum bona sint, sed quod hæc facientes & hæc di
centes, ac vtrinq; patrum vestrorum homicidium accusantes,
ad illud vos quoque curritis, festinantes & me & discipulos
meos occidere: & quia vane & in fictione hæc facitis ac dici-
tis: nam & vos eorum quos accusatis homicidium imitamini.

Itaque testimonio estis uobismetipsis, quod filii estis eorum qui pro-
phetas occiderunt. Itaque, ex eo quod confitemini homici-
dium patrum vestrorum: & ex eo præterea quod illud imita-
mini, demonstratis vosipsos filios esse eorum, qui prophetas
occiderunt.

occiderunt. Lucas vero addidit, Comprobatis facta patrum A
vestrorum, hoc est, ea quodammodo suscipitis: vtpote ædifi-
cando his qui occisi sunt splendida monumenta, prædicatis
audaciam homicidarum: id enim de ea gloriantium est eam-
que approbrantium. Videremini siquidem in honorem eorū
qui occisi sunt, ornare monumenta ipsorum, & ad accusatio-
nem patrum vestrorum prędicta facere, nisi homicidium eo-
rum imitaremini.

Et uos implete mensuram patrum uestrorum. Mensuram ma
litiæ. Non dixit autem hoc præcipiendo, sed quod futurum
erat prædicendo.

Serpentes, progenies uiperarum, quomodo effugietis iudicium ge
hennæ? Serpentes ipsos nominauit, tanquam nociuos & in- B
sidiatores ac pestiferos. Progenies autem viperarum, vtpote
similes patribus suis in veneno malitiæ & in truculentia. Pro-
genies quoq; viperarum appellauit eos Ioannes Baptista ter- Supra.3.
tio capite, sed iuxta alium intellectum. Iudicium vero gehen-
næ dicit condemnationem & supplicium gehennæ, siue quod
mittit in gehennam.

Propter hoc, ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes ac scri
bas, & ex illis occidetis ac crucifigetis, & ex eis flagellabitis in sy-
nagogis uestris, ac persequemini de ciuitate in ciuitatem. Propter
hoc: propter quid? Quia impleturi estis mēsuram malitiæ pa-
trum vestrorum. Mitto autem dixit, ostendens diuinitatis di-
gnitatem. Prophetas autem & sapientes ac scribas dicit Apo-
stolos, & qui eos sequuti sunt pastores ac doctores ecclesiarū, C
vtpote dignos habitos prophetica gratia, & quasi ab eo edo-
ctos & tanquam scripturam intelligentes. Quod autem dici-
tur ex illis: significat quod non omnes occisuri erant, neque
omnes flagellaturi.

Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus qui effusus est super ter
ram. Sanguinem, intellige sanguinis siue cædis condemna
tionem. Vt veniat inquit, super vos condemnatio cuiuslibet
iusti sanguinis qui effusus est super terram. Lucas autem di-
xit, Vt exquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus
est à constitutione mundi à generatione ista. Docet autem
quiddam tremēdum sermo iste. Qui enim peccatorum nouit
pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus est vt ab eo exigan-
tur omnium supplicia, hoc est pro vnoquoq; pœnam luat: eo
quod ex-

D quod exemplo eius sese non refrenauerit. Et ex illis oc cidetis inquit, vt expetatur à vobis vltio cuiuslibet cædis, quæ prius
Gene.4. cõtra iustos fuerat perpetrata. Audierãt enim quod Cain septem suppliciis dignus fuerat: Lamech vero septuaginta septem eo quod sese non refrenasset exemplo. Dictionem autẽ ὅπως vt, aiunt quidam, non capi causaliter, sed vt significet id quod futurum est.

A sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinẽ Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Opportune Abel meminit, ostẽdens quod etiã cædes illius per inuidiã perpetrata est. Zachariã autem quidã dicunt eũ qui fuit vnus duodecim prophetarũ: quidam vero eũ, qui filius Ioiadæ dicebatur, qui
E etiã Zacharias appellabatur. Plures autẽ patrẽ Baptistæ. Scribunt enim se accepisse à patrũ traditione: quæ citra scriptum per manꝰ puenit ad posteros (quę traditionũ genera ἀγραφα nominantur) ꝙ erat in tẽplo locꝰ virginibus destinatꝰ: à quo stantẽ quondã in eo dei matrẽ post partũ, nõ eiecit, dicẽs virginẽ esse, & ideo occisus est inter tẽplum & altare exterius.

Amẽ dico uobis, ueniẽt omnia hæc super generationẽ istã. Quia timore gehẽnæ quæ eis impẽdebat eo ꝙ ventura esset, hos nõ cõmouebat, exterret ac propulsat eos calamitatibus, quæ non longe post futurę erãt: ideo confirmat quod etiã ventura sunt
Ioseph⁹ de bel. Iud. li. 7. & etiã præceden tibus. omnia hæc, videlicet quæ miserrimæ sunt vltionis, super generationem istã, siue super hosipsos. Sub Vespasiano enim & Tito apprehenderunt eos quæ à Romanis prouenere mala.

Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Ad ciuitatem conuertens sermonem deplorat
F hanc. Reduplicatio autem appellationis, demonstratio est miserationis. Eius etenim miseretur, vt quæ olim dilecta erat, nunc vero extrema passura est, propter iniquitates inhabitantium in ea. Consequẽter autem exprobrat ei, quod intereme-rit prophetas quos ipse ad eam miserat.

Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluistis. Volui inquit congregare filios tuos sub mea protectione, quos peccata diuerserant à diuina custodia. Exemplo autem gallinæ suum in Iudæos amorem ostendit. Quidam autem sermonem intelligũt de Iudæis per varias regiones dispersis sub prioribus captiuitatibus. Et noluistis: me non recipientes, sed persequentes & occidere

occidere festinantes. Ad ciuitatis habitatores rursus sermo- A
nem conuertit.

Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Domus vestra siue templum relinquitur vobis desertum ab inhabitante in ea diuina gratia. Hoc autem, domus illorum erat, vtpote in ciuitate eorum ædificatum.

Dico enim uobis, nequaquam me posthac uidebitis donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Et quando hoc dicturi sunt? Volentes quidem, nunquam: nolentes autem tempore secundi aduentus eius, quando venturus est cum potestate & gloria magna: quando nulla erit eis vtilitas cognitionis. Amãtis vero dictum est, Nequaquam me posthac videbitis: Vehementer siquidem amabat, verum despiciebatur, & ideirco ma B
xime dolebat. Posthac autem dicens, non solum tempus illud significauit, sed totum vsque ad passionis tempus: post quod amplius non viderunt eum, quanquam enim visus est quibusdam post resurrectionem, at non infidelibus Iudæis. Quod vero additur, Benedictus qui venit in nomine domini, Dauidicum est, & eius data est interpretatio quadragesi- Psal. 11
moquinto capite. Supra. 2

Et egressus Iesus exiuit de templo, sequutique sunt eum discipuli eius, ut indicarent ei structuras templi. Quum audissent, Ecce Cap. 24
relinquitur vobis domus vestra deserta, admirabantur si tale templum desolandum esset: & ideo accesserunt vt ostenderẽt ei structuras templi tanquam admirandas.

Iesus autem dixit eis: Num hæc omnia uidetis? Amen dico uobis: Non relinquetur in hoc loco lapis super lapidem qui non diruatur. C
Interrogat primum eos: Num hæc omnia videtis tam admiranda? Deinde prædicit eorum perditionem: & iam non amplius de desolatione, sed de omnimoda demolitione prophetat. Marcus autem dicit, Et egrediente eo de templo dicit ei Marc. 1
vnus discipulorum suorum: Præceptor vide quales lapides, & quales structuræ. Iesus autem respondens ait illi: Vides magnas has substructiones? Non relinquetur lapis super lapidẽ qui non diruatur. Lucas vero scripsit. Et quibusdã dicentibus Lucæ. 2
de templo, quod pulchris lapidibus & donis ornatum esset, dixit, Ex his quæ videtis venient dies quando nõ relinquetur lapis super lapidem qui non diruatur. Siquidem accesserunt discipuli omnes, vt ostenderent ei structuras: quibusdam autem dicenti-

Universidad de Deusto Biblioteca

ip.24. dicentibus apud sese de templo, quod pulchris lapidibus ac donis ornatum esset, vnus discipulorum ait Christo, Præceptor vide quales lapides & quales structuræ. At ille etiam ad cæteros omnes dixit ea quę respondit. Aiunt autem quidã, Atqui in his quos significauit diebus relictus est lapis super lapidem qui non est dirutus. Quibus respondemus, quod omnia quæ demonstrata sunt, & admiratione digna erant, vsque ad fundamenta diruta sunt iuxta domini sententiam. Quod si quid adhuc residuum à Romanis relictum est, etiam hoc à posteris diruitur, vt ad alias structuras transferatur.

CAPVT. LVII. DE CONSVMMATIONE.

E Sedente autem eo in monte oliuarum accesserũt ad eum discipuli seorsim dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui & cõsummationis seculi: Marcus autem nomina quoque dixit eorum qui interrogauerunt: Petrus, inquit, & Iacobus, Ioannes & Andreas. Omnes siquidem accesserunt vt discerent: hi autem quatuor interrogauerunt, vtpote maiorem habentes fidutiam. Interrogant autem non tantum de templi vastatione discere cupientes, quantum de tempore secundi aduentus eius: ideo etiam seorsim accesserunt ne Iudæis hoc manifestum fieret. Sed Matthæus duo hæc eos interrogasse dicit, puta: Quando hæc erunt? quæ videlicet de templi euersione dixisti: Et, Quod signum aduentus tui & consummationis seculi? F Marcus vero vnicam fuisse dicit interrogationem, de templo solum. Ait enim, Dic nobis quãdo hæc erunt, & quod signum quando hæc omnia consummanda sunt? Similiter autem scripsit & Lucas. Quid ergo dicendum est? Quod vna quidem fuit interrogatio, sicut scripserunt Marcus & Lucas: intentio autem discipulorum erat, vt de his duobus certiores fierent: puta de euersione templi & de secundo Christi aduentu: existimantes autem quod simul hæc duo contingerẽt, fecerunt vnam de vtroque interrogationẽ. Verum Matthæus intentionem eorum manifestans, illam in duas diuisit.

Et respondens Iesus dixit eis, Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent.

seducent. Nihil ad has interrogationes respondit, sed primũ A illa dicit eis, quæ primum eos scire oportebat: quæ videlicet futurum erat, vt ante illa occurrerent. Lucas autem dicit, Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum. &: Tempus instat. Ne igitur sequamini illos. Venient, inquit, nomine meo vrentes ad deceptionem eorum, qui illis crediturí sunt, & dicentes, quisque videlicet eorum, Ego sum, nempe Christus. Et, Tẽpus instat, puta mei secundi aduentus. Ne ergo sequamini eos, siue aliquem illorum. Marcus autem dixit: Et multos seducent. Fuerunt autem huiusmodi seductores, Simon & Menander Samaritani, & alij. *Eusebii ecclesiæ hist. riæ. lib.*

Futurum est autem ut audiatis bella & rumores bellorum. Bella dicit quæ mota sunt contra Ierosolyma: rumores autẽ bellorum, qui contra alias Iudęorum ciuitates, quos factos fuisse scribit Iosephus antequam caperetur Ierusalem. Siquidẽ erexit se natio Iudæorum, nec tributum exoluebat. Romani vero nõ ferentes iniuriam, expeditionem in illos parauerunt. B *ca. & .13. lib.3.ca 26.* *Omnibus de bel. libris.*

Videte ne turbemini: oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Ne terreamini, inquit, quasi prædicatio sub seditione & turbatione dirimenda sit. Siquidem ventura sunt hæc omnia quæ de his bellis dixi, sic tamen vt nihil illi noceant. Aut ne terreamini, quasi iam instet finis siue perditio templi ac ciuitatis. Oportet enim hæc omnia fieri: sed nondum est finis siue perditio eorum. Nam posi modum capta sunt Ierosolyma. Dicit autem Chrysostomus, quod discipuli quum in precedentibus de extrema Iudęorum vltione audissent, tanquam ad alienam calamitatem, quæ nihil eos tangeret, negligenter se ad eam habebãt, & sola ea tunc somniabant bona, quæ absque tumultu in secundo Christi aduentu ventura erant: propter quæ etiam interrogationem produxerant. Christus vero rursum illis laboriosa pronuntiat, constituens eos certaminũ præfectos: & duplicem ob causam vigilare iubet, tum ne à seductoribus fallantur, tum ne à bellorum rumore turbentur. Duplex siquidem ait instare bellum, & à seductoribus, & à Romanis, multámque ac variam commotionem, & interius, & exterius. C

Exurget enim gens in gentem, & regnum in regnum. Gentes sociæ Romanorũ in gentes Iudęis fœderatas: & regna auxiliaria

D xiliaria Romanis, in regna auxiliaria Iudæis: & propterea fortia erunt horum bella.

Et erunt pestilentiæ & fames ac terræmotus per loca. Hoc est singulis Iudæorum locis. Apud Lucam ponitur: Terroresque & signa à cœlo magna erunt, vt cognoscant Iudæi ea quæ fient diuinæ esse iræ: & intelligant quod propter Saluatoris interemptionem hæc patiantur.

Omnia autem hæc initium erunt dolorum. Principium malorum & primordia calamitatum quæ Iudæis imminent.

Tunc tradent uos in afflictionem. Tunc: Quando? Ante defectionem: nam in illud tempus sermonem traduxit, quod & Lucas significauit dicens, Ante hæc omnia iniicient manus suas in vos, & persequentur, tradentes in synagogas & carceres, tractos ad reges ac præsides propter nomen meum. Plurimas enim calamitates post Saluatoris assumptionem Iudæi induxerunt Apostolis: interdum quidem synagogæ principibus tradentes, vt punirentur, Interdum vero ad reges trahentes, veluti ad Herodem & Agrippam, ac similes. Præterea ad præsides ac ciuitatum præfectos, & consulis aut principis munere fungentes, quemadmodum liber apostolicarum actionum testatur.

Et occident uos. Hoc solis eis dicit, qui per Iudæorum improbitatem ac versutiam occidendi erant: puta Stephanus, Iacobus frater Ioannis, & si quis alius.

Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. A parentibus, à cognatis, ab amicis, à cõtribulibus, à familiaribus, ab hospitibus, à principibus, à subditis, & vt semel dicam, ab omnibus qui alieni sunt à prædicatione. Vbi autẽ tristia prædixit, consolationem deinceps subiunxit, dicens, Propter me: Nam id significat, Propter nomen meum. Et vere magna discipulis erat consolatio pati propter ipsum.

Et tunc offendiculum patientur multi. Erunt inuicem suspecti propter fidei diuersitatem: siue, non credentes apud eos qui credent.

Et alius aliũ inuicem tradent, seq; inuicem habebunt odio. Marcus autem manifestius dixit, quod tradent frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Verisimile est itaque omnia facta esse, etsi liber Actorum particulariter de omnibus non disserat. Lucas vero

vero etiam dicit: Trademini autem à parentibus & cognatis, A
amicis ac fratribus, & morte afficient quosdam ex vobis. Prædixit enim & hoc Christus discipulis, quod omnium est miserrimum, videlicet quod etiam à familiarissimis impugnandi erant: vt præscientes parati essent ad tolerantiam: & ita periculum facilius sustinerent. Hæc autem omnia prædixit eis decimo nono capite. Quære ergo & ibi horum expositionem. Suprà.10

Et multi pseudoprophetæ surgent ac seducent multos. Superius de iis dixit, qui se Christos esse fingent: nunc autem de his dicit, qui se prophetare simulabunt. Tunc enim multi tales fuerunt, quum adhuc initia essent prædicationis.

Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet dilectio multorum. Et hoc miserrimum est, quod neque ab amicorum dilectione B
consolationem habituri sunt. Quidam autem ἀγάπην nominari dixerunt hospitalitatem: alij vero compassionem. Vide quot pericula eis prædixerit, ad omnia exacuens, & ad magnanimitatem roborans, ac confortationibus adamantinos reddens.

Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Hoc etiam dictum est decimonono capite, & ibi manifesta admodum data est interpretatio.

Et prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe. Hinc demonstrauit, quod nulla pericula prædicationem superabunt: & ita magnam prædicatoribus iniecit consolationem, quod voti sui compotes erunt: quia nihil eis erit obstaculo, si modo toleraverint. Marcus autem manifestius dixit: Et in o- C
mnes gentes primum oportet prædicare euangelium.

In testimonium omnibus gentibus. Ad redargutionem, ad accusationem eorum, qui non crediderint: ne dicere possint in die iudicij, Prædicationem non audiuimus. Dictum est etiam de hoc decimonono capite.

Et tunc ueniet consummatio. Consummatio templi & Ierusalem, vt prædiximus. Dicit ergo: Postquam facta fuerint vniuersa quæ dicta sunt, & postquam prædicatum fuerit euangelium in vniuerso orbe: tunc veniet Iudæis omnimoda perditio. Quod autem priusquam caperentur Ierosolyma prædicatum sit euangelium per totum mundum, dixit Paulus: Fru- Colo.1
ctificauit, inquit, accreuit in omni creatura quæ sub cœlo est.

Si enim

om.15 Si enim ipse à Ierosolymis vsque ad Hispaniam prædicauit,
D concipe etiam de cæteris Apostolis quousque percurrerint. Idcirco enim postquam prædicatum est euangelium vbique terrarum, pereunt Ierosolyma, ne vmbram quidem responsionis habeant Iudæi: tantam videntes prædicationis virtutem, vt breuissimo tempore vniuersum percurrerit orbem, & vbique splendorem dederit: quum tamen ipsi permanserint in infidelitate & ingratitudine sua.

anie.9 *Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Abominationem dicit Titi statuam, quam capta ciuitate statuit in adytis templi Siquidem abominationes appellabat lex huiusmodi imagines. Desolationis vero dixit, quia illa deserto
E tẽplo ac ciuitate erecta est: aut quia eius erat imago qui hæc deserta fecit. Quod autem ait, Quum videritis, videtur quidẽ dictũ esse ad Apostolos, sed tamen fertur ad Iudæos, vt sciãt quod non longe post, sed eis adhuc viuentibus abominatio stabit. Plures siquidem Apostolorum ante id tempus mortui sunt: cæteri vero qui remanserant, in aliis tunc orbis partibus versabantur. Misit autem eos ad Danielem, qui de huiusmodi abominatiõe & strage prophetauerat. Tunc, inquit, qui legit Danielis librum, intelligat ac considereterectã abominationem. Lucas vero aliud dicit signum, Quum videritis circundari ab exercitibus Ierusalem, tunc scitote quod imminet desolatio eius. Apparet ergo quod vtrunque dixe-
F rit Christus.

Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes. Postquam de malis dixit, quæ comprehensura erant Ierosolyma: de multis præterea ac variis Apostolorum tentationibus: insuper & de prospero prædicationis successu, quod absque vllo impedimẽto vniuersum percurret orbem: loquitur iterum de Iudæorum calamitatibus, ostendens quod postquam ipse & discipuli sui vbique in opinione celebri habiti fuerint, tunc hi vndique perdentur. Per ea vero quæ parua videntur, demonstrat plagarum illarũ intolerabilitatem. Considera enim. Tunc, inquit, qui in Iudæa sunt, vbi Ierosolyma sita sunt, fugiant ad montes: nullam salutis spem in remanendo habentes, neque enim erit omnino reuocatio aut mali mutatio: ideo id amplectendum erit, vt nudo etiam corpore, nec versa retrorsum

trorsum facie fugiant. A

Qui in tecto, non descendat vt tollat quicquã de domo sua. Propter ineuitabile periculum, ne incidat in perditionem.

Et qui in agro, non reuertatur vt tollat vestimenta sua. Si enim qui in ciuitate sunt, fugiunt eam quæ intus est stragem, multo magis qui in agris. Apud Lucam vero dicit etiam causam vehementiæ plagarum: quia dies vltionis hi sunt, vt compleantur omnia quæ scripta sunt, in libris videlicet Danielis & aliorum prophetarum de huiusmodi expugnatione. Dies autem vltionis cædis dominicæ erunt. Sed hæc quidem iuxta historiam. Iuxta anagogen vero, qui in Iudæa sunt, hoc est, in diuino cultu: nam id significat Iudææ nomen: fugiant ad montes, id est ad excelsum dei auxiliũ: aut ad excelsa virtutum. Qui vero in tecto, siue qui conuersatione eleuatus, B & excelsior per vitam effectus fuerit, non descendat, vt tollat mundi affectus quos reliquerat. Et qui in agro siue in solitaria vita: non reuertatur vt tollat vestimenta sua, quæ sunt operimenta peccatorum, ab eo iamdudum relicta.

Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Illis quidem propter onus interius, his vero propter exterius: Ille enim pondere embrionum grauantur, hæ autem onere lactentium. Siquidem facile est pro salute pecunias & vestimenta contemnere: fieri autem leuem & fugam expeditam eam quæ in vtero habet, aut abiicere infantem eam quæ lactat, prorsus impossibile est propter naturæ vinculum. Væ ergo illis, quia facile comprehendentur: & similiter embrionibus ac lactentibus, vt qui simul peribunt. C Iuxta anagogen vero prægnantes dicimus animas, quæ virtutem nondum pepererunt: lactantes autem quæ pepererunt quidem, verum puerilis est fœtus & admodum pusillanimis.

Orate autem, ne fiat fuga vestra hyeme aut sabbato. Manifestum & hinc, quod quanquam ad Apostolos protendebant huiusmodi sermones, attamen vel isti ad Iudæos respiciebant: neque enim amplius obseruabant Apostoli sabbatum, quando capta sunt Ierosolyma. Quare autem nõ hyeme neque sabbato? Hyeme quidem propter temporis difficultatem: sabbato vero propter legem, quæ non permittebat sabbato iter facere vltra statutos lege passus. Anagogice au-

t tem fu-

D tem fugam intelligimus exitum animæ à corpore: hyemem vero cõmotionem ac turbationem cogitationum: sabbatum autem ocium à virtute. Iubet itaque sermo vt oremus, ne fiat exitus animæ nostræ in commotione aut turbatione cogitationum, neque in ocio à virtutibus, sed in tranquillitate cogitationum & operatione virtutum.

Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit à principio mundi ad hoc usque tempus, neque fiet. Si quis in Iosephi scripta incidat, certior omnino de his efficietur. Siquidem quum etiam Iudæus esset, affirmat de huiusmodi dei ira, quod omnem excesserit calamitatem, omnemque supergressa sit tragœdiam. Nam præter tremendam illam obsidionem, tanta erat fames, vt ipsis quoque matribus pugna fuerit pro esu filiorum. Obquam ergo causam, miserabiliorem ac horribiliorem passi sunt afflictionem omnibus quæ fuerunt à seculo? Quia magis execrandum ac horribilius perpetrauerunt flagitium omnibus qui fuerunt à seculo, dei filium occidentes. Lucas autem planius dicit: Erit enim afflictio magna super terram, & ira in populo hoc: cadentque acie gladij, & captiui ducẽtur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Iram quidem dei dicens: tempora vero gentium, ea quæ durabunt vsque ad consummationem eorum, totiusque mundi.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro: propter electos autem breuiabuntur dies illi. † Dies ait belli & obsidionis, dicens, quod nisi diminuti fuissent dies illi dispensatione diuina, nequaquam salua fuisset, nequaquam mortem euitasset omnis caro, id est nulla remansisset caro, Iudaica videlicet: Omnes enim mortui fuissent homines, & qui intus, & qui extra erant: quidam fame, quidam vero peste aut gladio, omnibusque mortis generibus. Aduersus omnes siquidem Iudæos Romani furore accensi erant, etiam aduersus eos, qui vbique terrarum dispersi ferebantur. Electos autem vocat fideles, qui ex Iudæis erant, propter quos citius quieuit bellum, ne perirent vna cum infidelibus, sed potius incredduli aliqui per hos seruarentur: ne posset quispiam dicere, quod propter eos qui crediderant, hæc à deo immissa vltio superuenisset: sed qui relicti erãt videres omnes qui inter ipsos crediderant permansisse, intelligerent causam, ac certiores

redderentur, quod non solum non perierant propter illos, qui mortui erant, sed potius & ipsi propter eos seruati erant. Quod autem non Omnis caro, pro Nulla caro sumatur, manifestum est quoq; à dicto Dauidico quo dicitur. Nõ dominetur mei omnis iniustitia, id est, nulla. Nam & hoc, idioma est veteris scripturæ. Tu vero considera mihi diuini spiritus dispensationem, quomodo Ioãnes qui in viuis adhuc erat dum hæc facta sunt, & multo adhuc tempore post expugnationem vixit, nihil horum scripsit, ne quasi olim prædicta scribere videretur, quæ iam facta erant. Qui vero priusquam hæc fierent mortui sunt, manifeste omnia scripserunt, vt suspitione carere videretur Christi de his vaticinium. Postquã ergo hactenus ad plenum prædixit, quæ de captiuitate Ierosolymorum futura erant, transit etiam ad reliquam quæstionem puta de secundo aduentu suo, & huius signa prædicit, quæ Christianis futura sunt vtilia.

† *Decurtauit autem deus afflictiones & omnino bellum: si enim belli amplius duraſſet, omnes qui intus erant penitus fame perissent.*

Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Dictio τότε tunc, interdũ non significat consequẽtiam prædictorum, sed initium tantum eorum quæ dicenda sunt: sicut etiam, In diebus illis: de quo disseruimus tertio capite. Et ita hoc in loco dictio Tunc, ordinem tẽporis non significat, sed quando fient quæ dicenda sunt. Similiter & hæc ad Apostolos dici videntur: ad eos tamen dirigitur Christianos, qui tunc futuri erant.

Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ. Surgent, hoc est venient. Sunt autem pseudochristi, qui se Christum esse fingunt: pseudoprophetæ vero, qui se fingunt esse prophetas.

Et ædent signa magna & prodigia. Etiam ante expugnationem Ierosolymorumdixit futuros esse pseudochristos & pseudoprophetas. Multi enim, inquit, venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus. Et rursus, Et multi pseudoprophetæ surgent. Sed qui ante secundum suum aduentum venient, hi longe graviores erunt illis, qui fuerunt ante captiuitatem Ierosolymorum. Nam hi signa quoque magna ac prodigia facient: pseudochristi quidem, miracula ædentes: pseudoprophetæ vero quædam futura prædicentes.

D *Ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.* Si fieri potest, eis dicitur. Inter pseudochristos autem vnus est Antichristus, postremus eorum venturus, cuius prophetae qui dicuntur, hi sunt pseudoprophetę: de quo etiam Paulus scripsit. 2. Thes. 2 Postquam enim vocauit eum hominem peccati, filiumque perditionis addidit. Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis ac prodigiis falsis. Hi ergo signum sunt secundi aduentus.

Ecce prædixi uobis. Testatur quod manifeste prædicendo munierit. Apud Marcum vero ait: Vos autem videte: Ecce prædixi vobis omnia, quæ videlicet contingent de seductoribus. Per Apostolos vero hæc etiam dicit ad posteros, vt prius significatum est. Obserua enim quod etiam ad Apostolos prædixerit ea quæ de Ierosolymorum captiuitate dicta E sunt, quæque de secundo suo aduentu, tanquam ad præceptores noui populi: sciens quod etiam hæc docturi essent ac scripturi: & ad demonstrationem eorum quæ prophetauit de captiuitate, & ad munitionē fidelium, qui futuri sunt ante secundum eius aduentum.

Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto est: nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Qui tunc hæc dicent, prænuncij erunt ac ministri Antichristi. Penetralia autem nunc intelligit loca in domibus magis recondita.

Sicut enim fulgur exit à partibus Orientis & apparet usque ad partes Occidentis: ita erit aduentus filii hominis. Sicut, inquit, fulgur egreditur, & omnibus in conspicuo est, nullo egens præcone aut prænunciante: sed exceſſiuo suo splendore mi- F nimo temporis momento, vniuerso apparet orbi: Ita quoq; erit aduentus ille, propter magnitudinem sui splendoris, omnibus simul apparens, & factus hominibus ipse sui nuncius. Neq; enim quemadmodū primus aduentus in paupertate & nominis obscuritate factus est, ita erit & secundus, sed ediuerso hic cum potestate & gloria magna fiet, stipante omni cœlesti exercitu: ideo nullus hunc ignorare tunc poterit.

Vbicunque enim fuerit cadauer: ibi congregabuntur & aquilæ. Hoc dicit propter satellitium quo tunc circundabitur. Et stipantes quidem assimilauit aquilis, tanquam alatos ac regios: seipsum vero cadaueri, tanquam congregantem huiusmodi aquilas, & quasi cibum spiritualem eorum, vitamque sempiternam.

ternam. Lucas autem pro cadauere posuit corpus, hoc est A pro πτῶμα, σῶμα.

Statim autem post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur: & luna non dabit splendorem suum: & stellæ cadent de cœlo. De his dixit & Lucas: Et erunt signa in sole, & luna, & stellis. Vide autem quomodo dixerit. Statim, demonstrans quod simul fere omnia, & quæ dicta sunt, & hæc & quæ dicentur, fient. Breuiabit siquidem & hanc tentationem deus propter electos suos. Afflictionem autem dicit eam quæ ab Antichristo mouebitur, eiusque seductoribus: & pios affliget. Sol vero obscurabitur: non è medio sublatus, sed Christi venientis luce superatus: luna autem non dabit splendorem suum: & stellæ cadent, tanquam nulli ampliusvsui futuræ. Nulla enim B tunc erit nox. Lucas vero scripsit: Et super terram anxietas gentium, per defluxum † resonante mari ac fluctu: arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient orbi terrarum. Anxietatem gentium, appellauit turbationem: Defluxum autem, tranquillitatem ventorum. Nam absque ventis resonabit præter naturam mare ac fluctus eius. Arescentiam vero dicit mortem. †

† *Quum omnia, quæ hactenus uiderim exemplaria habeant* ἀπορίᾳ, *apud Lucam, hoc est, desperatione aut consilii inopia: & sic iungi uideatur præcedentibus: autor hic legisse uidetur* ἀπορροίᾳ, *hoc est defluxu, & iungit sequentibus.* †

Et uirtutes cœlorū cōmouebuntur. Et cœlestes exercitus horrebunt videntes huiusmodi creaturæ mutationem: deum in C terram descendentem, homines autem vniuersos qui ab initio fuerunt, à mortuis suscitari, vt rationem reddant cunctorum quæ in vita operati sunt.

Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo. Signum eius dicit crucem, quæ tunc longe clarius sole fulgebit. nam ille obscurabitur, hæc autem apparebit. Ob quam autem causam apparebit? Vt exterreat præcipue quidem Iudæos, deinde etiam gentiles, qui Christo impoperabant crucem, & vt sciant quod hic ipse tanquam deus descendit.

Et tunc plangent omnes tribus terræ. Tunc lugebit omne genus, infideliū videlicet. Hi quidem, quod deū crucifixerint: illi autem, quod Christianos punierint: rursum isti, quod non crediderint. Neq; enim alia est eis opus accusatione præter

D crucem. Tunc autem planctus erit eis inutilis.

Et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum potestate & gloria multa. Præcedet quidem eum crux, tanquam iustificatio aduersus illos, qui eum crucifixerunt. Descendet autem in nubibus sicut assumptus est.

Et mittet angelos suos cum uoce magna tubæ, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum. Priusquam appareat crux mittet illos: neque enim vsus est ordine narrationis, sed simpliciter dicit quod futurũ est. Per quatuor autem ventos, quatuor orbis extremitates significauit, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Ab vnaquaq; enim extremitate proprius spirat ventus: & hi quatuor dicũtur proprie venti. Per extrema vero, etiam
E media significauit. Quod autẽ dicit, A summis cœlorum vsq; ad terminos eorum, declaratiuum est eius quod dixit, A quatuor ventis: significans idem importare terminos, Ventos, & Extrema. Apud Marcum vero ait, Ab extremo terræ, vsq; ad extremum cœli: docens eadem esse extrema terræ & cœli. Et nota quod tuba mortuos excitabit: excitatos autem congregabunt angeli: congregatos vero rapient nubes, sicut dixit
Thes.4 Paulus, in occursum domini in aera. Quod autem etiam peccatores congregabunt angeli, docuit Christus interpretatus
supra.13 quartam parabolam vicesimi quarti capitis. Dixit enim, Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia offendicula, & eos qui operantur iniquitatem. Quære ergo ibi declarationem.

F *A ficu autem discite parabolam.* Parabolam vocat exemplum quod dicturus est, ad demonstrandum, quod non sit magnum discrimen inter hoc signum significatiuum secũdi aduentus & ipsum aduentum.

Quum iam ramus eius tener fuerit, & folia enata, scitis quod propinqua sit æstas: ita & uos quum uideritis hæc omnia, scitote quod prope sit in foribus. Apud Lucam autem manifestius dixit: His autem fieri incipientibus, puta quæ de pseudochristis & pseudoprophetis dixi: suspicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Deinde ait: Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores, quum protrudunt iam gemmas, cernentes ex vobisipsis scitis quod iam prope sit æstas: sic & vos quum videritis hæc fieri, scitote quod

quod instet regnum Dei. Quum videritis inquit, hęc fieri, quę A
videlicet dicta sunt de manifestatis seductorib⁹, scitote quod prope sit secundus Christi aduentus: Hunc enim dicit nunc regnum Dei, ac redemptionem iustorum: regnũ quidem, quia tanquam rex appropinquat redemptionem vero eorum, quia seruat eos. Sumpsit autem à ficu exemplum: ostendens quod sicut quando hæc protruserit iam gemmas: siue quum enata fuerint folia, necesse est, vt instet tempus æstatis: ita etiã quando signum secundi aduentus factum fuerit, necesse est ipsum in proximo esse. Solet siquidem naturalia sumere exempla, ad ea quæ vere ventura sunt.

Amen dico uobis: nequaquam præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Omnia ista, quæ videlicet prędixit de captiuitate Ierosolymorum, & de his quæ circa secundum suum ad- B
uentum erunt vsque ad ipsum. Quomodo ergo dixit Generatio hæc? Generationem vocauit religionem ipsorum qui crediderant. Ne enim suspicarẽtur Apostoli, quod prædicta pericula penitus delerent prædicationem ac fideles: certiores eos facit, quod non sit delenda religio fidelium vsque ad secundũ aduentum, sed vsque ad consummationem seculi permansura, nec vllo periculo intercidenda. De hoc autem etiam prius diuersimode eis prædixit & confirmauit: sed quia tunc facile à corde excidebant, amplius adhuc facit certiores.

Cœlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribũt. Fide digna astruens esse ea quæ dixit, ait: Hæc adeo compacta & immobilia potius demolientur, quàm excidant sermones mei, quos de his quæ interrogastis respondi. Alibi quoq; C
hoc confirmationis modo vsus est dicens: Facilius est cœlum & terram præterire, quàm à lege vnum iota excidere. Supra.5.

CAPVT. LVIII. DE DIE ET HORA.

DE *die autem illo & hora nemo scit, ne angeli quidem cœlorum.* Cætera quidem omnia prædixit eis, quæ scire proderat: solum autem diem & horam consummationis seculi dispensatorie occultauit, vt qui tunc viuebant, hæc ignorantes vigilarent, & animum adhiberent, semperque expectarent. Et vide quomodo mirabiliter repulerit vehementem eorum discendi cu-

D piditaté de die illo & hora: ne enim ſuper his amplius turbarentur, ait: Ne angeli quidem cœlorum de his norunt quando ventura ſunt, ac ſi diceret: Si angeli cœleſtes hæc ignorãt, multo magis homines terrenos ea ſcire non expedit.

xod.3.

Niſi pater meus ſolus. Dictio Solus in ordine ad creaturas intelligitur, non ad filium. Si enim omnia quæ habet pater, filij ſunt, ſicut dixit filius: inter omnia autem eſt vnum, ſcire diem & horam: filij proculdubio etiam hoc erit. Apud Marcum vero ſcriptum eſt, Neque filius, niſi pater. Et quidam intelligunt, quod neque filius nouit diem illum & horam vt homo: nam vt Deus nouit æqualiter cum patre. Aptius eſt autẽ vt ita dicatur: Neque filius ſcit, niſi pater videlicet ſciat: quia vero ſcit pater, ſcit vtique & filius: Ego enim inquit & pater vnum ſumus. Cõſidera vero quomodo apud Matthæum quidem ponitur Solus ſed nulla fit mentio filij, ne etiam ad eum referatur. Apud Marcum autẽ non habetur Solus, ſed fit mentio filij, vt intelligatur ſicut diximus.

oan.16.
Marc. 13.
oan.10.

E

e diluio.

Sed ſicut erant dies Noe, ita erit & aduentus filii hominis. Exemplo manifeſtat quod repente erit & inexpectatus.

Sicut enim erant in diebus qui præceſſerunt diluuium edentes & bibentes, contrahẽtes matrimonium, & nuptum dantes, uſque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam: nec cognouerunt donec uenit diluuium, & tulit uniuerſos: ita erit & aduentus filii hominis. Declarando exemplum docuit, quod multis verſantibus in deliciis ac ſecuritate veniet. Hoc autẽ & Paulus ſcribens in hunc modum, ait: Quum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Verum ſi tunc in delitiis erunt, quomodo dixit, Poſt afflictionem illorum dierum? Afflictio quidem erit colentium Deum ac iuſtorum: delitiæ vero malorũ & inſenſatorum. Aptum autem poſuit exemplum. Sicut enim tempore Noe videntes arcam fabricari, quæ venturam ac propinquam eorum ſubuerſionem prænuntiabat, non ſentiebant: ita quoque hi videntes Antichriſtum ſedulo laborantem, & conſummationis ſigna, ſine ſolicitudine permanebunt. Obſerua etiam quomodo particulariter omnia prædicit, quæ vſque ad aduentum ſuum ventura ſunt: oſtendens quod diem quoque illum & horam nouerit, ſed diſpenſatorie, vt dictum eſt, illum conticuerit. Quære autem ſecundo libello Gregorij Theologi de filio, caput decimum, & gratiſſimam inuenies ſolutionem.

.The.5.

F

ſolutionem.

A

Tunc duo erunt in agro †, unus aſſumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, una aſſumetur, & altera relinquetur. Per eos qui in agro ſunt, diuites intelligit: per eas autem quæ molunt in mola, pauperes: ac docet quod & de diuitibus, & de pauperibus quidam ſaluantur, quidam vero pereunt. Ideo etiam de diuitibus ſermonem maſculine induxit, excelſum ac forte demonſtrans quod in eis eſt: de pauperibus autem fœmi nine, ſubindicans debile ad depreſſum quod in illis eſt, Siquidem quotquot vel diuitias bene ſectantur, vel paupertatem bene ferunt, aſſumuntur in occurſum domini, tanquam illi familiares: quotquot autem contrario modo ſe habent, deorſum tanquam indigni relinquuntur, vt ibi iudicem expectent. Lucas vero de his alio modo dicit capite ſexageſimo. Erunt (inquit) duo in lecto vno: vnus aſſumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes ſimul: vna aſſumetur, & altera relinquetur. Per eos qui in lecto ſunt ſignificans illos qui in requie degunt: per eas autem quæ in mola, eos qui aduerſa tolerant. Manifeſtum eſt ergo, quod diuerſimode alio atque alio tempore dicta ſint: prius quidem ea quæ apud Lucam, poſtmodũ vero quæ apud Matthæum.

De duobus in agro & duab⁹ in mola.

B

Luc.17.

† Agrum uocauit mundum. Aſſumitur ergo qui ſeruatur, relinquitur qui condemnatur. Diſcamus igitur ex hoc loco, quod & pauperes et diuites, et ſerui et domini aſſumuntur ac relinquuntur. Oſtendit autem quod nec omnes diuites pereunt, nec pauperes ſaluantur omnes. Vnde et poſtmodum ait: Vigilate ergo quia neſcitis qua hora dominus ueſter ueniet. Non dixit diem, uolens eos continue ad certamen eſſe paratos.

†

C

Vigilate ergo quia neſcitis qua hora dominus ueſter uenturus ſit. Marcus autem ſcripſit, Vigilate, & orate, neſcitis enim quando tempus ſit: ſecundi videlicet aduentus eius. Per vigiliam autem ſiue vigilantiam, intellige non ſolam ſomni temperantiam: verum etiam omnimodam attentionem & cuſtodiam. Dicit enim & Lucas, Attendite vobiſipſis ne quando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, ac curis huius vitæ, & repentinus ſuperueniat vobis dies ille. Tanquã laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem vniuerſę terrę. Tanquam laqueus ſane propter non apparentiam & impremeditationem. Facies autem terræ eſt ſuperficies & apparitio illius.

Marc.1

Luc.21.

D illius. Sedentes vero, sunt viuentes, aut in mundo degẽtes. Deinde dicit etiam de oratione. Vigilate omni tempore precantes, vt digni habeamini effugere omnia hæc quæ vẽtura sunt, à seductoribus videlicet, & quæcunque alia erunt pericula.

Illud autem scitote quod si sciisset paterfamilias qua uigilia fur uenturus erat, uigilasset utique, & non siuisset perfodi domum suam.

supr.14. Vigilia siue custodia dicitur quarta pars noctis, prout etiam alibi diximus. Parabolice autem nunc dicit, quod si sciisset homo quo tempore finis vitæ suæ futurus esset, vtique circa illud tempus vigilasset, & nequaquam periisset. Sed propterea & communem omnium finem, & eum qui cuique proprius est, fecit Deus vt ignorarent, ne ad illud solum tempus vigilarent, omni reliquo male viuentes: sed vt, quum incertus sit fi-

E nis, semper illum expectent, semper sint ad certamen parati.

Ideo & uos estote parati: quia qua hora non putatis, ea filius hominis uenturus est. Ideo. Quare? Quia tempus ignoratis. In vniuersali siquidem fine mundi manifestum est, quod dominus veniet. De proprio autem fine dicunt quidam, quod vnoquoque Christiano moriente adest dominus cum sanctis angelis: quando etiam rationem reddit anima. Quidam vero aduentum proprium illius, dicunt imperium eius quo iubet vt anima separetur. Quia autem in futuri iudicij memoriam incidit, ad præceptores conuertit sermonem, & dicit.

Quisnam est fidelis seruus & prudens, quem præfecit dominus suus familitio suo, ut det illis cibum in tempore. Famulitium dicit ipsos famulos ac Dei seruos: Cibum autem, rationalem

F doctrinam.

Beatus seruus ille quem cum uenerit dominus eius, inueniet sic facientem. Sic, sicut iussit.

Amen dico uobis quod super omnia bona sua constituet eum. † In

† magnum honorem constituet eum, vt bonis suis dignum ducat illum. Tu vero huiusmodi ne vlterius curiose scruteris. Parabolica namque ita tractanda sunt, quasi significantia solum ea quæ necessaria sunt. Vide autem quod duo hæc habere oporteat eum qui præpositus est: puta fidem, ne retineat ea quæ sunt conseruorum, aut inutiliter consumat: & prudentiã, vt decenter ea diuidat, quæ sibi tradita sunt, & cum iudicio tam in qualitate, quàm in quantitate. Conuenit autem hic sermo non his tantum qui diuites sunt in sermone, sed & his qui pecuniis

pecuniis ac possessionibus diuites sunt. Omnes † enim constituit Deus dispensatores eorum quæ possident, volés vt omnes fideliter ac prudenter cuncta diuidãt. Præterea illis quoque aptatur hic sermo, qui principatum quemcunque acceperunt: oportet enim & ipsos non iuxta propriam beneuolentiam aut inimicitiam administrare (quod fraudis est & infidelitatis) neque stulte & imprudenter. A †

† *Iustissime sane tanquã prudentem ac studiosum. Id autem non de solis pecuniis ac possessionibus dictum est. sed & de sermone erga mẽtem, omnique dispensatione quam quisque nactus est,* †

† *Dominum constituens unumquemque erga eos, qui ipsorum indigent liberalitate. Studeamus itaque cum omni gaudio ac promptitudine ea quæ acquisiuimus spargere in pauperes.* †

Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo: Cunctatur dominus B *meus uenire: cœperitque percutere conseruos suos: edat autem & bibat cum ebriis: ueniet dominus serui illius die quo non expectat, & hora qua ignorat.* Seruus ille malus, qui videlicet ediuerso infidelis & imprudens euasit: si putãs cunctari dominum suum eo quod diem ignorat & horam, vt dictum est, cœperit verberare cõseruos suos, hoc est quouis modo illis nocere, siue corporaliter siue spiritualiter. Edat autẽ & bibat cum ebriis, hoc est, conuersetur cum peruersis & corruptis hominibus, improuise deprehendet eum dominus suus.

Et diuidet eum. † Separabit ab eo dispensandi dignitatẽ. †

† *Diuisionem eius dicit omnimodam & perpetuam gratiæ spiritus* † *sancti ablationem. Quod si neque nunc cõmiscetur animabus eam contaminantibus: at saltem adest his, qui semel ea sunt insigniti, expe-* C *ctans conuersionẽ ipsorum: tunc autẽ omnino & perpetuo alienabitur. Partemq; eius cum hypocritis ponet: ibi erit fletus & stridor dentiũ.* Partem eius dicit eum ipsum, vtpote iam diuisum à dispensatoria dignitate: aut diuidet eum à suis cultoribus, eiusque sortem ponet cum hypocritis, tanquam fingentem se dispensare ac præpositum esse, quum potius nociuus sit. Bifariã itaque excitauit ad semper vigilandum: & ex honore qui seruo fideli ac prudenti reponitur, & ex supplicio quod malum expectat seruum. Hanc autem parabolam Lucas quoq; scripsit Luc.12. quadragesimo sexto capite, in quo de malo seruo ait: partemque eius cum infidelibus ponet. Infideles autẽ vtiq; etiam hypocritæ sunt: promittunt enim se nosse Deũ, sed mentiuntur.

Et ita

D Et ita consonant quæ dicta sunt: quod si etiam dissona sunt, nihil mirum: variis enim dicta sunt temporibus.

CAPVT LIX DE DECEM VIRGINIBVS.

Cap.25. VNe *simile fiet regnum cœlorum decem uirginibus.* Regnum cœlorum suo more nunc vocat ea quæ tunc circa regnum cœlorum contingent. Virgines autem seruantes virginitatem, siue viri sint siue fœminæ. Scire ergo oportet, quod in præcedente parabola generalius de omnium vtilitate docuit quam
E conseruis debent: in hac autem de ea sola particularius disserit, quæ est in pecuniis & possessionibus. Virgines autē huic parabolæ supponit non vtcunque: sed quia magnum quip-
Supra. 19. piam esse virginitatem docuit, quum dixit, Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Vere etenim
† magnum est, ideo neq; sub legis necessitate cōstitutum est †, sed in propria hominum volūtate permissum est: Qui potest inquit capere capiat. Nunc vult ostendere, quod neq; præclarum hoc facinus sine eleemosyna possessum proderit.

† † *Siquidem laudat id exequentem: non autem cogit nolentem.*

Quæ acceptis lampadibus suis exierunt in occursum sponso. Virginea lāpas est munditia quæ à virginitate procedit. Spō sus vero Christus vtpote amans & qui amatur. Exierunt autē
F in occursum eius: expectatione occursus eius.

Quinque autem ex eis erant prudentes, & quinque fatuæ †. *Fatuæ uero acceptis lampadibus suis, non sumpserant oleum secum: prudentes uero acceperant oleum in uasis unà cum lampadibus suis.* Oleum vocat eleemosynæ virtutem. Has ergo merito stultas vocauit, quia quum acrem ac vehementem corporis amorem deuicissent, maioremq; sustinuissent laborem: tenacitate deuictæ sunt. Illud enim bellum multo violentius est, magisque tyrannicum. Rursum vero sapientes nuncupauit cæteras, vtpote non passas, quod stultæ passæ sunt.

† † *Dicit ergo quod uirgo etiam si in cæteris bene se habeat, sit tamen eleemosynæ bonis destituta, unà cum scortis eiicitur, & merito. Vnde uirginitatem dicit uitæ puritatem: oleum autē uocat humanitatem, eleemosynam, auxilium egenis præstitum.*

† *Aliter*

† *Aliter Theologus quædam prædictorum uerborum sumit in adhortatione ad baptismum: uerum & hæc, & illa pulchre dici possunt.* †

A *Tardante uero sponso dormitauerunt omnes & dormierunt.* Tardante propter cunctationem secundi aduentus. Dormitatio autē in hoc loco pro refrigescentia accipienda est: somnus vero pro morte.

Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus uenit, exite in occursum ei. Medium noctis dixit, vel rursum improvisum & inexpectatum demonstrans: vel significans quod in nocte fiet resurrectio mortuorum. Eum vero qui hic clamor dicitur, Paulus iussum ac vocem archangeli dixit, Exite autem, videlicet ē monumentis. 1.Thess.5

Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas. B Omnes quidem surrexerunt: quæ vero ornauerunt lampades suas erant prudentes. Ornauerunt autem olei ornamento.

Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Et hoc stultitiæ fuit, sperasse se ibi oleum ad ornatum accepturas, quod tunc ab aliis possideretur. Extinguuntur autem, obscuratæ tenebris inclementiæ. Solent enim multi tenebrosos quoque vocare inclementes.

Responderunt uero prudentes dicentes, Nequaquam ne non sufficiat nobis & uobis. Et hoc prudentiæ fuit. Docet autem sermo, quod nullus à propria virtute alterum tunc iuuare poterit. Vix enim sibiipsi ad salutem sufficiet, eo quod in multis C delinquat etiam is, qui plurimum virtuti deditus est. Vide autem quomodo prudētes etiam ibi eleemosynam demonstrēt: volentes quidem fatuis tradere, sed non potentes. Hoc enim responsio illarum significat. Deuirgi nib⁹ pru dentib⁹.

Ite potius ad uendentes & emite uobisipsis. Quum ob rationabilem causam tradere non possent: tamen præ humanitate consulunt. Vendentes quidem sunt pauperes: verum tunc nō vendunt.

Euntibus autem illis ut emerent, uenit sponsus. Tentauerunt quidem abire, sed non potuerunt. Ostendit autem & hic sermo, quod tunc vanus erit ad virtutem conatus.

Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias: clausaque est ianua. Nuptiæ sunt communicatio regni cœlorum, & conuersatio

D conuersatio cum Christo.

Postea uero ueniunt & reliquæ uirgines dicentes, Domine domine aperi nobis. Putant enim quod tanquam virgines intrabunt.

At ille respondens ait, Amen dico uobis, non noui uos. Non cognosco inquit vos, extinctis videlicet lampadibus vestris. Cognitionem autem nũc eam intellige, quæ à familiaritate procedit. Nullus enim immisericors familiaris est misericordi Christo. Heu post tantos labores, post tanta certamina, post tanta trophæa, quæ illæ aduersus insanientem naturam erexerant, repudiatæ sunt propter eleemosynã. Vbi ergo quis immisericors virginitatem etiam non habuerit, qua tunc cõ-
E demnatione dignus non erit? Non est autem curiose scrutandum quare decem sint virgines, & quæ sint vasa earum, quæue sit ianua nuptiarum, cæteraque ipsius parabolæ simi-
inf. eodẽ. lia, vt alias quoque frequenter præceptum est. Verum sexagesimoprimo capite scriptum est, quod primum abeunt peccatores in supplicium æternum: deinde iusti in vitam eternã: in præsenti vero capite contrarium apparet, quum ingressis primum prudentibus virginibus, postmodum reprobatę sint fatuæ. Ne suspiceris contrarietatem inesse capitibus: illud siquidem exacte tractat de ordine: hoc autem aliud habet intentum, quod videlicet neque virginitas saluabit, non habens sibi etiam coniunctam eleemosynam, & quod vnius virtus alij tunc non proderit: quodque tunc motus ad virtutem va-
F nus erit. Item quod licet plurimum deprecentur qui condemnati sunt, nequaquam flectunt iudicem. Cætera vero omnia nullo delectu composita sunt, vt probabilis fiat parabola. Nam neque dixit quod ablegatæ sunt in supplicium, eo quod nunc huiusmodi non exacte disquirat.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis ueniet. Frequenter id subinfert, ostendens quod maxima sit vtilitas, vt in hoc attendatur, propter finalis diei & horæ incertitudinem.

CAPVT LX. DE TALENTIS.

Sicut enim homo qui peregre proficiscitur uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua: & huic quidem dedit quinq; talenta, alii autem duo: alii uero unum: unicuique secundum propriam facultatem. Etiam hæc parabola

parabola similis est ei quæ superius de fideli ac prudente ser- A
uo posita est: verum alio modo figurata est: & de his differit, qui à deo gratias acceperunt docendi (nam has nunc talenta vocat propter honorem illarum) & vel per earum vsum lucrum attulerunt, vel defodiendo nihil lucri fecerunt. Dicit ergo quod vocauit seruos suos, filius videlicet hominis, vtpote homo qui peregre profectus erat: & vni quidem dedit quinque talenta, siue multa: Nam varia sunt doctrinæ dona, quæ Paulus enumerauit: alij autem duo, hoc est pauca: alij vero *1.Cor.12.* vnum solum. Hi autem esse possunt episcopi & præceptores ecclesiarum. Deinde addit & causam inæqualitatis in diuisione, quod scilicet fuerit secundum cuiusque facultatem & idoneitatem. B

Et profectus est statim. Hoc est, & reliquit eos vt operarẽtur. Sicut enim de vinea dixit, quod locauit eam agricolis, & peregre profectus est: ita dicit & nunc, vt eius discas lõganimitatem, quomodo non continuo repetat. Quidam autem dicunt peregrinationem esse saluatoris in cœlum assumptionẽ.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & negotiatus per ea confecit altera quinque talenta. Similiter & qui duo, lucratus est & ipse altera duo. † Duplicant ea quæ sibi concredita sunt o- †
mnes qui proficiscuntur ad salutem discipulorum, facientes eos rursus præceptores aliorum.

† *Qui bene operatur & recte docet, duplicat concredita sibi talẽta.* †

Qui uero unum acceperat, egressus fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Terram ipsummet intellige: in seipso e- C
nim retinuit, quod ad operationem datum erat, sic vt nec sibi, nec aliis vtilis fieret.

Post multum uero tempus uenit dominus seruorum illorum, & ponit rationem cum eis. Venit iuxta secundum aduentum: ideo etiam dixit, post multum tempus.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit altera quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce altera quinque talẽta lucratus sum per ea. Lucrum sunt qui per illius diligentiam acquisiti sunt, vt dictum est, & fructificati deo.

Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis: super multa te constituam. Multis gratiis dignum faciam: multa bona tibi tradam.

Intra in gaudium domini tui. Requiem & beatitudinem, per no-

D per nomen gaudij significauit.

Accedens autem & qui duo talenta acceperat, dixit: Domine duo talenta tradidisti mihi: ecce altera duo talenta lucratus sum per ea. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium domini tui.

Quanquam diuersæ fuerunt gratiæ, æqualis tamen est honor: quia & æquale in illis studium. Siquidem vterque accepta duplicauit. Vel etiam aliter dici potest, quod æqualiter quidem laudantur, & æqualiter introducuntur, sed diuersimode remunerantur iuxta proportionem lucrorum, quę ab eis facta sunt.

Accedens autem & qui unum talentum acceperat, dixit: Domine
E *noui te quod homo durus es, metens ubi non seminasti, & colligens ubi non sparsisti: ac territus abii, abscondique talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.* Durus, hoc est austerus. Putabat enim quod sola diligentia eorum qui negociabantur, sine dei auxilio, omne lucrum efficeret. Hanc autem responsionem effinxit parabola, volens ostendere quod tales nihil rationabile respondere poterunt: & quod quæcunque respondebunt cõtra seipsos omnia cõuertentur. Audi ergo quæ sequũtur.

Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue nequam & pi-
F *ger, sciebas quod meto ubi non seminaui, & colligo ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam mensariis, & ueniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Non quasi ille vera dixerit hæc ait dominus: nihil enim recte fit sine ipso, sed suppositio sermone procedit, ac si diceret: Si etiam talis essem, quod verum non est, tamen quia talem me noueras, ideo magis oportebat te exposuisse donum meum, his qui nossent bonum à prauo diiudicare: hos enim appellat mensarios: oportuit te docuisse, admonuisse, cõsuluisse, quicquid in te erat fecisse, reliquum autem mihi permisisse, dico sane repetitionem: oportuit te quod facilius est interea perfecisse: quod autem difficilius est mihi reliquisse. Aes itaque alienum, doctrina est: vsura vero talis æris, additio virtutum. Vsuram vocauit simpliciter omne lucrum, more communi vtens.

Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo. Iussit eum nudari doctrinæ dono: hoc enim dixit talentum: & honorem hunc in additionem

additionem dari ei qui habebat decem talenta. Omni enim A
qui diligentiam & curam habet, dabitur honor, etiam supra eum qui ipsi adiectus erat. Ab eo vero qui diligentiã non habet, vt dictum est, neq; curam auferetur etiam id quod habet doctrinæ donum, tanquam ab eo cui nulli est vsui.

Seruum quoque inutilem eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. Non in ablatione finem pœnæ posuit, sed in supplicium quoque intolerabile ablegauit. Inutilẽ autem dixit pigrum, & nullius bonæ frugis. Vide ergo rem tremendam. Punitur siquidem non quod mala fecerit, sed Psal.33.
quod bona non fecerit. Declina enim inquit à malo & fac bo Lucæ.19.
num. Illa vero parabola, quæ apud Lucam ponitur sexagesimoseptimo capite de decem minis, alia est ab ista, etsi in plu B
ribus sit similis. In illa enim data quidem æqualia fuerunt: lucra vero & honores inæquales. Nam hæc de diuersis doctrinæ gratiis non æqualiter datis differit: illa vero de diuersis æqualiter datis.

CAPVT .LXI. DE ADVENTV CHRISTI.

Vum autem uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ. Narrat etiam deinceps de secundo aduentu suo, ad terrorem & correctionem auditorum. Suam autem gloriam dicit, quę deo propria C
est. Primus enim aduentus eius inglorius factus est. Sedebit vero, tanquam iudex. Sedes autem siue thronus dicitur gloriæ, hoc est gloriosus & regius.

Et congregabuntur ante eum omnes gẽtes. Postquam videlicet à mortuis resurrexerint: prædixit enim variis in locis de resurrectione earum.

Et separabit eas, alteras ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Nunc etenim commixti sunt omnes: tunc vero diligenter separabuntur. De solis autem Christianis loquitur hic sermo, veluti inferius manifestabitur.

Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos uero à sinistris. Ouibus comparantur iusti, propter mansuetudinem, modestiam, ac fructificationem in virtutibus, sicut illæ in lacte &

D lana: Hœdis vero peccatores, propter inclementiam, & immodestiam, ac infructuositatē. Poteris quoque addere, quod etiam propter grauem peccati odorē: & quod non recta gradiantur, sed à recto discedant itinere: quodq; per præcipitia incedant. Verum illa sane animalia, ea quæ habēt, à natura possident: iusti vero & peccatores à voluntate. Ideo quoq; illi honorantur, isti autem puniuntur. Diuidit etiā eos, non quod
me.29. testibus egeat, ipse enim testis est & iudex.

Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum uobis regnum ab exordio mundi.

O vocem optabilem: ô honorem ineffabilem. Benedicti inquit patris mei: laudati, electi. Non dixit autem, Accipite, sed
E possidete, tanquam paternum, tanquam debitum, tanquā præparatum vobis à constitutione mundi. Priusquam enim homines fierent, paratum erat iustis, cognoscente deo, quod futurum erat. Deinde dicit & causam tanti honoris.

Esuriui enim & dedistis mihi edere: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus eram, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Hinc manifestū est, quod ad solos Christianos verba facit, ad quos euangelij sui præcepta facta sunt: nam ad infideles nullus tūc erit ei sermo: omnes enim simul per se cōdemnati erunt. Ideo enim dicit: Non resurgent impij in iudicio, hoc est, non resurgent vt iudicentur, sed vt puniantur. Siquidem manifestatum est etiam superius, quod quando apparebit signum filij homi-
F nis in cœlo, tunc plangent omnes tribus terræ, solam habentes condemnantem conscientiam. Nunc ergo ad Christianos vt diximus sermo est. Vide autem quomodo de sola humanitate siue amore erga proximos differat, & ab hac sola iustos honore dignos iudicat, peccatores vero supplicio. Non quod cætera vel iustorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione vel discussione relinquenda sint: omnium siquidem cuncta inquiret & opera, & verba, & cogitationes, vt ipsemet frequenter sua doctrina manifestauit, & à multis diuinæ scripturæ locis discimus, & bonis quidem operibus præmia rependet, delictis autem pœnas. Sed nūc de sola hac, vt dictum est, virtute differit, confirmare volens quod hanc maxime requirit, & hanc præ omnibus expetit, vtpote Christianis maxime necessariā. Cuiusq; enim Christiani insigne quo dignoscī potest est dilectio. In hoc inquit cognoscent o- Iohan.13.
mnes quod mei discipuli sitis, si dilectionem habueritis inter A
vos mutuam. Huius autem optima pars est pauperum amor, & erga proximum misericordia ac compassio, iuxta Gregorium Theologum. Nulla enim alia re inquit, inter omnes ita colitur deus, vt misericordia: neq; alij cuiquam magis rependetur humanitas quàm humanitati. Præcipue ergo differit de præcipuo Christianorum opere, hoc modo nos & exterrens & attrahens, vt qui homines sumus, humani efficiamur, vtentes ea, qua ipse tunc vtetur humanitate. Iustissima est autem merces, vt inhumanis inhumanitas, & misericordibus misericordia rependatur. Etenim ipse qui misericors est, paruis operibus magnum retribuit præmiū: quid enim regno illi æquale B
esse poterit? Manifestum est autem quod ex his quæ possum⁹, humanitatem requirit: his enim qui nō possunt, sufficit quod velint. Varias enim humanitatis partes recensет: vt siquidem possumus, omnes impleamus: sin autem, at saltem eas quas possumus.

Tunc respondebunt ei iusti dicentes, Domine quādo te uidimus esurientem, & cibauimus: aut sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Quādo uero te uidimus infirmum, uel in carcere, & uenimus ad te? Et respondens rex dicet eis, Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis †, mihi fecistis. Regem vocauit †
seipsum, tāquam omnibus iam subiectis. Quatenus autem, id
est in quantum. Fratres autem vocauit pauperes, vt qui similē C
cum eis susceperit naturam & abiectionem: vel etiam tanquā eos, qui communicauerunt paupertati ipsius.

† *Fratres minimos uocat pauperes, quia humiles, mendici, & abiecti sunt: & eos qui uiles ac despicabiles habentur: Non dico monachos solos, & eos qui montes inhabitant, sed unumquenque fidelium esurientem, siue fame pressum, nudum aut peregrinum: hos inquam fratres uocat. & primum eos laudat, qui his subuenerunt, ut sententiæ suæ institiā demōstret. Venite inquit benedicti patris mei, &c. Quāto bono poterit nomen hoc pensari, ut benedictus sis. idq; à patre.* †

Tunc dicet rex etiam his qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Vides? Regnum quidem hominibus paratum est, ignis vero dæmonibus. Insipientissimi autem homines, relictis his quæ

D regno digna sunt,præferunt ea quæ ignem promerẽtur, ideo etiã ab illo excidentes,ad hunc condemnantur. Deinde rursus causa etiam vltionis ponitur.

Esuriui enim & non dedistis mihi edere : sitiui, & non dedistis mihi bibere:hospes eram, & non collegistis me:nudus, & non operuistis me:infirmus & in carcere, & non uisitastis me. Nõ dixit, Nõ liberastis me paupertate,infirmitate,ac carcere,sed,Quę necessaria sunt non præbuistis, quæ facilia sunt non fecistis. Primum autem misericordes prędicat,ostendens boni operis facilitatem,vt ab illo hos condemnet.

Tunc respondebunt ei, & illi dicentes,Domine quando te uidimus esurientem aut sitientem,aut hospitem, aut nudum, aut infirmum uel
E *in carcere: & non ministrauimus tibi: Tunc respondebit illis dicens, Amen dico uobis,quatenus non fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis.* Merito qui misericors fuit,regnum possidet,quia charitatem quæ virtutum caput est opere compleuit : eius enim pars est eleemosyna. Qui vero fuit immisericors, in ignẽ ablegatur:quia loco dilectionis odium possedit, quod caput est vitiorum,& eius præcipua pars est inhumanitas.Ille quoque misericordem humanumq; deum imitatus est.hic autem immisericordem inhumanumque diabolum.

Et abibunt hi in supplicium æternum:iusti uero in uitam æternam. Væ omnibus quidem peccatoribus , maxime tamen immisericordibus.

Cap.26. *Et factum est postquam finisset Iesus omnes hos sermones : Dixit*
F *discipulis suis:Scitis quod post biduum pascha fit:& filius hominis tradi*
tur ut crucifigatur. Quũ legale pascha decimoquarto mẽsis incideret,sicut lex quæ de illo statuit disponebat: manifestum est quod hæc duodecimo die mensis dixerit discipulis. Hoc siquidem duodecimo die in domo Simonis Leprosi cœnauit: decimotertio vero apud eum in cuius domo instratum est cœnaculum , veluti paulo post demonstrabitur : decimo-
† quarto autem incidit pascha. † Dixit autem hoc significans propinquam esse mortem suam : nam ipso legalis paschæ tẽpore passurus erat & ipse.Non autem simpliciter dixit, Traditur,sed addidit,Vt crucifigatur.Iudęis enim aperte quidem tradit⁹ est post vnum diem,videlicet decimotertio.Nam hoc adhuc durante, postquam cum discipulis mystica cœna communicauerat, traditus est insidiatoribus: vt autem crucifigeretur,

retur,traditus est post duos dies, duodecimum scilicet ac decimum tertium. De decimoquarto enim dicit euangelista, Tunc absoluit illis Barabbam : Iesum autem flagellis cæsum tradidit vt crucifigeretur. A *Infra.27*

† *Memento autorem nostrum in his omnibus sequi dogma Græcorum,quum ipse Græcus esset.* †

Tunc congregati sunt principes sacerdotum & scribæ ac seniores populi in atrium principis sacerdotũ qui dicebatur Caiaphas: & consilium inierunt ut Iesum dolo apprehenderent & occiderent. Quum lex iuberet,vt vnus princeps sacerdotum constitueretur quoad viueret:hoc autem mortuo, alter loco eius crearetur.Iudæi legem euerterunt, & annuã fecerunt summi sacerdotij dignitatem. Vnde verisimile est quod multi tunc erãt, B qui summo functi fuerant sacerdotio, sed iam compleuerant ministerium quod fuerant sortiti,quos nunc principes sacerdotum euangelista nominauit. Scribas autem dicit legisdoctores:Seniores vero populi,antiquos ac sapientiores, qui omnes simul tunc congregati sunt ad Caiapham, qui tũc sorte pontificatum gubernabat,ab hoc volentes cędis ansam capere , à quo potius eos prohiberi oportuit. Dolosam autem apprehensionem dixit occultam captionem : eam enim quæ in propatulo fieret timebant, propter eius discipulos, & eos qui alias illum sequebantur. *Nume.2*

Dicebant autẽ: Non in die festo:ne tumultus fiat in populo. Dicebant autem,Non in die festo,videlicet fiat.Omnibus enim in festo paschæ vndiq; congregatis cõtingeret multos adesse C qui Iesum sequerentur. Præterea quoq; nisi factum esset occultum,certum eis erat turbandum populum, qui illos abominaretur,non solum quod insontem occidissent,sed etiã quod in festo feciſſent , quo consuetum erat etiam condemnatũ, in eius honorem absoluere. Itaq; non deum sed homines vbique timent.Verum quanquam ita statuerunt, non tamen expecta uerunt,sed inuento proditore occasionem rapuerunt, & inui dia rabie ad insaniam redigente,quid expediret,non viderũt: sed hunc in festo immolantes , furoris magnitudinem, quem aduersus eum gerebant,demõstrarunt.Oportebat enim,oportebat inquam salutarem agnum in die immolationis legalis agni immolari:vtẽte in hoc malitia illorum Saluatore ad suã gubernationem:vt figura,modo hoc, modo illud disponẽdo,

 sumeret

D sumeret omnino euentum. Præterea intelligere oportet, quod frequenter eum apprehendere voluerunt, nec potuerũt, quia ipse noluit: vbi autem ipse voluit, tunc etiam nolẽtes (siquidẽ ipsi diem festum cauebant vt dictum est) comprehenderunt
Marc. 14 eum. Eadem & Marcus de hoc dicit. Lucas vero breuiter lo-
ucæ. 22. quens, ad Iudam transiuit. Ioannes autem hoc caput tanquã
han. 13. ab aliis dictum præteriit, quod etiam in multis aliis fecit: nã quum longæuus admodum fuerit, libros illorum assequutus est, veluti in procœmio præsentis libris significauimus: reliquumvero sermonem prosequitur, & de pelui quoque narrat, vtpote ab his prætermissum.

E

CAPVT LXII DE EA QVAE VNXIT DOMINVM VNGVENTO.

Vum autem esset Iesus Bethaniæ in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbẽtis. Scire autẽ oportet tres fuisse mulieres quæ dominum vnguento vnxerunt. Prima quidem
ucæ. 7. apud Lucam, quæ etiam peccatrix erat, & medio prædicationis tempore hoc fecit in domo Simonis Pharisæi, quando etiam solus ex hoc offendiculum sumit Pharisæus, cui mercedem rependit Saluator, peccatorum videlicet remissio-
an. 12. nem. Secunda vero apud Ioannem est, quæ erat Maria soror Lazari vitam habens probatam: & ante sex dies paschæ
F legalis in propria domo hoc fecit, & in gratiarum actionem resurrectionis fratris, protulit vnguentum, propter quod illi mercedem promisit, quando etiam solus murmurat Iudas.

Tertia autem est hæc, de qua Matthæus & Marcus similiter tractant: quæ ante duos dies paschæ accessit in domo Simonis Leprosi: ad distinctionem enim Pharisæi, à lepra insigne illi apposuerunt: simul etiam ostendentes, quod corporis eius immunditiã nõ abominabatur Christ⁹, propter puritatẽ animæ illius: & super caput Christi vnguentũ effudit, nõ super pedes vt ille, quando discipuli quoq; indignabantur. Cuius etiam memoriam in mundum promisit prædicandã. Manifestæ sunt itaque trium differentiæ. Hæc autem quæ animam lepra infectã habebat, vbi Simonem Leprosum curatũ vidit, fiduciam sumpsit, quod & ipsa salutem consequeretur.

Alabastrum

Alabastrum vero, genus est vasis vnguentum continentis. A
Marcus autem vnguenti quoque genus addidit: Nardi, inquit, pistice precioſæ: pistícum vocans purum, vel non temperatum seu mixtum, vt apparet, & ad puritatem seruatum: aut forte hæc appellatio quædam erat vnguẽti. Dicit etiam quod vas comminuerit, præ festinatione videlicet, quia angustum erat, & in caput dominicum infudit.

Intuiti autem discipuli eius indignati sunt dicentes: ad quid perditio hæc? Potuit enim hoc unguentum uœnundari magno & dari pauperibus. Indignati sunt, verum apud seſe, sicut dixit Marcus, qui addidit eos dixisse: Potuit hoc distrahi pluris quàm trecentis denariis: & quod infremebant aduersus illam, hoc est obiurgabant eã & indignabantur illi propter abusum vnguenti. Ad hoc autem adducti sunt humanitate: quum frequenter præceptorem audissent multa de eleemosyna disse- B
rentem, & iam magnam pauperum curam haberent: scientes etiam quod deus misericordiam vult & non sacrificium. Est autem admiratione digna hæc mulier, quę tanto sumptui non pepercerit ob animæ salutem: neque enim propter corporalem hoc fecit sanitatem.

Quo cognito ait illis Iesus: Quid molestiam præbetis mulieri? Quum illa effundere vnguentum festinasset, deinceps tuetur eam Christus, non quod vnguento sibi opus fuerit: sed ne illius fidem retunderent. Et quia discipuli mulierem increpabant impellentes eam ad pœnitentiam eius quod fecerat, audientem ab eis quod vane consumpserit precioſam substantiam: ediuerso illos obiurgat: Molestiam dicens dolores qui
à pœnitẽtia sequuntur, docens quod non oporteat obtunde- C
re hominum fidem quæ germinare incipit, sed pariter eam potius enutrire, neque circa principia exacte disquirere, aut excelsiora ab infirmioribus exigere. Deinde consolatur etiam mulierem, dicens:

Opus enim bonum operata est in me. Vbi simpliciter opus illius laudauit, primum quidem soluit discipulorum de pauperibus prætextũ: postea vero defendit etiam opus eius.

Pauperes enim semper habetis uobiscum, me uero non semper habetis. Quod enim hæc misit unguentum hoc super corpus meum, ad sepeliendum me fecit. De pauperibus scripsit Marcus: Quum inquit, volueritis poteſtis illis benefacere. Dicendo autem,

D Me vero non semper habetis, cædis suæ quæ paulo post futura erat mentionem eis iniecit. Ad sepeliendum me fecit, hoc est ad sepulturam meam, tanquã quæ prophetizauit mortem meam breui futuram. Et hoc etiã manifestius dixit Marcus. Quod habuit hæc, fecit: præuenit vt vngeret corpus meũ ad sepulturam. Moris enim erat cum vnguentis sepelire corpora, vt diutius incorrupta perdurarẽt. Quod habuit, id est quod potuit. Et tu ergo si aliquos construentes ecclesias aut monasteria, siue sacras imagines videris, ne factum dirui iubeas: ne animi illorum promptitudinem retundas: si vero priusquam ædificet, te quispiam interrogauerit, iubeto dare pauperibus.

E *Amen dico uobis: Vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mũdo, hoc quoque quod hæc fecit narrabitur in memoriam ipsius.* Hoc & laus est ac consolatio mulieris, & discipulorum solatium: illius quidem: quia per vniuersum orbem decantabitur: horũ autem, quia prædicatio totum cõprehendet mundum. Hoc euangelium, id est, opus meum & narratio facta de me. Et vere quotquot cognoscunt ea quæ circa Christũ contigerunt, etiam id norunt quòd hæc fecit: & simul cum euangelio prædicatum est huius opus, & in vniuersum percurrit orbem huius memoria. Sed quomodo nihil spirituale mulieri promisit, sed perpetuam duntaxat memoriam? Ex hoc sane, vt illius quoque fiduciam haberet dedit: nam si bonum illius fuisse opus testatus est, manifestũ est quod etiam repẽdet pro
F ipso mercedem. Prefigurauit autem hæc mulier ecclesiã, quę prius erat peccatrix: Vnguentum vero, fidem quã in Christũ effudit. Cõmemorationem autem discipulis vt diximus suggerendo propinquæ cædis suæ, etiam Iudam clam percussit, vtpote quod Christum non lateret, ipsum iniqua tractare: tanquam pœnitentię ianuam illi aperiendo. Ille autem etiam prius de sorore Lazari murmurauerat, dicens: Quare hoc vnguentum nõ veniit trecentis denariis & datum est egenis? Dixit autem hoc, inquit Ioannes, non quod de egenis sollicitus
m.12 esset, sed quia fur erat & loculos habebat, ac ea quę mittebantur portabat. Loculi autem erant marsupium in quo recondebat ea quæ pauperum gratia ascita erant. Quum autem loculos seruaret, volebat etiam vnguenti precium in loculis recondi, quo furari inde posset. Siquidem auaritia captus in furtum

furtum intendebat. Et tunc quidem illi respõsum est, sed quia A
nunc idem factum vidit, ac furandi occasione rursus fraudatus est, iam in iram exarsit: quumque ingressus esset in eum Satanas, sicut dixit Lucas, insidias appetit.

Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum, & ait, Quid uultis mihi dare & ego uobis eum tradam? Quum aliena est effecta domestica, tunc domesticus alienatus est, & ad illos abiit, non ab illis vocatus est. Additum est etiam patriæ cognomen, quia alius etiam Iudas erat qui Iacobi dicebatur. Non dixit autem Iesum Christum, sed Eum: iam enim & nomen eius oderat. Lucas vero dixit quod etiam loquutus est cum magistratibus quemadmodum illum tradat eis. Principes enim sacerdotum persuaserant quoque magistratibus, vt sibi essent auxilio aduersus Iesum, tanquam contra eum qui vulgus ad seditionem solicitabat. B

At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ut eum traderet. Principes autem sacerdotum appenderunt ei triginta argenteos: nam argenteus certum libræ pondus erat, sicut etiam denarius, stater, talentum. Marcus vero dicit quod promiserunt ei argentum se daturos. Lucas autem quod pacti sunt. Verisimile est autem quod primum pacti sunt & promiserunt: postmodum vero appenderunt siue constituerunt. Quidam tamen intellexerunt Constituerunt. hoc est, pacti sunt & decreuerunt. Argẽtum vero singulariter dicitur etiam multitudo argenteorum. Lucas autem de Iuda quoque addidit, quod spopondit, siue firmiter pactum fecit, è corde promittẽdo se facturum, quod statutum erat: ita enim capitur apud eum ἐξομολόγησε. Op- C
portunitatem vero intellige tempus conueniens quo propter eum comprehensum, non esset futurum, vt exoriretur tumultus. Necesse est autem ab hoc loco ad finẽ vsque euangeliorum, omnimodam atque exactam adferre diligentiam, quo dicta euangelistarum inter se concordemus, in his quæ consona non apparent, sed potius non aduertentibus multam præbent difficultatem. Ob hoc ergo ea quæ Matthæi sunt tractantes, etiam quæ aliorum sunt, vbi res exposcerit in medium adferemus, tanquam ad enarrationem necessaria, quo sermo conformis ac manifestus reddatur.

CAPVT

CAPVT. LXIII. INTERROGATIO DE PRAEPARATIONE PASCHAE.

PRimo autem azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes eit Vbi uis paremus tibi ad edendum pascha? Azyma quidem ipsum pascha vocant euangelistæ Matthæus & Marcus, quia circa pascha cum agni carnibus etiam azyma edebant: & ab his azymis ipsum quoque pascha cognominabatur azyma. Confirmat hoc & Lucas dicens: Appropinquauit festus dies azymorum, qui dicebatur pascha. Primum autem azymorum dicunt diem qui pascha præcedit, decimumtertuim videlicet mensis & quintum septimanæ, vocantes hunc primum azymorum, quasi præcedentem ipsa paschæ azyma. Et huius
E sermonis manifestus testis est Ioannes qui ait, Ante diem festum paschæ sciens Iesus quod veniret hora eius & cætera. Hunc ergo diem quem Matthæus & Marcus primum azymorum vocauerunt, hic Diem ante festum paschæ nominauit. Sed hæc quidem hactenus. Quod autem de hoc die, videlicet decimotertio mensis, quinto autem hebdomadæ Marcus dixit: Et primo die azymorum quando pascha immolabant: Lucas vero: Venit etiam dies azymorum, in quo necesse erat immolari pascha: illud, Quando pascha immolabant: & hoc, In quo necesse erat immolari pascha, ne ad primum azymorum coniungas. Non enim decimotertio, sed decimoquarto immolabatur. Dicit enī lex, In primo mēse, in decimoquarto die mensis ad vesperam per medium vesperaF rum pascha erit domino. Verum si ad vesperam per medium vesperarum pascha immolabant, quomodo diem appellant pascha & azyma? Quia vesperam, diei præcedenti coniungere solent Iudæi. Itaque à vespera paschæ & azymorum, diem quoque ipsius vesperæ vocant azyma. Quomodo autē de decimotertio die mēsis dixit Lucas, Venit dies azymorū? Quia dictio ἤγγικε venit, significat etiam instabat, imminebat: & hoc nunc vsus est significato. Scire autem oportet, quod etsi azyma decimoquarto die mensis incipiebant, festum tamen azymorum decimoquinto perficiebant. Dicit enim lex: Decimoquinto die mensis festum azymorū erit domino. Et hunc etiam primum azymorum vocabant, vtpote prænumeratum septem

septem determinatis diebus, quibus nihil fermentatum edeA batur. Sed non de hoc festo azymorum, neque de hoc primo azymorum dixerunt euangelistæ, vt demonstratum est. Illud siquidem decimoquinto die mēsis accidebat, illi vero de decimotertio die scripserunt. Dicentes vero discipuli, Vbi vis paremus tibi ad edendū pascha, demonstrauerunt quod proprium habitaculum nō habebat. Puto autem quod neq; ipsi, quum prius omnia reliquissent: alioqui eum illuc inuitassent vt veniret. Perficit vero pascha, ostendens quod vsq; ad mortem legem obseruabat. Ait autem Lucas primū dixisse Christum discipulis, Euntes parate nobis pascha vt edamus: deinde discipulos interrogasse, Vbi vis paremus?

At ille dixit: Ite in ciuitatem † *ad quendam & dicite ei: Tempus meū prope est: apud te facio pascha cum discipulis meis.* † Mar- B cus numerum quoque dixit eorum qui missi sunt, puta quod duo. Lucas vero etiam horum addidit nomina dicens, quod misit Petrum & Ioannem. Ciuitatem autem pro Ierosolymis accipito. Et vide quomodo dicens, Quendam in obliquo, viri nomen conticuerit: ne Iudas cognita domo ad insidiatores excurrat, & illos ad se introducat, priusquam cœnam mysticam discipulis tradiderit. Pro domo vero dedit aliud indicium, quod scripsit Marcus dicens, Occurret vobis homo hydriam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocunq; ingressus fuerit, dicite patrifamilias, Magister dicit, Vbi est diuersorium in quo pascha cum discipulis meis edam? Et ille vobis ostendet cœnaculum grande instratum: illic parate nobis. Proxima his etiā scripsit Lucas. Tempus autē eius pro- C pinquum, intelligimus tempus mortis ipsius. Cum discipulis meis addidit, vt pro his quoque sufficiens præpararetur conuiuium: κατάλυμα vero quod Marcus dixit (& nos vertimus diuersorium) est cœnaculum. Apparet autem quod fidelis hic paterfamilias, siue diuina reuelatione, siue corporali Saluatoris colloquutione, nouerat quod apud se facturus esset ille pascha: & ideo ad susceptionem præparatum habebat cœnaculum. Præterea in hoc etiā loco cum autoritate significat, tanquam omnium dominus. Mystice vero significatur, quod ad quēcunq; diuinum baptisma ingressum fuerit, Nam id hydriæ aqua figuratur: apud hunc Christus requiescit, maxime si instratum habeat cœnaculum, siue purificatam mentem, & adornatam

D adornatam splendore contemplationum supernaturalium: Illic inquit parate nobis: ea videlicet quæ ad paschæ festũ conueniunt, agnum, azyma, lactucas agrestes ac baculos.

† † *Ciuitas quidam iuxta anagogen, sensibilis est mundus. Homo uero, generaliter natura est humana. Duo autem qui ad hunc mittuntur discipuli, lex ueteris ac noui testamẽti: tanquam præcursores quidam Christo mysticum conuiuium præparantes: illa quidem per philosophiam practicam eos ab omni inquinatione expurgãs: hæc autem per theoricam sacrorum disciplinam à corporalibus ad cognatas intelligibiles uisiones, animæ mentem attollens. Practicæ quidem signum fuit Petrus, theoricæ uero Ioannes. Præterea illa, Lagenã aquæ baiulans esse potest, quæ per operationem in humeris uirtutum, tanquam in lagena, id est, mortificatione membrorum corporis quæ sunt super ter*

E *ram, excubias seruat, puta gratiam spiritus sancti, quæ per fidem purificat: hæc uero paterfamilias intelligi potest, quæ per contemplationis altitudinem, seipsam excelsa intelligentia instrauit, ut Deo dignis cogitationibus ac dogmatibus, diuinum suscipiat sermonem. Aliter ad idem. Ciuitas cuiusque anima est, ad quam à Deo mittuntur: hic quidem, sermo de uirtute: ille autem de cognitione. Qui uero lagenã aquæ baiulat, est fortis cogitatio, quæ temperãtiæ humeris defert data sibi in baptismate gratiam. Domus autem, quæ ex multis ac uariis, firmis ac uirilibus moribus & cogitationibus, tanquam lapidibus ædificatur, est status habitusque uirtutum. Cœnaculum est sublimis in-*

F *telligentia & aptitudo ad scientiam, quæ sternitur diuinis & ineffabilibus sermonibus ac reuelationibus. Paterfamilias mens est quæ ipsius domus per uirtutem constructæ, clara celsitudine, & cognitionis magnitudine dilatatur: apud quem facit dominus, pascha, hoc est transitum: accedens ad eum unà cum discipulis suis, id est, sublimibus sermonibus ac institutionibus, quæ de Deo, & à Deo sunt.*

Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, ac præparauerunt pascha. Sicut constituit, hoc est præcepit. Parauerunt pascha id est, ea quæ ad paschæ festum opus erant, sicut dictũ est. Manifestum ergo est Christum tunc legale pascha manducasse: neque enim frustra quæ necessaria erant præpararunt.

Vespera autem facta discumbebat cum duodecim. Lucas autẽ dixit: Quumq; hora aduenisset, videlicet serotina siue vespertina. Hinc affirmant quidam non comedisse tunc Christum legale pascha, & causas adducunt, quod decimustertius tunc dies mensis esset: oportebat autem decimoquarto pascha comedere.

medere. Quodque lex stantes edere iuberet: ipse vero discubuit. Præterea omnis panis fermentatus ante immolationem abiiciebatur, igneque comburebatur: nunc autem & panis adest, & diuiditur. Ad hæc assatum tantum edere fas erat: hic vero etiam ius quo intingitur panis, apponitur. Respondendum ergo est ad vnamquamque hæsitationem. Tempus quidem dispensatiue anticipauit vno die. Quia enim nouerat se decimoquarto die moriturum: siquidẽ equum erat vt die quo immolabatur figuratiuus agnus, & verus quoque agnus immolaretur, vt inuicem responderent figura & veritas. Edit igitur decimotertio die pascha, rebus aliter non sinentibus: nam ita & legale impleuit pascha, & spirituale tradidit, statimque in ea nocte à Iudæis comprehensus est. Ideo etiam dixisse eum discipulis scribit Lucas, Desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum antequam patiar, hoc est festinatione festinaui hoc anno pascha edere vobiscum antequã patiar, id est, non expectaui tempus à lege statutum, ne passio crucis prohiberet legalem cœnam ac mysticam. Et hæc quidem de tempore. De modo autem manducandi, verisimile est quod stantes primum manducauerunt pascha secundum legem: deinde discubuerunt & cœnauerũt. Panis autem & ius apposita sunt postquam illi pascha manducauerant, & in cœna discubuerant: nondum enim venerat decimusquartus dies, quo omne fermentatum abiectum erat. Nec quicquam vetabat iurulenta quoque edere. Et quam ob causam tacuerunt euangelistæ paschæ mutationem? Quia necessarium non erat de hac re dicere: quid enim Christianis cõferebat huius rei narratio? hãc ergo prætermiserunt: sermones tamen cœnæ mysticæ diligentius pertractarunt, vtpote maxime necessarios ac plurimum conducentes ad fidem nostram. Et vbique regulam hanc obseruant, vt quæ necessaria non sunt prætercurrãt, vel in transitu solum mentionem eorum faciant, omnem diligentiam ac studium circa vtilia dirigẽtes. Verum quum ante legitimum tempus Christus pascha perfecerit, quomodo Iudæi manifesta hac accusatione relicta, quærebant falsum testimoniũ aduersus Iesum? Quia sciebant nullam esse legem, quæ condemnaret eum qui pascha ante tempus celebrasset: præuidente olim Deo quod futurum erat, nihilque de hoc statuente. Et viderem admiratione dignam, quod contra eum, qui post legitimum

D timum tempus celebrasset statutum erat, nisi talis occasionē maxime necessariam prætexisset: contra eum vero qui tempus præuenisset, nulla erat definita pœna. Ioannes autem dicit, quod quum à cœna surrexisset, pedesque discipulorum lauisset, rursus discubuit: Nam hoc caput ab aliis euangelistis est prætermissum: & ideo scripsit ille quemadmodum in enarratione euangelij eius Deo donante referemus.

Et edentibus illis dixit: Amen dico uobis quod unus uestrum me traditurus est. Marcus vero addidit, Qui manducat mecum: ne suspicarentur quod vnum diceret eorum qui crediderant, qui non esset vnus de duodecim discipulis. Simul quoque Iudæ clanculum testabatur se nosse cor eius. Etenim pedes etiā eius lauit, ad pœnitentiam eum reuocans, quanquā ille in du-
E ritia permansit. Traditionem autem intellige proditionem. Tradidit enim eum in mortē, & insidiatoribus hūc prodidit.

Et contristati admodum cœperunt singuli dicere ei: Nunquid ego sum domine? Hæc etiam Marcus dixit, Elegit autem Christus, vt cæteri omnes timerent ac contristarentur, quo perditus discipulus cōuerteretur. Quare autem cæteri anxij erant, quum nihil tale sibi conscij essent? Quia præceptori maxime credebant tanquam veracissimo, & timebat quisque ne forte talis euaderet mente excęcatus.

At ille respondens dixit: Qui intinxit mecum manum in catino, hic me tradet. Ponit quoq; insigne quo posset ille dignosci, Marcus vero dixit, Vnus ex duodecim qui intingit mecum in catinum. Hoc autem Saluator ad Iudæ confusionem adduxit.
F Adeo enim præceptorem despexerat, vt iam eum non vereretur, sed cum eo intingeret. Catinus autem est lancis genus.

esa.50. 3. ere.11. 2. *Filius quidam hominis abit sicut scriptum est de ipso: Væ autem homini illi per quem filius hominis proditur.* Abit, hoc est, vadit, transit ab hac vita, sicut scriptum est à prophetis de ipso, quo modo videlicet moriturus est.

Bonum esset ei si natus non fuisset homo ille. Vtile fuisset ei quum in vtero matris crescret omnino non nasci, qui tale flagitium perpetraturus erat, vt tali dignus esset futurus supplicio. Dicunt autem quidam culpa carere eum, qui quod prædefinitum erat peregit. Quibus nos dicimus, quod non quia prædefinitū erat, tradidit: sed quia tradidit, ideo prædefinitū erat, Deo præuidente quicquid euenturum erat. Talis enim euasurus

euasurus erat non à natura, sed ex voluntate. Et quare omni- A
no suscepit Christus in discipulum eum, qui talis euasurus erat? Vt manifesta fieret magnitudo bonitatis Christi & malitiæ proditoris: quomodo ille suum proditorem salutaria docuit ac dilexit: gratiisque dignum duxit: nec ab aliis segregauit, sed omnia quæ ad conuersionem ac correctionem eius erant, induxit: ne dicere posset, quod præceptorem nactus nō fuerat, qui volentes posset seruare. At ille quū omnia hæc consequutus fuisset, nihilominus malus permansit. Ex quo enim animam suam domiciliū diabolo fecerat, auaritia ei aperiente, illumque introducente, non effugit scelus. Vnde tanquam non coacte, sed voluntarie factum proditorem, deplorat hūc dominus, commiseratus potius eum, qui multos suos de inopia sermones frustra audiuerit, & sese auaritiæ ac diabolo fa- B
cile capiendum tradiderit: non sane ob inefficaciam verborū præceptoris, quæ & publicanos attraxerunt & meretrices, sed propter illius segnitiem & malitiam. Verum dicet rursus aliquis, Si bonum erat Iudæ si natus non fuisset, cur eum nasci permisit? Quia non malus natus est, sed mentis nequitia ac voluntatis prauitate malus effectus est: nullum autem cogit fieri bonum, ne inuoluntarie sit bonus, sed salutaria suggerit, & ea eligentem coadiuuat: permittit autem vnumquemque ferri quo voluerit, vtpote liberū habentem arbitriū. Et Iudas ergo nō quia natus est, malus effectus est, sed quia ignauia torpuit. Qui autem mali efficiuntur, duplicē merētur vltionē: & quia mali facti sunt, & quia à bonis nullā ceperunt vtilitatē. Simi liter & qui boni efficiūtur, duplici digni sunt honore, & quia boni facti sunt, & quia à malis nullū reportauerūt damnum. C

Respondens autē Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? O impudentiam, interrogat tentans interim latere discipulos. A principio siquidem non interrogauit quando dixit Christus, Vnus ex vobis: putabat enim latere præceptorē: vbi vero indicium addidit, nouit iam quod cognitus esset: sed cæteris interrogantibus, interrogat & ipse, confidens de præceptoris benignitate, quod palam eum omnino non argueret: ideo quoque Rabbi illum vocat, hoc est magister.

Dicit illi, Tu dixisti. Vide quàm clementer arguat eum, terminos nobis ac regulas longanimitatis describens. Ait enim, Tu testatus es te esse. Auferendo enim, Nunquid, relinquitur,

Ego sum

D Ego sum Rabbi, quod depositionem ac confessionem significat. Christus itaque nihil prętermisit eorum quę ad correctionem spectant: ob hoc enim diuersimode suggessit ac retinuit, & per opera, & per sermones, per timorem & per obsequium. Quoniam vero nihil illum ab ægritudine reuocauit, sed penitus incurabilis permansit: eo iam relicto pergit ad cętera.

CAPVT .LXIIII. DE COENA MYSTICA.

E *Edentibus autem illis sumpto Iesus pane quum gratias egisset fregit, deditque discipulis & dixit: Accipite, comedite: hoc est corpus meum.* † Postquam legale pascha comedissent, discumbentes cœnabant, vt prædictum est: deinde quum surrexisset lauit pedes eorum, vt ait Ioannes: & rursus discumbentes edebant. Postmodum cœnam mysticam tradidit interim discipulis. Edentibus inquit illis, sumpto pane, qui videlicet appositus erat, aut altero qui similiter ei tanquam magistro erat appositus: fregit siue comminuit, & tradidit illis. Lucas vero postquam scripsit, Hoc est corpus meum, addidit: Quod pro vobis datur, siue traditur in mortem. Egit autem gratias & nunc ante panem, & postmodum ante poculum: docens quod gratias agere oportet ante huiusmodi mysterium, quod perfectū est ad præstandum naturæ nostræ beneficium. Si enim agni figuratiui immolatio ab interfectione liberationem, & à ser-
F uitute libertatem Iudæis præstitit, quanto maiora præstabit Christianis veri agni immolatio. Simul etiam ostendēs, quod vltroneus ad passionem veniret, & præterea docens nos gratias agere in omnibus quæ patimur. Sicut autem pictores in vna tabula & lineas supponunt, & picturas adumbrant, & colores superinducunt ac formant: ita quoque Christus in eadem mensa & figuratiuum ac vmbratile pascha subscripsit, & verum ac perfectum apposuit. Et quia cædes agni legalis cædem rationalis agni præfigurabat: oportebat omnino vmbram euanescere, apparente sole, & figuram cedere, aduenien te veritate,

† *Dicitur hoc mysterium etiā Participatio, quia participamus hæc sacramenta. Dicitur & Communio, quia communicamus & Christo & no-*

bis inuicem per ea: & incorporamur Christo, & membra inter A
nos inuicem efficimur. Non autem corrumpuntur ista, neque in secessum abscedunt, sed in substantiam coassumuntur spiritualem eius qui participat. Et sicut non aliud corpus & sanguis fiunt à corpore & sanguine eius qui participat: ita rursum neque aliud corpus & sanguinē dicimus à corpore & sanguine domini: Hoc enim est corpus meum inquit. Et rursus: Hic est enim sanguis meus. Est autem supernaturale uerbum. Et quanquam Magnus Basilius exemplaria hæc esse dixit: hoc tamen est priusquam sanctificentur & gratiam accipiant. Vide autem quomodo è naturalibus supernaturalia fiant. Naturalis siquidē cibus est ac potus panis ac uini quæ proponūtur: supernaturalis uero, efficax horum operatio. Primum autem lauit pedes discipulorum, deinde eos mysterii huius fecit esse participes: ut discamus: quod primū purificari eos oporteat, deinde participare. Carbonem uidit Iesaias: B
Carbo autem non est simpliciter lignum, sed lignum ignitum. Illuminat quidem carbo huius mysterii eos qui digni sunt: indignos uero inflammat: iuxta duplicem ignis operationem. Inflammat autem, puniēdo & absumendo.

Et sumpto poculo quum gratias egisset, dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus qui est noui testamēti. Noui testamenti, siue nouæ legislationis. Siquidē sanguis figuratiui agni, veteris erat testamēti: sanguis autē veri agni, est noui. † †

† *Vel hoc dixit, propter sanguinem de quo in ueteri testamento fit sermo. In exodo enim dicitur quod postquam Moses uitulos immolasset, dimidium sanguinem effudit in craterem: sumptumque testamēti librum legit audiente populo: & dixerunt: Omnia quæcunq; locutus est dominus faciemus, & obedientes erimus. Sumpto autem Mo-* C
ses sanguine aspersit populum, & ait: Ecce sanguinem testamenti quod pepegit uobiscum dominus de omnib⁹ his sermonibus. Erat itaque sanguis ille sigillum siue signaculum testamenti, ac testimonium & confirmatio fœderis populi.

Qui pro multis effunditur. Ille quidem sanguis pro solis effundebatur Hebræis: hic autē pro omnibus hominibus. Multos siquidē hic dicit omnes: nam omnes multi sunt. Vel multis, dixit comparatione gentis horum Hebræorum: illis enim plures sunt hi, qui ex omnibus liberantur & saluātur, propter quos Christus mortuus est.

In remissionem peccatorum. Ille siquidem in salutem tantum primogenitorum effundebatur: hic autem in remissionē pec-

D catorum omnium hominum. Vide ergo quanto veteribus ma
iora sint noua mysteria. Aptissime vero nominauit hic testa-
mentum propter appropinquantem mortem: testantur enim
qui moriuntur. Itaque sicut vetus testamentum hostias & san
guinem habebat: ita sane & nouũ, corpus videlicet & sangui-
nem domini. Non dixit autem, Hæc sunt signa corporis mei
& sanguinis mei: sed, Hæc sunt corpus meũ & sanguis meus.
Oportet ergo non ad naturam eorum quæ proponuntur aspi
cere, sed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim supernatu-
raliter assumptam carnem deificauit (si ita loqui liceat) ita
& hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus
suum & in ipsum preciosum sanguinem suum, & in gratiam
ipsorum. Habent autem similitudinem quãdam, panis ad cor
E pus, & vinum ad sanguinem. Nam & panis, & corpus terrea
sunt: vinum autẽ & sanguis aërea & calida. Et quemadmodũ
panis confortat, ita & Christi corpus hoc facit, ac magis etiã
corpus & animam sanctificat. Et sicut vinum lætificat, ita &
sanguis Christi hoc facit, & insuper prẽsidiũ efficitur. Quod
si de vno corpore & sanguine omnes fideles participam⁹, om
nes vnum sumus per ipsam horum mysteriorum participa-
tionem: & in Christo omnes, & Christus in omnibus. Qui e-
ioan.6. dit inquit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me ma
net & ego in illo. Verbum siquidem, per assumptionem carni
vnitum est: hæc rursus caro vnitur nobis per participationẽ.
Facta autem sanguinis & testamenti mentione, rursum mor-
tem suam repræsentauit, vt hæc facile ab eis susciperetur, fre-
F quentissima mentione efficiens. Nam si hac, licet sæpius an-
nuntiata, ad passionis tamen nomen turbabantur quid non
passi fuissent, si hanc primum non didicissent. Ait autem Lu-
cas hoc quoque dixisse Christum, Hoc facite in mei recorda
tionem: hoc inquit nouum mysterium, & non illud vetus. Si-
quidem vetus illud mysterium in recordationem inductum
est salutis Hebræorum primogenitorũ in Aegypto, ac liber-
tatis Hebræorum: hoc autem in recordationem domini. Per
tale enim sacrificium reminiscimur, quod corpus suum pro
nobis in mortem tradiderit, & sanguinem suum effuderit, ac
ita continuitate memoriam renouamus. Vidisti quo pacto di
scipulos à veteri sacrificio in nouũ transtulerit? nam quæ est
deinceps imaginis vtilitas, verum iam exemplar habentibus?

Dicit

Dicit autẽ Chrysostomus, quod Christus tunc primus parti- A
cipauit mysteriũ, ne molestũ eis esset, quod carnẽ & sanguinẽ
participare eos hortaretur: cuius etiam signũ erat quia dixit.

Dico autem uobis, quod non bibam posthac ex hoc fructu uitis usq;
in diem illum, quum illum bibam uobiscum nouũ in regno patris mei.

Quod si poculum participauit, vtique & panem. Posthac ve-
ro, id est, ab hac hora. Diem autem illum vocat tempus post
resurrectionem, quando edit & bibit cum discipulis: quod e-
tiam ipsi sumentes pro certo resurrectionis indicio, dicebant,
Qui manducauimus & bibimus cum eo. Nouum vero, id est, Actor.10.
nouo & admirando modo. Quum enim corpus haberet im-
mortale, nec amplius cibo egeret aut potu, comedit tamen &
bibit: non ob necessitatem, sed ob certitudinem, ne phãtasma
videretur. Regnum autem vocat potestatem datam sibi tan- B
quam homini post resurrectionem. Data est mihi inquit om-
nis potestas in cœlo & in terra. Patris tamen mei dicit, hoc Infrà.28.
est, quod à patre mihi datum est. Hoc autem dixit, quia ad il-
lũ refert omnia quæ sunt. Similiter & Marcus scripsit, Quan-
do bibam illum nouum in regno Dei. Præterea Lucas, Donec
regnum Dei veniat: vocantes hi similiter Regnum, prædictã
potestatem. Lucas etiam de legali pascha Christum ait dixis
se, Non edam ex eo donec compleatur in regno Dei, quod vi
delicet erit in seculo venturo: tunc enim pascha perficiet &
perfectius & purius immolans ineffabile verbum diuinitatis
& humanitatis suæ, gladio doctrinæ dissecans illud ac diui-
dens his qui sacrorum suorum doctrina digni erunt. Quod
autem vel quantum gaudium est, vt nos quidem discamus, il- C
le vero doceat: & vnà cum eisdem eius discipulis verbum par
ticipemus, sicut ait Gregorius Theologus. Pulcherrima est Luc.22.
de tali pascha philosophia. Sed de his hactenus. Nunc autem
Lucæ verba tractanda sunt ac concilianda, quatenus possibi-
le fuerit. Ait enim ille Christum primo quidem sumpsisse po
culum & gratias egisse ac dixisse: Accipite hoc & diuidite in
ter vos. Deinde sumpsisse panem & gratias egisse ac diuisisse:
Similiter autem & poculum ipsum. Vnde videtur de duobus
loqui poculis. Nõ est autem ita, sed primum quidem sumpsit
poculum & benedixit ac dixit: Accipite hoc & diuidite inter
vos. Deinde quum addidisset, Nequaquam bibam de hoc fru
ctu vitis donec regnum Dei veniat: timore mortis suæ turba-

 nit eos.

D uit eos. Vt autem verisimile est, facta concertatione ac confu
sione, repositum est poculum. Deinde aliquanto post tempo-
re facta sunt quæ sequuntur, siue panis siue poculi traditio.
Quum enim dixerit euangelista de pane, quod vbi gratias e-
gisset fregit ac dedit eis: deinde subiunxerit, Similiter & pocu
lum ipsum: ostendit quod illud ipsum fuit poculū quod prius
acceperat: Non enim simpliciter dixit, Similiter & poculum:
sed, Similiter & poculum ipsum, addito videlicet articulo, &
rem de qua facta est mentio significando. Præterea quod sub-
iungitur, Hoc ipsum poculū nouum testamentum est in meo
sanguine: & si scabrosa loquutio videatur, nihil tamen differt
à dicto sermone, quem Matthæus & Marcus scripserunt. Illi
siquidem dixerunt, Hic est sanguis meus qui est noui testamē
E ti, hoc est, qui nouum tradit testamētum. Hic autem ait, Hoc
ipsum poculum nouum testamentum est, quod ego nunc te-
stor præcipiens vobis, vt ita faciatis. Hoc autem nouum testa
mentum est in meo sanguine. vetus enim testamentum irra-
tionalis animalis sanguinem habebat. Similiter & quod sequi
tur, Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in men
sa, simile est illi quod dicitur, Qui māducat mecum: aut: Qui
intinxit mecum manum in catino. Hoc autem posuit Lucas
post panis & poculi diuisionem: Matthæus & Marcus ante il
lam. Vnde apparet, quod hoc bis dixerit Christus, & ante my
steriorum traditionem quando in catinum intingentes ede-
bant: & post traditionem quādo rursus appositus est catinus.
Et hoc etiam magnam habet dubitationem: quo modo quum
F Matthæus dixerit Christum ante traditionem mysteriorum
manifestasse proditorem, respondens illi, Tu dixisti. Rursus
Ioannes post mysteriorum traditionem ignorantes scribit di
Ioan.13. scipulos ac hæsitantes: quando & seipsum à Petro incitatum,
interrogasse dicit præceptorem, & sibi datum esse signum in-
tinctam offulam. Manifestum enim est, quod hoc postea fa-
ctum est. Nam accepta, inquit, ille offula, exiuit continuo: Ce
teris quidem enarratorib⁹ nulla cura digna apparuit præsens
quæstio: nos autem quod post multos labores intelleximus, in
medium afferemus. Percepimus sane quod ante panem & po
culum discipulis pariter interrogantibus, Christus signum de
dit commune, Qui intinxit inquit mecum: &, qui intingitur.
Siquidē omnes & intinxerant, & adhuc intingebantur. Dein
de prodi-

de proditore singulariter interrogante, addidit particularius A
dicens, Tu dixisti. Sed prius quidem indicium magis obum-
brauit: secundum autem, minus quidem, attamen etiam hoc
benignitate obumbrauit: vt Iudas cognito tam à communio-
ri signo, quàm à particulariori quod non lateret, pœnitentia
duceretur antequam cæteris discipulis manifestaretur. Verū
hi neque à priori indicio, neque à posteriori intelligere po-
tuerunt quis esset proditor: illud enim, Tu dixisti, ænigmati
simile erat. Nec enim manifeste confessus erat, Ego sum, sed
per interrogationem. Nunquid ego sum? Itaque tacuerunt,
ne quo modo tāquam insensatis exprobraret Christus: Nam Supra.15.
& hoc alibi passi sunt. Iudas vero à secundo quidem indicio
intellexit, quod à Christo cognitus esset: putans tamen se di-
scipulis nondū manifestatū esse, quum illi non intellexissent, B
ignorantem se finxit, sumpta à clemētia præceptoris fiducia.
Post diuisionem autem mysteriorum rursus saluator de pro-
ditione testatur siue protestatus est, veluti scripsit Ioannes, vt
vel sic Iudas tantam expertus longanimitatem, nec manifeste
traductus, neque mysteriis frustratus, sed æque cum discipu-
lis horum particeps effectus, melior ac mente sanior efficere-
tur. Statim ergo discipuli, iam vlterius tolerare nequeuntes:
plurimum enim anxij erant, & ad seinuicem respiciebāt, hæ-
sitantes de quo diceret: ipsi quidem interrogationem facere
ausi non sunt, ob eam quam paulo ante diximus causam: sed
hanc Petrus Ioanni commisit, tanquam maxime à præcepto-
re dilecto, & tunc in eius sinu recumbenti: at ille conuersus,
& cum reuerentia super pectus eius recidens: in aurem inter- C
rogauit. Et tunc saluator cognito quod Iudas incurabilis per-
maneret: nec sic quidem publicauit eum: sed respondit & ipse
in aurem, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero: & in-
tinctum panem dat Iudæ Simonis Iscariotæ. Sciens ergo Iu-
das quod hoc signum erat, tum à secreta Christi ad Ioannem
colloquutione, tum quia soli ipsi talis offula data erat: hæc e-
nim alia erat à pane, qui omnibus diuisus est. Præterea quum
audisset, Quod facis, fac citius: hoc est, quod cogitatione fa-
cis, perficito & opere: siquidem tempus iam appropinquabat.
Quanquam adhuc discipulis ignota erant & quæ de offula
erant, vtpote soli Ioāni secreto dicta. Alius itidem sermo in-
certus erat ad quid dictus esset: quidam enim, inquit, putabāt

D quia loculos habebat Iudas, quod diceret ei Iesus, Eme ea quę ad festum nobis necessaria sunt, aut pauperibus, vt aliquid daret. Tunc itaque non ferens infamiam, suspicatus est enim, quod omnibus manifestatus esset, & discipulos quoq; timens, ne se forsitan discerperent, exiuit continuo: & ad insidiatores abiit. Hæc autem omnia solus Ioannes retulit, vtpote ab aliis prętermissa. Illud vero, Quæ ad festum nobis necessaria sunt, multis enarratoribus difficultatem ingessit. Diem enim paschæ iam celebrauerant, vt prædictum est: Ergo manifestum est quosdam discipulorum cognouisse quam ob causam magister præuenerat tempus celebrandi pascha: quidam vero intentũ eius ignorantes putabant quòd ipsum adhuc celebraturus esset in ipsa parasceue. Aut festum, intelligendum
E est de festo azymorum. Quare vero dicatur dominus Ioannem diligere, & quare in sinu eius recubuerit, dicetur annuẽte domino in enarratione euãgelij secũdum Ioannem. Quod si Lucas ait in Iudam ingressum esse satanam priusquam loqueretur cum principibus sacerdotũ & magistratibus de proditione: Ioannes vero post acceptam offulam, nulla est contradictio. Primum enim satanas experimentum sumebat, miserumque explorabat: postmodum vero cognito quę designata erant, iam velut incorrigibilem magna fiditia ingressus est. Nec tamen despiciendo diuina mysteria ingressus est: id enim nequaquam fieri potuit, sed quòd hunc sciret indignum qui in his versaretur, & quòd inde nullam sumpturus esset vtilitatem.

F *Et dictis laudibus exierunt in montem oliuarum.* Gratias quidem egit ante distributionem, laudes autem dixerunt post distributionem: vt & nos ita faciamus, gratias Deo agentes, ipsumque glorificantes, qui nos huiusmodi bonis dignos duxit. Exiuit autem in montem oliuarum, ne occultari videretur, & ne propter eum in ciuitate fieret seditio. Mons vero oliuarum vltra torrentem Cedrõn erat, iuxta Ioannis scripturam: Ioan.18. vbi erat hortus in quem ingressus est ipse & discipuli eius. Sciebat autem inquit & Iudas, qui tradebat eum, locum, quod frequenter conueniret illuc Iesus cum discipulis suis. Manifestum est ergo quod sæpius foris pernoctabat in mõtibus, tum vt absque vlla distractione oraret, tum etiam vt discipulis secretiores sermones communicaret. Siquidem priusquam exiret

exiret in montem plurima dixit, quorum quædam scripsit Lucas, quædam vero Ioannes. A

Tunc ait illis Iesus: Omnes uos offendiculum patiemini mea causa in hac nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis. Offendiculum patiemini, hoc est excutietur à vobis fides quam in me habetis, siue fugietis. Est autem prophetę Zachariæ dictum quod sequitur. Dicitur autem pater percussisse filium, vtpote permittens vt ipse vulneraretur siue occideretur. Hinc itaq; manifestum est, quod voluntate patris ac diuina dispensatione occisus est. Zach.13.

Postquam autem resurrexero præcedam uos in Galilæam. Vbi tristia prædixit, prædicit etiam consolatoria. Præcedam, hoc est, præueniam vos in Galilæam, ibi vos excepturus. B

Respondens autẽ Petrus dixit ei, Et si omnes offendãtur tui causa, ego tamen nunquam offendar. Quum maxime deprecari opus fuisset, ac dicere, Domine auxiliare nobis. Ille in tribus erauit. Primum quod prophetæ ac Christo cõtradixit. Secundo quod se aliis præposuit. Tertio quod in seipso solo, & non in diuino auxilio fiduciam habuit: ideo etiam cadere permittitur, vt corripiatur ac discat non nimis in seipso cõfidere: & cæteri quoq; corripiantur. Quod autem ait Lucas, Simon Simon ecce satanas expetiuit vos, & cętera alio dixit tempore, priusquam videlicet egrederetur in montem oliuarum: ideo etiam alterius sunt illa propositi ac sermonis.

Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quod in hac nocte priusquam gallus canat, ter me abnegabis. Priusquam gallus canat, id est, antequam vllius temporis expleat sonos. Solet namque gallus variis temporibus sępius canere, deinde cessare, & post aliquantum temporis rursus ab altero principio canere. Hoc autem Marcus planius significauit dicens, Tu hodie in hac nocte priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. Negationem vero dicit, assertionem, quod se non nouerit Petrus. Dicit enim Lucas, Non canet hodie gallus priusquam ter abneges, te nosse me. C

Dicit ei Petrus: Etiam si opus sit me mori tecum, nequaquam te abnegabo. Quanto firmius affirmat Christus, tanto Petrus e diuerso maiorem ostendit fortitudinem: vehemens enim erat in ipso affectus propriæ confidentiæ, ideo miserum patitur naufragium: à diuino auxilio solus relictus, vt eius arguatur

D infirmitas. Vide autem quomodo post hæc sit ad modestiam reuocatus. Siquidem quum post resurrectionem de Ioanne dixisset, Domine hic autem quid? & impositum esset ei silentium, ilico obticuit. Et ante assumptionem quum audisset, Non est vestrum nosse tempora vel occasiones temporum, similiter conticuit. Et post hæc de linteo quum audisset, Quæ deus purificauit, tu communia ne dixeris, quanquam non intelligeret manifeste quod dicebatur, non tamen ausus est respondere. Hæc autem omnia casus ille negationis correxit. Et ante hoc quidem, quicquid erat fidei in se reponebat, dicens: Ego tamen nunquam offendar: &, Nequaquam te abnegabo: quum addēdum fuisset, Si te habuero ad-

E iutorem. Postmodum autem de claudi sanatione palam di-

cebat, Quid nos intuemini quasi nostra virtute aut pietate effecerimus vt hic ambularet? Hinc ergo magnum discimus documentum, quod neque humana promptitudo quicquam efficiat absque diuino auxilio, neque diuinum auxilium prosit absque promptitudine humana. Vtriusq; rei exempla sunt Petrus & Iudas. Oportet ergo neque obdormire, omni negotio in deum reiecto: neque rursum putare seipsos omne opus efficere. Siquidem nec totum operatur deus, ne ocioſi permaneamus: nec totum nobis permittit, ne gloriemur, sed ab vnoquoque quod nociuum est auferens, quod vtile est, nobis reliquit. Permisit itaq; cæterorum principem cadere, non propter dictas tantum causas, verum etiam vt amplius amaret:

F cui enim dimissum fuerit amplius, hic amplius diliget. Et nos itaque credamus vbiq; deo, nec contradicamus, etiam si quod ab eo dicitur contrarium esse videatur nostris cogitationibus & aspectibus: sit tamen firmior sermo eius nostris cogitationibus & aspectibus. Ita quoque in adorandis mysteriis faciamus, non ea solum quæ proponuntur intuentes, sed sermonibus eius credentes. Quumque ille dicat, Hoc est corpus meum: &, Hic est sanguis meus: & pareamus & credamus. Siquidem etiam in baptismo, sensibilis quidem est aqua, sed intelligibile donum est regeneratio. Quia enim corpori conserta est in nobis anima, in sensibilibus intelligibilia tradidit nobis deus.

Similiter & omnes discipuli dixerunt. Imitantes & ipsi Petrum.

Tunc

Tunc uenit cum illis Iesus in uillam quæ dicitur Gethsemane, † *& ait discipulis: Sedete hic donec uadam & orem illic.* Solus abit A ad orationem, docens oportere eum qui feruenter oraturus est, solitarium orare.

† *Quod Hebræis sonat uallem pinguedinum. Siquidem* גיא *Gevallem significat, &* שמן *Semen pinguedinem uel oleum: Vnde* גשמנים *Gesemanim uallem oliuarum uel pinguedinum.*

Et assumpto Petro, duobusque filiis Zebedæi cœpit contristari & mœstus esse. Nō ad orationem eos assumpsit, sed antequam oraret: vt seorsim separatis ab aliis discipulis suam ostenderet tristitiam. Marcus autem dicit, quod cœpit expauescere, id est timere. Permisit enim naturæ pati quod suum erat. ἀδημονεῖν autem (pro quo Mœstum esse vertimus) significat B nunc acerbo esse animo. Mœstitiam itaque & animi acerbitatem demonstrat: ostendens quod sicut omnino deus est, ita omnino homo est: proprium est aūtem humanæ naturæ mœstitiam pati propter mortem maxime violentam, hancque timere. Solis autē his demonstratur, vt qui soli spectatores fuerant diuinæ glorię ipsius in transfiguratione, & qui magis inter omnes poterant non turbari aut decidere.

Tunc ait illis Iesus: Tristis est anima mea usque ad mortem: Manete hic, & uigilate mecum. Manifestius naturæ pandit infirmitatem tanquam homo. Quod autem ait, Vsque ad mortem, tantundem est ac si dicat, Sicut in morte. Vigilare vero secum iubet eos consolationis gratia, sicut moris est in afflictionibus. Deinde etiam hos ibi relinquit, & solus abit C ad orandum.

Et progressus pusillum procidit in faciem suam. Lucas vero etiam spatij dixit mensuram, quod auulsus est ab eis quantū iactus est lapidis.

Orans & dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me poculum istud. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Dicens, Si possibile est transeat à me poculum istud, humanum demonstrauit timorem, poculum vocans mortem. Dicens autem, Verūtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, docuit quod natura licet retrahente, sequi oporteat dei volūtatem, illamq; propriæ voluntati præponere, tanquam maxime vtilem. Quod vero ait, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu: planius retulit Lucas dicens, Veruntamen non mea volūtas sed tua fiat.

Marcus

D Marcus autem dicit quod orabat, vt si possibile esset, transiret à se hora, videlicet mortis. Et ℣ dicebat, Abba pater omnia tibi possibilia sunt, transfer poculum hoc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu. Dictio Abba Hebraica est †, significãs idem quod pater: ideo quoque sua interpretatio apposita est. Quod autem additur, Sed non quod ego volo, sed quod tu, defectiua oratio est: deficit enim, Fiat: nam completa oratio est: Fiat non quod ego volo, sed quod tu. Apud Lucam vero scriptum est, Pater si vis transferre poculum hoc à me: & similiter est oratio defectiua: deficit enim, Transfer. Vt homo autẽ dicebat, Si possibile est, hoc est quatenus fieri potest: humanum est enim timere. Verisimile est autem omnia
E per partes dicta esse. Solemus enim in precationibus vnum & idem vario modo dicere.

† † *Imo* אבא *abba Chaldaicum potius est: nam Hebræi* אב *ab dicunt.*

Et uenit ad discipulos, & reperit eos dormientes, & ait Petro: Sic? Sic per modum interrogationis legendum est. Pudore namque affecit eum. Atqui etiam alij dormiebant. Sed hunc vehementius obiurgauit tanquam magis temerarium, dicens: Sic te promisisti facturum?

Non potuistis una horã uigilare mecum? Mecum mori promisistis, & non potuistis vna hora vigilare mecum? Marcus autem ait dixisse Petro: Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? Præcipue enim ad illum direxit sermonem, de-
F inde etiam ad alios.

Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Non vobis ipsis confidatis, neq; magna promittatis, sed attendite & orate ne intretis in tentationem. Quidam vero, Tẽtationem interpretantur hic de negatione.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Anima quidem prompta est, & audenter accedit periculum: caro vero quum infirma sit, formidat, nec adeo constans est: ideo cõuenit ne promptitudinem animæ attendentes insolescant, sed carnis infirmitatem aduertentes modesti sint.

Rursus secundo abiit & orauit dicens: Pater mi si non potest hoc poculum transire nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Marcus autem scripsit quod eundem dixerit sermonem. Verisimile est ergo & hunc & illum dixisse.

Et uenit

Et uenit & reperit eos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Grauabantur non tantum somno, sed & mœrore, sicut dixit Lucas. Iam enim certiores facti erant de morte ipsius. Marcus vero dixit, Et nesciebant quid ei responderent. A

Et relictis illis abiit iterum, & orauit tertio eundem sermonem dicens. Secundo & tertio orauit, docens quod sæpius orare oporteat, & non defatigari. Venit autem secundo ad discipulos, conuincens infirmitatem illorum, qui post correptionem meliores redditi non fuissent, sed adeo somno demersi essent, vt neque respondere ei possent: ideo tunc nõ obiurgauit eos. Lucas autem latius dixit, quod apparuit illi angelus de cœlo confortans eum: dicens videlicet ei tanquam B homini vt confortaretur ac roboraretur. Quodque factus in agonia, hoc est angore correptus protendebat orationem: docens nos, vt in necessitatibus orationem protendamus. Et quod factus est sudor eius sicut grumi sanguinis decurrentes in terrã. Grumi sanguinis, hoc est, crassissimæ sanguinis guttæ: significans non quod sanguinem sudauerit, sed quod crassos deduxerit sudores. Ne fictio videatur quod factum est, non in facie tantum mœstitiam demonstrat, sed & manifestius hunc prodit: & orat frequentius: angelusque ei apparet, ad fortitudinem exercens: & angore corripitur, ac protendit orationem: crassique defluunt sudores. Hæc autem omnia & facit & patitur confirmans, quod non phantastice humanitatem assumpserit, sed iuxta veritatem. Etenim si etiam his ita C factis quæ ad humanitatem pertinebant, quidam adhuc eius incarnationem non credunt, quanto magis increduli essent, si hæc facta non fuissent? Dignum est autẽ, vt inquiramus, vnde didicerint euangelistæ, quid tunc orans dixerit, & quoties orauerit: ac vt semel dicam de angelo & cæteris quæ ab hoc loco sequuntur? Siquidem discipuli omnes tunc dormiebant, postmodũ vero eo relicto fugerũt. Mihi sane apparet quod post resurrectionem præceptor ipse etiam hæc discipulis di- *Actorũ.*
xerit, quando per dies quadraginta eis apparuit, sicuti refert Actorum liber.

Tunc uenit ad discipulos suos & ait illis: Dormite iam & requiescite. Pudore suffundẽs eos ac obiurgans hoc dicit, quod in articulo periculi dormitarẽt, quum tamen multis eos vigilare

præcepisset

D præcepisset & orare: illi autem obliuioni cuncta tradidissent, ac si diceret: Ex quo hactenus non vigilastis, iam deinceps dormite & requiescite, si potestis.

opterea os in Mar traduxi us Cō- etū est. *Ecce appropinquauit hora.* Hora proditionis. Marcus autē ait eum ante hunc sermonem dixisse ἀπέχει aufert, hoc est, accepit aduersum me diabolus potestatem. Vel abscedūt quæ de me sunt, siue finem habent. Nam etiam apud Lucam dixit, Ea quæ sunt de me finem habent.

Et filius hominis traditur in manus peccatorum. Hoc manifestum est.

Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradit. Etiā hinc ostendit, quod voluntarie pateretur. Præsciens enim eos qui cum proditore venirent, nō fugit, sed potius in occursum eo-
E rum exire festinat, dicens, Eamus ad illos. Lucas autem ait eum dixisse discipulis, Vt quid dormitis? surgite & orate, vt non intretis in tentationem. Verisimile est ergo hæc primū dixisse, deinde addidisse, Surgite eamus.

CAPVT. LXV. DE TRADITIONE IESV.

Et adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missa à principibus sacerdotū & senioribus populi. Vnus de duodecim additur pro indicio ad significandū quod è primo discipulorum choro erat. Et posi-
F tum est hoc in Iudæ accusationem. Tangit autem hoc & alios discipulos, non tamen pudefiunt scribentes ea euangelistæ: Vbique enim veritati student. Ioānes vero de Iuda dicit, quod sumpta cohorte & à pontificibus & pharisęis ministris, venit illuc cum laternis & facibus ac armis.

an.18 *Qui autem tradebat eum dedit illis signum dicens, Quemcunque osculatus fuero, ipse est, apprehendite eum.* Post tanta argumenta occultare studebat quod ipse eum proderet, ideo palā quidem non prodit, sed osculum effingit, fiduciam habens de mā suetudine saluatoris, quod eum non repelleret, quum id magis sufficeret, vt eum confunderet, omnique venia priuaret, qui adeo humanum prodebat. Timens autem ne forte insidiatores effugeret, quod frequenter fecerat, admonet dicens: Apprehendite

prehēdite eum & abducite caute: hoc enim addidit Marcus. A
Sed Christus hunc euincens, quod frustra se ficto signo munierit, ac ostēdens quod se inuitum nequaquam possent comprehendere, egressus dixit eis, sicut scripsit Ioannes, Quem quæritis? Respondērunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. O verbi potentiam. Non potuerunt sustinere tantum, Ego sum: ideo quum & faces haberent & lampades, excæcati sunt vna cum proditore. Præterea quum gladiis & fustibus armati essent, dissoluti sunt & ceciderūt. Postquam autem suam ostendit virtutem, deinceps permittit, ac iterum interrogauit eos, Quem quæritis? At illi dixerunt, Ie- B
sum Nazarenū. Respondit Iesus: Dixi vobis, quod ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Iudas vero his quoque ita factis, non est mutatus: nec mínimo quidem puncto ab his quæ dispōsuerat, discessit.

Et confestim accedens ad Iesum dixit, Aue rabbi: & osculatus est eum. Ait autem Lucas dixisse Christum Iudæ quum accederet, vt oscularetur eum, Iuda osculo filium hominis tradis? Patienter enim expressit ei, quo fine fuerit ille osculatus: & exprobrauit quod amoris signum, feciſſet signum proditiōis: & tamen non repulit, sed & osculum susćepit, & se vt abduceretur præbuit. Ille autem quum tantum accepisset experimentum virtutis illius & humanitatis ac mansuetudinis, omni tamen permansit fera crudelior. C

Iesu autem dixit ei, Amice ad quod † uenisti. Vide miseri- †
cordiam inenarrabilem. Siquidem donec traditus est, fuit illi cura de proditore. Ideo etiam nunc amicum nominauit eum, qui erat inimicus. Quod autem addit, Ad quod venisti, non est per modum interrogationis legendum: sciebat enim ad quid venerat: sed enuntiatiue: significat enim: Ad id propter quod aduenisti, id est iuxta intentum tuum operare relicto velamento. Finis siquidem erat proditio, velamentum autem, osculum & sermo.

† *Quod Græce habetur ἐφ' ᾧ, capi potest pro ad quid & pro ad quod, uel propter quod, interrogatiue uidelicet, uel relatiue capto ᾧ.* †

Tunc accedentes iniecerunt manus in Iesum, & apprehenderunt eum. Secundum datum signum.

Et ecce

D Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extenta manu exemit gladium suum, & percutiens seruum pontificis, amputauit illius auriculam. Lucas autem scripsit, Videntes hi qui circa ipsum erãt quod futurum erat, dixerunt ei, Domine percutiemus ne gladio? Et percussit vnus quispiam ex eis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram. Ioannes vero eum quoq; manifestauit qui percussit dicens, Simon ergo Petrus quum haberet gladium, exeruit eum, & percussit pontificis seruum, amputauitque auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Nam cum adhuc cæteri interrogarent, ipse non expectata responsione, vtpote feruẽtissimus: percussit quidem in caput, sed auriculam amputauit. Habebant enim duos gladios, sicut dixit Lucas, quos vt verisimile est à cœna sumpserant: quibus vtpote magnis vti possent in
E auxilium aduersus eos qui inuasuri erant. Vidẽs autem Iesus quod factum erat, dixit, Sinite hucvsque, tactaque illius auricula sanauit eum. Nam & hoc addidit Lucas. Dicens itaq; Christus, Sinite huc vsque, ostendit quod iuxta dispensationem ablata sit seruo principis sacerdotum auricula, in signum quod principes sacerdotum prę inuidia auditu priuati essent, ne audirẽt & intelligerent eas quæ de ipso erant prophetias. Sanans autem illum, ostendit misericordiam quam erga illos haberet, quodque de illis si libuisset, pœnas sumpsisset: verum ostendit oportere potius beneficio afficere malefaciẽtes. Sed quomodo is, qui de non vleiscendo mandatum acceperat, gladio percutit? Primum quidem non pro seipso hoc fecit, sed
F pro præceptore. deinde, nondum perfectus erat: postmodum autem videas hunc sexcentas pati iniurias, atque omnia mãsuete tolerantem. Admirari etiam quispiam poterit, quomodo non comprehẽderint discipulos ac trucidauerint propter id quod factum est in seruum principis sacerdotum. Sed vere ipsa virtus quę hos excæcauerat ac prostrauerat, illa etiã tunc iram, quã de auriculæ amputatione conceperant, dispersit.

Tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui accipiunt gladium, gladio morientur. Vbi eum increpasset docuit, neque etiam pro deo defendendo vtendum esse gladio †. Per gladium vero omnia arma, prohibuit. Quod autem dicit, Omnes qui accipiũt gladium, prophetia est perditionis Iudęorum, qui aduersus ipsum venerant. Ioannes vero ait

oquitur
priua-
ipsona.

rõ ait eum dixisse: An non bibam poculum quod dedit mihi A
pater? ostendens hæc non à potestate illorum fieri, sed patris permissione, quodq; patri sit obediens vsq; ad mortem.

An putas quod non possum modo rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum? Legio agmẽ est militare maximi numeri. Non dixit autem, Possum eos perdere, ne absurda loqui videatur, ppter susceptas affectiones: mœrorem videlicet, pauorem, agoniam, sudores, & quæcunque paulo ante tanquam homo passus est. Nondum enim eam quam decebat, conceperant de eo opinionem, & idcirco humilia de se loquitur. In tãto autem numero legiones dixit angelorum, vt abunde confortet eos, qui timore erant pene e- 4.Re.29
mortui. Vnus siquidem angelus quõdam centum octoginta- 2.Par.32
quinque millia hominum breui tempore interfecit. B

Quomodo ergo complebuntur scripturæ, quod sic oportet fieri? Nisi ita interemptus fuero, inquit, quomodo complebuntur scripturæ propheticæ, quotquot de morte mea loquũtur? quæ scribunt quod ita oporteat fieri, quod ita oporteat me mori.

In illa hora dixit Iesus turbis, Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus, ut comprehenderetis me: Quotidie apud uos sedebam in templo docens, & non apprehendistis me. Ostẽdit his quoque, quod non sua virtute apprehenderint eum. Sicut enim tunc non potuerunt eum apprehendere, ita neque nunc, nisi omnino voluisset. Lucas vero ait hæc eum dixisse his, qui venerant ad ipsum, principibus sacerdotum ac magistratibus templi & senioribus. Verisimile est autem, & his & illis eum dixisse. Apparet ergo quõd Iudas quidem sumpta cohorte, &
à pontificibus & pharisæis ministris, præcesserit. sequuti sunt C
autem eum quidam etiam summi sacerdotes ac magistratus templi & seniores, quos nunc Lucas significauit: simul quidem vt eos qui missi erant incitarent: simul etiam ne muneribus allicerentur. Magistratus vero templi dixit eos, qui illud cum militibus seruabant, cum quibus etiam superius loquutus esse dicitur Iudas.

Hoc autem totum factum est ut complerentur scripturæ prophetarũ. Hoc totum, puta quod me voluerim apprehendi, factum est, vt complerentur ac perficerentur scripturæ prophetarum, quotquot narrant de morte mea. Ies.50.53 Ierem.11 & 12

Tunc discipuli eius omnes relicto eo fugerunt. Audito quod voluntarie

D voluntarie seipsum traderet secundũ scripturas: & viso quod deinceps futurum non erat vt effugeret, tunc fugerunt iuxta infallibile ipsius vaticinium. Marcus vero addidit, quod vnus quispiam adolescentulus sequebatur illum circũamictus sindone super nudum, & apprehendunt eum adolescentuli. At ille relicta sindone, nudus fugit ab eis. Quidam itaque aiunt à domo illa fuisse adolescentulum, in qua Christus pascha māducauerat. Alij autem hunc fuisse dicunt Iacobum fratrem domini, qui etiam tota vita sua vnica veste vtebatur. Circũamictus autẽ erat sindone super nudum, videlicet corpus.

At illi apprehensum Iesum adduxerunt ad Caiapham pontificem, ubi scribæ & pharisæi congregati erant. Similia quoq; scripserunt Marcus & Lucas: at Ioannes latius ac diligentius scri- Ioan.18
E bens ea quæ ab hoc loco sequuntur, vtpote qui rebus illis adfuit, dicit. Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, ac duxerunt eũ ad Annam primum: erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Deinde vbi particulariter recitauit quæ in domo annæ facta sunt, quæ alij prætermiserunt euangelistæ, tandem dicit, Et misit eum Annas ligatum ad Caiapham pontificem.

Petrus autem sequebatur eum procul usque ad atrium principis sacerdotum. Reuersi statim, ipse & Ioannes sequebantur: Ioannes vero permissus quoque est appropinquare, vtpote notus pontifici, sicut ipse scribit. Cæteri autem tres euangelistæ concorditer Petri tantum meminerunt, necessitate ducti, vt
F ostenderent Saluatoris vaticinium de illius negatione fuisse completum: vtque ostenderent quantum sit malum in seipso quempiam, non in deo confidere. Ioannes vero suiipsius etiã fecit mentionem diligentiæ causa: ne tamen seipsum laudare videatur, vtpote quod in eiusmodi periculis sequutus sit, nomen proprium conticuit & dixit: Sequebatur autem Iesum Simon Petrus & alius discipulus.

Et ingressus intro, sedebat cum ministris ut uideret finẽ. Tres quidem euangelistæ tres Petri negationes in Caiaphæ domo factas esse dicunt, Ioannes autem in domo Annæ soceri ipsi⁹, nec tamen ob hoc inter eos est dissonãtia. Siquidem amborũ vna domus erat, idemque atrium, habens in se duo habitacula à se inuicem separata. Scire autem oportet, quod Matthæus dicit

dicit ancillam primum terruisse Petrum: exinde alterã: postmodum vero astantes. Marcus vero primum ancillam, exinde rursus eandem ipsam, postmodum astãtes. At Lucas primum ancillam, deinde alterum, & postmodum alium quẽdam. Ioannes autem primum ancillam ostiariam: exinde quosdam: tertio vnum ex seruis pontificis, eius cognatum cui Petrus auriculam absciderat. Si tamen aduertamus, nec sic dissonantia vlla reperitur. In prima siquidem negatione eadem ancilla apud quatuor euangelistas fuisse memoratur: in secunda vero quosdam ostendit Ioannes interrogasse Petrum: at hi quidam, erant ancilla de qua dixit Matthæus, & prior ancilla de qua ait Marcus, & alter de quo scripsit Lucas. In tertia autem negatione eodem modo Marcus & Lucas dixerũt, B astantes scilicet interrogasse Petrum, in quibus erat & alius de quo apud Lucam, & hic est qui à Ioanne dicitur seruus pontificis. Postquam ergo ea quæ necessaria erant significauimus, declaranda sunt quæ vlterius sequuntur. Quæ in domo Caiaphæ facta sunt, non sunt recitata à Ioanne, eo quod à cæteris dicta essent. A Nota.

Principes autem sacerdotum & seniores, totumq; concilium, quærebant falsum testimonium aduersus Iesum, ut eum morti traderent, & non inueniebant. Vt illis quidem videbatur, verum testimonium: vt autem rei veritas erat, falsum testimonium. Vel etiã quum scirẽt, quod aduersus innocentẽ verum testimoniũ non inuenirent, iam falsum quoque exquirebant testimoniũ. Volebant sane tanquam reum condemnare illum, ideo etiam C forum iuditiale effingunt, ac falsum testimonium quærunt: ipsi & iudices & accusatores effecti, & studebant eum apud se condemnare: nam apud iudices diffidebant, quod huius negotij essent reportaturi victoriam.

Quumque multi falsi testes accessissent, non inueniebant. Nam contraria sibi mutuo testabantur. Ait enim Marcus: Et idonea testimonia non erant. Completa est autem & Dauidica Psal.9 prophetia quæ dicit, Quæretur peccatum illius & non inuenietur.

Postmodũ uero accesserunt duo falsi testes & dixerunt: Hic dixit, Possum dissoluere templũ dei, & ĩ triduo ædificare illud. Dixit, at non dixit soluã, sed, Soluite: neq; de tẽplo manufacto, sed de Ioan.2 proprio corpore. Propter hoc enim etiam hos euangelista fal

D sos testes appellauit. Marcus vero ait: Et quidam assurgebant, & falsum testimonium aduersus illum ferebant, dicētes: Nos audiuimus ipsum dicentem, Ego dissoluam templum hoc manufactum, & in triduo aliud non manufactum ædificabo. Et nec sic idoneum erat testimonium illorum. Multi siquidem de tali materia testabantur, duo vero concorditer ferebant, quos dixit Matthæus: alij vero duo diuersa loquebantur, propter quod dixit Marcus, quòd non erat idoneum testimonium illorum.

Et surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes? Cur isti aduersum te testimonium ferunt? Iesus autem tacebat. Videns & iudicij forum iniquum: nam latronum iudicio simile videbatur, & tyrannicum tribunal. Sciens etiam quod apud huiusmodi frustra responsurus esset, tacebat.

E

Et respondens summus sacerdos, dixit ei, Adiuro te per deum uiuum, ut dicas nobis, an tu es Christus filius dei. Adiurauit, volēs eum ad responsionem attrahere: vt hac facta, hunc ex ea condemnaret. Addidit autem filius dei, quia etiam reges & prophetæ Christi dicebātur à χριεσθαι, hoc est vngi. Marcus vero ait, Filius benedicti, siue, dei qui benedictus est & laudat⁹.

Dicit ei Iesus, Tu dixisti. Etiam hic ablata dictione, An, relinquitur, Tu es Christus filius dei. Ait autem Marcus eū dixisse, Ego sum: vtrunq; enim dixit, Tu dixisti quod ego sum. Sciens ergo quod non crediturus esset, tamen veritatem deponit, ne postmodum dicere possent: Si posteaquam adiuratus

F est confessus fuisset, vtique credidissemus.

Veruntamen dico uobis: Amodo uidebitis filium hominis sedentē à dextris uirtutis †, & uenientem in nubibus cœli. Amodo, hoc est, non longo post tempore. Significat autem tempus post resurrectionem. Videbitis me qui à vobis interimor sedētem à dextris virtutis quæ est dei, hoc est, breue erit tempus insidiarum quæ in me incitatæ sunt: Paruo enim expleto tempore superior omnibus inimicis meis efficiar.

† † *Eodem uidelicet throno cum deo & patre. Insuper Venientem quoque secundo suo aduentu in nubibus cœli tanquam deum. Videbitis autem dixit, non quod hi eum essent ita uisuri: sed protestatus est quod ita uenturus esset: aut ad eos dirigitur sermo qui ex eis crediturí erant. Præterea uerbum, Videbitis, significat etiam Cognoscetis. Dicit autem apud Lucam: Ex hoc tempore erit filius hominis*

minis sedens à dextris uirtutis dei. A

Tunc summus sacerdos discidit uestimenta sua dicens, Blasphemauit: quid amplius egemus testibus? Moris erat Iudæis, quum aliquid triste vidissent, vel audissent discindere vestimēta sua: quod etiam nunc summus sacerdos fecit, tanquam audita blasphemia intolerabili. Et hoc facto, licet inuitus, simul prophetauit quod discindendus esset pontificatus Iudæorum.

Ecce nunc audistis blasphemiam eius. Quid uobis uidetur? Auxit etiam suo dicto accusationem, & blasphemiam vocans responsum, & prēiudicio damnans eum, & exinde cæteris viam faciens ad eum condemnandum, quasi scilicet manifestato eis delicto, cogens eos ad pronuntiandam sententiam, vt ita roboretur condemnatio, & ex hoc, tanquam reum Pilato tradant vt interimatur.

At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis. Quod volebant statuerunt. Nam corrupta mens, corruptam fert & sententiam. Lucas vero scripsit, quod duxerunt illum in concilium suum dicentes, Si tu es Christus, dic nobis. Ait autem illis, Si dixero vobis non credetis: quod si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque absoluetis. Ex hoc tempore erit filius hominis sedens à dextris virtutis dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei? Ipse vero ait ad illos, Vos dicitis quod ego sum. At illi dixerunt, Quid amplius nobis opus est testibus? ipsi enim audiuimus ex ore eius. Verisimile est enim & summum sacerdotem & consessores interrogasse & examinasse eum: rursumque ipsum & illi & istis respondisse. Quare autem occulte ipsum non occiderunt? Ne inuidia moti occidisse eum viderentur. Studebant ergo publice illum tanquam maleficum occidere: perdere nitentes opinionem quam de eo turbæ cōceperant. Ideo etiam petierunt, vt crucifigerent eum: & simul cum eo latrones crucifixerunt. Ediuerso autem factum est quàm illi optauerant. Nam quia publice interemptus est, magis resplenduit gloria eius. Rursumque in sepulchro sigilla, militumq; custodia veritatem magis effulgere fecerunt.

B

C

Tunc expuerunt in faciem eius. Horreto cœlum & terra, vniuersaque creatura, in quam faciem, quam intulerunt iniuriam.

Et colaphis eum cæciderunt. Alii autem alapas in faciem eius de-

D derunt, dicentes, *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Quia à multis propheta dicebatur, verberabant eum tãquam falsum prophetam, facie eius veste contecta, ne videret, sicuti Marcus & Lucas dixerunt. Nunc autem cædebant, nunc vero alapas dabant dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Est autẽ colaphus verberatio quæ in collo fit vacua manu vt sonum ædat: alapa vero in faciem datur.

Post iniustam enim condemnationem tanquam abiectum quempiam & triobolarem in medio sumentes, hi quidẽ quicquid in buccam veniebat debacchabantur in eum, non liberi solum, sed & serui: alij vero omnimodam aduersus eum mouebant insaniam, gaudentiq; animo rabiem euomebant.

Vniuersa autem magno animo sustinebat, docẽs nos iniurias
E tolerare. Et erat apud illos vehemens prauitatis abundantia, apud hunc vero tolerantia. Est autem admiratione dignum, quomodo euãgelistæ tanquam veritatis amatores, quæ etiam maxime probrosa videntur, referunt, & neque Iudam aut Iudæos tanquam inimicos cõuitiis lacessunt: neque magistrum tanquam præceptorẽ, sublimem efferunt, sed quasi nullo moti affectu omnia narrant, ac solius curam habent veritatis, & vbique ad id quod res postulat se conferunt.

CAPVT. LXVI. DE NEGATIONE PETRI.

F *Petrus autem sedebat foris in atrio. Et accessit ad eum una ancillula dicens: Et tu eras cum Iesu Nazareno. Ille autem negauit coram omnibus dicens, Nescio quid dicas.* Vide quomodo eum, qui paulo ante adeo sese iactabat, infirma ancillula præceptorem negare fecit, vtpote diuina destitutum gratia.

Quã autem exisset in uestibulũ, uidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Iesu Nazareno. Rursumq; negauit cum iuramento dicens, nõ noui hominem. Heu qualem reddit eũ timor. Non solum eum negauit, sed etiam cum iuramẽto. Exiuit autem non extra vestibulum, sed in vestibulũ, hoc est, prio rem atrij partem. Nam Marcus προαύλιον dixit.

Et post pusillum accesserunt astantes & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es: siquidem loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit execrari

execrari & iurare, quod non nosset hominem. Marcus autem di- A
xit: Nam & Galilæus es, & loquela tua conuenit. Habebant enim quippiam insigne Galilæi in veste, & quasdam præterea idiomatis proprietates. Execrari autem est deuouere. Vnde Marcus scripsit ἀναθεματίζειν. Ambo vero hæc, maledictiones inferre significant.

Statimque gallus cecinit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei, Priusquam gallus canat, ter me negabis. Marcus autẽ dixit, quod cum Petrus semel negauit, tunc gallus primum cecinit: quando vero tertio negauit, tunc secundo cecinit. Notauit autem hoc, manifestans quod primũ gallicinium nõ admonuit eum. Rursum autem Lucas scribit, quod postquam gallus cecinit, conuersus dominus respexit Petrum, per aspectum ad memoriam eum reducens. Adeo enim illum deuice- B
rat timor, vt paulominus fuerit emortuus: quumq; gallus nõ semel tãtum, sed & bis cecinisset, neque ita ad sensum redierat, sed opus etiam fuerat saluatoris aspectu. Vide ergo infirmitatem in quàm breui tempore tertio negauerit, & successiue tres emiserit negationes, non quæstionibus examinatus, sed forte fortuna in transitu requisitus.

Et egressus foras fleuit amare. Egressus est foras, ne forte flens, & ipse apprehenderetur. Fleuit autem, non vtcunque, sed acerbe. Marcus autem dicit, quod adiiciens fleuit: adiiciens, hoc est incipiens. Ioannes vero hoc, tanquam ab aliis dictum prætermisit. Vidisti peccatum? vide & pœnitentiam. Ob hoc enim peccata & pœnitentiæ sanctorum scri C
ptæ sunt. Permissus est autem cadere Petrus, non propter dictas tantum causas, sed etiam vt ignoscere discat his quoque qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens: nam pastor constituendus erat. Et vt magnorum factus operator miraculorum, modestus sit, ac sui casus recordatus, deo rem 2.Cor.1
omnem ascribat. Siquidem & Paulus cum tentationibus permissus est pugnare, ne extolleretur, vt ipse ait. Potissimum autem, vt peccatoribus clarum esset pœnitentiæ exemplũ. Si enim cęterorũ princeps Apostolorũ, qui tales virtutes & viderat & fecerat, tandem in negationẽ lapsus est: deinde agnito delicto illũ pœnituit, & nõ solum breui tempore maculam omnẽ abstersit, sed & cæterorũ pastor discipulorum creatus est, & multorũ ac magnorum operator miraculorũ appellatus

Cap.27.

D est: nullum qui ceciderit desperare conuenit, sed ilico pœnitentiam agere, quum diuitias cognoscat māsuetudinis domini. Et hic quoque obseruandum, quod Matthæus quidem & Marcus scripserunt, primum factam esse à principe sacerdotum interrogationem, deinde Iudæorum iniurias, & postmodum Petri negationes. Lucas vero primum Petri negationes, deinde iniurias, postmodum facto iam die interrogationes. Illi siquidem non solum ea quæ facta sunt retulerunt, sed & ordinis rerum gestarum curam habuerunt: hic autem facta tantum relatione rerum perpetratarum, ordinis curam non habuit.

ap.27. *Mane autem facto concilium inierunt omnes principes sacerdotum ac seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent: ligatumq; eum abduxerunt, & tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi.*

E tar.15 uc.23. an.19. Similiter & Marcus & Lucas dixerunt: Ioannes vero ait, Ducunt Iesum à Caiapha ad prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt ederent pascha. Per totam enim noctem examinauerant eum, & nunc transferebant. Sed ô insaniam. Cædem perpetrantes & ad mortem tradentes, non putabant se inquinari: ingredi autem ad tribunal, contaminationem ducebant, culicem liquantes, & camelum glutientes.

CAPVT. LXVII. DE IVDAE POENITENTIA.

F *VIde uidens Iudas qui tradiderat eum, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argēteos principibus sacerdotum & senioribus dicens: Peccaui tradens sanguinē innocentem.* Videns quod ad mortem condemnatus esset à Iudeis Christus. Oportebat autem ante proditionem pœnitentia duci. Sed talis est diabolus: ante peccatum non permittit videre malum, ne sequatur resipiscentia: postquam autem peccatum omnibus numeris est expletum, videre permittit, vt mœrore afficiat, & in desperationem precipitet. Peccaui, inquit, tradens sanguinem innocentem, vt effunderetur.

At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Etiam Iudas dicens, Peccaui tradens sanguinē innocentē, iniustę eū mori testat⁹ est. Iudæi

est. Iudæi quoque respondentes, Quid ad nos, tu videris: testimonio eius assenserunt, & veritatē licet inimici, confessi sunt instigante autem furore, omne crimen in Iudam declinantes, ipsi affectione iam ebrij, ad cædem Christi impelluntur. A

Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. Peccatum quidem coram omnibus confiteri, ac proiicere argenteos, resipiscentiæ fuerunt: laqueo vero se suspendere, desperationis. Agnouit siquidē & pœnituit eum, ac confessus est: veniam autem ab eo qui hanc dare poterat, non requisiuit: neque enim permisit eum diabolus sic pœnitentia duci, quo ad Christum iret in quam peccauerat: sed hunc ante perfectam pœnitentiam abduxit, vtpote conscientiæ remorsum non ferentem. Quum ergo ad hunc clementissimum cōfugere oporteret, ille ad mortem potius confugit, vt à desperata tristique vita citius liberaretur. Et neque id continuo assequutus est, prout cupiebat: agnitus enim à quibusdam depositus est ne præfocaretur: deinde postquam in secreto quodam loco, modico vixisset tempore, præceps factus siue præcipitatus, inflatus, diruptus ac diffissus est medius: & effusa sunt omnia viscera eius, sicut ait liber Actorum. Quod si etiam in eo scriptum est, quod prædium comparauit de mercede iniquitatis, non tamen hoc fuit post strangulationem, vt quidam putant. Id enim declarans Chrysostomus, agrum figuli fuisse dicit prædium illud. Triginta siquidem argentei quibus hic paratus est ager, ipsi Iudæ merces erat iniquitatis, quam aduersus præceptorē perpetrauit. Quid enim huius proditione iniquius? Intelligamus ergo qui argenti sumus amatores, quomodo Iudas & peccatum perpetrauit, & pecuniæ fructum non accepit, & propriam animam perdidit. B Actor.1. C

Principes autem sacerdotum acceptis argēteis, dixerunt, Non licet ipsos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Impudenter fatētur precium esse sanguinis siue cædis emptionē. Corbonas autem erat thesauri repositorium in templo, hoc est, donorum receptaculū. Puto autem id fuisse quod dicebatur Gazophylacium. Gaza enim Romanis diuitiæ appellantur.

Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc uocatus est ager ille, ager sanguinis usq; in hodiernum diem. Multo melius eis fuisset hos in corbonam misisse: nequaquam enim quod perpetratum est adeo diuulga

tum fuisset. Ipsi vero ad redargutionem fœdi homicidij sui agrũ emerunt, cuius nomen tuba clarius, illud publicaret. Ne que hoc vtcunque faciunt, sed sumpto inter se consilio: vbiq; enim consiliũ ineunt, vt nemo immunis relinquatur. Liber quoque Actorum ait, prædium illud vocatum esse Acheldema †, hoc est, prædium sanguinis. Hic itaque est ager de quo ille liber loquitur.

† *Syris enim* חקל *hacal agrum sonat, &* דמא *dema sanguinem, & ita dicit se legisse Munsterus in Græcis & uetustis latinis exemplaribus.*

Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. In libro quidem Ieremiæ qui communiter legitur, hoc scriptum nõ est †, restat ergo vt in apocrypho eius † scriptum sit. Acceperunt ergo summi sacerdotes precium Christi pretiosissimi, quem æstimauerũt qui sunt à filiis Israel, videlicet Israelitæ. Dicit autem eosdem summos sacerdotes, quãdo ad eos dixit Iudas, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Constituit mihi, hoc est, dixit mihi dominus.

† *Verisimile etiam est postmodũ abiecta hæc esse ab eo libro qui legitur, dolo ac malitia Iudæorum, sicut etiam in multis aliis uerbis factum est.*

Ab hoc apocrypho dicit Origenes locum hunc posse peti. Quin & Hieronymus hunc enarrans locum, ait Iudæum quendã factionis Nazarenæ exhibuisse sibi Ieremiam apocryphum, in quo hæc erant ad uerbum, ut ab euangelista citantur.

Iesus autem stetit coram præside. Vbi eum adduxissent ad prætorium, dicit Ioannes, quod exiuit ad eos Pilatus, & ait, Quam accusationẽ affertis aduersus hominem hunc? Respondẽrunt & dixerunt ei, Nisi esset hic malefactor, non tibi tradi dissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus, Sumite eũ vos, & secundum legem vestram iudicate eum, & cætera. Illi itaque tradiderant eum Pilato ad interficiendum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt priusquam perquireret occideretur: ideo discere vult quæ sit accusatio. Ipsi autem fiduciam de seipsis non habentes, accusationem quidẽ non dicunt, sed respõdent: Nisi esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum, vtpote qui nihil iniuste agimus. Pilatus vero grauiter ferẽs, quod ipsum occidere vellent absque sua inquisitione, interfectionem eis permittit. Itaque spe sua frustrati, iam inuiti etiam accusant eum, de his quæ scripsit Lucas, qui ait, Cœperũt autem illum accusare dicentes: Hunc inuenimus peruertentẽ gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Et vide dolum ac malitiam. Volentes enim Pilati iram exacuere aduersus Christũ, & abducere quo eum citius occideret, defectionis ac tyrannidis crimen huic affingunt. Simul etiam vt timens Cæsarem Pilatus, etiam si vellet, hunc à morte eripere non posset.

Et interrogauit eum præses dicens: Tu es rex Iudæorum? Iesus autem ait illi: Tu dicis. Istud, Tu dicis, &, Tu dixisti, alias; huiusmodi, similis cuiusdam sunt rationis irreprehẽsibilis plenæq; modestię. Ioannes de hoc quoq; capite latius scribẽs ait, quod ingressus est rursum in prætorium Pilatus: & vocauit Iesum, dixitque ei, Tu es rex Iudæorum? Respondit ei Iesus: A temetipso tu hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me? Respõdit Pilatus, Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid feci sti? Respõdit Iesus: Regnum meum non est ex hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri vtiq; mei decertarẽt, ne traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ergo ei Pilatus: Num itaq; rex es tu? Respõdit Iesus, Tu dicis quod rex sum ego. Pilatus ergo audita de defectione & tyrãnide accusatione, ac timẽs, priuatim eum interrogauit, secretius aliquid ab eo discere cupiens. Christ⁹ vero rursus eũ interrogauit, A temetipso tu hoc dicis, an alij tibi dixerũt de me? nõ quod ignoraret, sed obiurgans eum, quod accusatores simul præsentes esse non faceret: neque cogeret eos vt signa defectionis exhiberent, quo magis confunderentur. Pilatus autẽ dicit, quod hoc à semetipso non diceret: Num ego Iudæus sum vt res tuas cognoscam? Qui gẽtis tuæ sunt tradiderunt te mihi, & horum primi magisq; honorati, & ipsi hoc dicunt. Deinde interrogat. Quid feci sti, qđ de talibus te accusent? Et deinde soluit Christus tyrannidis suspitionem, dicens regnum suum non esse ex mundo hoc: & Pilatum timore soluit. Ponit autem & considerationem, quæ & hoc demonstret. Nam regnum quod ex hoc mundo est, in ministris

ministris habet fortitudinem: huius autem regnum, quum cœleste sit, à seipso robur obtinet. Dicens vero, Regnum meum non est ex hoc mundo, non detrahit regno mundano suã fortitudinem, sed ostendit quod suum non sit vt regna mundi huius, ministris indigens, timoriq; subiectum, ac finem capiens. Deinde egressus Pilatus tẽtauit liberare eum. Ait enim Lucas quod dixerit ad principes sacerdotũ & turbas: Nihil inuenio noxiæ in hoc homine. At illi inualescebant dicentes, Cõmouet populum docens per vniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa vsq; ad hunc locum. Pilatus autem audita Galilæa, interrogauit vtrum homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod ad Herodis ditionem pertineret, remisit illum ad Herodẽ, qui & ipse Ierosolymis erat in illis diebus, & cætera. Pilatus itaque quum audisset à Christo de regno ipsius quod ex mundo hoc non esset: & cognito quod non haberet apparatũ aliquem tyrannicũ siue insigne terreni regni: & cognoscẽs non esse probabilem accusationem: inculpatum eum declarauit. Ipsi vero quum dictarũ accusationum signa non possent ostendere, ad alteram digrediuntur accusationem dicentes, Cõmouet siue perturbat populũ, docens. Et quidem quod doceat astruẽt: nõ dicunt autem quid doceat, ne rideãtur. Vbi autem fecisset Herodes quę refert Lucas, rursus eum remisit ad Pilatũ, insequentibus etiam principibus sacerdotũ ac scribis, & aduersus eum vociferantibus. Pilatus vero conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus, ac plebe, dixit ad illos: Nã id quoq; refert Lucas: Obtulistis mihi hunc hominẽ, tanquam auertentẽ populũ: & ecce ego coram vobis, quũ inquisissem, nihil inueni criminis in homine isto ex his de quib⁹ accusatis eum: sed ne Herodes quidẽ: Nam remisi vos ad ipsum: & ecce nihil dignum morte actum est ei. Correptum ergo ipsum absoluam: Correptionem hic vocans mediocrem flagellationem, ad solatium & repressionem iræ illorum, vt visi illum deuicisse cohiberentur ab vlteriori insania. At illi nec sic in aliquo minus efferati, immobiliter ad id spectantes, vt velociter interficeretur, rursus oblatrant.

Et quum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Quum enim vehementer ad eius cædẽ insanirent, nec omnino reuocari possent, sciebat frustra dandam iri deinceps omnem responsionem.

Tunc

Tunc ait illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Hoc ait concitans eum vt respõderet, ac sic liberaretur: sciebat enim quod facile posset illorũ diluere calumnias. A

Et non respondit ei ad ullum uerbum. Deinceps enim superfluam fore ducebat responsionem quę ipsi daretur, quum non posset illos comprimere. Siquidem malum oderat Pilatus: & Iesum maxime optasset liberare: verum quum mollis esset, illorum cedebat affectionibus.

Adeo ut miraretur præses supra modum. Admiraretur quomodo demõstraret tantam mãsuetudinem: quomodo quũ respondere posset, illosq; cõfundere, voluntarie sileret ac sustineret.

In festo autem consueuerat præses absoluere turbæ unum uinctum quem uoluissent. Habebant autem tunc uinctum insignem qui dicebatur Barrabas. Quum ipsi ergo cõgregati essent dixit eis Pilatus, Quẽ uultis absoluam uobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? In festo paschæ videlicet. Ait enim Ioannes dixisse Pilatum: Est autem consuetudo vobis, vt vnum absoluam vobis in pascha. De Barraba vero manifestius dicit Lucas quod propter seditionem quandam factam in ciuitate & cædem coniectus erat in carcerem. Pilatus ergo quum non posset tanquam innocentem liberare Christum, tentauit eum saltem vt iudicio damnatum donare ipsum festo. B

Sciebat enim quod propter inuidiam tradiderant eum. Sciebat hoc, & sperabat quòd nequaquam præponerent ei homicidã Barrabam. Propter hoc ergo sumpta fiducia interrogat, Quẽ vultis absoluã vobis? Vt autẽ dicit Marcus, ante interrogationẽ quũ acclamasset turba cœpit petere, sicut semper faciebat eis. Petere videlicet vt fieret sicut semper faciebat eis. Erat autem petitio, vt vnus ex vinctis absolueretur turbæ. Vnde nactus occasionẽ Pilatus, tentauit, vt dictũ est, & interrogauit. C

Sedente autem eo pro tribunali, misit ad eum uxor eius dicens, Nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter ipsum. Ipse quidem huiusmodi somnium non viderat, vel tanquã indignus, vel quia taciturus fuisset, vtpote Iudex, vel quia fides ei adhibita non fuisset, quasi id ad eum liberãdum effingenti. Vxor autẽ potius videt, vel tanquã melior, vel tanquam apud Iudęos fide dignior: vt huic quasi nõ suspectę fidẽ habẽtes, refrenarentur. Nec videt solum, sed & patitur, hoc est, tormẽto afficitur, vt vxoris cõpassione, illis etiã non acquiescentibus,

Cap.27.

Dtibus, vir eius prohiberet cædē. Nihil tibi cum iusto illo, hoc est, nihil cōtentiosum sit inter te & illum, abstine ab illo. No tandum est autem, quod σήμερον hodie, de nocte dicitur.

Principes autem sacerdotum & seniores persuaserūt turbis, ut peterent Barabbam, Iesum uero perderent. Homicidæ homicidā ei qui vitam tribuit præposuerunt: nec simpliciter homicidā, sed insignem siue diuulgatum in malitia: adeo inflammauit eos inuidia. Corrupti autem ipsi, corruperunt & turbas, vt illæ quoq; fraudis suæ pœnas luerent. Marcus vero dicit, quod concitauerunt siue agitauerunt turbam.

Respondens autem præses dixit eis, Quem uultis ut de duobus uobis absoluam? Primum interrogauerat, sed antequam respō-
E disset occupatus est ad suggestionem vxoris suæ: itaque nunc rursus interrogationem repetit.

At illi dixerunt, Barabbam. Sicut edocti erant.

Ait illis Pilatus, Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Spe frustratus rursum de eo interrogat, ponens rem in illorū potestate: ita obsequio illos captans ac mitigans: ipsi tamen æque truces permanent.

Dicunt ei omnes, Crucifigatur. Omnes, non turbæ solum, sed & principes sacerdotum & seniores. Nec dicunt, Occidatur, sed, Crucifigatur, vt mortis quoque genere maleficum eum esse conuincant.

Præses autem dixit, Quid enim mali fecit? Quum placare eos non posset, aperte contradicit.

F *At illi uehementer clamabant, dicentes: Crucifigatur.* Vehementer, hoc est vehementius, ita enim scripsit Marcus. Lucas autem dixit, quod instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur. Et inualescebant voces eorum ac summorum sacerdotum.

Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, sumpta aqua abluit manus coram turba dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uideritis. Manus aqua purgauit, ostendens quod purus esset, & non particeps cædis. Nam id Iudaici moris erat, hoc modo protestari eos qui nollent ali-
Psal.25. cuius cædi communicare. Ait enim & Dauid, Lauabo inter innocentes manus meas.

Et respondens uniuersus populus dixit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Sanguinem vocant sanguinis cōdemnationem.

tionem. O sceleſtam vocem, ô extremam audaciam. Atqui A
non solum aduersus seipsos, sed etiam aduersus filios suos trahunt imprecationem. Christus vero & de eis, & de filiis eorum resipiscentes suscepit: nec solum huiusmodi liberat imprecatione, sed & mille bonis dignos ducit. Nam & Paulus ex eis erat, & innumeri eorum qui postmodum Ierosolymis crediderunt.

Tunc absoluit illis Barabbam, Iesum autem flagellis cæsum tradidit ut crucifigeretur. Marcus dixit, quod volens populo satisfacere. Lucas vero, quod adiudicauit fieri petitionem eorum. φραγέλλιον autem (quod nos flagellū dicimus) verber erat e funiculis aut loris contextum, quo dorsa condemnatorum verberabant. Flagellationem vero manifestauit dicens, Ac- B
cepit Pilatus Iesum & flagellauit. Hæc autem fecit, vt rigorem insaniæ Iudæorum arte retraheret, vt visa iniuria quæ in eum facta esset, auditaque sententia qua eum tradiderat voluntati eorum, vt dixit Lucas, siue vt crucifigeretur. Nā hæc eorum voluntas erat, mitigarent iram, ac vel sero tandem venenum euomerent. Propter, hoc enim etiam quæ sequuntur fieri permisit, videlicet vt circundarent ei chlamydem, & imponerent coronam, darentque arundinem, ac reliquam explerent illusionem.

Tunc milites præsidis accipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem: & exuerunt eum, ac circundederunt ei chlamydem coccinam, & coronam de spinis cōtextam imposuerūt super caput eius, arundinemque in dexteram eius. Chla- C
mydem hanc Marcus dixit purpuram: Ioannes vero vestem purpuream. Erat autem vestis purpurei coloris. Matthæus autem absque differentia, coccinam vocauit huiusmodi tinctu-
ram, vtpote purpuræ similem. neq; enim vera erat purpura. Quia autem rex Iudæorum dictus erat, ideo tanquam regi illudebant, purpura illa circundantes pro veste purpurea: & co
ronam de spinis contextam superponentes pro diademate: ac arundinem pro sceptro in manum porrigētes: & ita quanquā nolentes, veritatem figurauerunt.

Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes, Aue rex Iudæorū: quumque expuissent in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput eius. O incomparabilis patientia, ô innocentia quæ omnem superat sermonem. Ioannes autem dicit, quod etiam

dabant

D dabant ei alapas. Omnem enim inferebãt ei scelesti iniuriã, rem gratam Iudæis dei osoribus exhibere cupiẽtes. Ipse vero Ioannes quæ ab hinc sequuntur scripsit, tanquã ab aliis prætermissa, dicens, Exiuit ergo iterum foras Pilatus, & ait illis, Ecce adduco vobis eum foras, & cætera quæ sequuntur vsq; ad eum locum, Tũc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Apparet itaque quod bis eum tradiderit vt crucifigeretur: sed primum quidem in simulatione propter supradictã causam. Quia vero postquam omnia excogitasset, vidit eos omnino immobiles, tandemque audiuit ab illis, Si hunc absolueris, nõ es amicus Cæsaris. Quicunq; se regem facit, contradicit Cæsari: tunc iam in veritate tradidit eum illis vt crucifigeretur.

E Ideo quoque primum simpliciter tradidit eum: secundo vero tradidit eum illis. Mille itaque modos excogitauit Pilatus, vt Christum omni pœna liberaret, & omnino ne occideretur laborauit. Verum oportuit eum fortius more iudicis resistere, nec iniustis assentire: aut eum prodere, qui ab ipsomet Pilato testimonium acceperat, quod mortis noxia carebat. Quod enim potuerit eum non tradere manifestum est ex eo, quod ipse dixit, Nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Ideo etiam Christus à condemnatione eum non absoluit, dicens, Qui tradidit me tibi maius peccatum habet: maius videlicet quàm sit tuum. Neq; enim sermo de tyrannide liberat eum: oportebat enim quum id audisset, vt accusatores aduocaret, ac demonstratio-

F nes inquirere, & quæcunque tyrannidis signa essent, vtpote si exercitum conscriberet, si pecunias colligeret, si arma fabricaret, & si quid est huiusmodi. Ille autem statim vt audiuit ignauiter timuit, & indiscussam relinquens talem accusationem persuasus est & perculsus. Quanto enim duriores erant Iudei & audaciores, tãto ille mollior erat ac timidior, & ideo leuis facileque mobilis. Quære quoque enarrationem eorum, quæ vt dictum est à Ioanne proponuntur. Plurimum enim conferunt ad ea quæ proposita sunt.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis suis, abduxeruntque eum ut crucifigeretur. Ex quo chlamyde eum exuerũt, vtique etiam coronam deposuerunt. Ioannes autem dicit, quod acceperunt Iesum & duxerunt in prætorium: Iudæis & hoc optantibus, vt inde eductus con-

ctus condemnatus videretur. A

Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem. Hunc coegerunt ut tolleret crucem eius. Marcus quidem addidit, Patrem Alexandri & Rufi. Lucas autem, Venientem ab agro. Ioannes vero dixit, Baiulans crucem suam exiuit. Primum siquidem imposuerunt ipsi crucem tanquam condemnato, & baiulans eam, exiuit. Deinde Simoni obuiant: hunc coegerunt vt eam tolleret. Lucas vero insuper addidit, quod sequebatur eum magna multitudo mulierum, quæ etiam plãgebant & lamentabantur eum. Cõuersus autem ad illas Iesus dixit, Filiæ Ierusalem ne fleueritis super me, sed super vobisipsis flete, & super filiis vestris: quoniam ecce venient dies, & cætera. Dicens ne fleueritis super me, hoc est propter me, sed B propter vosipsas, & propter filios vestros: quia ecce venient dies: significauit dies captiuitatis Ierosolymorum.

Quumque uenissent in locum qui dicitur Golgotha.† Hic locus † ciuitati propinquus erat, sicut scripsit Ioannes.

† גולגלתא *gulgoleth, hoc est, caput aut cranium, siue caluaria: quanquam Munsterus asserit esse Chaldaicum ac dici* גולגלתא *golgoltha, & ita dicit se inuenisse in uetustis exemplaribus latinis. Nam Christus usus est inquit lingua uulgari inter Hebræos, quæ tũc Chaldæa erat, seu Syriaca magis quàm Hebræa.* †

Quod est Caluariæ locus. Quod, videlicet nomen Golgotha dictum siue versum ab Hebraica lingua in latinam, est & dicitur, Caluariæ locus. Aiunt autem quidam ibi Adam mortuum esse ac iacere: & dispositum est, vt vbi vetus Adam ce- C cidit in mortem, ibi etiam noui Adam trophæum erigeretur contra mortem, dico sane crucem.

Dederunt ei ad bibendum acetum cum felle mixtum: quumque gustasset, noluit bibere. Marcus autem dicit, quod etiã dederunt ei ad bibendum vinum myrrha mixtum: at ille non accepit: vtrumq; autem obtulerunt ei ludẽtes, & tanquam animo deficientem refocillantes. Aceto itaq; fel miscuerunt, vt acrius fieret & amarius: hęc autem manifestant Iudęorum acerbitatem, & amaritudinem: nam ipsa etiam myrrha amarissima est. Sed prædicta quidem priusquam in crucẽ ascenderet, obtulerunt ei sicut Matthæus & Marcus dixerunt: Postquã vero ascendit, solum acetum vt hi ipsi rursus simulque Lucas ac Ioannes dicunt. Obseruandum est autem, quod quum vinum myrrha

D myrrha mixtũ, tanquam intempestiuum non accepisset, nũc mixturam aceti & fellis gustauit propter solum fel: vt compleretur quod dictum est, Et dederunt in escam meã fel: crucifixus vero solum acetum potandũ accepit, propter id quod sequitur, Et in siti mea potandum dederunt mihi acetum. Atqui in vno & eodem, fel & acetum gustauit, & in vno & eodẽ videtur terminum accepisse vtrunq; dictum. Verũ quia scriptum est, In siti mea: non sitiebat autem priusquam in crucẽ ascenderet, sed postquã ascendisset. Ait enim Ioannes, Intuitus Iesus quod omnia iam consummata essent, vt cõpleretur scriptura, dicit: Sitio. Primum siquidẽ à seipsis ipsi dictas potiones lusus gratia obtulerant, vt diximus. Postmodum autẽ audito quod sitiret, produxerunt acetum. Sed quum scriptum sit, Dederunt in escam meam fel, siue vt ederẽ: quomodo idẽ fel ipsi dederunt vt biberet? Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse: vt acetum quidem loco vini esset, illa vero fragmenta pro buccella panis. Et præcipue sane potum dederunt, consequutiue vero etiam cibum. His enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus, iniecto pane: vt primũ bibentes, postmodum etiam possint edere. Quod si nõ ita intellexerimus, nõ inueniemus alibi datum ei fel in cibum. Nisi quis fel, anagogice interpretetur, amaritudinem quam ei in cibum dederunt, hoc est, loco cibi eius, quotidie eum irritantes & ad iram prouocantes.

Psal.68.

E

Quumq; crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mit

F *tentes.* Proxima his ait & Lucas: Marcus autem dixit, Mittentes sortem super illa quis quid tolleret. Sed hi quidem euangelistæ simpliciter & indistincte scripserunt, quod diuisa sint, quodq; sortem miserint: Ioãnes vero manifestius de hac re scribens ait: Milites ergo cum crucifixissent Iesum, accepe runt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem: & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totum. Dixerunt itaq; inter seſe, Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura compleretur, quæ ait, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Sola ergo Christi vestimenta diuisa sunt, cum tamen latronum vestimentis essent viliora: vt Dauidica prophetia quæ de his erat compleretur. Siquidem in his quoque subsannantes, quasi regis vestimenta essent, ea diuiserunt:

Psal.21.

uiserunt: & ita ordinatum est vt prophetia quæ de his fuerat, vt dictum est, compleretur. Et vestimẽta quidem diuisa sunt: de tunica vero inconsutili, quam prophetia ἱματισμὸν appellauit, sortem miserunt. Sed quot fuerint vestimenta nullus euangelistarum significauit. Ideo quidã fuisse dixerunt quinque, quatuor quidem, quatuor militibus diuisa: quintum vero tunicam inconsutilem. Videtur autem incredibile dictum, eo quod indecens saluatori fuisset: nemo enim, ne aliorum quidem hominum tot vestibus induitur. Coniectãtes ergo dicimus, nec procul fortasse ab eo quod congruum est, tria fuisse vniuersa: vnum quidem fuisse tunicam corpori applicatam in modum subuculæ: dico sane tunicam hanc inconsutilem: alterum autem quo super primum vestiebatur: & tertium exterius indumentum. Hanc vero tunicã è traditione patrum accepimus opus fuisse dei matris à superioribus partibus cõtextam, veluti sunt apud nos capitis aut pedum hyemalia operimenta. Vnde commode de ea allegorice loquuntur, qui dicũt solum id quod à dei matre sumptũ est corpus, desuper fuisse contextum: hoc est, à cœlo coaptatam sibi habuisse diuinitatem: vel à deo fuisse in rerum natura productum, & non à semine humano. E duobus autem reliquis vestimentis quatuor partes fecerunt dissecantes ea. Siquidem quum de inconsutili tunica dixissent, Ne scindamus eam: significauerunt, quod reliqua sciderant. Neque enim tanquam preciosa diuiserunt ea, vt à faciendis partibus abstinerent, sed illudentes, vt prædictum est. Et hi quidem ignominiosè quæ preciosa erant diuiserunt: per quæ talia facta sunt miracula, sed tunc virtus eorum detinebatur. Quidam vero dubitant, quomodo Christus qui legem dedit Apostolis, ne duas possiderent tunicas, ipse plures inuentus est possidere? Quibus respondẽdum est, quod ipse quoque vnicam habebat tunicam, quæ corpori adhærebat: cætera enim tunicæ non erant, sed pallia. Proprie enim χιτὼν (quod nos tunicam vertimus) dicitur quæ intima est vestis. Et de his quidem ita. Considera vero totum saluatoris corpus iniuriis affectum. Caput quidem per spineam coronam, & arundinis percussionem, faciem per sputa, maxillas autem per alapas, os vero per fel & acetum, aures per blasphemias, collum per colaphos, dorsum & pectus flagellis & verberibus, manus autem & pedes clauis, latus vero lan-

A

B

C

Dcea, veluti scribit Ioannes, cæteras quoque partes chlamyde ac nuditate, & vt semel dicam, totum corpus, quod in cruce spectaculo est expositũ. Quando ergo blasphemiæ nobis ingeruntur, aut contumelia afficimur, siue spectaculo exponimur: hæc considerantes, omnem abiiciamus ab anima tumoris flammam: cogitãtes simul, quod ipse quidem deus erat, nos autem homines: ipse dominus, nos autem serui: ipse sine peccato, nos autem peccatores: ipse à seruis patiebatur, nos autẽ à conseruis: ipse propter nos, nos autem propter nosipsos: ipse quidem spectantibus Iudæis, Romanis, & Græcis, nos vero coram paucis, etsi coram pluribus, at non tam multis.

Et sedentes seruabant eum ibi. Custodiebãt eum ne à quo
E quam deponeretur.

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus rex Iudæorum. Causam, ob quam esset crucifixus: illã enim in tabula inscriptam superposuit Pilatus, vt ab omnibus legi posset, & qui præsentes erant, & qui præteribant. Marcus sane dicit, Et erat inscriptio causæ eius scripta, Rex Iudæorum. Lucas vero, Erat autem & inscriptio scripta super eum literis Græcis & Latinis ac Hebraicis: Hic est rex Iudæorũ. Hoc autem tribus inscriptum est linguis, eo quod tunc multi ad ciuitatem venerant Iudæorum Græci ac Latini: Ioannes vero dicit: Scripsit autem & titulum Pilatus, posuitque super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudæorũ. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ci-
F uitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus: & erat scriptum Hebraice, Græce & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, Noli scribere, Rex Iudæorum, sed, quod ille dixerit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi,
† scripsi. Titulus itaq; apud Romanos causa dicitur †. Scripsit ergo Pilatus dictam causam: instituitque vt scripta, cunctis nota fieret, ne possent sua malitia Iudæi Christo aliam causam affigere, aut diuulgare: simulque & hos notauit & illi patrocinatus est, quod propter inuidiam esset crucifixus. Quum autem literæ in altum positæ regnum eius clare promulgarent, conantur pontifices Iudæorum inscriptionem inuertere, dicentes Pilato, Noli scribere, Rex Iudæorum, ne vera videatur inscriptio: Sed quod ille dixerit, Rex sum Iudæorum, vt ille mendax appareat: sed nequaquam persua-

serunt ei.

serunt ei. Respondit enim. Quod scripsi, scripsi: hoc est, quod A
scriptum est nõ immuto. Iuxta diuinam autem omnino prouidentiam titulus super solam Christi crucem positus est. Quum enim tres cruces simul terra tunc obruerentur multis temporibus, requisita postmodum domini crux, à titulo potissimum fuit cognita.

† *Hinc apparet autorem nostrum nec latine calluisse.* Dicitur enim titulus à tueor, *scriptura uidelicet libro, statuæ, aut cuiquam alii apposita: quæ autorem aut eum cui apponitur à plagiariis, uel aliis quibusuis tuetur.* †

Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris. Et hoc Iudæorum opera factum est, vt in medio duorum maleficorum pendens, & ipse maleficus putaretur: B
vtque participatio supplicij participem quoque eum prædicaret maleficij. Ob hoc siquidem eum cunctis videntibus publice crucifixerunt. Dicit autem Lucas quod stabat populus spectans, vtque militum manibus crucifigeretur laborans, & modis omnibus faciens, vt praua de eo opinio apud omnes diffunderetur. Completa quoq; est hic Isaiæ prophetia quæ *Isa.53.* dicit, Et cum iniquis deputatus est. Duo vero latrones duos populos ænigmatice figurarunt, veterem scilicet ac nouum: horum siquidem ille blasphemiis eum appetens mortuus est: hic autem deum in fine tandem hunc agnouit: ipse vero medius inter hos pepẽdit: vtpote medius effectus inter vetus nouumque testamentum.

Qui autem præteribant, conuitia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes, Tu qui destruis templum, & in tribus diebus ædificas, serua temetipsum: si filius dei es, descende de cruce. Qui C
præteribant, puta illa via Iudæi. Marcus vero ait quod dicebant, Vah qui destruis, &c. Est autem οὐὰ irridentis ac subsannantis aduerbium (quod in vah, vertimus) Hęc autem ei quasi mendaci dicebant suggillantes.

Similiter autem & summi sacerdotes illudentes cum scribis & senioribus, dicebãt, Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere? Simfliter, propter blasphemiam dicit. Nam & hi quoque blasphemiis eum appetebãt, etsi aliis verbis. Dixerunt autẽ, Alios saluos fecit: miracula eius calumniantes, tanquam præstigiis facta fuerint.

Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus in eum.

D Hoc dicebant propter tituli inscriptionem. Quum enim non potuerint eam subuertere, falsam nituntur illam arguere, eo quod sibi impossibilia quæsierit. Et vtique descendisset, si ipsi crederent fuissent.

Confidit in deum: liberet nunc eum, si uult eum. Dixit enim: Filius dei sum. Quod prædixit Dauid in persona eorum, hoc ipsi nunc dicunt, huiusmodi prophetiam ad finem perducentes. Psal. 25. Scriptum est enim, Sperauit in dominū, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Dicebant ergo conuitia iactãtes. Cõfidit in deum, tanquam filius eius? seruetur ab eo. Hoc autem dicebant, non quod deus eum seruare non posset, sed quod non esset ipse dei filius, vt ipsi putabant. Sed ô sceleſti E ac pessimi: ergo nec prophetæ erant prophetæ, aut iusti, ex quo deus illos à periculis non eripuit. Verum & prophetæ & iusti erant, nec minus tamen periculis subiacuerunt secundū variam dispensationem.

Id ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei. Id ipsum, id est eodem modo. Non enim Iudæos tãtum inflammauit diabolus, sed & Romanos milites furore agitauit, & ipsos etiam latrones, quãquam cum eo crucifixos, aduersus eum exacerbauit. Matthæus itaque & Marcus vtrunque aiunt exprobrasse ei. Lucas vero vnum quidem conuitiis illum agitasse dicit, alterum autem blasphemantem magis increpasse. Primum siquidem ambo propriorum obliti laborum, ex crudelitate exprobrabant ei, vtpote & ipsi Iudæi. F Forte autem etiam id, in gratiam Iudæorum faciebãt, vt propter hoc ipsos deponerent. Postmodum vero alter pœnitentia ductus est: tum quidem Christi signa ad memoriam reuocans, eiusque conuersationem inculpatam: tum vero audito quod etiam pro his qui ipsum crucifigebant intercessisset, veluti scripsit Lucas: videns præterea & aerem præter naturam obscuratum.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. Post petulantiæ ac scommatum satietatem id factum est, vt quiescente iam furore, aliquid à miraculo lucrifieri posset. Admirabilius enim erat hæc facere eum qui in cruce pendebat, quàm à cruce descendere. Quod si hæc eum facere non suspicabantur, sed quod deo hæc operante prouenirent, timere sane oportebat, & intelligere quod propter

propter hũc ad iram cõmotus esset. Neq; enim dicere potuerunt, quod solis eclipsis secundum naturam esset: Nam ipsa A & in vno temporis accidit momento, & in vna parte terræ, & non in decimoquarto die lunæ: hæ vero tenebræ & ad tres horas perseueraruntt, & super vniuersam terram: & decimoquarto die lunæ, quando impossibile est secundum naturam contingere solis eclipsim.

Circiter horam uero nonam clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli Eli *lamaazabtani, hoc est, deus meus deus meus ut quid dereliquisti me?* Dauidicum est verbum. Hebraice autẽ ipsum clamauit, vt solis Hebræis notum fieret, qui soli Dauidica nouerant. Marcus vero Eloi Eloi scripsit. Significat autẽ Eli deus B mi. Eloi vero, Deus meus †. Clauorũ ergo doloribus depressus, ait: Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me? hoc est propter quid me dimisisti vt sustinerem dolores. Hoc autem dixit, confirmans quod sicut in veritate humanam assumpsit naturam, ita quoque vere crucifixus est, & non phantastice prout multi hæretici delirarunt. Neque enim nisi dolens ita clamasset. Potest autem & aliter dici, quod iam pro hominibus moriens in persona generis humani dicta clamauit voce. Ait enim Gregorius Theologus, quod in seipso figurat quod nostrum est: nos siquidem primum derelicti eramus ac despecti: deinde nunc assumpti ac seruati sumus illius afflictionibus. Psal. 21.

† *Vide obsecro quanta sit miseratione dignus qui in ignotã uersatur lingua. Quãquam enim apud Marcum scriptorum incuria legatur* Eloi Eloi: *apud quem etiam eadem causa pronomen* Meus, *semel tãtum ponitur, haud dubium tamen est quin uterque aut Hebraicis aut Græcis literis scriptum reliquerit, quod psalmo uicesimo primo dixit Dauid: puta* אלי אלי למה עזבתני Eli Eli lama azabtani: *Deus meus, deus meus, quare dereliquisti me. Munsterus tamẽ dicit in uetustis exemplaribus Græcis ac Latinis se incorruptam inuenisse dictionem Chaldaicam* שבקתני Sebactani: *Nam à reditu Iudæorum è captiuitate Babylonica ad Christum natum uix. 515. anni interceſſerunt, & ita uulgo adhuc Chaldaice magis quàm Hebraice loquebantur. Itaq; Christus sermoni uulgi suum accommodabat sermonem.* † C

Quidam autẽ ibi adstantium quum audissent, dixerunt: Eliam uocat iste. Milites hi erant Romani, vocem Hebraicã ignorãtes.

Statimq; currens unus ex eis quum acceptam spongiam implesset

D *aceto, imposuit arundini, dabatq; ei ut biberet.* Hoc etiam ludens fecit ad modum consolantis, sicut & præcedentes: aut etiam vt aceti acerbitas, additio fieret illi doloris.

Cæteri uero dicebant: Sine, uideamus an ueniat Elias seruaturus eum. Marcus vero ait, quod hic dixerit, Sinite videamus an veniat Elias ad deponendum eum. Verisimile est autem & hunc & illos hoc dixisse.

Iesus autem quum iterum clamasset uoce, magna, emisit spiritum. Quæ autem fuerit vox, significauit Lucas, videlicet, Pater in manus tuas commendabo spiritum meum. Clamauit autem voce magna: vt omnes audirét, omnesq; scirent, quod ad extremum vsque spiritum patrem deum appellaret, & vniuersa
E in eo reponeret: nec esset ei contrarius: vtque discerent quod sua potestate quãdo voluit mortuus est. Quum enim dixit, Pater in manus tuas commendabo spiritum meum: tunc demum morti permisit, vt ad se accederet. Non autẽ dixit, Cõmendo, sed, Commendabo: significans quod paulo post expiraturus sit. Vnde & Ioannes quæ post dictam vocem facta sunt, réfert, tanquam etiam ab aliis prætermissa dicens, Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, &c. Vbi autẽ dixit, quomodo dilectam matrem ac virginem dilecto commendauerit discipulo ac virgini, & quomodo sitienti datum sit acetum ad potandum: tandem ait: Quum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit
F spiritum, de quibus omnibus quære in Euangelio secundum Ioannem.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum: terraq; mota est, ac petræ scissæ sunt. Sol quidẽ tenebris indutus est, templum vero scidit velũ suum, significãdo quod propter absurdũ ac irrationabile spectaculum lugeret: Lugẽtium enim est vestem scindere, nigraq; indui stola. Per terrã autem motã, petrasq; scissas ostendit quod potens esset in aggerẽ eos cumulare & obruere: sed nõ vellet propter suã mansuetudinẽ, & propter illos qui ex eis erãt crediturí, lucéq; daturi. Proprie autẽ velum templi scissum est ad eorũ redargutionẽ, cui cõtradicere nõ possent: vt si niterétur causari, & ad ea quę naturaliter accidũt, passiones obscurati solis, terræ motę, petrarũq; scissarũ reducere: os illis obturaret per veli scissionẽ: quũ tale quid esse vnquã factũ demõstrare nõ possent.

Sciſſo

Sciſſo autem velo, oſtendit deus, quod à templo diuina auo- A
laſſet gratia: quodque interiora, puta ſancta ſanctorum om- *Ioſeph. c*
nibus peruia ac conſpicua cõſtituenda eſſent: quod etiã poſt- *bel. Iud.*
modum ingredientibus Romanis factum eſt. Quod autẽ mi- *lib. 7. c. 1*
hi magis placet accipe. Quia interiora veli figura erant cœli, exteriora vero terram figurabant. Sciſſum iam velum, ſignificauit diuiſum iam eſſe medium parietem inter cœlũ & terram (puta inimicitiam) qui inter deum erat & homines: & factum eſſe cœlum hominibus peruium, ſoluto iam per Chriſtum obſtaculo medio, talique nobis aſcenſu innouato. Vniuerſaliter autem quæ facta ſunt, diuinæ iræ ſigna erant, Iudæorum inſenſibilitatem reprehendentia, horumque perditionem prædicantia. B

Et monumenta aperta sunt, multáque corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. Ad demonſtrationem potentiæ ſuę, & hoc factum eſt, terroremque Iudæorum: vt perpenderent, quod is qui adeo facile mortuos viuificaret, facilius poſſet viuos morti dare. Præterea etiam ad futuræ reſurrectionis confirmationem.

Et egressi de sepulchris post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem: & apparuerunt multis. Egreſſi ſunt & apparuerunt: ne phantaſtica videatur ſepulchrorum apertio, ac dormientium reſurrectio. Poſt reſurrectionem autem eius egreſſi ſunt de ſepulchris, ac venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis, vt ex eorum reſurrectione certiores reddantur & de reſurrectione illius, cogitantes quod qui hos re- C
ſuſcitauit, multo magis ſeipſum reſuſcitauit. Sancti vero ſurrexerunt, vt fide digni videantur, qui de Chriſto loquuntur. Poſtquam autem apparuerunt, iterum dormierunt.

Centurio autem & qui cum eo erant, seruantes Iesum, quum uidissent quæ fiebant, uehementer territi sunt, dicentes, Vere dei filius erat iste. Hunc Marcus voce latina Centurionem vocat: Matthæus vero Græca ἑκατόνταρχον, idem ſignificante. quod enim Græci ἑκατὸν, hoc Latini centum vocant. Videns, inquit Centurio, qui ex aduerſo eius adſtabat, quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, dixit, Vere homo hic filius dei erat, intuitus ſiquidem quod cum libertate deum patrem vocaſſet, & in manus eius ſpiritum ſuum commendare ſe teſtatus eſſet, ac paulo poſt expiraſſet: intuitus quoque adeo

horrenda quæ fiebant, credidit filium esse dei. Lucas vero de eo dicit, Videns Centurio quod factum erat, glorificauit deum dicens, Vere homo hic iustus erat: Iustum vt opinor diuinum nominans. Vel etiam primum quidem dixit, quod iustus erat: deinde tandem quod filius dei erat. Addit autem Lucas, Et omnes turbæ quæ simul accesserant ad spectaculum illud, percutientes pectora sua reuertebantur: dolorem videlicet interiorem significantes. Intelligebant enim à præcedentibus signis, & ab his quæ accidebant, quòd & creatura passionem illius non ferens compatiebatur ei.

Erant autem ibi mulieres longe spectantes, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa ministrantes ei. Suppeditantes quæ ei necessaria erant. Chorus enim erat discipularum apud dei matrem coniunctarum, & expensas de suis facultatibus suppeditantium. Et vide conuersum ordinem: discipuli siquidem fugerant, discipulæ vero assistentes permanebant.

Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Iose mater, ac mater filiorum Zebedæi. Quum multæ essent, insigniores enumerat. Quidam itaque dicunt, quod dei mater est, quæ apud euangelistas nunc quidem Iacobi & Iose mater nominatur, quandoque autem Maria Iacobi, interdum vero Maria Iose: Nam hi filij erant Ioseph: & quemadmodum pater illorum vir eius dicebatur propter dispensationem, ita rursus ipsi filij virginis. Verum sermo hic absurdus videtur. Primum siquidem, quid prohibebat eam appellare matrem Iesu? præsertim quum in præcedentibus narrationibus vt plurimum ita eam appellauerint. Deinde absurdum quoque foret in locis sequentibus vbique Magdalenen ei præponi, & ostendere illam fuisse matre dei feruentiorem. Vnde suspicamur alteram quandam fuisse hanc Mariam, quæ mater erat Iacobi Parui & Iose, non filiorum Ioseph, sed aliorum, qui erant è septuaginta discipulis. Nam multæ tales similis erant nominis apud Iudæos. Verisimile est autem tunc dei matrem propinquius cruci adstitisse quàm cæteras mulieres: idque viscerum inflammatione Iudæorum vincente timorem: fortassis vero etiam circumisse, quum propter naturæ aculeos in eodem loco manere non posset: postmodum autem apud monumentum mansisse & singula conspexisse. Quod si hoc recipimus, quærendum est, quomodo ipsius non meminerunt euangelistæ? Quia de ea notum erat, quod adfuerit, & quæ matrum sunt demonstrauerit. Ideoque neque planctum eius scripserunt: abunde enim satisfecerunt pronunciantes, quod filium docentem sequebatur. Oportet autem & hoc & illud scire, quodque naturæ cõformius est suscipere. Marcus vero ait, Erãt autem & mulieres eminus aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi Parui & Iose mater, & Salome. Hanc autem Salomen quidam eam esse dixerunt, quæ apud Matthæum dicitur mater filiorum Zebedæi.

Quum sero autem factum esset, uenit homo dives ab Arimathæa nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Ioannes vero etiam alia quædam priusquam ad horum accederet narrationem scripsit dicens, Igitur Iudæi ne remanerẽt in cruce corpora sabbato, quia parasceue erat, & cætera de crurũ latronũ confractione, & de apertione lateris domini. Hunc autem Ioseph Marcus honestũ senatorem scripsit, ac expectantem regnum dei. Honestum quidem, vtpote grauem & modestum: senatorem vero, nempe vnum senatorum ciuitatis: erant autem senatores decuriones, consiliarij, ac officiales curiæ. Expectans item regnum dei, quod videlicet circa secundũ domini aduentum futurum erat. Lucas autem virum iustũ & bonum eum nominauit, & quod nõ consenserat cõsilio ac facto Iudæorũ: oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorũ. Ioannes vero discipulum quidẽ eum fuisse dicit Iesu, occultũ autem propter metum Iudæorũ, & erat ex septuaginta discipulis.

CAPVT. LXVIII. DE PETITIONE CORPORIS DOMINI.

Hic accessit ad Pilatũ & petiit corpus Iesu. Eo quod illi notus esset. Marcus vero dicit quod sumpta audacia ingressus est ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Priorem enim timorem sequenti audacia mirabiliter abluit, & seipsum in mortem tradidit, ob beneuolentiam quam gerebat erga præceptorem, suscipiẽs in se cunctorum inimicitiam Iudæorum.

Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Marcus autem dicit, quod Pilatus admirabatur si iam mortuus esset: & accersito Centurione,

D turione, interrogauit eum, an iamdudum mortuus esset: & re
à Centurione cognita, donauit corpus ipsi Ioseph. Sperabat
enim tarde illum moriturum, tanquam diuinum quendam
hominem qui cæteros excederet. Ipse vero lege naturæ mor-
tuus est tanquam verus homo.

Sumptumq; corpus Ioseph inuoluit illud sindone munda. Ioan-
nes autem latius scripsit dicés, Venit ergo & tulit corpus Ie-
su. Venit autem & Nicodemus is qui venerat ad Iesum nocte
primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes ad libras ferme cẽ
tum. Acceperunt itaque corpus Iesu, & obuinxerunt illud
linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Insignis
ergo erat & antea Ioseph, sed insignior factꝰ est eo quòd Chri
sti corpus ausus fuerit accipere, illudq; honorare. Neq; enim
E solum tulit, sed & precioſe ac honorifice cum Nicodemo
sepeliuit. In mixtura autem myrrhæ & aloes illud sepelie-
runt, vt sine corruptione & in bono odore permaneret: ad-
huc enim vt nudum hominem ipsum honorabant. Et nos er-
go domini corpus per participationem in altari accipien-
tes, odoramentis illud vngamus, suauibus videlicet virtutum
operibus, ac opere & contemplatione.

*Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, & adu-
oluto saxo magno ad ostium monumẽti, abiit.* Hic quidem e-
uangelista ipsius Ioseph dicit fuisse monumentum: cæteri ve-
ro non significauerunt cuius fuerit. Ioannes enim ait, Erat au
tem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentũ
nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat, &c. Veri-
F simile ergo est ipsius Ioseph fuisse hortum in quo erat mo-
numentum. Ordinatum est autem vt illud fuerit nouum, ne
postquam resurrexisset saluator, suspitio haberi posset alium
resurrexisse. Aduoluit quoque saxum magnum, auxilium ipsi
præstante & Nicodemo. Monumentum autem in speluncæ
modum erat excisum.

*Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes ex
aduerso sepulchri.* Marcus vero ait: Maria autem Magdale-
ne, & Maria Ioſe aspiciebant vbi poneretur. Lucas autẽ, Sub-
sequutæ, inquit, mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa,
viderunt monumentum, & quomodo positum erat corpus e-
ius: reuersæ vero parauerũt aromata & vnguẽta. Quum enim
eos qui sepeliebãt subsequi & cum eis reuerti decreuissent se-

debant

debant ex aduerso sepulchri, aspiciẽtes vbi poneretur corpus, A
& quomodo poneretur: vt reuersæ, paratis aromatibus & vn-
guentis, venirent die dominico, & aromatibus ac vnguentis il
lud vngerent. Siquidem quando sepultus est iam vespera ap-
petebat, in qua nõ licebat ad monumentum accedere. Iudæi
enim veſperam illius parasceues maxime honorabant: nõ so-
lum tanquã sabbati festum præcedens, sed etiam tanquam fe
stum propter pascha: in hac enim oportebat pascha immola-
ri. Sabbato vero quieuerunt propter legem. Adhuc enim con-
suetudinẽ & legem seruabant. Cæterũ die dñico ad sepulchrũ
venire disponebant, quod sane etiã fecerunt, veluti paulo post
dicetur. Quũ enim nondũ quicquã excelsum de resurrectiõe
cognouissent, sepultũ corpus se inuenturas sperabant.

Postero autem die qui sequitur parasceuen, conuenerunt principes B
*sacerdotum & pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati su-
mus, quod impostor ille dixit adhuc uiuens: Post tres dies resurgam.
Iube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertium, ne quando ueniẽ-
tes discipuli eius furentur ipsum, dicantq; plebi, Surrexit à mortuis:
& erit postremus error peior illo priore.* Muniri sepulchrum,
puta sigillum apponi & custodiam. Quia autem credi opor-
tebat, quod mortuus esset & sepultus, quodq; resurrexisset: vi-
de tria hæc inimicorũ testimoniis approbata: considerandа
sunt enim verba eorum. Quod enim aiunt, Recordati sumus,
quod impostor ille dixit adhuc viuens, atteſtatur quod mor-
tuus sit. Quod autem sequitur, Iube muniri sepulchrũ, attesta-
tur quod sepultus sit. Porrò quòd subiungunt, Ne quando
venientes discipuli eius, furẽtur ipsum, plenã facit fidẽ, quod
munito sepulchro, non sit furto sublatũ corpus, & ita resurre- C
ctioni cõtradici non potest. Dignum est autem vt inquira-
mus vbi dixerit, Post tres dies resurgam. Siquidem variis in
locis dixit discipulis, Tertia die resurgam. Id autem, Post tres
dies resurgam, nusquam dixit. Hoc itaque Iudæi ab exem- Sup.12
plo Ionæ quod ad eos dixerat colligebant. Postremum ve- Lucæ.1
ro errorem dicebant, quod à mortuis resurrexerit: priorẽ vero
quod sit filiꝰ dei. Sed ô insensati quo tandẽ fine essent ipsum
furto sublaturi. Nisi enim tertio die resurrexerit sicut prmisit,
manifestũ est quod decepti, & propter eũ ab omnibus gẽtibꝰ
odio habiti, sine domibus & extorres facti, potius auersabun-
tur eum, & odio habebunt tanquã impostorem, & ita nolent

eum

D eum furari. Sed neque populo persuadere poterunt, quod à mortuis surrexerit. Cui enim innitentur? an vehementiæ sermonum? atque illiterati sunt. An forte abundãtiæ rerum? Atqui sunt omnium pauperrimi. Generis fortassis claritati. Verum ignobiles sunt, & ab ignobilibus progeniti. Vtrũ suiipsorum multitudini? At non plures sunt quàm duodecim. Vtrum patriæ splendori? Verum à regionibus sunt obscuris & ignobilibus. An putatis quod præceptoris promissionibus? Quib°? Si enim non resurrexerit, neque illis crediturí sunt. Demonstratum est igitur quod vane suspicamini hunc furto auferendum esse: ob dictas enim causas est incredibile.

Ait illis Pilatus, Habetis custodiam: ite, munite sicut scitis. Sicut σπεῖρα, id est, cohors, ita & κουστωδία ordo erat militaris. Nõ
E permisit autem, vt soli milites munirent sepulchrum, sed principibus sacerdotum ac pharisæis præcipue commisit ea quæ muniminis erant, sequente eos custodia. Ita enim deus ordinauit: ne post resurrectionem dicere possent, quod quum soli milites sepulchrum muniuissent, tradiderant corpus discipulis.

Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, obsignato lapide, adhibitaque custodia. Non solum ostij lapidem obsignarunt, sed & electis quos voluerunt militibus, huic in custodes adhibuerunt, sicut paulò post manifestabitur. Et hæc sabbatho operati sunt ob insaniæ suæ furorem, soluentes illud. Quia vero nunc dicturi sumus quomodo mulieres ad monumentum
F peruenerint: non intempestiuum fuerit dicere, quod quum diuersimode de apparitionibus scripserint euangelistæ, maximam præbent non animaduertentibus difficultatem. Et quidem Chrysostomus de huiusmodi differentia nihil curiose scrutatus est. Cæteri vero quum dicta euangelistarum circa hæc conciliare non possent, multos his de rebus inuanum effuderunt sermones: hi quidem quatuor ad monumentum accessus diuersis temporibus factos esse dicentes, non easdem fuisse mulieres aiunt, quarum meminerunt quatuor euangelistæ, sed alias & alias similium inter seinuicem nominum. Alij vero de quatuor accessionibus conformiter dicunt: sed hos ab eisdem mulieribus factos esse asseuerant. Et hi autem, & illi facile conuincuntur, quod leuia, facileque confutabilia dixerint: si quis diligentius ad euangelistas aduertat. Sed nos ab eo

ab eo qui sepultus est, quique resurrexit, postulata gratia, dicta cõcordare nitemur, ac manifeste ostendere eandem apud omnes euangelistas esse consonantiam. A

Vespera autem sabbathorum, quæ luxerit in unum sabbathorum, uenit Maria Magdalene & altera Maria ut uiderent sepulchrum. Cap. 28
Hebræi sabbathum honorantes, septimum videlicet hebdomadæ diem, etiam sex dies ipsum præcedentes in honorem eius sabbatha appellabant, nominantes diem dominicum, vnum siue primum sabbathorum: secũdum autem sabbathorum, & tertium sabbathorum, secundum ac tertium septimanæ diem & similiter alios sequentes. Dicens ergo Matthæus vesperam sabbathorum, finem significauit omniũ sabbathorum, siue septem hebdomadæ dierum. Nam & nos vesperam aut serum diei dicentes siue serum noctis, vltima ipsorum significamus. Finis autem septem dierum hebdomadæ non solum ipsum proprie dicitur sabbathum, sed & ipsius sabbathi finis. Ne autẽ putes, quod in fine ipsius sabbati venerint prædictæ mulieres ad monumentum, sed in principio diluculi, addit: Quæ luxerit, hoc est, appetente iam die, prospectante & oriente. Et sermonem magis adhuc explicans, adiecit, In vnum sabbathorum, Vnus autem sabbathorum, siue primus septem dierum, dominicus est, sicut prædiximus. Quum autẽ ita scripsit Matthæus, principium dominici diei manifestauit. Omne vero diluculum post sextam noctis horam incipitur, quando primum galli canunt. Idem quoque tempus scripsit & Marcus dicens, Et valde mane vno sabbathorum veniunt ad monumentum orto sole. Valde mane enim principium est diluculi. Verum si valde mane erat, quomodo dixit orto sole? Quia tunc proprie sol oritur, etsi nobis nondum appareat, demoratus adhuc circa profundissimas extremasque orientis partes, & paulatim exurgens, cuius testimonium est gallicinium. Nam galli primi inter omnia animantia sentientes illius calorem, repente clamant, eiusque præsentiam hominibus prænunciant. Idem quoque tempus significauit & Lucas dicens: Sabbatho quidem quieuerunt secundum præceptum. Vno autem sabbathorum profundo diluculo venerunt ad monumentum ferentes quæ parauerant aromata. De Maria autem Magdalene, cuius meminit Ioannes in sequentibus suo loco dicemus. B C Marc. 16 Luc. 24

Et ecce

D *Et ecce terræmotus factus est magnus: angelus enim domini qui descenderat de cœlo, quum accessisset, reuoluit lapidem ab ostio, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & indumentum eius candidum tanquam nix.* Christus quidem surrexerat priusquam angelus descenderet. Quemadmodum enim natus est seruatis integris claustris virginis, ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti signaculis. Terræmotus autem factus est propter assidentes sepulchro custodes, vt timore terræmotus erecti, & horrore aspectus eius qui lapidem reuoluerat consternati, fugerent & hæc Iudæis nunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis: hæc enim maxime fulgere solet, quando ab inimicis suis prædicata fuerit. Lapidem vero reuoluit angelus propter mulieres, vt sepulchrum viderent va
E cuum, ac surrexisse crederent. Marcus autem de his mulieribus ait, quod dicebant inter sese. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? quumq; respexissent, vident quod reuolutus esset lapis: erat enim grandis valde. Dum itaq; venirent, ita dicebant inter sese: interim vero dum hæc colloquerentur, factus est terræmotus: quumq; accessisset angelus reuoluit lapidem: & iam ad monumentum respicientes, vident quod reuolutus esset lapis. Marcus sane breuitati studens, neque terræmotum scripsit, neque quis lapidem reuoluerit docuit. Similiter & Lucas narrationem de his abbreuiauit, dicens, Inuenerunt lapidem à monumento reuolutum. Itaque quando ad monumentum venerint mulieres significauerunt euangelistę, quando vero resurrexerit Christus, nullus eorum
F indicauit: solus enim hoc nouit, qui solus surrexit vt nouit. Omnes autem vnanimiter sancti patres & doctores tempus resurrectionis eius fuisse dicunt circa primum gallicinium, qui iam dominici diei lucem præferebat. Ideo quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores, soluto ieiunio lætitiam auspicantur. Surrexit autem tertio die prout dixerat. Ex quo enim hora nona parasceues mortuus est, numeratur primus dies parasceue: secundus sabbathum: tertius dies dominicus, in quo incipiente diluculo, surrexit, paulo antequam mulieres accederent: & connumerantur ipsius finis parasceues, & dominici principium. Quod autem in exemplo de Iona dixit, Ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: de diebus quidem non est quod hæsi-

temus:

temus: iam enim enumerati sunt: de noctibus vero dicemus, A
quod Iudæi ad tertium vsque diem sepulchrum munierant, videlicet ab ipsa parasceue vsque ad diem dominicum occidente sole: ita enim decreuerant. Tertiam vero noctem absq; munitione relinquebant: nam si etiam hanc expectasset, suspecta habita fuisset resurrectio: respondissent enim, quod ex quo intra tempus munitionis non resurrexerat: hac soluta, fide carebat resurrectio: furto enim sublatus erat, nullo custodiente. Itaque quum adhuc custodirent resurrexit, omnem tollens contradictionem: & neque totum tertium expectauit diem, sed statim quum inciperet surrexit. Quod enim intra tempus munitionis resurgeret, argui non poterat: quod si id postmodū faceret, suspectum erat. Nam quod citius quàm sit constitutum efficitur, potentiæ est: quod autem tardius, B
imbecillitatis. Etenim rex quoque qui ad certum diem beneficium quibusdam conferre promisit, si ante statutum diem beneficium eis conferat: non solum promissum compleuit, sed & aliam gratiam velocitatis addidit. Nihil autem aliud Iudæi appositis signaculis ac custodibus apparabant, quàm vt resurrectio publicaretur, sumeretque ab ipsis custodibus testimonium. Sed rursum ad dictorum enarrationis ordinem reuertendum est.

Præ timore autem eius concussi sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Præ timore terræmotus, fuit enim magnus: aut angeli, fuit enim aspectu terribilis. Concussi sunt autem, hoc est tremuerunt, deinde ad se reuersi fugerunt, & ita mulieribus data est securitas. C

Respondens autem angelus dixit mulieribus: Ne timueritis uos. Ne, inquit, timueritis vos, sed hi puta custodes, omnesq; inimici domini. Primum itaq; timore illas liberauit & sermone & habitu, deinde de resurrectione disserit.

Scio enim quod Iesum crucifixum quæritis. Non confunditur dicere dominum suum crucifixum: quia his quidem qui ante ipsum crucifixi sunt, crux ignominia erat, quum argumentum esset maleficij eorum: huic vero potius gloria, quum fuerit demonstratio beneficij in homines collati, propter quod ad crucem condemnatus est.

Non est hic, surrexit enim sicut dixit: accedite, uidete locū ubi positus erat dominus. Dicens, accedite, videte locum vbi positus

erat

D erat dominus, significauit quod propter eas vt viderent, lapidem reuoluerat.

Et cito euntes dicite discipulis eius, quod surrexit à mortuis, & ecce præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis. Præcedet: hoc est, præueniet vos. Iubet autem abire eos in Galilęam, in qua sine Iudæorum timore ad eum accessuri erant, & cum eo colloquuturi.

Ecce dixi uobis. De omnibus videlicet. Vel aliter, Ecce admonui vos de discipulis. Nolite itaque admonitionem negligere. Hic ergo angelus extra sepulchrum super lapidem sedens, prædicta dixit mulieribus. Quia vero non ausis appropinquare præcepit, vt sepulchrum ingrederentur. (Nam hoc significat, Accedite, videte locum vbi positus erat dominus)
E ingressæ sunt. Sed Matthæus quidem vsque ad ingressum sepulchri narrauit, reliqua præteriens: cæteri vero relictis his, quæ vsque ad sepulchri ingressum acciderant, quę in eo facta sunt conscripserunt. Et hoc est quod maximam præbet non aduertentibus hęsitationem. Ait enim Marcus. Et ingressæ in monumentum viderunt adolescentulum sedentem in dextris amictum stola candida, & obstupuerunt. Ille autem dicit eis, Ne obstupescatis. Iesum quæritis Nazarenum crucifixũ: surrexit, non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed abite: dicite discipulis eius & Petro, quod præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Quia enim is qui foris sedebat angelus præceperat eis ingredi, ingressæ in monumentum viderunt alterum angelum sedẽtem à dextra ip-
F sius parte: & vt verisimile est, viso repente eo obstupuerunt. At ille dixit eis, Ne obstupescatis, &c. Et sicut exterior angelus, ita & interior, primum quidem stupore eas liberat: deinde ea quæ de resurrectione erant disserit. Et certe exterior timendus erat, propter custodes: interior vero talis non erat, propter mulieres. Ideo illo quidem viso, istæ rimuerunt: Hoc autem viso, obstupuerunt. Nominatim autem Petrum addidit: vt sciret remissum sibi esse trinæ negationis lapsum, propter feruentem pœnitentiam, & respiraret: absorptus siquidẽ erat immenso mœrore. Addens autem, Sicut dixit vobis, reduxit eis ad memoriam id quod in monte oliuarũ dixerat. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam, sicut
pra.26 dixit Mattheus sexagesimoquarto capite. Lucas vero scripsit: Et in-

Et ingressæ non inuenerunt corpus domini Iesu. Et factum A
est dum mente consternatæ essent super hoc: Et ecce duo viri steterunt iuxta illas in vestibus fulgurantibus. Quumque expauissent, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæritis viuentẽ cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Mementote quomodo loquutus sit vobis, quum adhuc esset in Galilæa dicens: Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, ac tertio die resurgere. Et recordatæ sunt verborum illius. Angelus itaque qui sedebat à dextris, quique ad eas dixerat ea quæ retulit Marcus, disparuit. Quod etiam, quia à Marco silentio præteritum est, cum his quæ à Luca narrata sunt, similiter obscuritatem peperit. Quum autem ipsę corpus domini Iesu non inuenissent, expauerunt cogitantes, quid de eo factum esset. Nondum e- B
nim credere poterant quod resurrexisset: ita consternatis ipsis apparuerunt duo prædicti angeli, & is videlicet quem extra sepulchrum viderant, & quem in ipso conspexerant, transfiguraci in vestibus fulgurantibus, vt etiam ob splendorem transformationis apertius angeli dei viderentur. Quum autem nouo aspectu conterritæ essent, nec possent ob vestium coruscationem in eos respicere? dixerunt ad eas non iam manuete vt prius, sed obiurgandi modo propter ipsarum incredulitatem: Vt quid quæritis viuentem cum mortuis? tanquam videlicet mortuum: nam id est esse cum mortuis. Vt quid eum qui resurrexit, quæritis ac si non resurrexisset? Non est hic, sed surrexit. Deinde vbi eas ad maiorem resurrectionis fidem induxissent, admonuerunt verborum domini, di- C
centes: Mementote quomodo loquutus sit vobis, quum adhuc esset in Galilæa, dicens: Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, ac tertio die resurgere. Postmodum ait euangelista, quod recordatæ sunt verborum eius, significans, quod deinde crediderunt. Scripsit *Supra.17*
enim Matthæus trigesimoquinto capite, quod quum versarentur in Galilæa, dixit illis Iesus: Futurum est vt filius hominis tradatur in manus hominum & occident eum, ac tertio die resurget. Nihil autem præcipiunt hic angeli de Apostolis: vt qui iam quæ dicta sunt de illis præceperant.

Et egressæ cito cum timore & gaudio magno cucurrerunt ut nunciarent discipulis eius. Etsi nullam fecerit mentionem Mat-

D theus quod in monumentum intrauerunt, nunc tamen dicens quod egressæ sunt, ostendit primum fuisse ingressas. Cum timore itaq; egressæ sunt ob admiranda quæ viderant: cum gaudio vero, ob lætum nuncium quod audierant. Marcus autem dixit: Quumque exissent fugerunt à monumento: habebat enim eas tremor ac stupor, & nemini quicquam dixerunt timebant enim. Considera ergo quomodo non repugnent quæ dicuntur. Egressæ enim cito à monumento, secundum Matthæum: fugerunt secundum Marcum, propter Iudæos, ne conspectæ viderentur ipsæ furari Iesum. Quod si dixit ille, quod timebant & gaudebant: hic autem quod tremebant ac stupebant: non est contradictio: tremor nempe illis è timore processit: gaudium vero tacuit Marcus, vel etiam per stu-
E porem significauit: ipsum siquidem quandoque vertit in stuporem. Nemini autem quicquam dixerunt, nulli videlicet hominum, qui sibi per viam occurrerunt. Nam Apostolis vniuersa retulerunt, vbi ad eos reuersæ sunt, sicut scribit Lucas. Causa autem quod nemini quicquam dixerint, erat timor Iudæorũ, ne ipsas occiderent, audito quod Christi prædicarent resurrectionem.

Quum autem irent ut discipulis nunciarent: & ecce Iesus occurrit eis. Quæ ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vident dominum, & hoc in mercedem sui studij suæque festinationis referunt.

Gene.3. *Dicens, Gaudete.* Gaudere eis tribuit, quæ ob veterem inobedientiam condemnatæ erant ad habendum mœrorem.

F Loquutus est autem, vt à voce magis cognoscerent eum: & prima eius vox lætum gaudij nuntium fuit.

Ille uero accesserunt, ac tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Ille quidem ex desiderio & reuerentia †os tenuerunt: ipse vero non prohibuit, præstans vt per tactum certiores efficerentur, quod phantasma non esset.

Tunc ait illis Iesus, Nolite timere. Rursum & ipse quoq; repellit primo timorem earum: deinde de discipulis præcipit: confirmans suos, fuisse angelos eos qui prius apparuerant, & eadem præceperant.

Ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me uidebunt. Mulieribus pro Apostolis vsus est ad Apostolos, honorans genus quod ex serpentis seductione infame factum fuerat.

fuerat. Et quia olim mulier viro facta est ministra mœroris: A nunc mulieres fiunt viris ministræ gaudij Fratres vero appellauit Apostolos: simul quidem propter incarnationem: fratres siquidem sunt inter se mutuo omnes homines, simul etiã ad honorem ipsorum.

Illis autem abeuntibus, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & renunciauerunt principibus sacerdotum uniuersa quæ acciderant. Quidam: ij videlicet, qui ab eis custodes relicti erant: vel, qui ex eis insigniores erant.

Et cõgregati cum senioribus accepto consilio pecunias multas dederunt militibus dicentes: dicite: Discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Prius quidem emerunt cædem eius: nunc vero etiam veritatem emunt resurrectionis illius: & propriam conculcant conscientiam: nec pudet, ipsos deprauare custodes, sed effecto mendacio simul cum eis veritatem occultant: vtentes iis, qui veritatis testes erant, vt mendacij fierent ministri. B

Et si hoc auditum fuerit à præside, nos illi persuadebimus, & securos uos faciemus. Persuadebitis ei, vt qui facile potest falli. Nam si stabilis esset, nequaquam ei persuaderetis: Valde enim absurdus est sermo vester. Quo etenim lucro erant ipsum furto sublaturi? Quomodo in tanto periculo ausi fuissent viri adeo timidi? quorum is qui præcipuus erat, mulierculæ metu præceptorem negauit: cæteri autem, cum vidissent quod ligatus esset, aufugerunt? Quomodo etiam quum prima nocte absque periculo furari eum potuissent, quando nullus seruabat sepulchrum: elegerunt potius secunda nocte magno C cum periculo ipsum furari, præsentibus iam custodibus? Sed vide quomodo aduersus seipsos diligentiam adhibuerunt vane sapientes Iudei, veluti etiam superius significauimus. Nisi enim custodes apposuissent, aliquid de furto dicere potuissent: nunc autem apud equos iudices nihil mutire possunt: vndiq; impositio eis silentio.

Illi autem sumptis pecuniis, fecerunt sicut edocti erant: & diuulgatus est hic sermo apud Iudæos usque in hodiernum diem. Si discipulum vicerunt pecuniæ, multo magis milites. Vere itaque magnum est malum pecuniæ amor, & magnorum causa malorum. Sermonem autem diuulgatum dicit, quod furto sublatus sit Iesus. Lucas vero de mulieribus ait: Et reuersę

D à monumento nunciauerunt hæc omnia ipſis vndecim, cæterisque omnibus, videlicet ſeptuaginta. Deinde enumerat eas dicens: Erant autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, ac cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc. Verum Matthæus quidem Mariam Magdalenen, & Mariam Iacobi & Ioſe conſcripſit: non quaſi ſolas, ſed tanquam cæteris quæ cum eis erant inſigniores. Marcus autem etiam Salomen ſignificauit. Lucas vero Salomen quidem abſque expreſſo nomine reliquit, manifeſtauit autem Iohannam: Addens vero, Et cæteræ quæ cum eis erant, ſignificat & ipſam Salomen, & alias quaſdam. Poſt dictam itaque mulierum enumerationem, rurſum ſubiunxit Lucas: Et viſa ſunt coram illis tanquam deliramentum verba ea-
pan.20. E rum, nec crediderunt ipſis. Hinc ergo ſumunt initium, quæ de Maria Magdalene ſolus ſcripſit Iohannes, veluti ea quorum apud reliquos nulla eſt facta mentio. Quia enim viſa ſunt coram Apoſtolis tanquam deliramentum verba mulierum: ipſa cogitans intra ſe quod vere deceptæ eſſent, quodque per phantaſiam vidiſſent quæ viderant, & audiſſent quæ audierant: neque enim aliter tanquam deliramentum apparuiſſent cordatioribus ac ſapientioribus: non quieuit, ſed ſola protinus ad monumentum cucurrit, quum adhuc tenebræ eſſent, opinata quod ipſum clauſum eſſet repertura. Videns autem quod ſublatus eſſet lapis à monumento, nihil meminit eorum, quæ prius facta fuerant, vt-
F pote renunciatione quam de his fecerat, à diſcipulis reprobata: ſuſpicata eſt autem tranſpoſitum eſſe corpus à Ioſeph in tutiorem locum. Currit ergo & venit ad Simonem Petrũ, & ad alium diſcipulum quem diligebat Ieſus, & ait illis, Tulerunt dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum, & cætera quæ deinceps facta ſunt, ſicut ſcripſit Ioannes. Demonſtratum eſt igitur vnam eſſe apud omnes euangeliſtas concordiam, & corpus hiſtorię vnum, rebus ſcilicet conuenienti ordine enarratis: quod enim hic euangeliſta prætermiſit, hoc ille ita diuina diſponente gratia dixit, vt etiam hinc manifeſtum eſſe poſſit, quod non ex compoſito aut pacto ſcripſerint.

Vndecim uero diſcipuli profecti ſunt in Galilæam. Non ſtatim abierunt in Galilæam: ſiquidem in ipſo die quo reſurre-

xità

xit à mortuis viſus eſt eis, quum eſſent adhuc Ieroſolymis. A
Et hoc ſane Marcus & Lucas oſtendunt, manifeſtius tamen his ſcripſit Ioannes. Poſtquam enim ad diſcipulos reuerſa eſſet Maria Magdalene, ait: Quum eſſet ſero die illo qui erat vnus ſabbathorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum: venit Ieſus, ſtetitque in medio, & ait illis, Pax vobis. Quumque hoc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo domino, & cætera. Manifeſtum eſt itaque, quod poſtmodum abierunt in Galilæam. Non autem mentitus eſt Chriſtus, quod ſtulte dixit apoſtata Iulianus, quaſi promiſerit ſe in Galilæa videndum eſſe, & Ieroſolymis ſe eis videndum præbuerit. Sed & hoc compleuit promiſſum: viſus ab eis poſtmodum in Galilæa: donauit autem & alte- B
ram gratiam, prius eis apparens Ieroſolymis: vt & mœrorem eorum ſolueret, & mulierum verba confirmaret, aliorũq; qui eum viderant poſtquam reſurrexerat. Matthæus ergo præteriit ea quæ acciderunt donec abirent diſcipuli in Galilæam: cæteri vero euangeliſtæ etiam illa conſcripſerunt. Marcus quidem breuius: Lucas autem latius: Ioannes vero adhuc fuſius.

In montem in quo conſtituit eis Ieſus. In quo conſtituit eis, hoc eſt, vbi per mulieres præcepit eis vt proficiſcerentur, ſicut prædictum eſt: vel vbi promiſit eis quando dixit, Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Atqui in Galilæam quidem conſtituit illis vt abirent: de monte vero nihil ſcriptum eſt. Veriſimile eſt tamen & de hoc vel di C
xiſſe illis, vel nunc per mulieres ſignificaſſe, quanquam ſcriptum non ſit. Præterea familiaris etiam illis erat mons iſte: ibi enim propter quietem maxime verſabantur.

Quumque uidiſſent illum, adorauerunt eum. Quum vidiſſent illum ibi: id enim ſubintelligendum eſt.

Quidam uero dubitauerunt. Quidam vero eorum dubitauerunt de ipſo, timentes errorem. Non autem quærere oportet quinam hi fuerint. Nam ſilentio præteriti ſunt, ſed ſcire tantum oportet, quod & hi, quum acceſſiſſet ad ipſos Ieſus, confirmati ſunt.

Et accedens Ieſus, loquutus eſt eis dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Data eſt mihi, inquit, tanquam ho-

Dmini,potestas quam habebam tanquam deus.

Euntes docete omnes gentes. In data mihi potestate fiduciam habentes. Dicens autem omnes Gentes, etiam Hebræorum genus significauit. Siquidem apud Marcum dixit eis manifestius: Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Apud Lucam vero adhuc expressius ait: Prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes, facto ab Ierosolymis initio. Non enim meminit dominus malorum, eorum qui resipiscunt. Siquidem postquam à mortuis resurrexit, & discipulos alloquutus est, non solum mentionem non fecit de malis, quæ à Iudæis passus est, sed ne Petro quidem exprobrauit negationem, aut fugam cæteris discipulis.

† E *Baptizantes eos in nomine † patris & filii & spiritus sancti.*

† Hoc præceptum de baptismo est ac dogmatibus.

† *Vnum nomen trium, denotat unam sanctæ trinitatis naturam. Nomen autem, puta, Qui est uel deus, uel aliud ineffabile: ideo etiam in nomine tantum dicunt qui baptizant, nullo in specie addito.*

Docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi uobis. Hoc rursum præceptum de conuersatione est: Neque enim sufficiunt ad salutem baptismus & dogmata, nisi etiam deo digna conuersatio accedat.

Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus. Maiorem eis adiiciens fiduciam, dixit, Et ecce ego vobiscum sum, cooperans, impedimenta complanans, ac seruans vos.

† F *Vsque ad consummationem seculi.* † Hoc ostendit, quod non solum cum discipulis qui tunc erant, sed cum his etiam qui illos erant sequuturi, futurus esset. Neque enim Apostoli vsque ad seculi consummationem erant permansuri: sed mediantibus iis qui tunc erant, etiam illis qui postmodum futuri essent, hanc promisit gratiam, tanquam vni corpori cum omnibus loquens fidelibus. Non est autem statim assumptus in cœlum, sed post aliquantum temporis, sicut ex aliis euangelistis licet cognoscere. Etenim à resurrectione eius, vsque ad assumptionem, per quadraginta dies permansit, apparens discipulis, & cum eis conuersans: deinde ab vno monte qui in Iudæa erat, & dicebatur mons Oliuarum, assumptus est, veluti narrat liber Apostolicarũ actionum.

Hoc dixit,

† *Hoc dixit, non quod post hoc non sit cum eis futurus. Sed quod non eodem modo futurus, sed excelsius ac deo congruentiori modo quàm nunc.* Detur quæso nobis digne euangelio docentibus & cõuersantibus, tandemque morientibus, vt regnum illud quod per euangelium perfectis promittitur, assequamur, per gratiam perfecti ac vniuersalis regis Iesu Christi, quem decet gloria & adoratio simul cum eterno ac perpetuo patre, & coæterno simulque perpetuo spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen. A † Actorũ.1.

PROOEMIVM EVANGELII SECVNDVM MARCVM. B

MARCVS filius fuit Mariæ, quæ in domo sua benigne Apostolos excipiebat. Vocabatur autem & Ioannes, quemadmodum in Actis Apostolorum inuenimus. Petrus, inquit, re cognita venit ad domum matris Ioannis, qui cognominabatur Marcus: vbi erant multi congregati & orantes. Et circa principia quidem coniunctus est Barnabę auunculo suo & Paulo, sicuti liber Actorum testatur, & Paulus in epistolis mentionem eius faciẽs: vt in epistola ad Colossenses, & in secunda ad Timotheum. Deinde cum Petro Romæ conuersatus est, quemadmodum prior eius epistola demonstrat, qua etiã hic filium suum iuxta spiritum Marcum appellauit: à quo insuper totum euangelij sermonem Marcus didicit, & postmodum euangelium conscripsit, secundum Clementem Stromaticum, hoc est qui varia in vnum contexuit, in ipsa Roma: iuxta Chrysostomum autem in Aegypto, rogatus à fratribus qui ibidem morabantur, post decimum à Saluatoris assumptione annum. Plurimum autem cum Matthæo cõsentit, nisi quod latius ille cuncta describit. Vbiq; autem scire oportet quod euangelistæ interdum quidem Christi doctrinã ac miracula ordine describunt in modum historiæ, quandoque vero ordinem non seruant: id solum studentes, vt quod dictũ aut factum est annuntient. Actorũ.1 Actorũ.1 Coloss.4 2.Timo. 1.Petri. C

D Caput primum iuxta Iaborū enarrationem.

INITIVM *euangelii Iesu Christi filii dei, sicut scriptum est in prophetis.* Euangelium nunc Marcus appellauit nouum testamentum, nouam Christi legislationem. Cur autem ita nominauerit, dictū est in proœmio enarrationis euāgelij iuxta Matthæum, vbi de euangeliorum inscriptione tractatum est. Ait ergo presens euangelista, quod principium nouæ Christi legislationis ita fuit sicut in prophetis scriptum est: dicit autem Iesaiam & Malachiam. Deinde ea

E quoque ponit, quæ à prophetis dicta sunt, vt videas tale fuisse euangelij principium, quale dicunt prophetæ. Aiunt autem hi Ioannem fuisse principium, veluti dicta eorum explicata

Matth.11. demonstrabunt. Quia enim omnes prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, iuxta domini verbum: oportebat hunc qui finis erat veteris testamenti, noui quoque esse principium. Verum distinguenda sunt propria duorum prophetarum oracula.

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit

Malac.3. *uiam tuam coram te.* Malachiæ vaticinium est. De hoc autē manifeste dictū est vicesimo capite euangelij iuxta Matthēū, vnde superfluum esset eadem rursum in medium adducere.

F *Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semi-*

† *tas eius.*† Iesaiæ testimonium est, quod etiam explanatum

Isa.40. est in enarratione tertij capitis euangelij iuxta Matthæum,

Matth.3. ibi ergo quærito. Hæc itaque prophetica dicta concorditer clamant, quod Ioannes præcessurus erat Christum, viamque ei præparaturus euangelij, & quod inde nouæ legislationis futurum erat initium, quæ omnia ita facta sunt. Quum enim Ioannes ante Saluatorem ad Iordanem venisset, ac pœnitentiam prædicasset, in animabus hominum fundamentorum loca fodit: veniens autem Christus, fidei posuit fundamenta, nouamque ædificauit legislationem. Quum autem dixisset Initium euangelij ita factum esse, quemadmodum scriptum est in prophetis. Deinde prophetica quoque dicta adduxisset: consequenter nititur quod proposuit demonstrare, & incipit ea dicere, quæ circa Ioannem fuerunt: quomodo venerit

venerit ad Iordanem: quomodo prædicauerit, & vt semel dicam, quomodo initium euangelij fuerit. Et quia Marcus admodum Matthæo conformis est, sicut in principio indicauimus, quæ apud illum declarata sunt prætermittemus, tanquā iam manifesta: hoc tantum in vnoquoque loco significantes, quod de eo incerto quodam capite dictum sit. Tu ergo caput statim quærito, ac donec quod quæris inuenias perlegito. A

Ad ea igitur in quibus varius est, expositionem deinceps deducamus.

† *Præparat quidem domino uiam, qui uirtutem operatur. Verum* † *non rectas facit semitas eius, qui non ad dei beneplacitum, sed ad stu-*
dium hominibus placendi, aut aliquem alium finem non bonum, hanc
operatur. Hic enim laborem quidem præparationis sustinet, deum au- B
tem non habet huiusmodi semitas perambulantem.

†*Idem quoque & de cæteris euangelistis dicendum.*

Fuit Ioannes Baptizans in deserto, & prædicans baptismum pœ- †
nitentiæ, & remissionem peccatorum. Fuit, hoc est, erat. Quod autem hic baptismum pœnitentiæ prædicauerit, manifestum est tum ab his quæ dixit, tum ab his quæ operatus est. Præcipiens enim vt ipsos pœniteret, baptizauit eos qui resipiscebant. Quod tamen baptismus quo baptizabat, non conferebat peccatorum remissionem, similiter manifestum est: siquidem baptismus Ioannis pœnitentiæ solum erat: Christi vero baptismus remissionis erat. Quam eorum differentiam ipse præcursor docuit dicens, Ego quidem baptizo vos in aqua, Matth.3
videlicet nuda: ipse autem baptizabit vos in spiritu sancto. C
Ante saluatorem enim nusquam apparet data remissio peccatorum, sed primus Christus hoc donum largitus est per seipsum, & per suum baptisma. Manifestum est ergo baptisma Ioannis præparationem fuisse ad peccatorum remissionem. Oportet enim vt peccatorem primum pœniteat, deinde remissionem adipiscatur. Sed iam videamus quid euangelista dicat: Fuit, inquit, Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Non dixit, Pœnitentię & remissionis peccatorum: ne putes illud baptisma remissionem quoque tribuisse, sed addidit, In remissionem peccatorum: hoc est, propter remissionem. Nam prędicabat pœnitentiam causa remissionis, vt per pœnitentiam de peccatis redarguti ac compuncti, eum feruenter quærerēt, qui tollit

D qui tollit peccatum mundi, quo apparente procurrerent, ac peccatorum remissionem ab eo acciperent.

Et exibant ad eum, tota regio Iudæa ac Ierosolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua. Hæc declarata sunt in expositione prædicti tertij capitis.

Erat autem Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, ac uescebatur locustis, melleq; syluestri. Et hæc in enarratione dicti capitis manifesta sunt. Induebatur autem pilis cameli, non simpliciter incompositis, sed contextis. Dixit enim Matthæus quod habebat vestimentum suum de pilis camelorum. Dictio autem Vestitus erat, subintelligitur etiam in eo quod additur, Et zona pellicea.

E *Et prædicabat dicens: Venit is qui me fortior est post me, cuius nō sum idoneus, ut procumbens soluam corrigiam calceamentorū ipsius.* Hoc quidem propter excellentiam eius qui prædicabatur dictum est, quemadmodum prædicto capite tradidimus. Quidam autem dicunt per calceamenta carnem intelligi, qua calceatus siue vestitus est dei filius. Corrigiam vero ineffabilem cōiunctionis suæ rationē: quomodo videlicet naturis inconfusis, vnita sit humanitas diuinitati. Iuxta planam vero interpretationem, corrigiam vocat è corio factum vinculum. Est autem hic dictorum ordo. Cui° ipsius corrigiam calceamentorum non sum idoneus soluere procumbens. Procumbit enim qui vult illud soluere. Calceamenta vero dicit sandalia. Et quod dicitur, Cuius ipsius, frequens est apud He-
F braeos: vt illud, Cuius tollens os eius implet. Similiter &,
Psal.83. Cui ipsi, vt quod dicitur, Beatus vir cui est auxilium ipsi abs te.

Ego quidem baptizaui uos in aqua: ille uero baptizabit uos in spiritu sancto. Similiter & de hoc superius dictum est in prædicto capite.

Et factum est in illis diebus: Venit Iesus à Nazaret Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Dictio quoq;, Et factū est, particula est apud Hebræos in frequenti vsu. Et factum est, inquit in illis diebus. Deinde incipit dicere quid factum sit. Dicit autem nunc dies quibus prædicabat Ioannes baptismū pœnitentiæ. De his vero quæ sequuntur prædicto capite dictū est, Sed Matthæus quidem simpliciter dixit, A Galilæa: Marcus vero ciuitatem etiam addidit in qua habitabat.

Et statim

Et statim ascendens ab aqua, uidit diffindi cœlos: & spiritum tanquam columbam super se descendentem. De his quoque eodem capite inuenies. Verum Matthæus quidem & Lucas, Aperiri cœlos dicunt: hic autem diffindi, hæc tamen pro eodem accipiuntur. A

Et uox facta est de cœlis, Tu es filius meus dilectus, in te mihi bene complacitum est. In euangelio iuxta Matthæum scriptum est, Hic est filius meus. Marcus autem & Lucas habent, Tu Lucæ.3. es filius meus. Quid ergo dicemus? Nihil aliud quàm quod apud Matthæum diximus: quod euangelistæ interdum quidē integre huiusmodi verborum mentionem faciunt: quandoq; vero sententiam quidem seruant integram: quasdam autem dictiones non curantes immutant, dum hoc sermoni nihil po B test obesse, quod pro vna dictione alia idem significans adducitur. Nam idem demonstrant Hic & tu. Rursum simile est quod Matthæus & Marcus scripserunt, In quo mihi bene cōplacitum est, & quod Lucas, In te mihi bene complacitū est. Et hic tibi canon generalis esto ad omnia similia.

Statimq; spiritus expellit eum in desertum: & erat illic in deserto diebus quadraginta, ac tentabatur à satana. Dictum est de his tertio iuxta Matthæum capite. Ille tamen simul & Lucas dixerunt, A diabolo: hic autem à satana. Quum enim dæmon multa habeat nomina, & ab vnaquaque malitia sua recipiat appellationem: illi quidem vnum posuerunt, hic vero aliud. Dictus est autem satanas, hoc est contrarius. Nam deo contrarius est dæmon, & contraria statuens. C

Et erat cum bestiis. Matthæus & Lucas genera quoq; ten- Matth.4
tationum scripserunt. Marcus vero quum supra cæteros bre- Lucæ.4.
uitatis esset amator, satis putauit dicere, Et tentabatur. In hoc enim genera quoque complexus est. Quod autem erat cum bestiis, propter magnam loci solitudinem accidit: vt etiam ab hoc discas, quod is qui tuetur animæ dignitatem, bestiis potius formidabilis est. Ante inobedientiam enim iussum erat vt omnibus homo dominaretur.

Et angeli ministrabant ei. Post tētationes videlicet, & post manifestam de tentatore victoriam, quemadmodum significauit Matthæus.

Postquam autem traditus est Ioannes, uenit Iesus in Galilæā prædicans euangelium regni dei. Dictum est & de his eodem capite.

D capite. Euangelium autem regni dei dicit nunc nouum testamentum, vtpote annuntians de regno dei, & inducens ad regnum dei.

Et dicens, Completum est tempus. Tempus à deo constitutum conuersationi noui testamenti, de quo dicit Apostolus: Vbi venit completio temporis, misit deus filium suum. Galat. 4

Et appropinquauit regnum dei. Appropinquauit vt regnet super credentes, sicut manifestius interpretati sumus prædicto capite.

Resipiscite & credite euangelio. Rursum euangelium nominauit hic testamentum nouum, adhortans vt nouo testamento credant. Vel, sicut illud credere suadet.

Ambulans autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonẽ & Andream
E *fratrem ipsius Simonis mittẽtes rete in mare: erant enim piscatores.* De his eodem capite dictum est.

Et dixit eis Iesus, Venite post me & faciam uos fieri piscatores hominũ. Et statim relictis retibus, sequuti sunt eũ. Similiter & de his eodem capite dictum est.

Et progressus inde paululum uidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, qui & ipsi in naui resarciebant retia: & statim uocauit eos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, sequuti sunt eum. Dictum est & de his ibidem.

Et ingrediuntur Capernaum: statimq; sabbatis ingressus in synagogam docebat. Hæc etiam Lucas scripsit. Venerunt autem Capernaum à Nazaret, sicut ille significauit. Sabbatis vero, hoc est, diebus sabbatorum, quando videlicet sabbatum erat. In his enim diebus, dum illis ocium erat, permittebat lex vt
F congregarentur ac leges recitarent. Tunc ergo ingressus est, vt per ocium omnes audirent ipsum.

Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens ipsos quasi
autoritatem habens: & non sicut scribæ. Hæc Matthæus quo- Matth. 7
que posuit in fine quinti capitis. Verum ille Christũ in montem ascendisse dicit, ibique sedentem discipulos suos docuisse, adstantibus & turbis: deinde post longum sermonem inducit, quod etiam turbæ stupuerũt super doctrina ipsius, &c. Manifestum ergo est vtrunque factum esse.

CAPVT

CAPVT PRIMVM DE DAEMONIACO.

A

ERAT *in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & clamauit dicens: Sine, Quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? Venisti ut perdas nos. Noui te quis sis, sanctus nempe ille dei.* Hæc etiam dixit Lucas. Vocant autem dæmonium immundum, quasi immunditiis ac sceleribus gaudentem. Clamauit sane homo, non ferente quod in eo erat dæmonio vim diuinitatis. Sine, hoc est dimitte nos. Quid tibi nobiscum commune est? Christum quoque vocauit Nazarenum, eo quod in ciuitate Nazaret nutritus esset, quemadmodum scripsit Matthæus. Perditionem autem, vocat hic dæmon cohibitionem suæ potestatis, virtu- B
temque contrariam, ac sui persequutionem. Id etiam quod additur, Noui te quis sis, adulando ei dixit, vt ipsi parceret. Non solum autem dixit Sanctus, sed, Ille sanctus cum articuli additione. Siquidem & prophetæ sancti sunt, sed per participationem: solus autem deus proprie & natura sanctus est. Ob id ergo dixit, Sanctus ille, hoc est natura & proprie sanctus.

Et increpauit ipsum Iesus dicens: Obmutesce & exi ab eo. Increpauit, hoc est, os obturauit. Vide autem quod non susceperit Christus à dæmone testimonium, quanquam vera diceret. Primum quidem quia non vult veritas, vt sibi à falsitate perhibeatur testimonium. Deinde docuit nos ne dæmonibus vn- C
quam credamus, etiam vera dicentibus: quum enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, nunquam vera loquuntur, nisi vt ad fallendum, veritate quasi esca quadam vtantur.

Et quum discerpsisset eum spiritus immundus, & clamasset uoce magna, exiuit ab eo. Pro discerpsisset dicit Lucas, Proiecisset in medium: addens quod nihil illi nocuit. Et siquidem permisit dominus, vt hominem proiiceret, quo demonstratur proiicientis malitia: nocere autem non permisit, vt appareret expellentis potentia. Clamauit etiam voce magna flagellatus imperio dominico. Non dixit tamen quid clamauerit, eo quod voces nihil significantes ædiderit.

Et admirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes:
Quid

D Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc, quod cum autoritate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Quid est hoc quod videmus? Dicebant autem etiam nunc Christi doctrinam, vtpote differentem à doctrina scribarum, aut etiam à doctrina Ioannis Baptistæ. Illi siquidem docebant tantum: Christus vero etiam dæmones cum potestate expellebat. Autoritatis nanque est, Obmutesce & exi. † Lucas vero loco eius quod dicitur. Quæ doctrina noua hæc, dixit: Quod est hoc verbum? nominans verbum, doctrinam quæ per verbum fit: aut dicens Verbum, illud quod ad dæmonem factum est, puta, Obmutesce & exi. Vnde etiam addidit. Quia cum autoritate ac potestate imperat spiritibus immundis & exeunt. Cum autoritate quidē, eo quod iuberet: cum potestate vero, eo quod
E efficeret, quod vellet.

† † *Phrasis est potius Hebraica, ut uerbum pro re uel facto ponatur, quemadmodum ante libri exordium præfati sumus.*

Exiuit autem rumor de eo in totam undique regionem Galilææ finitimam. Dictum est de hoc quarto iuxta Matthæū capite.

CAPVT SECVNDVM DE SOCRV SIMONIS.

ET statim quum exissent à Synagoga uenit in domum Simonis & Andreæ cū Iacobo & Ioāne. Qua de causa eo venerit superius dictum est octauo iuxta Matth. 8 Matthæum capite.

F *Socrus autem Simonis decumbebat febricitans, & statim dicunt ei de illa: & accedens erexit eam apprehensa manu illius, & continuo reliquit eam febris, ac ministrabat ipsis.* De his quoque dictum est eodem capite. Vide autem quod Christus sæpius ob aliorum fidem confert aliis sanitatem, quando futurum est, vt is quoque credat qui curatur, & non potest ad se venire aut propter ægritudinem, aut propter intempestiuam ætatem, aut etiam propter ignorantiam. Nam & hic alij eum deprecati sunt. Suscipiamus igitur & nos Christum siue sermonem eius, vt febrim affectionum in nobis extinguat. Susceptio autem beneficio ministremus ei, curando pauperes.
Matth. 25 Quicquid enim, inquit, fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: ministremus & his qui eum imitantur quasi

discipulis ipsius, vt & illi pro nobis deprecentur. A

CAPVT TERTIVM DE CVRATIS A VARIIS LANGVORIBVS.

FACTA autem uespera quum sol occidisset, afferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmoniis uexabātur: & uniuersa ciuitas ad ianuam congregata erat. Matth. 8 Dictum est & de his capite nono iuxta Matthēū. *Et curauit multos male habentes uariis infirmitatibus: & dæmonia multa eiecit.* Marcus quidē dixit, quod multos curauerit. Matthæus vero quod omnes. Similiter autem & de dæmoniis dixit Marcus, quod dæmonia multa eiecit: B Matthæus vero quod spiritus eiecit, puta omnes. Quid ergo dicimus? Quod Multos & Multa, addidit hic euangelista, nō quòd aliquos prætermiserit dominus quin curauerit, aut dæmonia aliqua reliquerit, sed tantum vt ostendat Marcus, quod multi fuerint qui sanati sunt, multaque eiecta dæmonia. Considera autem quomodo dæmoniacū esse, non coniungat aliis infirmitatibus, sed hoc per se ponat tanquam id quod miserrimum est.

Et non sinebat loqui dæmonia quod ipsum nossent. Prohibebat ipsa de se loqui, clamantia sicut dixit Lucas, & dicentia, Tu es Christus filius dei. Loquebantur vero de eo quoniā nouerant ipsum esse Christū, sicut rursum dixit Lucas. Cognoscebant autē per radium diuinitatis, qui in eos ad modū ignis iaciebatur. Non sinebat etiam ea loqui propter causam quam superius reddidimus, vbi obmutescere fecit spiritum immundum hominis in synagoga vexati. Luc. 4 C Sup. eod.

Et summo mane quum in crepusculo surrexisset, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. In crepusculo, hoc est quum adhuc nox esset: summum mane enim crepusculum est siue diluculum. Sic enim alibi quoque dixit Ioannes, quod Maria Magdalene venit summo mane, quum adhuc tenebræ essent. Verum Marcus quidem hoc loco dixit, In crepusculo: Lucas vero, Facto die. Non est autem contradictio: Nam valde mane & crepusculum est, & diei principium. Abiit autem in desertum locum, vt nos doceret: quod si quando admiratione digna fecerimus, laudem ab hominibus fugiamus: & Ioan. 20 ab aliis

D ab aliis segregati, deo qui nobis beneficium contulit gratias agamus, ac deprecemur vt illud in posterum confirmet. Vnde locus desertus orationi conueniens est, eo quod distractionem non adferat.

Et prosequuti sunt eum Simon & qui cum illo erant: & quum inuenissent eum, dicunt ei, Omnes quærunt te. Marcus quidem ait, Simon, & qui cum illo erant, prosequuti inuenerunt eum. Lucas autem, quod turbæ. Verisimile ergo est, vtrunque factum esse, & primum quidem discipulos hoc fecisse, deinde vero turbas. Etenim discipuli, vt qui feruentius eum amabant anticipauerunt, dicentes de turbis, Omnes quærunt te. Vide autem quomodo secessio desiderabiliorem eum reddiderat.

E *Et ait illis, Eamus in proxima municipia, ut & ibi prædicem, quia in hoc egressus sum.* Oppidum vel ciuitas est, quæ muros habet: pagus autem siue villa aut vicus, quæ muris caret: κωμόπολις vero quod hic ponitur, vicos significat maiores, aut oppidula rusticana, quę & vici & oppida videri possunt: partim quidem muris cincta, partim autem muris carentia. Abeamus, inquit, in hos etiam vicos, siue ad hæc oppidula, vt in illis quoque prædicem. Lucas vero genus quoque prædicationis addidit dicens, Oportet me annuntiare regnum dei, quod videlicet appropinquauerit, vt super credentes regnet, quemadmodum circa principia prædicationis Christi in euangelio iuxta Matthæum dictum est. Sed Marcus quidem habet Egressus sum: Lucas vero, Missus sum. Sed verisimile est vtrunque dictum fuisse, nunc hoc, nunc autem illud. Et quia duo quædam erant in Christo, quod dicitur, Missus sum, intelligitur tanquam homo: quod autem, Egressus sum, quasi deus.

F *Et prædicabat in synagogis eorum per totam Galilæam, & dæmonia eiiciebat.* A doctrina transibat ad miracula, vt quos non attrahebat sermo, attraheret miraculorum potentia, & vt sermonem confirmaret. Simul etiam figura nobis fuit, vt non solum de virtute loquamur, verum etiam operemur.

CAPVT

CAPVT. QVARTVM DE LEPROSO.

A

ET *uenit ad eum leprosus obsecrans eum, qui genibus prouolutus, ait illi, Si uis potes me mundare.* De hoc leproso dictū est sexto iuxta Matthęū capite. Videntur autem euangelistæ aliquantulum circa tempus sanationis huius discrepare. Matthęus siquidem antequam Petri socrum curaret, ponit ea quæ de leproso sunt. Marcus vero & Lucas postea. Verisimile est autem hos miraculum tantum perscrutatos esse, & de tempore non magnopere curasse, re videlicet non necessaria: quod & alias frequenter fecerunt. Mat.8 Luc.5.

Iesus autem misericordia motus, extenta manu tetigit eum, & ait illi, Volo, Mundare. Quo dicto discessit confestim ab eo lepra, & mundatus est. Similiter & de hoc ibidem dictum est. B

Et comminatus ei statim illum emisit, & ait: Vide nemini quicquā dixeris, sed abi, ostende teipsum sacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ iussit Moses in testimonium illis. Comminatus est & duobus cæcis. Quære autem enarrationem decimi septimi capitis iuxta Matthæum, in quo de comminatione dictum est. Emisit vero eum à conspectu suo, hoc est amandauit. De his autem quæ sequuntur data est interpretatio prædicto sexto capite. Matth.9

Ille autem egressus cœpit prædicare multa, & disseminare uerbum: ita ut amplius non posset Iesus palam ingredi ciuitatem, sed foris in desertis locis erat: & ueniebant undique ad eum. Quum gratus essevellet leprosus, non tulit vt beneficiū silentio tegeretur, sed prædicabat multa de Christi potestate, & disseminabat verbum †, quod ad eum dixerat Christus, puta, Volo, Mundare: tanquā per autoritatem factum, statimque in opus deductum. Veniebant autem vndique ad Christum, vtpote fama ad omnes percurrēte. Dicit enim Lucas, quod peruagabatur magis de illo rumor, hoc est fama: & laborem vincebat cupiditas videndi eum, qui adeo diuulgatus esset. C †

† *Et hic quoque phrasis est Hebraica, ut uerbum pro facto ponatur.*

Et ingressus est iterum Capernaū post dies aliquot. Post dies hoc est præteritis aliquot diebus. Cap.2

B Et au-

D Et auditum est quod in domo esset. In domo quadam.

Et statim congregati sunt multi, adeo ut iam non caperent eos, nec illa loca quæ circa ianuam erant. Vbi audissent quod in domo erat, concurrerunt putantes quod ita facilius ad eum accederent. Tot autem congregati sunt, vt iam neque loca quæ circa ianuam erant (hoc est vestibulum domus) caperent reliquos, impleta iam ipsa domo.

Et loquutus est eis uerbum. Videlicet doctrinæ.

CAPVT QVINTVM DE PARALYTICO.

E ET uenium ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur, & quum nõ possent appropinquare illi propter turbam, nudauerunt tectum domus in qua erat, & perfosso tecto demittãt grabbatũ in quo paralyticus iacebat. Similia quoq; his posuit Lucas: Matthæus vero de tecto tacens, reliqua similiter retulit.

Intuitus autẽ Iesus fidem ipsorum, ait paralytico, Fili remissa sunt tibi peccata tua. Dictum est de his decimotertio iuxta Matthæum capite. Est autem paralyticus similiter quicunque animæ potentias ad virtutis opus habet immobiles. Quod si per quatuor euangelistas à terrenis eleuetur, & demittatur, siue humilietur coram Christo, audiet & ipse, Remissa sunt tibi peccata tua.

F Erant autem quidam scribarum ibi sedentes, & cogitãtes in cordibus suis, Quid hic ita loquitur blasphemias? Quis põt remittere peccata præter unum nempe deum? Dictum est de his ibidem.

Et statim ubi cognouisset Iesus spiritu suo, quod ita cogitarent intra semetipsos, dixit eis. Spiritum vocat hic diuinitatem: tanquam deus enim cognouit cogitationes eorum.

Vt quid hæc cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius dicere paralytico, remissa sũt tibi peccata tua: an dicere, Surge ac tolle grabbatum & ambula? Similiter & de hoc dictum est.

Vt autem sciatis quod filius hominis habeat potestatem remittendi in terra peccata: dicit paralytico: Tibi dico, Surge ac tolle grabbatum tuum, & abi in domũ tuam. Et de his quoque data est prædicto capite interpretatio.

Et confestim surrexit, ac sublato, grabbato exiuit coram omnibus, adeo ut

adeo ut stupererent omnes, & glorificarent deũ, dicentes, Nunquã sic A uidimus. Et hæc ibidem explanata sunt. Nunquã autem sic vidimus, videlicet ab alio, qui admiranda operaretur.

Et egressus est iterum ad mare, omnisque turba ueniebat ad eum, ac docebat eos. Egressus est fugiens plausum de miraculo, & cupiens à turba separari.

CAPVT SEXTVM DE LEVI PVBLICANO.

ET præteriens uidit Leui filium Alphæi sedẽtem ad telonium, & ait ei, Sequere me. Qui quum surrexisset, sequutus est eum. Leui hic est Matthæus: erat enim binominis, de quo particularius dictum est decimoquarto capite euangelij secũdum Matthæum. B Vide autem quomodo eos qui digni sunt eligat, quasi Margaritas in luto iacentes.

Et factum est dum accumberet in domo illius, multi quoque publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius: erant enim multi, & sequuti fuerant eum. Etiam de his omnibus in eo capite require.

Et scribæ ac pharisæi uidentes eum cum publicanis & peccatoribus edentem, dicebant discipulis eius: Quidnam est quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Quo audito Iesus, ait illis, Nõ opus habent qui ualent medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandũ iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Etiam hæc in eo capite declarata sunt. Reprehendebant autem Christum, quasi nihil discriminis facientem inter sanctum & eum qui iuxta le- C gem prophanus habebatur, nõ agnoscentes quod supra legis consuetudinem præstaret humanitatis gratiam. Lex siquidem prauum eiiciebat: Christus vero immutabat. Ostendit ergo quod non quasi iudex, sed quasi medicus aduenerit: ideo etiam cum infirmis versabatur.

Et erant discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunantes: & uenĩt, dicũntque ei: Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus: Num possunt filii sponsi quàm diu cum eis est sponsus ieiunare? Quanto tempore secum habent sponsum, non possunt ieiunare: uenient autem dies dum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Etiam de his

 inuenies

D inuenies supradicto capite.

Et nemo commissuram uestimenti rudis assuit uestimento ueteri: alioquin aufert supplementum eius nouum à ueteri, & peior scissura fit. Et hæc quoq; parabola eodem capite declarata est.

Nullus præterea mittit uinum nouũ in utres ueteres, alioqui rumpit uinum nouum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed uinum nouum in utres nouos mittendum est. De hac similiter parabola quære eodem capite.

Et factum est quum transiret sabbatis per segetes, cœperunt discipuli eius inter ambulandum uellere spicas †, & dicerunt ei pharisæi: Ecce cur faciunt sabbatis quod non licet? Quære de his circa finem vicesimi capitis in euangelio secundum Matthæum.

† Qui post operationem in immobilitate animi constituti sunt, sermones decerpunt ab his quæ facta sunt, his q; pie aluntur: Sabbatum enim ad otium factum, immobilitatis animi signum est, quemadmodum dies præcedentes, operationis, propter laborem.

Et ait illis, Nunquam legistis quid fecerit Dauid quum in necessitate fuit, & esuriit ipse & qui cum eo erant, quomodo ingressus est domum dei sub Abiathar † summo sacerdote, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere nisi sacerdotibus: & dedit etiam his qui secum erant? Hanc quoque historiam eo loco quære. Istum autem Abiathar Regum historia Achimelech vocat: liber autem Psalmorum Abimelech. Manifestũ ergo est quod binominis fuerit, vtroque modo appellatus Achimelech, vel Abimelech quemadmodum & alij Hebræi. Cognomen vero Abiathar habuit à progenitoribus deductũ. Ideo filius quoque eius similiter Abiathar vocatus est.

† Abiathar iste princeps sacerdotum dicitur: Regum autem historia Achimelech sacerdotem fuisse tradit. Verisimile ergo est Abiathar requieuisse, quum Dauid in domum dei ingressus est, uel propter summi sacerdotii præstantiam, uel ob imbecillitatem præ senectute. Achimelech uero tũc ea quæ diuini cultus erant exercuisse: aut quod aliis sacerdotibus præstantior esset, aut quod sua sorte illis diebus curam haberet.

Dixit q; eis, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiã sabbati. Etiam hæc in dicto capite declarata sunt.

CAPVT

CAPVT. VII. DE EO QVI HABEBAT MANVM ARIDAM.

ET rursum ingressus est synagogam, & erat ibi homo manum habens aridam, & obseruabant eum, an sabbatis sanaturus esset ipsum, ut accusarent eum. Dictum est de hoc vicesimo primo iuxta Matthæum capite. Cap. 3

Et ait homini arefactam manum habenti: Surge in medium: dicit q; illis, Licet sabbatis benefacere an malefacere: animam seruare an occidere? Illi uero tacebant. Horum interpretatio data est prędicto capite. Animam autem dicit nunc hominem, à parte totum intelligens. Interrogat enim an hominem liceat à morte seruare, an occidere. B

Quumque circunspexisset eos cum ira, contristatus super duritia cordis ipsorum, dicit homini, extende manum tuam. Ex extendit: ac restituta est manus eius sana ut altera. Iam hæc similiter dicto loco explanata sunt.

Egressi uero pharisæi, statim una cum Herodianis consultarũt aduersus eum, ut ipsum perderent: & Iesus secessit cum discipulis suis ad mare. Præterea etiam hæc.

Et multitudo magna sequuta est eum à Galilæa, & ab Iudæa, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum ac Sidonem habitabant hominum multitudo magna: qui cum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Trans Iordanem, id est qui habitabãt vltra Iordanẽ. Sequuti sunt autem: hi quidem languidos deferentes: illi vero vt ipsi salutem consequerẽtur, aut miracula viderẽt. Nec soli Hebræi, verũ etiã alienigenæ C Idumæi, Tyrij, & Sidonij. Alienigenę ergo veniebãt ad eum, cognati vero Iudæi ad se venientẽ magis persequebantur.

Et dixit discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret propter turbam ne ipsum premerẽt: multos enim sanauerat. ita ut irruerent ad ipsũ, quo eum tangerent quotquot infirmabãtur. Vt sibi deseruiret, ad ascendendum in illam, ne eum turbarent.

Spiritus quoque immundi uiso ipso procidebant illi, clamatbãntque dicentes, Tu es filius dei. Et multum cõminabatur eis, ne se manifestum facerent. Quum diuinam eius potentiam cognouissent dæmones, procidebant ac prædicabant eum esse dei filium: illud quidem, imperium illius manifestando: hoc autem, ne se

D torqueret deprecando. Silentium ergo illis imponebat, ne se manifestum facerent, Iudæorum inuidiam accendentes. p.1. Quære autem in principio primi capitis, quare immundo spiritui sit interminatus, & alias inuenies causas: sed & vicesimo capite iuxta Matthæum interminatus est turbis, ne se manifestum facerent: quære ibi quoq; enarrationem.

CAPVT OCTAVVM DE ELECTIONE APOSTOLORVM.

ET ascendit in montem, & aduocat quos ipse voluit, uenerúntque ad eum, & fecit duodecim ut essent secum, & ut mitteret eos ad prædicandũ, utque haberẽt potestatem curandi ægritudines, & eiiciendi dæmonia.

E ucæ.6 Lucas autem dicit, quod exiuit in montem ad orandum: & erat pernoctans in oratione dei. Quumque factus esset dies aduocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis, quos & Apostolos nominauit, & cætera. Pernoctabat enim in oratione ad deum: instruens nos, vt si quando aliquem electuri sumus, in oratione pernoctemus, quo is qui dignus est innotescat: ne communicemus peccatis alienis. Elegit autem ex omnibus credentibus in ipsum quos voluit, puta digniores. Elegit item & Iudam Iscarioten, vt qui tunc bonus erat: ostendens se bonum recipere, donec malus efficiatur. Et quanquam præcognoscat quod futurum est, non tamen ob futuram prauitatem eum abiicit, qui nunc bonus F est, sed propter virtutem præsentem, sibi familiarem facit illum etiam qui malus futurus est. Potestatem vero intelligit virtutem curandarum ægritudinum, eiiciendorúmque dæmonum. Deinde propter falsos apostolos, nomina quoque ponit Apostolorum.

Et imposuit Simoni nomen Petrus. Atqui in euangelio iuxta an.1. Ioannem discimus, quòd quando primum frater eius Andreas duxit illum ad Iesum, intuitus eum Iesus dixit. Tu es tatth.10 Simõ filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod est, si quis interpretetur, Petrus. Verisimile est ergo tunc dixisse, vocandum esse Petrum, nunc autem vocare eum Petrum. Quære autem decimono capite iuxta Matthæum expositionem enumerationis nominum duodecim Apostolorum, & omnia suo

suo inuenies ordine. A

Et Iacobum Zebedæi ac Ioannem fratrem Iacobi. A communi cognomen ascisciturː & propter eos qui sequuntur hoc assumitur.

Et imposuit illis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui. † Sicut filius iniquitatis dicitur qui iniquus est, & filius perditionis, perditus: & filius pacis, pacificus. Ita quoque filij tonitrui qui tonant: tanquam tonitruum enim de cœlo auditum, hi diuina tonarunt dogmata: Iacobus quidem sine scriptura, Ioannes vero scribendo. Boanerges autem Hebraicũ nomen est, quemadmodum & Cephas. †

† *Nam* בני *bene filios sonat Hebræis, &* רגש *reges tonitruum aut fremitum. Potius tamen legendum est,* בניא רגש *benaia reges, & est Chaldaicum ac sonat filios tumultus.* †

B

Et Andream & Philippum & Bartholomæum & Matthæum & Thomam & Iacobum Alphæi filium & Thaddæum & Simonem Cananæum & Iudam Iscarioten qui & prodidit illum. De his omnibus dictum est prædicto 19. cap. iuxta Matthæum.

Et ueniunt in domum, ac rursus conuenit turba, ita ut ipsi neq; panem manducare possent. In domum cuiusdam fidelis.

Et quum audissent, qui ad illum attinebant, exierunt ut tenerent eum. Quum audissent domestici eius multam conuenire turbam, exierunt vt eam † cohiberent, ac prohiberẽt ne amplius † sanaret. Fortassis autem erant hi fratres ex Ioseph, aut alias cognati.

† *Potest ergo dictio αὐτὸν, eum referri ad Iesum & ad turbã: nomen enim ὄχλος quod turbã significat, etiam masculinum est.*

Dicebant enim, In excessum uersus est. Dicebant quidam in- C uidi, quod desiperet, quia se totum ad dandas sanitates tradiderat: humanitatem ducentes furorem, & misericordiam facientes crimen. Et vere hi insaniebant. Sic ergo intelligitur hic sermo, quòd exierunt sui, vt prohiberent eum. Alij vero quæ dicta sunt aliter interpretantur, q̃ exierunt sui vt tenerẽt eum ne discederet: dicebant enim quidam, q̃ exceſſisset siue discessisset † à se propter turbam. Vel, Exierunt vt tenerent eum siue adiuuarent: dicebant enim quòd exceſſisset siue dissolutus esset à vigore corporis præ nimio labore.

† *Verbum quidem ἐξέστη, significat, in excessum uersus est: uel, in furorem uersus est: uel, excessit.* †

D Scribæ etiam qui à Ierosolymis descenderant, dicebant: Beelzebul habet, & per principem dæmoniorum eiicit dæmonia. Hoc & pharisęi dicebant 22. iuxta Matth. c. & ibi quęre expositionẽ.

Quibus ad se uocatis dicebat illis in parabolis. In exemplis & similitudinibus.

Quomodo potest satanas satanam eiicere? Dictum est de his eodem capite.

Et si regnum contra seipsum fuerit diuisum, non potest stare regnum illud: & si domus contra seipsam fuerit diuisa, non potest domus illa stare. Etiam de his ibidem disputatum est.

Et si satanas in seipsum insurrexit & diuisus est, non potest stare sed finem habet. Quære etiam de his prædicto capite.

Nemo potest uasa fortis, ingressus domum illius diripere, nisi prius
E fortem ligauerit, & tunc uasa eius diripiet. Hæc quoq; ibidem integre declarata sunt.

De his qui blasphemant spiritũ sanctum.

Amen dico uobis, Cuncta peccata filiis hominum remittentur, & blasphemiæ quibus blasphemauerint: quicunq; autẽ blasphemauerit contra spiritũ sanctum, nõ habebit remissionẽ in æternũ, sed reus erit æterni iudicii. Hæc præterea optimã ibi nacta sunt interpretationem. In æternũ, hoc est, nunquam. Iudiciũ vero dixit nũc condemnationẽ. Deinde addit etiam quare prædicta dixerit.

Quia dicebant, Spiritum immundum habet. Dicebant hoc, affirmantes, quod Beelzebul haberet.

Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stantes miserũt ad illũ qui euocarent eũ, & sedebat turba circa eum: dixerũt autẽ ipsi, Ecce mater tua & fratres tui, sororesq; tuæ foris quærunt te. Quære
F de his circa finem vicesimitertij capitis secundum Matthæũ.

Et respondit eis dicens: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quumq; circunspexisset in circuitu circumsedẽtes, ait, Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit uoluntatem dei, hic frater
† meus & soror mea & mater est. † Rursum sane & de his omnibus exacte inuenies supradicto capite.

† † Hæc aũt dixit non abiiciens omnino matrẽ & fratres, sed ostendens quod omni cognationi corporali præponi debet aĩæ familiaritas.

cap.4. Et iterũ cœpit docere circa mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut conscensa naui sederet in naui. Ibi etiam de his quære. Sedit autẽ volens ita omnes in conspectu habere, nullumq; post tergum: & à mari piscabatur eos qui in terra erãt.

Omnisque turba circa mare in terra erat. Hoc est, stabant in littore,

littore, sicut dixit Matthæus. A

Et docebat eos in parabolis multa. Dictum est de his parabolis vicesimoquarto cap. iuxta Matthæum. Matth.

Et dicebat eis in doctrina sua, Audite. Siuẽ, Animaduertite.

CAPVT IX. DE SEMINE PARABOLA.

ECce exiuit qui seminat ad seminandũ: & factũ est dum seminaret, aliud quidẽ cecidit secus uiã, uenerunt; uolucres cœli & comederunt illud. Aliud autẽ cecidit super petrosam terrã, ubi nõ habebat multam terrã: & statim exortũ est, eo quòd terræ altitudinẽ nõ habebat: orto aũt sole, æstu affectũ est: & eo qđ non haberet radicẽ, exaruit. Et aliud ce
cidit in spinas, & succreuerunt spinæ ac suffocauerunt illud: & fructum nõ dedit. Et aliud cecidit in terrã bonam, fructũque dabat emergentẽ atque crescentem: & afferebat unũ triginta, alterũ sexaginta, tertium uero centum. De his omnibus dicto capite ad verba singula diximus. B

Et dicebat, Qui habet aures ad audiendũ audiat. Qui habet aures intellectuales ad intelligendum intelligat.

Quum autẽ solus esset, interrogauerunt eum qui circa ipsum erant cum duodecim parabolam. Qui circa ipsum erant, hoc est, septuaginta discipuli. Interrogabant autem de parabola, quæ videlicet esset hæc parabola, sicut scripsit Lucas.

Et dicebat eis, Vobis datum est nosse mysterium regni dei. Dictum est de hoc, eodem capite.

Illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. Fortis esse C
dicit eos qui sunt extra fidem in ipsum. In parabolis vero fiũt omnia, quæ videlicet ad doctrinam pertinent.

Vt uidentes uideant & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant. Illud, vt videntes videant, reduplicatio est, pro eo quod est, Vt videant. Similiter illud, audientes audiãt, hoc est, Audiant. Dicit ergo: Vt videant quidem doctrinam, tanquam attenti ad eam: Non cernant autem eam, vtpote parabolæ obscuritate contectam, eo q; cognitione eius indigni essent, quasi immedicabiles. Hęc item manifestat etiã id quod sequitur. In dicto autẽ secundum Matthæũ capite, alia ponitur responsio. & verisimile est vtrunq; dictũ fuisse à Christo.

Ne quando conuertantur: & remittantur eis peccata. Dictum est de

D est de hoc, loco supradicto.

Et ait eis, Nescitis hanc parabolam? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Omnes parabolas, quas scilicet in processu dicturus erat. Si hanc nescitis, quomodo illas cognoscetis? Hoc autem dixit, quo attentiores eos redderet, ipsosque excitaret. Deinde interpretatur dictam parabolam.

Qui seminat, uerbum seminat. Scilicet doctrinæ.

Hi autem sunt qui secus uiam. Hi, quales? quos dicturus est.

Vbi seminatur uerbum: & quum audierint, confestim uenit satanas & aufert uerbum quod seminatum est in cordibus eorum. Vbi seminatur verbum, hoc est, in quos seminatur. Dictum est autē de his prædicto capite.

Et hi sunt similiter qui super petrosam terram seminantur: qui dū
E *audierint uerbum, statim cum gaudio suscipiunt illud, & non habent radicem in seipsis, sed temporarii sunt. Deinde facta afflictione aut persequutione propter uerbum, repente offenduntur.* Dictum est de his dicto capite.

Et hi sunt qui in spinas seminantur, qui audierunt uerbum: & sollicitudines sæculi huius, ac deceptio diuitiarum, cæterarumque rerum cupiditates, introeuntes suffocant uerbum & infructuosum efficitur. Similiter quoq; de his dictum est.

Hi præterea sunt qui in terram bonam seminati sunt, qui uerbum audiunt ac recipiunt: fructumque afferunt, hoc triginta, istud sexaginta, illud uero centum. Dictum est de his.

Et dicebat illis: Num lucerna uenit ut subter modium ponatur, aut subter lectum? Nonne ut super candelabrum ponatur? Venit, hoc
F est adducitur, affertur. Dictum est autem de hoc, capite quin-
atth. 5. to euangelij secundum Matthæum post beatitudines.

Non est enim quicquam occultū, quod non manifestetur, neque fuit secretum, sed ut in propatulum ueniat. Neque fuit, inquit, secretum, vt omnino secretum esset, sed vt quandoque in propatu-
atth. 10 lum veniat. de hoc autem dictum est 19. cap. secundū Matth.

Si quis habet aures ad audiendum audiat. Superius de hoc tractatum est.

Et dicebat eis: Videte quid audiatis. Videte, hoc est, Attendite.

Qua mensura metimini, metietur uobis. Qua mensura metimini attentionem, in eadem metietur vobis in cognitione, hoc est, quantum intuleritis attentionis, tantum conferetur vo-

tur vobis cognitionis. A

Et addetur uobis qui auditis. Nec solum per hanc mensuram, verum etiam amplius.

Quicunque enim habuerit dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Quicunq; habuerit attentionem dabitur ei cognitio: & qui non habet, semen cognitionis auferetur ab eo. Quemadmodum enim studium auget tale semen, ita segnities corrumpit. In euangelio autem secundum Matthæū Matth. 7
hæc alio modo dicta sunt, & iuxta alium intellectum.

Et dicebat. Sic est regnum dei, quemadmodum si iaciat homo semen in terram ac dormiat: & ille excitetur nocte ac die: seges autē germinet surgatque in altum dum nescit ille. Regnum nunc dei seipsum appellat, tanquam regem & deum. Similiter & hominem se vocat, vtpote incarnatum. Semen autem euange- B
lica præcepta. Terram vero homines terrenos, attamen bonos: nam de solis his fit hic sermo. Somnum quoq; requiem. Excitatur ergo: nocte quidem, dum permittit induci tentationes, quæ nos ad gratum deo obsequium prouocant. Nox enim tentationes sunt propter obscuritatem tristitiæ. Die vero, dum per vtiliora consolatur, quę nos ad virtutem exacuūt: Nam hæc diem significant, propter illuminationem lætitiæ. Germinare vero segetem, & in altum surgere dixit, dum ignorat is qui seminauit: spontaneum opus manifestans germinationis atque crementi: quodque iuxta voluntatem & non iuxta necessitatē germinat ac crescit: & hoc manifestum est ex his quæ sequuntur.

Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, ex- C
inde plenum in spica frumentum. Herbam quidem germinant, qui virtutis principium demōstrantes, ad certamina sunt adhuc delicati. Spicam vero, qui in bono progressi, & ad sufferendas contumelias duriores effecti sunt: spica siquidem internodiis distinguitur, & recta in altum erigitur. Plenum autem frumentum, qui perfectam virtutem fructificant.

Quum autem productus fuerit fructus, statim mittit falcem, quoniā adest messis. Quum productus fuerit, siue quum maturuerit: hoc est, vbi omnes qui fructum sunt allaturi fructificauerint. Falcem vero dicit verbum, quo mundi imperabit consummationem. Messis autem collectio iustorum est: hi enim fructus sunt euangelicæ segetis.

Et dicebat,

ap. 4. D Et dicebat, Cui assimilabimus regnum dei? aut qua comparatione conferemus illud? Conferemus, hoc est exemplo manifestabimus.

atth. 13. Est sicut granum sinapis. Quære autem totius huius parabolæ expositionem vicesimoquarto capite euangelij iuxta Matthæum.

Quod dum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra: & postquam seminatum fuerit, exurgit, fitque maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra illius aues cœli nidificare. Tertio loco parabolam hãc inuenies inter parabolas dicti vicesimiquarti capitis.

Et huiusmodi parabolis multis loquebatur eis sermonem prout poterant audire. E Prout digni erant & apti ad audiendum. Dictum est autem de hoc prædicto capite circa finem parabolarum.

Sine parabola uero non loquebatur eis: seorsim autẽ discipulis explanabat omnia. Ibidem omnia hæc declarata sunt.

Et ait eis in die illo quum facta esset uespera, Transeamus in ulteriorem ripam. Et dimissa turba assumunt eum ut erat in nauigio. Vt erat, hoc est sicut sedebat in nauigio. in eo enim, sicut dictum est, sedẽs docebat. Quod autem dicitur, In die illo, perinde est ac si dixisset, In vno dierum, sicut habet Lucas: neq; enim illum innuit in quo dixit parabolas, sed aliũ quo facta sunt ea quæ dicentur, sicut etiã in principio tertij capitis iuxta Matthæum significauimus.

F Sed & aliæ nauiculæ erant cum illo. Cum illo puta nauigio (nam πλοῖον quod nauim siue nauigium significat, Græcis neutrum est) Addidit autem de aliis, non absque causa, sed vt ostendat quod sua dispositione solum hoc nauigium periculum sustinuerit.

Et oritur procella uenti magna: fluctusque in nauim irruebant, ita ut iam impleretur. Dictum est de hoc capite, decimo iuxta Matthæum.

atth. 8.

CAPVT DECIMVM DE INCREPATIONE VENTI ET MARIS.

ET erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitant eum, dicunt q; illi: Præceptor non est tibi curæ quod perimus? Et excitatus increpauit uentum, dixitque mari: Tace, obmutesce. Et facta est tranquillitas magna.

Dictum

Dictum est ibidem de his omnibus. A

Et dixit eis: Quid ita timidi estis? Vt quid ita timetis? quum me vobiscum habeatis, qui possum de morte seruare, & omnia possum.

Quomodo fiduciam non habetis? Firmam ac indubitatam.

Et timuerunt timore magno, dicebantque ad se inuicem, Quis nam est hic? quia & uentus & mare obediunt ei. Etiam de his ibi dictum est.

Et uenerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum. Dictũ Cap. 5. est de his duodecimo euangelij iuxta Matthæum capite.

CAPVT VNDECIMVM DE LEGIONE. B

ET egresso illi de naui statim occurrit de monumẽtis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Ibi etiam hæc quære.

Et neque catenis poterat eum quisquam ligare, eo quod frequenter catenis & compedibus ligatus, discerpserat catenas, & compedes comminuerat, nullusque eum poterat domare, & semper die ac nocte in montibus & in monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus. Quum uidisset autem Iesum eminus, occurrit & adorauit eũ. Clara sunt hæc & manifesta.

Et clamans uoce magna dixit, Quid tibi rei mecum est Iesu fili dei excelsi? Quære in dicto loco.

Adiuro te per deum ne me torqueas. Sane hoc quoque licebit vt inde cognoscas. C

Dicebat enim ipsi: Exi spiritus immunde ab homine. Multis dæmonibus imperat quasi vnus esset, propter imbecillitatem ipsorum.

Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Respondit que dicens: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Hominem quidem interrogabat, sed peruenit quæstio ad multitudinem dæmonum, qui in ipso erant: ideo quoque respondit multitudo illorum. Legio autem propter multitudinem dicti sunt. Proprie enim legio militum agmen est. Interrogabat vero, vt cognoscerent qui præsentes erant, quod multorum dæmonum habitaculum erat vnus homo.

Et deprecabatur eum multum, ne se emitteret extra regionem.

Lucas

D Lucas vero dixit, quod etiam deprecabantur eum ne iuberet ipsis, vt in abyssum irent. Verisimile est autem quod & hoc & illud deprecabantur.

Erat autem iuxta montem grex magnus porcorum pascẽs, & deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos ingrediamur, & confestim permisit eis Iesus, Quumque essent spiritus immundi, ingressi sunt in porcos, & impetum fecit grex per præceps in mare. Erant autem circiter bis mille, & suffocati sunt in mari. De his particularius dictum est prædicto capite duodecimo.

Qui uero pascebant porcos fugerunt, & annuntiauerunt in ciuitatem ac in agros: exieruntque ut uiderent quid esset quod acciderat.

E Similiter & de his dictum est.

Et ueniunt ad Iesum, uidentẽq; illum qui à dæmonio uexabatur sedentem ac uestitum, sanaque mente, eum inquam, qui habuerat legionem: & timuerunt. Lucas autem dixit etiam vbi inuenerunt eum sedentem, puta ad pedes Iesu.

Narrabant autẽ eis qui uiderant, quomodo acciderat dæmoniaco. Quomodo facta fuerat in eo mutatio ac sana mens.

Et de porcis. Quomodo hi perierant.

Cœperuntque eum deprecari, ut discederet à finibus eorum. Similiter & de his docet capitulum illud.

Quumque ascendisset nauim, deprecabatur eum is, qui à dæmonio uexatus fuerat, ut esset cum eo. Gratus, simul & dæmones timens, ne sine illo inuentus, rursum eis traderetur.

F *Iesus autem non dimisit eum, sed ait illi, Abi in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi dominus fecerit, ac misertus sit tui.* Dimisit eum, abiecto sane ab eo huiusmodi timore, quod nõ auderent ad eum dæmones accedere, & vt illos qui erant in domo & patria sua doceret miraculum. Non dixit autem, Quanta tibi fecerim, sed, Quanta tibi dominus fecerit: patri miraculum adscribens: ac docens nos, vt egregia virtutũ opera deo attribuamus.

Et abiit, cœpitque prædicare in decapoli, quanta fecisset illi Iesus, omnesque mirabantur. Christus modestiæ causa patri miraculum attribuebat: qui autem curatus fuerat, quum gratus esset, Christo adscribebat.

Caput

CAPVT. XII. DE FILIA ARCHISYNAGOGI. A

EVmque Iesus naui traiecisset rursus in ulteriorem ripam, congregata est ad eum turba multa: eratque circa mare: & ecce uenit unus principum synagogæ nomine Iairus: ac uiso eo procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum dicens: Filiola mea in extremis est. De hoc disputauimus decimoquinto capite euangelij secundum Matthæum. In extremis est, hoc est nouissimum exhalat spiritum. Matth.15

Vt ueniens imponeret illi manus, quo seruaretur ac uiueret. Per hyperbaton est ordo verborum: quod videlicet deprecabatur eum multum, vt veniens, imponeret illi manus, &c. Deinde addatur quod in medio est. B

Et abiit cum eo: sequebaturque eum multitudo magna, & comprimebant eum. Coarctabant eum, ait Lucas, siue impellebãt.

CAPVT. XIII. DE MVLIERE SANGVINIS PROFLVVIO laborante.

ET mulier quædam quæ fluxum patiebatur sanguinis ab annis duodecim, multaque passa erat à compluribus medicis, & omnia sua consumpserat, nec quicquam adiuta fuerat, sed magis in deterius uenerat: quum audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, tetigitque uestimentũ eius. Caput hoc manifestius proposuit Lucas: quære ergo apud eũ enarrationem vicesimosexto capite. C Lucæ.8.

Dicebat enim, Si uel uestimenta eius tetigero, salua ero. Dictum est de hoc decimo sexto capite euangelij secundum Matthæum.

Et continuo siccatus est fons sanguinis eius: sensitque corpore quod sanata esset ab eo flagello. Cognouit in corpore, quod ex quo iam non fluerent guttæ sanguinis, sanata esset. Flagellum vero infirmitatem nominauit, vt quæ ipsam tum labore, tum pudore flagellauerat.

Statimque Iesus quum in semetipso cognouisset uirtutem quæ à sese egressa erat, conuersus in turba dixit: Quis mea tetigit uestimẽta? Et

Dta? Et dicebant ei discipuli eius: Vides turbam te comprimentem, & dicis, Quis me tetigit? Circumspiciebat ut eam uideret, quæ hoc fecerat. Quære etiam de his in expositione vicesimisexti capitis euangelij secundum Lucam.

Mulier autem timens ac tremens, quum uidisset quod in se contigerat: uenit & adorauit eum: dixitque ei omnem ueritatem. Ipse uero ait, Filia fides tua te seruauit. Vade in pace. Hæc quoq; omnia declarata sunt in prædicto vicesimosexto capite.

Et esto sana à flagello tuo. Neq; Matthæus, neq; Lucas hoc addiderunt: nec mirum. Siquidē dictum est, quod ea quæ necessaria non erant, quidam euangelistæ prętermittebant breuitatis gratia: quidam vero etiam hæc adscribebant diligen-
E tiæ causa. Verisimile quoq; est eos miraculorum quidē meminisse, non autem omnium verborum.

Adhuc eo loquente ueniunt ab archisynagogo dicentes: Filia tua defuncta est: quid adhuc uexas magistrum? Veniunt à principe synagogæ, hoc est à domo ipsius. Vexas autem, hoc est molestas, turbas. Domestici enim principis synagogæ, quum imperfectam in Christum fidem haberent, suspicabantur quod omnem certe ægritudinem sanare posset, mortuum autē suscitare non posset. Nondum enim factū ab eo huiusmodi miraculum viderant: ideoq; dicebāt, Filia tua mortua est, quid adhuc vexas magistrum, quum eam non possit suscitare?

Iesus autem protinus audito sermone qui dicebatur, ait archisynagogo: Ne timeas, solum crede. Cognito quod archisynagogus
F circa fidem dubitaret, vtpote sermonibus illorū seductus: cōfortat eum, ac refouet fidei illius imbecillitatem.

Et non permisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum ac Ioannem fratrem Iacobi. Solos hos inter alios discipulos coassumpsit, quasi cæteris præstantiores. Nam & in sua transfiguratione solos hos spectatores secum assumpsit. Quære etiam
Matth.17 trigesimoquarto capite euangelij iuxta Matthæum causas ob quas istos præponeret: & præter illas etiam prę ferebat eos, vt & cæteri tales effici conarentur.

Et uenit in domum archisynagogi, uidetque tumultum ac flentes multumque eiulantes. Tibicines luctuosum cantum pulsabant, (qui hic dicitur eiulatus, quanquam proprie ἀλαλάζειν, est perpetuo sonitu strepere ac tinnire: sono sonum excipiente, quemadmodum fit in lebetibus) de his diximus decimosexto

mosexto iuxta Matthæum capite. Matth. 9

Et ingressus ait illis, Quid tumultuamini ac plangitis? Puella nō est A
mortua sed dormit. Primum quidem hoc dixit tristitiam eorum consolando. Deinde etiam quod illis quidem mortua erat, sibi autem dormiebat: illi namque suscitare eam non poterant, ipse vero perfacile. Tribuens præterea confidentiam, quod mortem quasi somnum abigeret, vtpote mortis ac vitæ dominus.

Et irridebant eum. Quasi dormire dicentē illam quæ mortua erat, scientes quod mortua esset, sicut dicit Lucas. Voluit autem & ipse irrideri, vt & tibicines & qui irrisissent, aliaque similia, demonstratio fierent manifesta, quod mortua fuisset puella. Nec posset dicere quisquam postmodum, quod mor- B
tua non fuerit. Nam propter hoc quoque immoratus est circa miraculum factum in muliere quæ sanguinis fluxum patiebatur: vt manifeste puella moreretur, & tibicines inferrentur: cæteraque suo fierent ordine.

Et eiectis omnibus assumit patrem puellæ ac matrem, eosq; qui secum erant. Eos qui secum ingressi erant. Dicit autem Petrū, Iacobum & Ioannem. Patrem siquidem matremque puellæ, miraculi spectatores assumpsit, tanquam puellæ magis domesticos: discipulos vero tanquam sibiipsi magis familiares: cæteros autem omnes eiecit, fugiens eorum laudem. Quum enim nunquam tale quippiam vidissent, applausuri erant, & supra modum laudaturi.

Et ingreditur ubi puella iacebat, ac manu puellæ apprehensa dicit ei, Talitha cumi †, quod est, si interpreteris: Puella, tibi dico, surge. Statimque surrexit puella & ambulabat. Apprehendit manum eius & vocauit vt vox animam quæ discedebat reuocaret, manus autem corpus disponeret. Vel etiam aliter. Tenuit manum eius, vt ostenderet quod sanctissima quoq; caro eius mortuos viuificaret. C †

† Potius legendum esset טליתא talitha ut i sit consonans, & est Chaldaica dictio, atque hoc modo scriptum inuenitur in nōnullis uetustis exemplaribus tam Græcis, quàm Latinis. †

Erat enim annorum duodecim. Quia eam superius modo puellam appellauit, modo puellulam: nunc etiam ętatem eius manifestat.

Et obstupuerunt stupore magno: ipse uero præcepit eis uehementer, ut

D ter, *ut nullus hoc sciret.* Præcepit, hoc est admonuit: sic enim habet Lucas. Ob hoc enim etiam alios omnes eiecit. Et quãquam sciret futurum esse, vt miraculi sermo vbiq; diuulgaretur: Nam & Matthæus dixit, quod exiuit fama hæc in vniuersam regionem illam, tamen quod suum est vbiq; facit.

Dixitque ut darent illi ad manducandum. Hoc iussit ne eis phantastice suscitata videretur. Vnde propter hanc causam neque ipse dat illi ad manducandum, sed parentibus vt hoc faciant permittit.

Cap.6. *Et exiuit inde, uenitque in patriam suam, & sequuntur eum discipuli eius: factoque sabbatho cœpit in synagoga docere, & multi audientes obstupescebant, dicentes, Vnde huic ista? & quæ est sapientia quæ data est illi, & uirtutes tales quæ per manus eius fiũt? Num hic est faber filius Mariæ, frater autem Iacobi & Iose, & Iudæ & Simonis? sororesque eius nonne hic apud nos sunt? Et offendebantur per illum.* Ascendit in patriam suam, non ignorans futurum vt se despicerent, sed ne postmodũ dicere possent, quod non docuisset eos. Simul etiam inuidiam eorum conuincens: quum enim de eo potius ipsis esset gaudendum, qui patriam suam doctrina & miraculis ornaret: magis offendebãtur per eum ob generis ipsius ignobilitatem. Quod autem additur, Et virtutes tales quæ per manus eius fiunt, defectiua oratio est. Deficit enim, Vnde, vt dicatur: Et vnde virtutes tales quæ per manus eius fiunt. Dictum est autem de his vicesimoquarto capite euangelij secundum Matthæum circa finem post exple-
Matth.13. tas parabolas.

F *Dicebat autem eis Iesus, Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua.* Etiam de his eodem capite disputatum est.

Nec potuit ibi ne unam quidem uirtutem operari: nisi quod paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum. Etiam de his manifeste tractatum est. Intelligitur autem: Non poterat, hoc est, tanquam impossibile ducebat. Ait enim Gregorius Theologus, quod simul vtrunque necessarium est ad perficiendas sanitates, & fides eorum qui curandi sunt, & potentia eius qui curare debet: nec prodest vnum si deficiat alterum, quod illi coniunctũ esse debet. Imo nec scio sit ne etiam hoc addẽdum, vt iusta & rationabilis sit sanitas. Neque enim iusta sanitas est quæ his confertur, quibus per

bus per incredulitatem nocumentum est allatura. A

CAPVT. XIIII. DE APOSTOLORVM ORDINATIONE.

ET *circumibat uicos, undique circumiacentes docens: & conuocat duodecim, cœpitque eos emittere binos.* Ad mutuam consolationem, vt dictum est decimonono iuxta Matthæum capite. Matth.10

Et dabat eis potestatem spirituum immundorum. Matthæus autem addidit, Et vt ipsos eiicerent, & curarent omnem ægritudinem, omnemque languorem. Lucas autem Lucæ.9. scripsit, quod dedit eis virtutem & potestatem super omnia B dæmonia, & vt morbos curarent.

Et præcepit eis ut nihil portarent per uiam nisi baculum tantum, non peram, non panem, non æs ad zonam, sed calciarentur sandaliis. De his singulatim dictum est prædicto decimonono capite.

Et ne induerentur duabus tunicis. A communi supplenda est dictio Præcepit.

Et dicebat eis, Vbicunque introieritis in domum, ibi manete, donec illinc exeatis: Ibi etiam hæc declarata sunt.

Et quicunque non susceperint uos, neque audierint uos, exeuntes illinc excutite puluerem, qui est sub pedibus uestris, in testimonium illis. Dictum est de his prædicto capite.

Amen dico uobis, Tolerabilius erit Sodomis & Gomorris in die iudicii, quàm ciuitati illi. Similiter & de hoc. C

Et quum exissent, prædicabant ut resipiscerent, & dæmonia multa eiiciebant, ungebantque oleo † multos infirmos, & curabant. †

De vnctione olei solus Marcus loquitur. Admonet autem & de hoc Iacobus in epistola sua catholica, dicẽs, Aegrotat quis Iacobi.5. inter vos? arcisat seniores ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei seruabit laborantem, & eriget eum dominus. Verisimile est autem dominum etiam docuisse Apostolos. Erat autem oleum signum hilaritatis corporis, & alacritatis animæ.

† *Vnctum oleum & laborem mitigat, & luminis causa est, ac hilaritatem excitat & ægritudinis salutem ac cordis illuminationem.* †

CAPVT. XV. DE IOANNE ET HERODE.

D

ET audiuit rex Herodes: manifestum enim factum est nomen eius, & dicebat: Ioannes qui baptizabat excitatus est à mortuis: & ideo uirtutes agunt in eo. Alii dicebãt, Elias est. Alii autem dicebant, Propheta est uel tanquã unus prophetarum. Quumque audissent Herodes dixit: Quem ego decollaui Ioannes iste est, ipse excitatus est à mortuis.

Matth.14 De hac materia diligenter tractatum est vicesimoquinto capite iuxta Matthæũ. In quodam autẽ exemplari dictio Propheta, habet articulum, vt sit: Propheta ille est, aut tanquam

E vnus prophetarum. Intelligebant autem illum prophetam, de

Deute.28 quo ipsis Moses vaticinatus fuerat: & is erat Christus.

Ipse enim Herodes missis satellitibus cepit Iohannem, & ligauit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam in uxorẽ. Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui. In eo capite etiam de his dictum est.

Herodias autem insidiabatur ei: uolebatque eum occidere, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum & sanctum, ac obseruabat illum, & audiens eum multa faciebat, libenterque eum audiebat. Præterea & de his.

Et quum dies opportunus accidisset, quando Herodes in natalitiis suis cœnam præbebat primatibus suis & cẽturionibus, ac primis Ga-

F lilææ. quũ ingressa filia ipsius Herodiadis saltasset, ac placuisset Herodi simulq; discumbentibus: dixit rex puellæ: Pete à me quodcunque uolueris, & dabo tibi iurauitque illi dicẽs: Quicquid à me petieris dabo tibi usque ad dimidium regni mei. Similiter & de his.

Illa autem quum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? Quæ ait, Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa protinus cum festinatione ad regẽ petiuit dicens: Volo ut des mihi confestim in disco caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus rex, propter iusurandum simulque discumbentes noluit eã repellere: sed statim misso speculatore, iussit rex inferri caput eius. Qui egressus decollauit eũ in carcere, & tulit caput ipsius in disco, & dedit illud puellæ: puellaque dedit matri suæ. Etiam de his omnibus capitis illius enarratio commemorat.

Et quũ audissent discipuli eius uenerũt, & tulerũt corpus eius, posueruntq; illud in monumẽto. Dictũ etiã est de his in illo loco.

Et congre-

Et congregantur Apostoli ad Iesum, ac renuntiãt illi omnia quæq; A fecissẽt, quæq; docuissẽt. Et dixit eis: Venite uos soli seorsim in desertum locũ, & requiescite paulisper. Erãt enim qui ueniebãt & abibãt, multi, sic ut nec comedere uacaret. Ibi etiã de his quære. Hinc autẽ docemur oportere ecclesiæ magistros nõ semper exponere seipsos multitudini, sed quum datur opportunitas, retrahi ac solitarios esse, mẽtemq; ab exteriori distractione reuocare, & quod eos qui ministrant cõueniat requiescere, & post ministerium etiam corporaliter consolari.

Et egressi sunt nauigio in desertum locum seorsim, & uiderũt eos abeuntes, multique eos cognouerũt, ac pedestres ab omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc. Aeq; etiam & de his. Ab omnibus autem ciuitatibus, quæ videlicet circumcirca adiacebant. B

Et egressus Iesus uidit turbam multam, ac misericordia motus est super eos: erant enim tanquam oues non habentes pastorẽ. Etiã de his prædicto capite disseruimus. Pastorem autem dicit eũ, qui de salute earum curam haberet.

Et cœpit eos docere multa. Quumque iam multũ diei præteriissẽt, accedentes ad eum discipuli eius dicunt, Desertus est locus, iamque longum præteriit tempus: dimitte illos, ut abeuntes in proximos uicos ac uillas, emant sibi panes: neque enim habent quod edant. Ille autem respondens, ait illis, Date eis uos ad edẽdum. Et hæc quoque inde cognitu facilia sunt.

Et dicunt ei, Egressi ememus ducentis denariis panes, & dabimus eis ad comedendum? Hoc per interrogationẽ legendũ est. Est autem huiusmodi sermo eorum, qui se grauari queruntur. C

CAPVT. XVI. DE QVINQVE PANIBVS ET DVOBVS PISCIBVS

ILle autẽ dicit eis, Quot panes habetis? Ite uidete. Quumque cognouissent, dicũt, Quinque, & duos pisces. Et præcepit eis ut discumbere facerent omnes per conuiuia super uiridem herbam. Et discubuerunt distributi in areolas centeni & quinquageni. De his dictum est vicesimosexto capite euangelij secundum Matthæum.

Et acceptis quinque panibus duobusque piscibus: suspiciens in cœlũ benedixit, ac fregit panes: dabatque discipulis suis ut apponerent illis: & duos pisces diuisit omnibus. Et comederunt omnes, ac saturati

D sunt: tuleruntque fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui comederant ipsos panes circiter quinq; millia uirorum. Ibidem de his quoq; omnibus dictum est.

Statimq; cōpulit discipulos suos conscendere nauim, & præcedere in ulteriorem ripam ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam: & quum dimisisset eos, abiit in montē ut oraret. Similiter & de his.

CAPVT. XVII. DE AMBVLATIONE SVPER AQVAS.

E Vespera autem facta, erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra, & uidit eos laborantes in remigādo: erat enim uentus contrarius, & circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulās super mare. Quære de his viceſimoſeptimo capite iuxta Matthæum.

Volebatq; præterire illos. Vt fortius esset eis certamen.

Illi autem quum uidissent eum ambulantem super mare, putauerūt spectrum esse, & clamauerunt: omnes enim eum uiderunt ac conterriti sunt: statimque loquutus est cum eis, & ait illis, Cōfidite, ego sum, nolite timere. Etiam de his ibidem dictum est.

Et ascendit ad eos in nauim, cessauitq; uentus. Omisit Marcus quæ de Petro acciderūt: similiter & Ioannes. Matthæus vero diligenter illa conscripsit.

Et uehementer supra modum intra sese stupebant & admirabā-
F tur. Neque enim intellexerunt de panibus: nam cor eorum obcæcatū erat. Etiam hæc eodem capite sunt explanata.

Quumque traiecissent uenerūt in terrā Genneſaret, & applicuerunt in portum, & quum egressi essent de naui, statim agnouerūt eū, ac percurrentes totam regionem illam cœperūt in grabbatis male habentes circumferre, audito quod ibi esset. Et quocunq; introisset in uicos aut in ciuitates, uel uillas, in plateis ponebant infirmos, ac deprecabantur eum, ut uel fimbriā uestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant, salui fiebant. Ibi etiam de his omnibus inuenies Saluos autem intelligit hic sanos.

ap. 7. Et conueniūt ad eum pharisæi, & quidam scribarū, qui uenerant ab Ieroſolymis, quumque uidissent quosdam discipulorū eius cōmunibus manibus, hoc est illotis, comedentes panem, reprehendebant. Pharisæi siquidem omnesque Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, obſ-

bum, obseruantes mordicus traditionem seniorum: & à foro reuertē- A
tes, nisi aspergantur non comedunt. De his quoque disserit capitis illius enarratio.

Multáque sunt alia quæ seruanda acceperunt, nempe lotiones poculorum & urceorum & æramentorum & lectorum. Ibi quoque de his dictum est.

CAPVT. XVIII. DE TRANSGRESSIONE PRAECEPTI DEI

DEinde interrogant eum pharisæi & scribæ. Quare discipuli tui non incedunt iuxta traditionem seniorum, sed illotis manibus panem edunt? Ille autem respondens dixit eis, Bene prophetauit Ieſaias de uobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe abest à me: frustrá uero colunt me, docentes doctrinas præcepta hominum. Relicto enim dei præcepto, tenetis constitutiones hominum, lotiones urceorum & poculorum, aliáq; multa similia facitis. Horum intellectus viceſimo octauo capite euangelij secundum Matthæum positus est.

Et dicebat eis, Bene irritum facitis præceptum dei, ut traditionem ueſtram seruetis. Per ironiam hoc dicit.

Moses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam: & Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri aut matri Corban, quod est donum, quodcunque ex me in tuum uertitur commodum. Etiam de his in illo capite singillatim dictum est.

Et præterea non sinitis eum quicquam facere patri uel matri. Quicquam, quod illis gratum sit.

Irritum facientes uerbum dei propter traditionem ueſtram quam ſtatuiſtis, aliáque similia multa facitis. Verbum dei dicit legem quæ parentes honorare iubet. Quære etiam de his in dicto capite.

Et aduocata omni turba dixit eis. Audite me omnes & intelligite, Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare, sed quæ ab homine egrediuntur, illa sunt quæ inquinant hominem. Ibi etiam de his dictum est.

Si quis habet aures ad audiendum audiat. Hoc frequenter declaratum est.

De eduis.

D Quumque ingressus esset domum semotus à turba, interrogauerunt eum discipuli eius de parabola: & ait illis, Sic & uos rudes estis? Non intelligitis quod quicquid in hominem foris ingreditur, non potest eum inquinare? quia non ingreditur in cor eius, sed in uentrem: & in secessum egreditur, quod purgat omnes escas. Ibi etiam de his exacte traditum est.

Dicebat autem, Quod ab homine exit, illud inquinat hominem. Ab interioribus enim à corde hominum cogitationes malæ exeunt, adulteria, stupra, homicidia, furta, auaritiæ, malitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus prauus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab internis egrediuntur, & coinquinant hominem. Similiter & de his.

Et inde surgens abiit in confinia Tyri & Sidonis. In partes, E dixit Matthæus. Quære autem explanationem finis vicesimi octaui capitis illius.

Et ingressus domũ neminem scire uoluit, nec potuit latere. Ibi causam diximus.

CAPVT. XIX. DE PHOENICISSA.

QVum enim audisset de eo mulier, cuius filia spiritum habebat immundum, ingressa procidit ad pedes eius. Erat autem mulier Græca Syra Phœnicissa genere. De hac dictum est vicesimonono capite euangelij secundum Matthæum.

Et rogabat eum ut dæmonium eiiceret à filia sua. Iesus autem ait illi: Sine primum saturari filios. Neque enim decens est sumere pa- F nem filiorum, & proiicere catellis. Illa uero respondit, & ait illi, Vtique domine. Siquidem catelli comedunt sub mensa de micis filiorum. Et dixit ei, Propter hunc sermonem abi: exiuit dæmonium à filia tua. In illo capite omnia ista declarata sunt.

Et regressa in domum suam inuenit dæmonium exisse, & filiam iacentem super lectum. Iacentem, in pace ac salute.

Quumque rursum exisset è finibus Tyri & Sidonis, uenit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Non immoratur in finibus gentilium, ne à Iudæis accusaretur, quod gentibus commisceretur.

CAPVT

CAPVT. XX. DE BALBO.

A

ET adferunt ei surdum ac impeditæ linguæ, & deprecabantur eum ut imponat illi manum: Quumque apprehendisset illum de turba seorsim, misit digitos in aures eius: & ubi spuisset, tetigit linguam eius. Apprehẽdit eum à turba seorsim, hoc est, assumpsit, seperauit: ne miracula videretur spectaculo exponere, & maxime cognoscens multitudini quosdam immixtos esse qui reprehenderent. Præterea quandoque miracula coram multis operabatur, propter spectantium vtilitatem: interdum vero seperatim, vt laudem fugeret, tanquam generatiuam superbiæ. Misit autem digitos suos in aures eius: vnum quidem dextræ manus in dextram aurem, vnumque sinistræ in B sinistram, propter angustiam ac profunditatem auditus vt hunc acuat. Poterat quoque & alio modo hunc curare: sed ita curauit, vt sciremus omnem partem sancti corporis ipsius diuina plenam esse virtute. Ecce enim sputum etiam immaculati oris sui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoque participabat virtutẽ, ac omnino excremẽta diuini corporis omnia sancta erant, vtpote talis corporis: solum autem operabantur dum vellet. Præterea vicesimotertio præsentis euangelistæ capite, sputo etiam vsus est ad cæci curationem. Ad hæc Ioannis capite decimo, quando cæcum à natiuitate curauit. Hoc autem agebat vt fidem faceret vnitæ sibi diuinitatis: quo enim pacto hæc operaretur nisi deus esset? C

Infra. 8

Ioan. 9

Et suspiciens in cœlum ingemuit, & ait ei, Eppheta †, quod est, Adaperire. Statimq; apertæ sunt aures eius, ac solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Suspexit in cœlum, docens eos, qui alios erant sanaturi ad deum aspicere: & virtutem ab eo petere. Ingemuit autẽ, motus hominis afflictionibus, ac humanæ misertus naturæ, quæ tum à dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeo impetitur propter præcepti transgressionem. †

אפתח Eppetach apertus esto, imperatiuus passiuus est primæ Chaldæorum coniugationis. †

Et præcepit eis ut nemini dicerẽt. Quãto autẽ ipse magis eis præcipiebat, tanto potius amplius prædicabant, & supra modum admirabantur

C Dirabantur dicentes, Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Causam ob quam tacere præcipiebat variis in locis diximus.

CAPVT. XXI. DE SEPTEM PANIBVS.

Cap.8 IN illis diebus quum turba plurima esset, nec haberent quod comederent, conuocatis Iesus discipulis suis, ait illis. Miseret me turbæ, quia ecce triduo sustinent me, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia: quidam enim eorum de longinquo uenerunt. Dictum est de his in fine tricesimi iux- E ta Matthæum capitis.

Et responderunt ei discipuli eius. Vnde hos poterit quis saturare panibus hic in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? At illi dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram: acceptisque septem panibus, quum benedixisset, fregit deditq; discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ. De his facta est mentio tricesimoprimo capite euangelij secundum Matthæum.

Et habebant pisciculos paucos, & quum benedixisset, dedit ut hos quoque apponerent. Comederunt autem & saturati sunt, ac sustulerunt quæ superfuerant fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant ferme quater mille, & dimisit eos. Etiam hæc F ibi declarata sunt.

Et statim nauim ingressus cum discipulis suis uenit in partes Dalmanutha. Et egressi sunt pharisæi, cœperuntque cum illo disputare, quærentes ab eo signum de cœlo tentando eum. Ibi quoque de his dictum est.

Quumque ingemuisset spiritu suo, ait: Quid generatio hæc signum requirit? Similiter & de his. Ti vero significare potest Quid: id est ad quid, quare? aut potius Quod: hoc est, quale signum? sciebat namque ob quam causam huiusmodi signum requirerent.

Amen dico uobis si dabitur generationi huic signũ. Si dabitur, id est non dabitur: hoc enim linguæ Hebraicæ idioma est.

Et dimissis eis conscensa naui rursum abiit in ulteriorem ripam. Præterea & de his in illo capite disputatum est.

CAPVT

CAPVT XXII. DE FERMENTO PHARISAEORVM. A

ET obliti sunt panes accipere: & unũ tantum panem habebant secum in naui. Et præcepit eis dicens, Videte & cauete à fermento pharisæorum & à fermento Herodis. De his plene inuenies tricesimosecundo capite euangelij secundum Matthæum.

Et conferebant inter sese dicentes: Panes non habemus. Quo cognito Iesus, ait illis: Quid confertis dicentes quod panes non habetis? Nõdum intelligitis, neque animaduertitis? Adhuc excæcatum habetis cor uestrum? Oculos habentes non uidetis, & aures habentes nõ auditis, nec recordamini? Præterea & de his. B

Quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos plenos fragmentorum sustulistis? Dicunt ei, Duodecim. Quando uero septem in quatuor millia, quot sportas ex reliquiis fragmentorum tulistis? Illi autem dixerunt, Septem. Et ait eis, Quomodo non consideratis? Præsens caput manifestius scripsit Matthæus: quære ergo ibi de omnibus.

CAPVT. XXIII. DE CAECO.

ET uenit in Bethsaida, adferuntq; ei cæcum, ac deprecãtur ut tangat eum. Et accepta manu cæci, eduxit eum extra uicum. Non enim digni erant vici illius incolæ vt fieri viderent huiusmodi miraculum. C Nã quũ alia multa vidissent, mãserant increduli.

Et quum expuisset in oculos eius, impositis manibus suis interrogabat eum, si quid uideret. Sputo ac manibus hunc sanat: ostẽdens quod sermo coniunctus operibus miraculum operari potest. Sermonis quidem signum est sputum: vtrumque enim ab ore egreditur: operis vero manus. Sermonem autem dico laude dignum: similiter & operationem. Dictum est autem de simili altero quoque modo, vicesimo capite præsentis Sup. 7 euãgelij. Primo vero cæcum hunc imperfecte curauit, vtpote imperfecte credentem: ideo etiam interrogauit eum si quid videret, vt qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius ac sanaretur perfectius: sapiens enim erat medicus.

Et respiciens

cap.8.

D Et respiciens dicebat, Video homines. Obscure videlicet. Quoniam uelut arbores cerno ambulantes. Propter visus obscuritatem.

Deinde rursus imposuit manus super oculos eius, ac fecit eum respicere, & restitutus est, uidebatque omnes dilucide. Augmentum fidei augmentum promeruit sanitatis.

Et dimisit illum in domum suam, præcepitque ei dicens, Neque in uicum ingrediaris, nec cuiquam dicas in uico. Propter eorum incredulitatem qui in illo erant, & ne fidem eius peruerterent.

CAPVT XXIIII. DE INTERROGATIONE IN CAESAREA.

E T exiuit Iesus ac discipuli eius in uicos Cæsareæ Philippi: & in uia interrogabat discipulos suos dicens illis, Quem me esse dicunt homines? Illi autem responderunt, Ioannem baptistam: & alii Eliam: quidam uero unum prophetarum. Dictum est de his tricesimo

Matth.16 tertio capite iuxta Matthæum.

Et ipse ait illis, Vos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Petrus dicit ei, Tu es Christus. Et interminatus est illis ne cui de se dicerent. Etiã hæc ad vnguem declarata sunt eodem cap.

Cœpitq; docere illos, quod oporteret filiũ hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum ac scribis, & occidi: ac post tres dies resurgere. Ibi quoq; de his dictum est.

Et aperte sermonem loquebatur. Manifeste ac sine vllo te-

F gumento hunc dicebat sermonem.

Et apprehendit illũ Petrus, cœpitque increpare eum. Ille uero conuersus ac intuitus discipulos suos increpauit Petrum dicens, Abi post me satana, quia non sapis quæ dei sunt, sed quæ hominum. Similiter & de his.

Et aduocatis turbis cum discipulis suis, dixit eis: Quisquis uult post me uenire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Quicunque enim uoluerit animã suam saluam facere, perdet eam: quicunque autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, hic seruabit eam. Præterea & de his dictum est.

Quid enim proderit homini si mundum uniuersum lucrifaciat, & animæ suæ iacturam faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Etiam de his.

Quemcunque

Quemcunque enim puduerit mei meorumque sermonum in gene- A
ratione hac adultera ac peccatrice, huius quoque pudebit filium hominis quũ uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Quisquis pudore tactus non ausus fuerit confiteri me esse deum, meosque sermones esse dei, propter incarnationis humilitatem, afflictiones ac crucem: me quoque pudebit confiteri illum esse meum, quum venero, non iam abiectus vt nunc, sed gloriosus sicut pater meus. Oportet enim non modo credere, verum etiam libere prædicare. Adulteram vero impiorum generationem appellauit: vtpote à deo qui pietatis ac virtutis sator est deficientem: ac dæmoni adhærentem qui impietatem ac malitiam seminat.

Et dicebat eis: Amen dico uobis, Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei uenisse in uirtute. B
De his quoque prædicto capite disputatum est.

CAPVT XXV. DE TRANSFORMATIONE DOMINI.

T post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum ac Ioannem, & subducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram eis, uestimenta eius facta sunt splendentia, alba admodum quasi nix, qualia non potest alba reddere fullo in terra. Et apparuit illis Elias cum Mose, & colloquebantur cum Iesu. Dictum est de his tricesimoquarto iuxta Matthæum capite. Matth.17

Et respondens Petrus ait Iesu: Magister bonum est nos hic esse, C
& faciamus tria tabernacula, tibi unum & Mosi unum ac Eliæ unũ. Neque enim sciebat quid dicturus esset, erant enim exterriti. De his præterea subtiliter ibi tractatum est.

Factaque est nubes obumbrans eos, & uenit uox de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et repente circunspicientes, non amplius quenquam uiderunt, sed Iesum tantum secum. Similiter & de his.

Descendentibus autem ipsis de monte præcepit eis, ut nemini narrarent quæ uiderant, nisi postquam filius hominis à mortuis surrexisset. Præterea quoque de his.

Et continuerunt uerbum apud sese. Verbum quod erat de resurrectione eius à mortuis: tenuerunt apud sese, nulli alij narrantes.

ap.9.

D rantes. Vel, Verbum quod erat de transformatione illius.

Disputantes quid nam esset, A mortuis resurgere. Quũ enim neminem vidissent seipsum à mortuis suscitasse, neque etiam audissent, opinabantur & hoc parabolam esse, & disputabant quid significaret. Dictum est autem de hoc etiam in fine enarrationis tricesimiquinti capitis euangelij secundũ Matthæum.

Et interrogabant eum dicentes, Quid est quod scribæ dicunt, quod Eliam oportet prius uenire? At ille respondens dixit eis, Elias quidem quum prius uenerit, restituet omnia. Dictum est autem & de his prædicto tricesimoquarto iuxta Matthæum capite.

Et quomodo scriptum est de filio hominis, ut multa patiatur & contemnatur? Hoc dixit coniiciens in dubitationem responsionis ipsos scribas. Si enim secundum ipsos quum nondum venerit Elias, nondum venit Christus: Elias autem quum prius venerit restituet omnia: hoc est, veniet & cõuertet omnem Iudæum ad Christum: quomodo scriptum est de filio hominis, siue de Christo, vt à Iudæis multa patiatur: si enim ad ipsum conuertendi sunt, quomodo ab ipsis multa patietur? Itaque Elias Thesbites ante secundum Christi aduentum venturus est, quando hi qui tunc erunt Iudæi conuertentur ad ipsum. Nunc autem primus Christi aduentus est, quũ à Iudæis multa patitur, cuius præcursor non Thesbites, sed Ioannes.

Sed dico uobis, quod etiam Elias uenit, & fecerunt ei quæ uoluerunt. De hoc manifestius loquutus est Matthæus: quære ergo prædicto tricesimoquarto capite.

Sicut scriptum est de eo. Prædixit enim Iesaias de Ioannis etiam passione.

Quumque uenisset ad discipulos suos, uidit turbam circa eos & scribas disputantes cum illis. Discipulos dicit nunc nouem reliquos qui cum eo in montem non ascenderant: quum enim hos solos inuenissent scribæ, circunueniebant interrogationibus, futurum sperantes, vt illos compedirent seu fallerent.

Statimque omnis turba uiso eo obstupuit. Obstupuit aut propter accessus opportunitatem quasi præcognouerit scribarũ inuasionem, ideoque ad discipulorum auxilium aduenerit. Vel propter splendorem aspectus eius. Etenim verisimile est à transformatione gratiam quandam contractam esse.

Et accurrẽtes salutauerunt eum. Qui videlicet è turba erant desiderantes

desiderantes eum quasi benefactorem ac saluatorem: non autem inuidi scribæ. A

Et interrogauit scribas, Quid disputatis aduersus eos? Quum ille interrogasset, nullus illorum respondere ausus est.

CAPVT XXVI. DE LVNATICO HABENTE SPIRITVM mutum.

Et respondens unus de turba dixit, Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: & ubicunque apprehendit ipsum lacerat eum, atque ille spumat, ac stridet dentibus suis, & arescit. Mutum dixit spiritum, vtpote impedientem filij sui loquelam: B nec id tantum, sed & auditum eius, sicuti postea declarabitur. Lacerat autem, hoc est, deiicit in terram. Arescit, id est, sine sensu est. Matthæus vero tricesimoquinto capite ait ipsum dixisse, Domine miserere filij mei, quia lunaticus est & misere affligitur. Verisimile ergo est, & hoc & illud ipsum dixisse.

Et dixi discipulis tuis ut illum eicerent, nec ualuerunt. At ipse respondens ait illi: O generatio incredula, quousque apud uos ero, quousque patiar uos? affer illum ad me. In illo capite de his disputatum est.

Et attulerunt ipsum ad eum: uisoque illo statim spiritus discerpebat eum, & prolapsus in terram uoluebatur spumans. Permisit hæc ipsum pati, vt viderent qui præsentes erant, à quibus cala C mitatibus liberandus esset, vtque postquam vidisset pater eius dæmonium viso Christo turbari, ad fiduciam de eius virtute induceretur.

Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo hoc ei accidit? Ille autem dixit, A pueritia: sæpiusque eum in ignem deiecit, & in aquam, ut perderet eum. Interrogauit vt illo respondente cognoscerent audientes, quod iam olim perdidisset eum, nisi diuinitus fuisset cohibitus.

Sed si quid potes adiuua nos miserius nostri. Vides quod fidem non habeat indubitatam.

Iesus autem dixit ei, Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Potentiam in fide illius reposuit: hinc quidem dirigens

D gens eum ad fidem: illinc vero de seipso modeste sapiens ac loquens.

Statimque exclamans pater pueri cum lachrymis dixit: Credo domine, auxiliare incredulitati meæ. Quæ hactenus fuit.

Quum uidisset autem Iesus accurrentem simul turbam, imperauit spiritui immundo. Statim expulit dæmonem, ne diutius ille vexaretur.

Dicens ei, Mute & surde spiritus ego tibi præcipio, exi ab eo. Ego quem nosti, tibi præcipio.

Et amplius in eum ne ingrediaris. Hoc dixit præuidens qđ futurum erat vt dignus esset propter suam incredulitatem, vt rursum ad eum reuerteretur. Prohibet ergo eum, ne cuiquam videatur qꝑ prius non fuerit eiectus.

E *Et quum clamasset spiritus, multumque eum discerpsisset, exiuit: & factus est quasi mortuus, ita ut multi dicerent, Mortuus est, Iesus autem apprehensa manu eius erexit eum, & ille surrexit.* Clamauit, significans quod violenter expelleretur.

Quumque ingressus esset domum, interrogabant eum discipuli eius seorsum. Quare nos non potuimus eiicere illum? Ὅτι, nunc significat. Quare: ita enim dixit Matthæus. Aut ἐπιρώτωμεν αὐτὸν, capi potest ac si dicas, Dicebant ei. Multe siquidem huiusmodi improprietates apud Marcum reperiuntur. (& ὅτι significat qꝑ, vel abundat quod frequens est apud Græcos) Dictũ est autem de hac interrogatione prædicto capite.

Et dixit eis, Hoc genus dæmoniorũ per nihil potest exire, nisi per orationem & ieiunium. Per nullum alium modum. Ibi autem

F & de hoc disputatum est.

Et quum inde exissent, fecerunt iter per Galilæam, noluitque ut quisquam sciret. Quare noluit? Quod sequitur manifestat: ne videlicet quisquam intelligeret ea de quibus loquebatur.

Docebat enim discipulos suos, & dicebat eis: Filius hominis traditur in manus hominum, & occident eum, ac mortuus tertio die resurget. Dictum est etiam de hoc in fine dicti tricesimiquinti capitis euangelij secundum Matthæum.

At illi ignorabant uerbum, & timebant eum interrogare. Similiter & de hoc.

Caput

CAPVT XXVII. DE DISPVTANTIBVS QVIS ESSET MAIOR.

A

ET uenit Capernaum: quumque ueniſſet in domum interrogabat eos: *Quid per uiã inter uos disputabatis? At illi tacebant: inter se enim disputauerant, per uiam quis maior esset.* Tacebant præ pudore quasi iam condemnati. Significatum est autem de hoc tricesimoseptimo capite euangelij secundum Matthæum. Matth. 18

Quumque sedisset uocauit duodecim, & ait illis, Si quis cupit primus esse, sit omnium nouissimus, & omnium seruus. Dixit quoq; hoc quadragesimotertio capite euangelij iuxta Matthæum. Matth. 20 Quære ergo ibi de hoc capite.

Et sumpto puerulo statuit eum in medio eorum: & amplexatus illum dixit eis: Quisquis unum ex huiusmodi puerulis susceperit nomine meo, me suscipit: quisquis autem me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Ante hoc alia quoque dixit quæ Matthæus Matth. 18 conscripsit: de quibus simul omnibus tricesimoseptimo capite euangelij illius disseruimus.

B

Respondit autem ei Ioannes dicens, Magister uidimus quendam per nomen tuum eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum, eo quod non sequatur nos. Addidit & causam prohibitionis, Eo quod non sequatur nos. Quidam enim eorum qui crediderant gloriæ amore capti imitabantur Apostolos: & per inuocationem nominis Christi expellebant dæmones. Non sequebantur tamen propter continentiam & asperum vi uendi modum ipsorum.

C

Iesus autem dixit, Ne prohibueritis eum. Nemo est enim qui ædat uirtutem per nomen meum, & possit facile male loqui de me. Qui enim per nomen meũ glorificatur, non cito maledicet mihi: hoc est, dum gloriam amat, & virtutem ædit per nomen meũ, nequaquam me calumniabitur. Permittit autem & his vt mirabilia operentur: simul quidem ad prædicationis suæ confirmationem: & præterea ad emendationem eorum qui miracula operabantur. Quære etiam de his quinto iuxta Matthæum capite, vbi circa finem habetur: Multi dicent mihi in illo die, Matth. 7. Domine domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus?

Qui enim non est contra uos, pro uobis est. Idipsum enim, il-

D lum

Cap.9.

D lum non resistere vobis, vestrum est auxilium. Aliud est autem quod alibi dicitur, Qui non est mecum, contra me est. Nam illud de dæmone dicitur, & alium habet intellectum: prout vicesimo secundo iuxta Matthæum capite declarauimus. Matth.12

Quicunque enim dederit uobis ad bibendum poculum aquæ in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico uobis non perdet mercedem suam. Hoc etiam dixit in fine deciminoni capitis euangelij iuxta Matthæum. Matth.10

Et quicunque offenderit unum ex pusillis qui in me credunt, melius illi foret si circundaretur lapis molaris circa cellum eius, & deiiceretur in mare. Dictum est de hoc tricesimo septimo capite euangelij secundum Matthæum. Matth.18

E *Et si offenderit te manus tua, amputa eam. Bonum est tibi ut mutilus ad uitam ingrediaris, potius, quàm duas manus habens abeas in gehennam, ubi uermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Etiam de his illo capite dictum est. Vermis autem eorum, qui videlicet abeunt in gehennam. Quidam vero Vermen & ignem, conscientiam intellexerunt peccatorũ, tanquam in modum vermis & ignis rodentem ipsos, ac inflammantem.

Et si pes tuus offenderit te, amputa eum. Bonum est tibi ut claudus ad uitam ingrediaris, potius, quàm duos pedes habens mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Similiter & de his.

Et si oculus tuus offenderit te erue eum. Bonum est tibi, ut unoculus ingrediaris in regnum dei, potius, quàm duos oculos habens proiiciaris in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Præterea & de his. F

Omnis enim igne salietur. Omnis fidelis: Igne, fidei quę ad deum est: vel dilectionis quæ est ad proximum. Salietur, vt videlicet putredinem abiiciat. Vel, Condietur, vt suauis deo reddatur.

Et omnis hostia sale salietur. Omnis hostia spiritualis siue fiat per orationem, siue per eleemosynam, siue per aliud quip piam. Sale, fidei vel dilectionis. Salietur, siue saliri debet. Leuitic.2. Hoc autem à libro Leuitici translatum est. Ibi enim scriptum est, Omne munus hostiæ vestræ salietur.

Bona res est sal. Per qualitatem quam habet, vt cibos reddat

dat suaues, & ne corpora putrefiant efficit. A

Si autem sal ipse insulsus fiat, in quo illum condietis? Si perdat id quod in ipso est laudabile. Sal autem hic iuxta sublimiorem intellectum fides est aut dilectio. Lucas vero dicit, Lucæ.14 Quod si sal ipse insulsus fuerit, per quid condietur? Salem ibi vocans doctrinæ verbum: qui insulsus fit quando corrumpitur. Differenter autem iuxta diuersas occasiones Christus salis significatum transtulit. Etenim apud Matthæum ipsos Matth.5. quoq; Apostolos salem nominauit, veluti quinto apud illum capite post beatitudines inuenies: vbi etiam manifestius declarauimus, quæ de sale dicuntur.

Habete in uobismetipsis salem, & pacem habete inter uos. Salem dilectionis qui in vnum continet, & ad vnitatem & concordiam constringit. Dicitur quoque sal, prudentia & gratia, B quemadmodum dicit Paulus, Sermo vester semper per gra- Coloss.4. tiam sale condiatur.

Et quum inde surrexisset, uenit in fines Iudææ per regionem quæ est trans Iordanem, & conueniunt rursus ad eum turbæ, & sicut consueuerat, iterum docebat eos. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum, utrum liceat uiro dimittere uxorem, tentantes eum. Quære Cap.10. quadragesimum caput euangelij secundum Matthæum. Matth.15

CAPVT XXVIII. DE HIS QVI INTERROGABANT DOMINVM an liceret cum vxore diuortium facere.

C

ILle *autem respondens dixit eis, Quid præcepit uobis Moses? At illi dixerunt, Moses permisit scribere libellum repudii & dimittere.* In illo capite de his quoque dictum est.

Iesus autem respondens ait illis, Ad duritiam cordis uestri scripsit uobis hoc præceptum, à principio uero creationis masculum & fœminam fecit eos deus. Similiter & de his.

Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, eruntq; duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Aequo & de his actum est.

D *Et in domo rursus discipuli eius de hoc interrogauerunt eum.* De hac eadem quæstione.

Et ait illis, Quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit mœchatur aduersus eam. Mœchatur aduersus eam, videlicet inducendo alteram.

Et si mulier dimiserit uirum suum & alteri nupserit, mœchatur. Matthæus vero ad pharisæos hæc esse dicta ait, addens etiam quando possit fieri diuortium. Verisimile autem est primum ad illos, postmodum vero ad discipulos ea dixisse.

Et offerebant ei puerulos, ut tangeret eos: discipuli uero increpabant offerentes. Quo uiso Iesus indignatus est, & dixit eis: Sinite puerulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos, talium est enim regnum dei. De his subtiliter dictum est in fine prædicti capitis.

E *Amen dico uobis, Quicunque non acceperit regnum dei tanquam*
Lucæ. 18. *puerulus, nequaquam intrabit in illud.* Hoc dicit & Lucas. Regnum autem dei vocat hic prædicationem regni dei quam ipse prædicauit. Quisquis ergo illam non susceperit vt puer, videlicet nihil de ea hęsitans aut dubitans, nequaquam intrabit ad eam.

Et amplexatus illos, ac manibus super eos impositis, benedicebat illis. De his quoque finis illius capitis differit.

CAPVT XXIX. DE DIVITE QVI IESVM INTERROGABAT.

F *Et egresso ipso per uiam quum accurrisset quidam, genuq; ante ipsum flexisset, interrogabat eum, Magister bone quid faciam, ut uitam æternam possideam?* Dictum est de hoc quadragesimoprimo capite euãgelij secundum Matthæum.

Iesus autem dixit ei, Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus nempe deus. In eodem loco hæc manifeste ac diligenter examinata sunt.

Præcepta nosti, Ne occidas, Ne adulterium committas, Ne fureris, Ne falsum testimonium feras, Ne fraudes, Honora patrem tuum & matrem. Ille autem respondens ait, Magister hæc omnia seruaui ab infantia mea. Similiter & hæc.

Iesus uero intuitus illum dilexit eum. Ibi quoque hoc declaratum est.

Et ait

Et ait illi. Vnum tibi deest. Abi, quæ habes uende & dato pauperibus, habebis que thesaurum in cœlo, ac ueni, sequere me. Similiter & ista. A

Sublata cruce. Hoc est interitu carnalis voluntatis, depositione afficientis nos voluptatis: sensu fortis doloris, & fastu qui causatur à terrenis.

At ille ingemiscẽs abiit tristis: habebat enim multas possessiones. Etiam de his ibidem quære.

Quumque circunspexisset Iesus ait discipulis suis, Quàm difficulter qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. Hoc dicit & Lucas. Est autem πῶς (quod in Quàm vertimus) confirmatiuum: hoc est vere. Habentes vero, siue retinentes. Nam qui recondunt nequaquam vtuntur. *Χρήματα* autem (pro quo habemus pecunias) dicuntur ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, hoc est, ab expendendo vel consumendo, propter χρῆσιν, id est, vsum, & his omnino vti oporteat ad ea quæ opus sunt, & nõ recludere. B

Discipuli uero admirabantur propter uerba ipsius. Cur admirarentur paulò post dicturus est.

Iesus autem rursus respondens dicit eis, Filii quàm difficile est ut qui fiduciam habent in pecuniis, regnum dei ingrediantur. Eodem modo hic intelligitur dictio πῶς, quàm.

Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quàm diuitem introire in regnum dei. De his quoq; caput illud differit.

Illi uero supra modum obstupescebant, dicentes intra sese: Et quis potest saluus fieri? Ecce causam etiam addidit admirationis ac stuporis.

Intuitus autem eos Iesus ait, Apud homines impossibile est: at non C *apud deum. Omnia siquidem possibilia sunt apud deum.* Dictum est & de his ibi.

Cœpit autem Petrus dicere illi, Ecce nos reliquimus omnia, & secuuti sumus te. Præterea & de his.

Respondens Iesus dixit, Amen dico uobis, Nemo est qui reliquit domum aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut agros mei causa & euangelii, qui non accipiat centuplo plura nunc in hoc tempore: domos & fratres & sorores, & matres & liberos & agros cum persequutionibus: & in futuro seculo uitam æternam. Horum similiter omnium ad amussim data est interpretatio. Quæ autem nunc in secunda enumeratione relicta sunt, ea breuitatis causa, & quasi iam nota sunt prætermissa.

D *Multi autem primi erunt postremi, & postremi primi.* Et de his pari modo.

Ascendebant autem in uia Ierosolymam, & præcedebat eos Iesus. Præcedebat eos: ostendens quod voluntarie abiret vt occideretur propter hominum salutem.

Erantque stupefacti. Propter illa quæ dicebat. Vel quia sua sponte ad passionem progrediebatur.

Et sequentes timebant. De eius occisione, de qua in præcedentibus dixerat illis.

CAPVT XXX. DE FILIIS ZEBEDAEI.

E *T assumptis rursum duodecim, cœpit eis dicere quæ sibi euentura essent: Ecce, inquit, ascendimus Ierosolyma & filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac scribis, & condemnabunt eum morti, tradentque eum gentibus, & illudent illi ac flagellabunt eum, & conspuent illum, & occident eum, & die tertio resurget.* Dictum est
Matth.20 de his omnibus in fine quadragesimisecundi capitis euangelij secundum Matthæum.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filii Zebedæi dicentes: Magister uolumus ut quicquid petierimus facias nobis. Ille autem dixit eis. Quid me uultis facere uobis? At illi dixerunt ei: Da nobis ut unus à dextris tuis, & alter à sinistris tuis sedeamus in gloria tua. De his clarissime habetur 43. iuxta Matthæum capite.

F *Iesus autem ait illis, Nescitis quid petitis. Potestis bibere poculum quod ego bibo, & baptismate quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt ei, Possumus. Ipse autem ait illis: Poculum quidem quod ego bibo bibetis, & baptismate quo ego baptizor baptizabimini. Porrò sedere mihi à dextris aut sinistris non est meum dare, sed his cõtinget quibus paratum est.* Similiter de his omnibus.

Et quum audissent decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne. Præterea & de his.

Iesus autem quum eos ad se uocasset, ait illis, Scitis quod qui gentibus imperare uidentur, dominiũ exercent aduersus illas: & qui primates sunt inter eas, potestatẽ exercent in illas. Non autẽ ita erit in uobis, sed quicũq; uoluerit fieri magn⁹ inter uos, erit uester minister: & quicunq; uoluerit primus esse uestrũ, erit oĩm seruus. Nam & filius hominis

hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis. Dictum est & de A
his in fine dicti capitis.

CAPVT. XXXI. DE BARTIMAEO.

T ueniunt Iericho, & egrediente eo Iericho & discipulis ac turba copiosa, filius Timæi Bartimæus cæc⁹ sedebat iuxta uiam mendicans. Nomen addidit, eo quòd multis notus erat.

Quumq; audisset quod Iesus Nazarenus esset, cœpit clamare ac dicere: Fili Dauid Iesu miserere mei. Et increpabant eum multi ut taceret: ille uero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere B
mei. Et stans Iesus dixit ut uocarent eum. Et uocant cæcũ dicẽtes illi, Bono animo esto, surge, uocat te. At ille reiecto pallio suo, quum surrexisset uenit ad Iesum. Et respondens, ait illi Iesus: Quid uis faciã tibi? Cæcus autem dixit ei, Rabboni, ut uideã. At Iesus dixit illi, Abi, fides tua te saluũ fecit. Et confestim uidit, & sequutus est Iesum in uia. Lege totam enarrationem integri quadragesimiquarti capitis iuxta Matthæum. Etsi enim ille de duobus cæcis loquatur, cætera tamen proxima sunt his, quæ hic dicuntur: & illorum interpretatio etiam ista manifestat, ac ad finem eius apposita est dubij solutio gratissima.

CAPVT. XXXII. DE PVLLO.

T dum appropinquant Ierosolymis ad Bethsphage & Bethaniam iuxta montem Oliuarum: mittit duos è discipulis suis, & ait illis: Abite in uicum qui contra uos est, & statim ingredientes in illum, inuenietis pullum alligatum, super quem nullus hominum sedit: solutum eum adducite. Quod si quis uobis dixerit, Cur hoc facitis? dicite quod domino opus est eo, & continuo ipsum emittet huc. Dictum est de his omnibus quadragesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum. Matth.

Abierunt autem, & inuenerunt pullum alligatum iuxta ianuã foris in biuio, soluuntq; illum. Et quidam eorum qui ibi stabant, dixerũt eis. Quid facitis soluentes pullum: At illi dixerunt eis, sicut præceperat Iesus, & dimiserunt eos, duxeruntque pullum ad Iesum. Similiter & de his.

D *Et iniecerunt illi uestimenta sua, seditq; super eum. Plurimi autem uestimenta sua sternebant in uiam. Alii uero ramorum multitudinem cædebant ex arboribus, & sternebant in uiam. Et qui præibāt, & qui sequebantur clamabant dicentes, Hosanna, Benedictus qui uenit in nomine domini: Benedictum quod uenit regnum in nomine domini patris nostri Dauid, Hosanna in excelsis.* Etiam hæc ibi declarata sunt.

Et ingressus est Iesus Ierosolyma ac in templum: & circumspectis omnibus, facta iam uespera exiuit Bethaniam cum duodecim. Circumspexit omnia quæ in templo erant, tanquam dominus illius habitaculi: & tunc quidem siluit, dans tempus correctionis his qui ipsum despiciebant: postmodum vero quum E rediisset, austerius eos puniuit tanquam incorrigibiles.

CAPVT. XXXIII. DE FICV QVAE EXARVIT.

Postero autem die quum exissent à Bethania esuriit, & uisa ficu procul habente folia, uenit si forsitā in ea quippiam inueniret: quumq; uenisset ad eam, nihil inuenit præter folia, neq; enim erat tempus ficuum. Dictū est de hac, quadragesimoseptimo iuxta Matthæum capite.

Et respondens Iesus ait illi, Posthac ex te in æternum nullus fructum edat. Etiam de hoc.

F *Et audiebant discipuli eius.* Propter eos enim & famem simulauit, & ficū execratus est, vt scirēt quod potens etiā esset ad puniendū, veluti dicto capite diligenter manifestatū est.

Et ueniunt Ierosolyma: & ingressus Iesus in templum cœpit eiicere uendentes & ementes in templo, mensasq; numulariorū, & sellas uendentium columbas euertit. De his disserit finis quadragesimiquinti capitis euangelij secundum Matthæum.

Nec permittebat ut quis deferret uas per templum. Nam & id in cōtemptum erat. Per hoc etiam docebat, quod nihil per neglectum admitti debeat, quod indecens sit in templis.

Esa.56. *Et docebat dicēs eis, Nonne scriptum est, Domus mea, domus orationis uocabitur cunctis gentibus? uos autem fecistis illam speluncam latronum.* Ibi quoque horum data est interpretatio.

Et audierunt scribæ ac principes sacerdotum: & quærebant quomodo

modo illum perderent. Audierunt quomodo libere & audacter loquutus esset ac fecisset. A

Timebant enim eū, quia omnis turba stupebat super doctrina eius. Verebantur propter turbam temere eum occidere.

Et quum iam facta esset uespera egrediebatur extra ciuitatem. Egrediebatur in suburbia propter quietem.

Et mane prætereūtes uiderunt ficum exaruisse radicitus. Recordatus & Petrus ait illi, Rabbi ecce ficus quam execratus es exaruit. In prædicto quadragesimoseptimo capite euangelij secundū Matthæum, etiam de his disputatum est.

Et respondens Iesus ait illis, Habete fidutiam in deum. Possidete inquit fidutiam erga deum: fidutiam autem puram & indubitatam. B

Amen enim dico uobis, Quicunque dixerit monti huic, Tollere & proiicere in mare, & nō hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quod quæ dicit fient, erit ei quicquid dixerit. Eodem capite de his quoque actum est.

Ideo dico uobis, Quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & erunt uobis. Similiter & de his.

CAPVT. XXXIIII. DE OBLIVIONE INIVRIARVM.

Et dum steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem, ut etiam pater uester qui in cœlis est, remittat uobis errata uestra. Hæc in præcedentibus quoque dixit dominus Matthæi quinto capite postquam docuit orationē, Pater noster qui es in cœlis. Quære ergo ibi horum interpretationem. C

CAPVT. XXXV. DE INTERROGANTIBVS DOMINVM, IN qua potestate hæc facis.

Et ueniunt rursus Ierosolyma: quumque ambularet in templo, ueniunt ad eum principes sacerdotum & scribæ ac seniores, dicuntque illi, In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem ut ista facias? Hæc: quæ nam? Eiicere videlicet vendentes & ementes

Dementes in templo: euertere præfatas mensas ac sellas: non permittere deferre vas per templum, ac similia. Quære autem quadragesimumoctauum caput secundum Matthæum, & omnia inuenies.

Respondens autem Iesus ait illis: Interrogabo uos & ego unum uerbum, & respondete mihi, ac dicam uobis in qua potestate hæc facio: Baptismus Ioannis erat è cœlo an ab hominibus? respondete mihi. In illo etiam de his inuenies.

Et cogitabāt intra sese dicentes, Si dixerimus è cœlo, dicet, Quare ergo non credidistis ei. At dicamus: Ab hominibus. Deficit Non. *Timebant populū. Omnes enim habebant Ioannem, quod uere propheta esset.* Habebant Ioannem, hoc est, certi erant de Ioanne. Dictum est autem & de his ibidem.

Et respondentes dixerunt Iesu, Nescimus. Iesus quoq; respondens ait illis: Neq; ego dico uobis in qua potestate hæc facio. Similiter & de his exactissime.

CAPVT XXXVI. DE VINEA.

Cap.12. *ET cœpit illis in parabolis dicere: Vineam plantauit homo & circundedit sepem, ac fodit lacum, ædificauitque turrim, & locauit eā agricolis, ac peregre profectꝰ est.* Alia quidē huius parabolæ declarata sunt quinquagesimo capite euangelij secundum Matth. Lacum vero dicit, qualis erat sub altari, vbi recipiebatur sanguis animalium quæ immolabantur.

Et emisit ad agricolas tempore opportuno seruum, ut ab agricolis sumeret fructus uineæ. In illo etiam de his inuenies. Vide autem quomodo ab agricolis fructus repetūtur, tanquam à procuratoribus ac custodibus vineæ.

At illi arreptum eum cæciderunt ac uacuum remiserunt: rursumq; emisit ad illos alium seruum: & conjectis in eum lapidibus, uulnerauerunt in capite, ac contumelijs affectum remiserunt: rursumq; alium emisit, & illum occiderunt. Præterea multos alios, quorum hos quidē cæciderunt, illos uero occiderunt. Hæc quoque omnia similiter ibi declarata sunt.

Adhuc autem unicum habens filium suum dilectum, emisit & ipsum postremum ad illos, dicens: Reuerebuntur filiū meū. Illi uero agricolæ dixerūt intra sese: Hic est hæres, agite occidamus eum, & nostra erit

erit hæreditas: arreptumque illum occiderunt ac eiecerunt extra uineam. Et hæc similiter proxime accedunt ad eam quæ ibi data est enarrationem. A

Quid ergo faciet dominus uineæ? Veniet ac perdet agricolas, & uineam tradet aliis. Præterea & hæc.

An nec scripturam illam legistis, Lapidem quem reprobauerunt hi qui ædificabant, hic factus est caput anguli: à domino factus est hic & est admirabilis in oculis nostris. Similiter & hæc. Psal.117

Et quærebant eum apprehendere, timebantq; turbam: sciebāt enim quod ad eos dixerat parabolā. Ad eos, hoc est, de ipsis: ita enim dixit Matthæus, apud quē prædicta omnia manifestata sunt.

Et eo relicto egressi sunt. Ne & alia aduersus eos diceret: vtque insidias aduersus eum præpararent. B

Et emittunt ad eum quosdam pharisæos & Herodianos, ut ipsum captarent sermone. Dictum est de his quinquagesimoprimo iuxta Matthæum capite circa finem. Matth.

CAPVT. XXXVII. DE INTERROGANTIBVS DOMINVM occasione census.

QVi quum uenissent dicunt ei, Magister scimus quod uerax es, & non curas quenquam, neq; enim respicis ad personam hominum, sed in ueritate uiam dei doces. In veritate, hoc est vere. Dictū est & de his ibidē.

Licet censum dare Cæsari an non? Demus, an non demus? At ille uisa eorum simulatione, ait illis: *Quid me tentatis? Afferte mihi denariū ut uideam. Illi autem attulerūt. Et dicit illis: Cuius est imago hæc & inscriptio? At illi dixerunt ei, Cæsaris. Et respondēs Iesus dixit illis, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Et admirati sunt de eo.* De his quoque omnibus data est ibi interpretatio. C

CAPVT. XXXVIII. DE SADDVCAEIS.

ET ueniunt ad eum Sadducæi, qui dicūt resurrectionem non esse. Dictum est de his quinquagesimotertio capite euangelij secundum Matthæum.

Et interrogauerunt eum dicentes, Magister Moses scripsit nobis, quod si cuius frater mortuus fuerit, relinquerit

D queritque uxorem, nec filios dimiserit, ut accipiat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. In illo dictum est de his.

Septem fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus non dimisit semen: & secundus accepit ipsam, ac mortuus est, & neq; ipse dimisit semen: ac tertius similiter: & acceperunt ipsam septem, nec dimiserunt semen: postremo omnium mortua est & mulier. In resurrectione quando resurrexerint cuius erit uxor? siquidem septē habuerunt ipsam uxorem. Similiter & de his omnibus.

Et respondens Iesus dixit eis: Nonne propter hoc erratis, non scientes scripturas neque potentiam dei? Propter hoc: Quid nam? Propter hoc quod carnaliter de resurrectione sentiatis. Vel propter hoc, quod nesciatis scripturas, neque potentiā
E dei. De quibus similiter ibi dictum est.

Quum enim à mortuis resurrexerint, neque ducent uxores, neque nuptum dabuntur, sed erunt tanquam angeli qui sunt in cœlis. Quū resurrexerint, omnes videlicet homines. Et de his quoque eodem capite quære.

De mortuis autem quod resuscitentur non legistis in libro Mosis: quomodo in rubo loquutus est ei deus dicens, Ego sum deus Abrahā, & deus Isaac, & deus Iacob? Non est deus mortuorum, sed uiuentium. Et hæc ibi per singula sunt explanata.

Vos ergo multum erratis. Non vtcunque, sed multū. Hoc autem addidit tanquam eorum insipientiam manifeste arguens.

F

CAPVT XXXIX. DE SCRIBA.

Et accedens unus ex scribis, quum audisset eos disputantes, & sciret quod bene illis respondisset, interrogauit eum, Quod est primum omnium mandatorum? Primum omnium quæ sunt in lege. Dictum est autem de hoc quinquagesimo quarto capite euā gelij secundum Matthæum.

Iesus autem respondit illi: Primum omnium mandatorum est: Audi Israel, Dominus deus uester dominus unus est. Et diliges dominū deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua †. Hoc est primum mandatum. Et secundum simile est illi: Diliges

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Etiam de his in illo disputatum est. Illud autem, Audi Israel. Dominus deus vester dominus vnus est, Matthæus non scripsit, vtpote proœmium primi præcepti. Hoc vero tres demonstrat hypostases. vnamque diuinitatis naturam. Quum enim dicitur, Dominus, deinde, deus, & rursum, Dominus, tres personæ manifestantur: quod autem additur, Vnus, naturæ declarat vnitatem. Alio quoque modo dici potest, quod videlicet Hebreis frequens sit hæc reduplicatio dominus dominus, &, deus deus, propter eius sublimitatem.

† Quanquam in nostro exemplari non habeatur καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου arbitror tamen id librarii uitio omissum esse, maxime quū in sequētibus uerbis ipsius scribæ, inter alia repetatur. Ex tota uirtute: & id etiam habeat editio Complutensis, & trāslatio uulgata.

Maius his aliud præceptum non est. Hoc cōfirmatiuū est eius quod dixit, præcepta illa primum ac secundum esse.

Et ait illi scriba, Bene præceptor cū ueritate dixisti, quod unus est deus, & nō est alius præter ipsū: & quod diligere ipsum ex toto corde & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota uirtute: & diligere proximum sicut seipsum, plus est quàm omnia holocautomata & uictimæ. Vide quomodo tunc Iudæi victimas siue sacrificia pro præclaris facinoribus ducebant: cæteras virtutes non curantes. Intellectum autē, scriba appellauit mentem ipsam.

At Iesus autem intuitus illum quod prudenter responderit, ait ei: Non longe es à regno dei. De hoc docet finis enarrationis prædicti capitis.

Et nemo deinceps audebat illum interrogare. De hoc dictū est quinquagesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum, postquam ipse interrogauerat pharisæos.

CAPVT XL. DE INTERROGATIONE DOMINI.

Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt scribæ, quod Christus filius est Dauid? ipse enim Dauid dixit per spiritum sanctum, Dicit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid dicit eum dominum, & unde filius eius est? De his manifeste dictum est

Dictum est prædicto quinquagesimoquinto capite. Ne autem tibi insolens videatur quod habeat, Dicit. Siquidem Hebraica dictio † & Dicit significat & Dixit. Ideo hic quidem illam, ille autem hanc significationem indifferenter accipit: & pleraq; similia frequenter inueniemus.

† *Hæc uidelicet Hebraica dictio psalmi.* 110. *iuxta Hebræorum diuisionem,* נאם *neum.*

Et multa turba libenter eum audiebat. Tanquam suauiter sermocinantem: vel tanquam facile illos deuincentem, & quod ab inuidia sese ipse liberauerit.

Et dixit eis in doctrina sua: Prospicite à scribis. Prospicite, hoc est, cauete.

Matth.23 *Qui amant in stolis obambulare.* Dicit de ipsis Matthæus circa medium quinquagesimiquinti capitis: Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorũ, quæ Marcus nunc stolas nominauit. Quære ergo ibi horũ enarrationem.

Et salutationes in foris, primasq; sellas in synagogis, ac primos accubitus in cœnis. A præcedentibus supplendum est, Qui amant, hoc videlicet aut illud. De quibus ibidem quære.

Qui dæuorant domos uiduarum, & sub prætextu longo tempore orant: hi accipient grauius iudicium. De his exacte disputatũ est in principio quinquagesimisexti capitis euãgelij secũd. Mat.

CAPVT. XLI. DE VIDVA QVAE DVO MINVTA OBTVLIT.

† *Et quum sederet Iesus ex aduerso gazophylacii* †, *aspiciebat quomodo mitteret turba æs in gazophylacium.* Gazophylacium erat arca vbi thesaurus in templo seruabatur, in quã omnes qui habebãt & volebant, pro viribus iniiciebãt ad pauperũ alimentũ.

† † *Nam γάζα thesaurus est & φυλάττω custodio.*

Et multi diuites iactabant multa. Quumque uenisset quædam uidua paupercula misit minuta duo, quod est quadrans. Quod puta minutum, est apud Hebræos siue dicitur quadrans. Dicitur quoque alio modo obolus siue λεπτόν.

Et aduocatis discipulis suis ait illis, Amen dico uobis, quod uidua hæc paupercula plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod supererat sibi miserunt: hæc autem ex penuria sua. ὑστέρησις, defectus dicitur vel indigentia, nunc autem pro eo quod necessarium est & vtile vt opinor accepit. (nos Penuriam vertimus.)

Omnia quæ habuit misit, totam substantiam suam. Etsi pauper erat possessionibus, diues tamen animo ostenditur: ideo Saluator qui non donum ponderat, sed voluntatem eius, plusquam omnes misisse dicit. Vtinam vero & anima mea vidua efficiatur, abiecto diabolo cui adglutinata est atque subiecta: quæ mittat in dei thesaurum duo minuta †, corpus videlicet ac mentem: comminuta, illud quidem per temperantiam, hanc autem per animi modestiam.

† *Minuta comminuta siue attenuata, apud Græcos pulchra est allusio quum dicunt,* λεπτὰ λεπτυθέντα.

CAPVT. XLII. DE CONSVMMATIONE.

Cap.15 *Et egrediente eo de templo, dicit ei unus discipulorum suorum: Præceptor uide quales lapides, & quales structuræ. Iesus autem respondens ait illi, Vides magnas has substructiones? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non diruatur.* De his dictum est in fine quinquagesimisexti capitis euangelij secundũ Matthæum. Matt.24

Quumq; ipse sederet in monte Oliuarum è regione templi, interrogabant eum seorsum Petrus & Iacobus & Ioãnes & Andreas dicentes, Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum quando hæc omnia consummanda sunt. Quære de his quinquagesimoseptimo capite euangelij secundum Matthæum.

Iesus autem respondens eis cœpit dicere: Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus ac multos seducent. Quum autem audieritis bella, & rumores bellorum, ne turbemini: oportet enim fieri, sed nondum finis. Insurget enim gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum: & erunt terræmotus per loca, & erunt fames ac turbationes. Principia dolorum hæc. Eodem capite de his omnibus dictum est.

Vos autem cauete uobismetipsis. Seruate vosipsos à seductione quæ tunc erit.

Tradent enim uos in concilia & in synagogas: cædemini, & sub præsidibus ac regibus ducemini causa mea. Ibi quoque & de his inuenies.

In testimonium ipsis. Ad accusationem & increpationem ipsorum,

D ipsorum,ne possint dicere tempore vniuersalis iudicij: Non audiuimus prædicationem. Intantum enim ipsam audituri sunt, vt eius etiam præcones extremis suppliciis subiiciant.

Et *in omnes gentes primum oportet prædicari euangelium.* Matthæus vero scripsit prædicto capite, quod prædicabitur hoc euangelium in vniuerso mundo. Quære ibi huius intellectum.

Quum autem duxerint uos tradentes, ne soliciti sitis quid loquamini. neque cogitetis, sed quicquid datum uobis fuerit in illa hora, hoc loquamini. Non enim uos eritis qui loquentur, sed spiritus sanctus. Dispensatorie spiritus sanctus tunc loquetur, vtens ore ipsorum, ne rusticitas illorum videatur incredulis abiectio & minoratio prædicationis. Dixit quoque & hæc decimonono iuxta Matthæum capite circa medium: quære ergo ibi enarrationem. Matth.10 E

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filii in parentes, ac morte eos afficient: & eritis odio habiti ab omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Etiam hæc omnia in prædicto decimonono capite declarata sunt.

Quum autem uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, qui legit intelligat. Matt.24 Dictum est de hoc, dicto quinquagesimoseptimo iuxta Matthæum capite.

Tunc qui in Iudæa sunt fugiant in mõtes, & qui in tecto fuerit nõ descendat in domum, neque ingrediatur, ut tollat: quippiam de domo sua: & qui in agro, non conuertatur ad ea quæ post tergum sunt, ut F *tollat pallium suum. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus.* In eo loco etiam de his dissertum est.

Orate autem ne fiat fuga uestra hyeme. Erunt enim dies illi afflictio, qualis non est facta à principio creationis quã creauit deus, usque nunc, neque fiat. Et nisi dominus abbreuiasset dies, nequaquam salua fieret omnis caro: sed propter electos quos elegit, abbreuiauit dies. Similiter & de his. Illud autẽ, Erunt dies illi afflictio, hoc est, in diebus illis erit afflictio.

Et tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut ecce ibi, ne credideritis. Excitabuntur enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia ut decipiant, si fieri potest, etiam electos. Vos autem uidete: ecce prædixi uobis omnia. Etiam & de his ibi disputatum est.

ibi disputatum est. A

Porro in illis diebus post afflictionem illam sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, ac stellæ cœli decident, & uirtutes cœlorum concutientur. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum uirtute magna & gloria. Et tunc mittet angelos suos & aggregabit electos suos à quatuor uentis, ab extremo terræ usque ad extremum cœli. Et de his similiter.

A ficu autem discite parabolam. Quum iam ramus eius tener fuerit, & producta folia, scitis quod prope sit æstas: Sic & uos quum hæc facta uideritis, scitote quod prope sit in foribus. Amen dico uobis, non præteribit generatio hæc, donec fiant hæc omnia: Cœlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt. Præterea & de his omnibus ad verbum in dicto capite subtiliter disputatum est.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM DE DIE illo & hora. B

DE die autem illo & hora nullus nouit, neque angeli qui sunt in cœlo, neque filius nisi pater. Dictum est de hoc quinquagesimooctauo capite euangelij secundum Matthæum.

Attendite, uigilate, & orate: nescitis enim quando tẽpus sit. Ibidem etiam de his dictum est.

Sicut homo qui peregre agens reliquit domum suam, & dedit seruis suis substantiam, & suum cuique opus, ac ianitori præcepit ut uigilet. De Christo ac Christianis sumptum est hoc exemplum. Est autem defectiuum: deficit enim, Est. Dicit ergo quod est sicut homo qui peregre agit: hominem quidem seipsum innuens, quemadmodum in multis dictum est parabolis. Peregrinationem vero, in cœlos assumptionem. Domum autem suam, præsentem mundum. Seruos quoque suos, dicit Christianos. Cuiusque autem opus, est custodia mandatorum, & operatio virtutum. Ianitor vero, mens vniuscuiusque, quæ ianuis animæ præest, hoc est sensibus, per quos intellectualis fur ingredi solet. C

Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus domus uenturus est: sero, an media nocte, an gallicinio, an mane: ne quum uenerit repente, inuc-

E

D *te, inueniat uos dormientes.* Serum quidem dicitur ætas senum: medium noctis, eorum qui in media sunt ætate constituti: gallicinium vero, eorum qui iam sapere incipiunt: quum prudentia in modum galli gallinacei excitat eos ab insensibilitate. Mane autem, ætas est puerorum. Quære autem prædicto quinquagesimooctauo iuxta Matth. capite declarationem illius dicti, Ideo & vos estote parati, quia qua hora non putatis, ea filius hominis venturus est.

Quæ autem uobis dico, omnibus dico. Omnibus Christianis qui futuri sunt vsque ad mundi consummationem. Hinc moti quidam dicunt prædictas ætates iis aptari Christianis qui tunc reperientur. sub illis enim fiet secundus aduentus.

E *Vigilate.* Hoc rursum addidit, tanquam id quod futurum erat protestatus.

Cap.14 *Erat autem pascha & azyma post biduum.* Pascha & azyma vocat nunc euangelista ipsum paschæ festum: quia in ipso carnes agni & azyma comedebant, sicuti sexagesimotertio Matth.26 capite euangelij secundum Matthæum significatum est. Quære autem prope finem etiam sexagesimiprimi capitis dictum illud. Et factum est postquam finisset Iesus omnes hos sermones dixit discipulis suis, Scitis quod post biduum pascha fit.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo eum dolo apprehensum occiderent. Dicebant autem. Ne in die festo, ne quando tumultus sit populi. Ibi quoque de his inuenies.

F

CAPVT QVADRAGESIMVM-QVARTVM DE EA QVAE vnxit dominũ vnguento.

ET quum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi & discumberet, uenit mulier habens alabastrũ unguẽti nardi pistice preciosæ: & comminuto alabastro effudit super caput eius. De hac dictũ est sexagesimosecũdo capite euangelij secundum Matthæum.

Erant autem quidam indigne ferentes apud sese, & dicentes, Ad quid perditio hæc unguenti facta est? Potuit enim hoc distrahi pluris q̃ trecẽtis denariis, & dari pauperibus. Et infremebãt aduersus illã. Similiter

Similiter & de his. A

Iesus autem dixit, Sinite illam. Quid ipsi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis uobiscum, & quum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis. Quod habuit hæc fecit: præuenit ut ungeret corpus meum ad sepulturam. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in uniuerso mundo, etiam id quod ista fecit, narrabitur in memoriam ipsius. Præterea & de his subtiliter tractatum est.

Et Iudas Iscariotes unus de duodecim abiit ad principes sacerdotum, ut proderet eum ipsis. At illi quum audissent gauisi sunt, & promiserunt ei argentum se daturos. Et quærebat quomodo opportune illum traderet. Etiam de his ibi quære. Gauisi sunt autem, non solum quia ipsum sine tumultu comprehensuri erãt, op- B portune à Iuda traditum, verum etiam quòd à suis discipulis odio haberi inciperet.

CAPVT QVADRAGESIMVM-QVINTVM DE PASCHA.

ET primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli eius, Vbi uis ut abeuntes paremus tibi ut edas pascha? Et emittit duos è discipulis suis, & dicit eis: Abite in ciuitatem †, & occurret uobis homo hydriam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque ingressus fuerit, dicite patri familias, Magister dicit, Vbi est diuersorium in quo pascha cum discipulis meis edam? Et ille uobis ostendet C *cœnaculum grande instratum, illic parate nobis. Et exierunt discipuli eius, ac uenerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixit eis, ac parauerunt pascha.* A sexagesimotertio capite euangelij secundum Matthæum hæc facile intelliguntur, quum ibi sint exacte disputata.

† *Vide annotationem quæ habetur super illud Matth.63. Ite in ciuitatem ad quendam, & cætera.* †

CAPVT. XLVI. DE PRODITIONE PROPHETIA.

ET facta uespera uenit cum duodecim: & discumbentibus ipsis ac edentibus dixit Iesus: Amen dico uobis: Vnus ex uobis tradet me, qui edit mecum. At illi cœperunt

D contristari, & dicere ei singillatim, Num ego? Et alius, Num ego? Ille autem respondens ait eis, Vnus ex duodecim qui intingitur mecum in catinum. Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hominis traditur: bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille. Ibidem hæc etiam explanata sunt.

Et edentibus illis, quum accepisset Iesus panem, ac gratias egisset, fregit ac dedit eis, & ait, Sumite, comedite, hoc est corpus meum. Et sumpto poculo quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. Et ait illis, Hic est sanguis meus qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, Non bibam amplius de fructu uitis usque ad diem illum, quando bibam illum nouum in regno dei. De his diximus sexagesimoquarto iuxta
E Matthæum capite.

Et dicto hymno exierunt in montem Oliuarum, & ait illis Iesus. Omnes offendiculum patiemini propter me in hac nocte: quia scriptum est, Percutiam pastorem & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero præcedam uos in Galilæam. Petrus autem ait illi, Etsi omnes offendiculum patiantur, at non ego. Et dicit ei Iesus, Amen dico tibi, quod tu hodie in hac nocte priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille uehementius multo dicebat, Si oportuerit me commori tibi, non abnegabo te. Similiter & omnes dicebant. Etiam de his in eo capite per ordinem dictum est.

Et ueniunt in prædium cui nomen Getsemane: dixitque discipulis suis, Sedete hic dum orabo. Et assumit Petrum & Iacobum ac Ioannem: cœpitque expauescere & angi, ac dicere eis, Tristis est a-
F nima mea usque ad mortem: manete hic & uigilate. Et progressus pusillum, prostratus est in terram, & orauit, ut si possibile esset transiret à se hora, ac dicebat. Abba pater omnia tibi possibilia sunt, transfer poculum hoc à me: attamen non quod ego uolo, sed quod tu Similiter & de his.

Et uenit ac inuenit eos dormientes, & dicit Petro, Simon dormis? Non potuisti una hora uigilare? Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et rursus digressus orauit, dicto eodem sermone. Reuersusque iterum inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, & nesciebant quid responderent illi. Venitque tertio, & ait illis, Dormite iam & requiescite. Completum est. Venit hora: ecce traditur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce qui me

qui me tradit appropinquat. Præterea & de his caput illud A docuit.

Et statim adhuc eo loquente, accedit Iudas unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à principibus sacerdotum & scribis ac senioribus. Dictum est de his sexagesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum.

Dederat autem proditor eis commune signum dicens, Quemcunque osculatus fuero, ipse est, apprehendite eum & abducite caute. Ac protinus quum uenisset, & ad eum accessisset, dicit illi, Rabbi rabbi, & deosculatus est eum. Illi uero iniecerũt in illum manus suas, & apprehenderunt illum. Vnus autem quispiam eorum qui adstabant, exerto gladio, percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit eius auriculam. Similiter & de his: lege ergo totam enarrationem quæ ibi accurate posita est. B

Et respondens Iesus dixit illis, Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus ut comprehenderetis me? Quotidie eram apud uos in templo docens, & non comprehendistis me, sed ut impleantur scripturæ. Et relicto eo omnes fugerunt. Et unus quispiam adolescentulus sequebatur eum amictus sindone super nudum, & apprehendunt ipsum adolescentuli. At ille relicta sindone, nudus fugit ab eis. Similiter & de his ibidem actum est.

Et abduxerunt Iesum ad summum sacerdotem. Et cõueniunt ad eum omnes principes sacerdotum & seniores ac scribæ. Petrus etiam eminus sequebatur illum intro usque in atrium summi sacerdotis: ac sedebat unà cum ministris & calefiebat ad lumen. Ad lumen, quod ab igne producebatur: ita vt in propatulo esset his qui vnà cum eo sedebant, ac omnibus qui in atrio erant. Dictum est autem & de his ibi.

Summi uero sacerdotes & totum concilium quærebant aduersus C Iesum testimonium, ut interficerent eum, nec inueniebant. Multi enim falsum testimonium ferebant aduersus eum, & idonea testimonia non erant. Et quidam assurgebant, & falsum testimonium aduersus illum ferebant, dicentes: Nos audiuimus ipsum dicentem, Ego dissoluam templum hoc manufactum, & in triduo aliud nõ manufactum ædificabo. Et nec sic idoneum erat testimonium illorum. Ibi quoque hæc declarata sunt.

Quumque surrexisset summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum dicens, Non respondes quicquam? Quid hi aduersum te ferunt testimonia? At ille tacebat, nihilque respondebat. Rursus sum-

D mus sacerdos interrogabat eum, & ait illi, Tu es ille Christus filius benedicti? Iesus autem dixit, Ego sum: Et uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem cum nubibus cœli. Similiter & hæc. Quod autem dicitur, Cum nubibus, idem est ac si dicas, In nubibus.

Summus uero sacerdos discissa ueste sua dicit, Quid adhuc nobis opus est testibus? Audistis blasphemiam. Quid uobis apparet? Omnes autem condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere in eum, & obuelare faciem illius, & colaphis eum cædere, ac dicere illi: diuina. Et ministri alapas illi impingebant. Similiter & hæc.

E

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM DE negatione Petri.

ET quum esset Petrus in atrio inferius, uenit una puella summi sacerdotis, quumque uidisset Petrum calefacientem se, intuita illum dicit, Et tu cum Iesu Nazareno eras. Ille uero abnegauit dicens, Non noui, neq; scio quid dicas. De his dictum est sexagesimosexto iuxta Matthæum capite.

Exiuitque in uestibulum, & gallus cecinit. Lege sexagesimoquarto capite euangelij secundum Matthæum enarrationem dicti illius, Priusquam gallus cecinerit, ter me abnegabis.

F

Et rursum puella uiso eo cœpit dicere adstantibus, Hic ex illis est. At ille iterum abnegauit. Et paulo post, rursus adstantes dicebant Petro, Vere ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua conuenit. Ille uero cœpit deuouere & deierare dicens, Non noui hominem istum quem dicitis. Et iterum gallus cecinit. De puella & adstantibus accurate dictum est sexagesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum: & ibi lege dicti illius interpretationem, Et ingressus intro sedebat cum ministris, vt videret finem. De reliquis autem pari modo dictum est sexagesimosexto illius euangelij capite.

Et recordat⁹ est Petrus uerbi quod dixerat ei Iesus, Priusquã gal
Matth.10 lus bis cecinerit, ter me abnegabis: & adiiciens flebat. Ibidẽ quoq; de his

de his dictum est. Non solum autem hoc dictum verbum præ A
timore ac imbecillitate exciderat, verum etiã illud quod dixerat, Quicunque abnegauerit me coram hominibus, & ego abnegabo eum, &c.

Et statim diluculo initio consilio, summi sacerdotes cum scribis ac se- Cap.15.
nioribus, totoq; concilio, uinctum Iesum abduxerunt ac tradiderunt Pilato. Præterea & de his.

Et interrogauit eum Pilatus, Tu es rex Iudæorum? At ille respondens dixit ei: Tu dixisti. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus uero rursum interrogauit eum dicens, Non respondes quicquam? Ecce quanta aduersum te testantur. Iesus autem deinceps nihil respondit, sic ut miraretur Pilatus. Quære sexagesimumseptimum caput euangelij secundum Matthæum: inde enim Matt.27
facile est & hæc intelligere. B

In festo autem absoluebat illis unum uinctum quem petebant. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat uinctus, qui per seditionem homicidium perpetrauerant. Et quum acclamasset turba cœpit petere (ut fieret) sicut semper faciebat ipsis. Respondit autem eis Pilatus dicens: Vultis absoluam uobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Principes autem sacerdotum concitauerunt turbam, ut potius Barrabbam absolueret ipsis. Pilatus uero iterum respondens ait illis, Quid igitur uultis faciam ei quem dicitis regem Iudæorum? At illi rursus clamabant. Crucifige eum. Pilatus autem dixit illis. Quid enim malè fecit? Ipsi uero uehementius clamauerunt, Crucifige eum. Et hæc omnia dicto capite conuenienter declarata sunt.

Pilatus autem uolens cum populo benigne agere, absoluit illis Bar C
rabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum ut crucifigeretur. Milites uero abduxerunt eum intro in atrium quod est prætorium: & conuocant totam cohortem, ac induunt eum purpura, & circumponunt illi contextam spinis coronam: cœperuntque eum salutare, Aue rex Iudæorum: & percutiebant caput eius arundine, ac spuebant in eum, & ponentes genua adorabant eum. Manifestius scripsit de his Matthæus prædicto capite, in quo etiam de omnibus dictum est. Salutare vero significat hoc in loco, Compellare.

Quumque illusissent ei, exuerunt ipsum purpura ac induerunt uestimentis suis, ducuntque eum ut crucifigerent. Et coëgerunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum uenientẽ ex agro patrem Alexandri & Rufi, ut portaret crucem eius, & ducunt eum in Gel-

D gotha locum, quod est, si interpreteris, Caluariæ locus. Et dabant illi ad bibendum uinum myrrha mixtum: at ille non accepit. De his quoque ibidem declaratum est. Patrem vero dixit Alexandri & Rufi, vtpote qui adhuc viuebant, notique erant dum hæc scriberet. Aiunt enim hos sequutos esse Apostolos, quum in Christum credidissent.

Et postquam crucifixerunt eum, partiti sunt uestimenta ipsius, mittentes sortem super illa, quis quid tolleret. Præterea & de his.

Erat autē hora tertia, & crucifixerunt eū. Atqui hora sexta crucifixus est sicut dicit Ioannes. Quid ergo dicendum est? Quod id quod dicitur, erat autem hora tertia, non trahitur ad id quod additur, Et crucifixerunt eum: sed refertur ad principium eorum quæ passus est Saluator. Erat autem, inquit, ho-
E ra tertia, quando videlicet pati cœpit à militibus Pilati. Deinde quod sequitur, per se legendum est, Et crucifixerunt eū, sexta videlicet hora. Mentio ergo tertiæ horæ quæ fit à Marco, principiū manifestat eorum quæ passus est dominus: sextæ vero, à Ioanne, finem ostendit, qui fuit crucifixio.

Et erat inscriptio causæ eius scripta, Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unū à dextris, & alterum à sinistris eius. Et qui præteribant conuitiabantur illi, mouentes capita sua, ac dicentes, Vah, qui diruis templum, & in triduo illud extruis: serua teipsum, ac descende de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes inter
F se cum scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere? Christus rex Israël descendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi fuerant, conuitia iactabant in eum. Etiam de his prædicto capite dictum est.

Facta autem hora sexta tenebræ ortæ sunt super totā terram usque in horam nonam. Et hora nona clamauit Iesus uoce magna dicens, Eli Eli lama azabtani? quod est, si quis interpretetur, Deus deus meus ut quid dereliquisti me? Et quidam eorum qui adstabant quum audissent, dicebant, Ecce Eliam uocat. Cucurrit autem quidam, & impleta spongia aceto, impositaque arundini, potum offerebat illi dicens: Sinite, uideamus an ueniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa uoce magna expirauit. Et uelum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. Videns autem Centurio qui ex aduerso eius adstabat, quod sic emisso clamore expirasset, dixit, Vere homo hic filius dei erat. Similiter & de his omnibus data est ibidem explanatio.

Erant

Erant autem & mulieres eminus aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi Parui & Iose mater, & Salome: quæ etiam dum esset in Galilæa, sequebantur eum & ministrabant illi: ac aliæ complures quæ simul cum eo ascenderant Ierosolyma. A
De his etiam ibi quære expositionem.

CAPVT QVADRAGESIMVMOCTAVVM DE PETITIONE CORporis Christi.

ET facta iam uespera quum esset parasceue, quæ præcedit sabbathum, uenit Ioseph ab Arimathæa honestus senator, qui & ipse expectabat regnum dei. In fine illius capitis etiam de his subtiliter actum est. B

Et sumpta audacia ingressus est ad Pilatum, ac petiit corpus Iesu. Pilatus autem admirabatur, si iam mortuus esset: & accersito Centurione interrogauit eum an iamdudum mortuus esset. Et re à Centurione cognita, donauit corpus ipsi Ioseph. Isque mercatus sindonem depositum inuoluit sindone, & deposuit in monumento quod erat excisum è petra: aduoluitque lapidem ad ostium monumenti. Sexagesimooctauo capite euangelij secundum Matthæum hæc omnia prout conuenit patefacta sunt.

Maria autem Magdalene, & Maria Iose aspiciebant ubi poneretur. ¶ Et quum pertransisset sabbathum, Maria Magdalene & Cap.16. C
Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Similiter & hæc. Matth.2

Et ualde mane una sabbathorum ueniunt ad monumentum exorto sole. Et dicebant inter se, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Quique respexissent, uident quod reuolutus esset lapis: erat enim magnus ualde. Similiter & hæc.

Et ingressæ in monumentum uiderunt adolescentulum sedentem à dextris, amictum stola candida, & obstupuerūt. Ille autem dicit eis, Ne obstupescatis, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed abite dicite discipulis eius & Petro, quod præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis sicut dixit uobis. Etiam ibi de his actum est.

Quumque exissent fugerunt à monumento: habebat enim illas tremor ac

D *mor ac stupor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim.* Præterea & de his.

Nota ¶ Quidam autem interpretum asserunt hoc in loco completum esse Marci euangelium: quæ vero sequuntur recentiorem esse additionem. Oportet tamen & hanc explanare, quum veritati nihil repugnet.

Quum autem surrexisset, mane primo sabbathorum apparuit primum Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Postquam dictum est, Quum autem surrexisset, statim pone distinctionem: deinde lege. Mane primo sabbathorum apparuit primum Mariæ Magdalenæ. Incertum est siquidem quãdo surrexerit: quando autem apparuerit, certum est: sicut etiã dicto capite prædictum est. Similiter quod primus sabbatho-
E rum, dies dominicus dicatur, quodque mane huius, Christus apparuerit, pariter ibi declaratum est. Quærendum autem quomodo hoc loco scriptum est, quod apparuerit primum Mariæ Magdalenæ? Siquidem apparuit primum non soli Magdalenæ, sed etiam alteri Mariæ Iacobi & Iose, veluti narrauit Matthæus. Dicendum ergo est, quod per Magdalenem, alteram quoque significauit. Frequenti est enim in vsu apud euangelistas, per personam quæ insignior est eam etiam intelligere, quæ minus nota est. Insignior autem erat Magdalene, in hoc quod festinauit & præcessit ad monumentũ: multo enim fidei in Christum calore feruebat, vtpote magno ab eo affecta beneficio: quum ipsam à septem dæmoniis liberauerit.

F *Illa profecta renunciauit iis, qui cum eo fuerant, lugentibus ac flẽtibus.* Hoc est, discipulis qui cum eo versati fuerant, qui ipsum sequuti fuerant: non solum vndecim, verum etiã septuaginta duobus. Hoc itaque illis renunciauit ista sane & altera Maria. Attestabantur autẽ & aliæ mulieres, sicut scripsit Lucas: de quibus quære prædicto euangelij iuxta Matthæum capite enarrationem illius dicti, Illi autem sumptis pecuniis fecerunt prout edocti erant.

Post hæc autem, duobus ex ipsis ambulantibus apparuit in alia forma, euntibus rus, & illi abierunt ac renunciauerunt cæteris: verum non crediderunt illis. Hi duo ex septuaginta discipulis erant. Et quidam dicunt eos esse Cleopam & eum qui cum ipso pergebat in castellum nomine Emmaus, de quibus narrauit

rauit Lucas. Sed hoc videtur dictu absurdum. His siquidem quum renunciassent, non est habita fides: illi vero magis in- Luc.24. A
uenerunt Apostolos dicentes: Surrexit dominus vere & visus est à Simone. Manifestum ergo est alios esse illos, & alios istos: fuisse tamen & hos & illos ex septuaginta. Primum itaque apparuit Christus Magdalenę & alteri Mariæ: deinde his duobus: postmodum Petro: demum vero illis duobus. Sane his non est habita fides: Petro vero tanquam summo ac principi cæterorum creditum est. & ita duo qui apud Lucam ab Emmaus reuersi sunt, inuenerunt Apostolos dicentes, Surrexit dominus vere, & visus est à Simone. Et hæ omnes apparitiones in die resurrectionis factæ sunt.

Postea discumbentibus ipsis undecim apparuit, & exprobrauit illis incredulitatem eorum, cordisq; duritiem, quia his qui viderãt eum B
postquam resurrexerat, non crediderant. Postea: Posteaquam videlicet certiores facti fuerant à Petro, venerantque Cleopas & comes eius, ac narrauerant quæ sibi in via acciderant: & quomodo ab eis cognitus fuerat in fractione panis, sicut dixit Lucas. Ait enim ipse: Hæc illis loquentibus ipse Iesus stetit in medio eorum, & ait illis, Pax vobis, & cætera. Hoc autem etiam in eiusdem diei vespera accidit. Scripsit enim & Ioannes, Quum serum esset die illo, qui erat vnus sab- Ioan.20.
bathorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, stetitque in medio, & ait illis, Pax vobis, & cætera. Tunc enim exprobrauit incredulitatem eorum, cordisque duritiem, siue impersuasibilitatem: quia his qui viderant eum postquam resurre- C
xerat, non crediderant, puta Magdalenæ & alteri Mariæ, ac his duobus de quibus scripsit Marcus. Itaq; Marcus dictã exprobrationem scripsit. Lucas vero & Iohannes hac prætermissa, aliarum rerum quæ tunc factæ sunt meminerunt.

Et dixit eis, Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Hoc est, in vniuersum orbem. Dixit autem illis hunc sermonem, non tunc sane, sed postmodum quum profecti sunt in Galilæam in montem in quo constituit illis Iesus, veluti circa finẽ euangelij secundum Matth. scriptum est. Quæ vero sequuntur Matthæus quidem reliquit, horum narratione abbreuiata. Marcus vero retulit dilatato de his sermone.

Qui cre-

D *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.* Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: modo fidem ac baptismum impolluta conseruauerit: aut post contractas sordes emundauerit ac purificauerit. Intelligitur autem verbum hoc & alio modo, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: si ea quæ fidei sunt per baptismum susceptæ, demonstrauerit: illa vero sunt operatio mandatorum dei, ac suiipsius custodia. Non dixit autem, Qui solum crediderit: neque, Qui baptizatus fuerit tantum: sed vtrumq; coniunxit: alterum enim sine altero non saluum facit hominem.

Signa uero eos qui crediderint hæc prosequentur. Eos qui cre
E diderint: non simpliciter, sed sicut diximus. Deinde ponit & signa siue miracula.

Per nomen meum dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis. Linguis peregrinis: idiomatis aliarum gentium.

Serpentes tollent. Delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt.

Et si mortiferum quippiam biberint, non eis nocebit. Multa talia plurimis contigerunt sanctis, semperque contingunt fidelibus, qui videlicet exercentur in euangelicis præceptis:
Iacobi.2. nam fides sine operibus mortua est iuxta magnum illum Iacobum.

Super ægros manus imponent, & bene habebũt. Per dicta signa, etiã ea innuit quæ prætermissa sunt. Dixit enim in præ-
F cedentibus, quòd omnia possibilia sunt credenti.

Dominus itaque postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlũ. Postquam loquutus est. non hæc solum, sed & omnia verba
Actorũ.1. quotquot eis loquutus est à die resurrectionis suæ, donec cõpleti sunt quadraginta dies, in quibus apparebat discipulis, & cõuersabatur cum eis. Dictum est autem de assumptione sua etiam in fine euangelij iuxta Matthæum.

† *Et sedit à dextris dei.* † Atqui deus & pater eius quum sit incorporeus, nequaquam dextra habet aut sinistra: hi namque habitus sunt corporum. Reliquum est ergo, vt sedere ipsius, requiem manifestet ac fruitionem diuini regni. Quod autem additur, A dextris dei, familiaritatẽ denotat ac æqualem cum patre honorem.

† † *Non tantum in dextris patris sedere dicitur filius, uerum etiam stare:*

stare: quemadmodum in libro Actorum dixit Stephanus: ut illud quidem requiem designet intransmutabilem, hoc autem firmam ac diuinam in bono confirmationem. Vnde nulla huiusmodi uerborum immutatio reddit aliquam sententiæ diuersitatem. Præterea quum dixit stare filium, non dixit sedere patrem: ne ex hoc intelligamus differentiam dignitatis. Restat igitur, ut & consedere patri dicatur, & simul cum eo stare. Actor.7 A

Illi uero egressi prædicauerunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante, subsequentibus signis. Sermonem, prædicationis. Vtinam autem & sermo doctrinæ nostræ confirmetur per subsequentia debitæ virtutis signa, vt in fine vitæ nostræ perfecti inueniamur, per gratiam & benignitatem domini nostri Iesu Christi. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SIMILIS ENARRATIO IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

A

BEatus Lucas Antiochenſis fuit genere. Omnem autem ſermonis diſciplinam adeptus, medicinam etiam corporum didicit, ac poſtmodum animorũ quoque medicinam aſſequutus eſt. Primum quidem Chriſto adhæſit, & ab eo pietatis ſemina ſuſcepit. Poſtea vero Paulo duci coniunctus, maximeque familiaris effectus eſt, ac diſcipulis eiꝰ comesq; itineris: quemadmodum & Marcus Petri cæterorum principis. Dicũt autem quidam, & maxime Origenes, quod Marcus & Lucas ante dominicam paſſionem inter ſeptuaginta diſcipulos cõ- B
numerati ſunt. Poſt quindecim vero annos à Saluatoris aſſumptione, permiſſu Pauli cõſcripſit euangeliũ ad Theophilum fideliſſimum deique amãtiſſimũ. Multa autẽ quæ ab aliis euangeliſtis ſilentio fuerant præterita, iſte commemorat.

QVANDOQVIDEM *multi tentauerunt retexere narrationem earũ rerũ, quæ nobis certiſſima fide cõprobatæ ſunt.* Demõſtrat quoſdã tẽtaſſe euangelium conſcribere, ſed à veritate longe aberraſſe. Non enim de Matthæo & Marco hoc dicit: hi enim non tentauerunt, ſed C
ſcripſerunt. Certiſſima fide comprobata, hoc eſt, confirmata. Nobis: qui Chriſti ſumus diſcipuli. Rerum: hæ autem ſunt opera ac ſermones eius, miracula ac dogmata, & vt ſemel dicam, conuerſatio eius in carne. Cap. j. iuxta Latinorum enumerationem.

Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi uiderunt, ac uerbi miniſtri fuerunt. A principio miraculorum & dogmatum. Hoc autem ſcribens oſtẽdit quòd ipſe illis poſterior ad ipſum acceſſiſſet: ideòque hęc ab illis didicerat, qui ſemper cum Chriſto fuerant, ac ſingula viderant & audierant: dicit autem eos diſcipulos, qui è duodenario fuerunt numero. Verbum vero intelligit hic Chriſtum, qui ab his per incarnationem ac humanitatem viſus eſt. Miniſtros quoq; hos nominauit, vtpote

D auditores, & ad fidei prædicationem emissos.

Visum est & mihi qui cuncta diligenter ab exordio sum assecutus, ordine tibi scribere strennue Theophile †. Assequutio hoc loco pro cognitione sumēda est. Cuncta, videlicet opera Saluatoris ac sermones. Dicit ergo, Visum est & mihi, hoc est, æquum apparuit mihi, qui cūcta à principio accurate cognouī, ordine tibi scribere. Deinde etiā scribendi causam addit.

† † *Hic senatorii erat ordinis, & fortassis præfectus. Strennui enim nomē ad præsides ac primates dicebatur: sicut & Paulus ait ad præsidem Festum, Strennue Feste. Omnis etiam homo qui deum amat, sumpta aduersus affectiones fortitudine, dici potest strennuus Theophilus, ac dignus qui doctrinam audiat euangelicam.*

E *Vt agnoscas de quibus imbutus fueras certitudinem.* Vt agnoscens, vehementius sermonum fidei certitudine rapiaris. De quibus imbutus fueras, siue de quibus edoctus es, ne te fallat narratio quā multi tentauerūt retexere, sicuti superius declaratum est.

Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos nomine Zacharias. De Zacharia. Patrē dicit Baptistæ. Primū autem admiranda exponit, quæ circa præcursoris conceptū ac natiuitatē acciderūt: demonstrans q̄ statim ab exordio vitæ dignus erat, qui Christū annuntiaret, populoq; demōstraret. Quia vero ea narratur* est, quæ apud Iudæos cōtigerunt: merito quoq; ponit præ oculis tēpus Herodis regis, vt & tempus illarū rerū fiat manifestū. Herodem autē intelligit eum, qui infantes occidit, patrem il-

F lius Herodis qui præcursorem interemit.

Ex uice Abia. Vicem appellabant hebdomadarium ministerium. Tunc siquidē duo erāt templi sacerdotes sibi mutuo succedētes. Abia videlicet & Barachias. Ex vice igitur Abia, siue post vicem Abia, id est, succedens ipsi Abia.

Et uxor eius de filiabus Aaron. E posteris Aaron. Demonstrauit ergo quòd præcursor à sacerdotali descendit tribu, nō secundum patrem tantum, sed etiam secundum matrem: & vtrinque sacerdotalis erat.

Et nomen eius Elizabet. Addidit & hoc diligentiæ causa.

Erant autem iusti ambo coram deo. Iustos dicit nunc virtuti deditos. Erant autem iusti non coram hominibus, sed coram deo, hunc habentes suæ iustitiæ inspectorem: hæc enim est vera iustitia.

Incedentes

Incedentes in omnibus præceptis & iustificationibus domini absq; reprehensione. Legalia præcepta vocauit etiā iustificationes, vtpote iustitiæ plenas: & quæ incedentes in ipsis iustificarēt. A

Et non erat eis filius, eo quòd esset Elizabet sterilis †: *& ambo processerant in diebus suis.* Processerant, hoc est senuerant & prouectæ erant ætatis. †

† *Sæpenumero iustorū uxores etiam iustæ, liberis caruerūt, ut hinc discas legem non exigere carnalem propagationem, sed spiritualē.* †

Factū est autē quū sacerdotio fungeretur in ordine uicis suæ coram deo secundū functionis sacerdotalis sortē: accidit ut incensum poneret ingressus in templum domini: & multitudo orabat foris, tempore quo incendebatur thymiama. Apparuit autē angelus domini stans à dextris altaris thymiamatis. Intus erat altare thymiamatis: extra B vero altare super quod offerebantur animalia & oblationes. A dextris autem stetit, vt qui prospera & bona nuntiaturus venerat.

Et Zacharias uiso eo turbatus est, ac timor cecidit super eum. Turbatus est, suspicatus se protinus moriturum.

Dixit autē ad eum angelus, Ne timeas Zacharia. Primū abiecit animi illius timorem, vt sine turbatione audiret, & animū aduerteret ipsius sermonibus. Dicēs autem, Ne timeas, innuit vt gaudeat: deinde causam quoque ponit gaudij.

Quia exaudita est oratio tua. Quā pro salute populi fudisti. Pro hac enim sacerdotes quotidie precabantur. Exaudita est autē, eo quòd iam saluator sit humanitatē suscepturus, & populum suū à peccatis eorū saluum facturus. Ad demōstrationem vero & cōfirmationē q̄ eius oratio exaudita esset, ait. C

Et uxor tua Elizabet pariet tibi filiū. Et hunc vtilē ad populi salutē. Ostēsurus enim erat populo saluatorē. Nam quia pœnitentiā præcedere oportet ad salutē: opus etiā erat, vt pœnitentiæ prædicator eum præcederet, qui salutē erat collaturus. Ideo quoque primum nascitur præcursor.

Et uocabis nomen eius Ioannem. Vtpote à ventre matris gratia donatum, siue à deo amatū, Vel tanquā causam gratiæ suis parentibus multisq; aliis, veluti postea manifestum erit. Ioannes enim Hebraicum nomen est, quod si quis ad Latinam vocem interpretetur, sonat gratia vel gaudium.

Et erit tibi gaudium & exultatio. Qui talis pueri factus sis pater, cuius & conceptus, & quæ sequentur, supernaturalia

erunt ac admiranda, sicut in sequentibus patebit.

Multique in natiuitate eius gaudebunt. Non cognati solum & vicini, verum etiam quibuscũq; diuinitus innotuerit, quod ministerium ipse sit expleturus.

Erit enim magnus coram domino. Magnus apud deum, quia magnus virtutibus.

Et uinum ac siceram nequaquã bibet. Sicera vocabatur quicquid in modum vini inebriare poterat †: maxime vero potio à palmarum fructu confecta.

† † A uerbo שכר *sachar, quod inebriare sonat.*

Et spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris suæ. Postquam per vini ac siceræ abstinentiam, de suauium rerum abstinentia fecit certiorem: vbi etiam ab hoc innuit durum cõuersationis eius exercitium, docuitque quod magnus futurus erat coram domino: ad firmam deinceps persuasionem, dicit id quod maius est, videlicet quòd à puero induetur virtute ex alto, præuidente deo conuersationem eius, & in quod diuinũ vas erat euasurus.

Multosque filiorum Israel conuertet ad dominum deum ipsorum. Qui ab eo persuasi confugient ad Christum: hunc enim vocat hic dominum deum.

Et ipse præcedet coram eo. Præcurret coram eo prędicans pœnitentiam, & annuntians aduentum eius.

In spiritu & uirtute Eliæ. Spiritum appellauit gratiam spiritualem: virtutem autem, efficaciam. Dicit ergo quòd gratiã quoq; & efficaciã habebit Eliæ, quas videlicet habebit Elias præcurrens secundum Christi aduentum: & hic nunc faciet quæ postmodum facturus est Elias. Apponit autem & quæ futura sit eius virtus siue potentia.

Malach. 4 Matth. 11. *Vt conuertat corda patrum in filios.* Prophetauit hoc & Malachias, & accurate declaratum est vicesimo capite euangelij iuxta Matthæũ vbi dicitur, Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus erat.

Et inobedientes ad prudentiam iustorum. Hos eosdem dicit inobedientes, quia ad id vsque tempus fuerant inobedientes. Conuertet ergo hos ad prudentiam bonorum, ad intelligentiam perfectorum.

Vt paret domino plebem præparatam. Præparatam per pœnitentiam: vel præparatam ad salutis susceptionem.

Dixitque

Dixitque Zacharias ad angelum, Per quid hoc cognoscam? Ego enim sum senex, & uxor mea progressa est in diebus suis. Ad senectutem ac naturæ imbecillitatem. Verum non attenta dei virtute, tardus erat ad susciendam fœtus promissionem.

Et respondens angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adstiti coram deo, & emissus sum ut loquar ad te, tibique hæc annuntiem. Et ecce eris mutus, nec loqui poteris usque ad diem quo hæc fient. Quæ nam? natiuitas videlicet, àc nominis impositio.

Eo quod non credidisti uerbis meis. Quæ de his erant rebus.

Quæ complebuntur in tempore suo. Tempore videlicet natiuitatis ac nominis impositionis. Vide autem quod propter vocem incredulitatis, retenta ac cohibita est illi vox.

Et expectabat populus Zachariam, ac mirabatur quod moram faceret in templo. Egressus autem non poterat loqui illis: & cognouerunt quod uisionem uidisset in templo. Ipse autem innuebat illis, permansitque mutus. κωφὸς (pro quo hic habemus mutum) significat etiam surdum. Neq; enim sola vox illi ablata est, sed & auditus, eo quod cũ incredulitate audisset ac loquutus fuisset. Significabat autem silentium sacerdotis senis, veteris sacerdotij cultusque taciturnitatem.

Et factum est postquam completi sunt dies ministerii sui, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabet uxor eius. Oportebat namque sacerdotem omnino abstinere à propria vxore in diebus ministerij sui: hoc enim & diuina lex præcepit. His autẽ completis cõgressus est Zacharias cum vxore sua propter promissum fœtum, silentij flagello edoctus, vt angelicis verbis crederet.

Et occultabat sese menses quinque. Erubescens eo quòd esset senior ac intempestiua quæ prægnans fieret, donec virgo etiam concepit.

Dicens, Sic fecit mihi dominus, in diebus quibus aspexit, ut auferret opprobrium meum inter homines. Quando beneplacuit vt auferret obprobrium meũ, quod apud homines erat: eo quod prole carerem. Apud Hebræos siquidem probro dabatur corporum sterilitas, vtpote qui magis carnales erant ac corporales: apud Christianos vero probro datur animarum sterilitas, tanquam magis spirituales.

Sexto autem mense missus est angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth ad uirginem desponsatam uiro, cui no-

 men Ioseph,

D *men Ioseph, de domo Dauid, & nomẽ uirginis Maria.* Sexto mẽse, postquam prægnãs effecta fuerat Elizabet, quum eius uterus intumesceret. Desponsata autem erat virgo, vt diabolum lateret Christi natiuitas. Audierat enim prophetas annũciasse quod esset è virgine nasciturus: ideoque virgines obseruabat: vt si quam in utero gestare videret, circa hanc fraudulẽtiæ suæ laqueos apponeret. Placuit itaque deo, vt virgo quæ in habitaculum suum segreganda erat, viro desponsata esset: vt hac relicta, indesponsatas improbus ille obseruaret. Dictũ est autem de sponso matris dei in procœmio euangelij iuxta Matthæum, Quod vero additur, De domo Dauid, intelligitur & de virgine & de Ioseph. Nam & hæc & ille è genere Dauid descenderant.

Isa.7. *Matth.1.*

E *Et ingressus angelus ad eam dixit: Gaude gratiosa: dominus tecũ.* Gaudium hoc, Euę soluit maledictionem. Illa siquidem iussa est habere mœrorem, (Nam id proprie significat λύπη vocabulum, quod Geneseos tertio capite in ærumnas & dolorem vertitur) hæc autem gaudium, quod mœrori contrarium est. Gaude inquit, vtpote inter omnes virgines in dei matrem electa. Gratiosam vero nominauit illam, tanquam videlicet gratia supernaturali dignam. Dominus tecum, hoc est, deus in te est.

Benedicta tu in mulieribus. Hoc est, laudata, beata.

Illa uero quum uidisset, turbata est in sermone eius. Timuit ne forte dolosus esset.

F *Et cogitabat qualis esset illa salutatio.* Vtrũ diuina an à dæmone, Salutationem autem dicit, compellationem.

Et ait angelus ei, Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud deum. Beneuolentiam, familiaritatem.

Et ecce concipies in utero & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus. Magnus, propter magnitudinẽ operum ac sermonum suorum.

Et filius altissimi uocabitur. Erat quidem filius altissimi: ita autem postea etiam vocatus est ab his qui in ipsum crediderunt.

Et dabit illi dominus deus thronum Dauid patris ipsius. Thronum siue regnum & potestatem super Hebræos.

Et regnabit super domum Iacob in æternũ, & regni eius nõ erit finis. Populus dei quandoq; Israel vocatur, interdum vero Iaacob.

Iaacob. Vnus enim idemq; homo & israel & Iaacob erat. Et natura quidem Iaacob vetus erat populus, vtpote à Iaacob per sanguinis cognationem descendens: adoptione vero, Israel nouus erat populus: Nam pro veteri inductus est nouus populus. Super hunc itaque nouum populum regnabit in æternum, id est semper, qui videlicet ex operibus ac sermonibus ipsum agnouit, seseq; illi voluntarie subdidit. Christus siquidem & inquantum deus rex erat, Regnum, inquit, meum non est ex hoc mundo: & inquantũ homo: habebat enim regis opera: puta subditis leges condere, dirigere, excolere, ac pro eis morti sese exponere: Nam hæc potissimum eum qui rex est insigniunt. Ista autem dicta sunt etiam capite primo euangelij secundum Matthæum, vbi habetur: Qui regat (siue pascat) populum meum Israel.

A

Ioan.18. *Matth.2.*

B *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo erit hoc, quum uirũ non cognoscam?* Quomodo erit hoc, vt videlicet concipiam in vtero & pariam filium? Et hæc itaque non credidit sicut Zacarias, non tamen incredulitatis admonita est per pœnam: ille siquidem multa habuit exempla susceptionis liberorum: Sarram, Rebeccam, Rachel, Annam: virgo autem nullum. Nulla enim virgo ad id vsque tempus sine viro conceperat & pepererat.

Et respõdens, angelus dixit illi, Spiritus sanctus superueniet in te. Qui ineffabiliter operabitur & conceptum sine viro, & partum supernaturalem.

Et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Idem quoque indicat hic sermo, Virtus dei proteget te: potentem faciet te ad huius rei operationem.

C *Ideo & quod nascitur sanctum, uocabitur filius dei.* Ideo quoque sanctus infans, inquit, qui ex te nascitur, vocabitur à fidelibus filius dei, propter diuina opera vnitæ sibi diuinitatis. Quidam autem vbi legerint, Quod nascitur, faciunt ibi subdistinctionem, dicentes quòd quia spiritus sanctus superueniet, & virtute altissimi obumbrabit, ideo quod nascitur, erit sanctum siue diuinum: deinde quod sequitur absolute legunt.

Et ecce Elizabet, cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ uocatur sterilis: quia non erit impossibile deo omne uerbum. Vt certiorem eam reddat, exẽplum Elizabet illi proponit, docens quòd qui ventri sterilis

D fructu carenti dedit fructum, ipse quoque in te faciet, quod per me tibi loquutus est. Omne enim verbum, id est, quicquid dicit, quicquid annuntiat, vel quicquid aliquis dicit. Sed quomodo erat Elizabet cognata Mariæ? Illa quidem ex Leuitica siue sacerdotali tribu descenderat, hæc autem de Iudaica siue regia. Variæ fuerunt harum duarum tribuum cognationes: quum enim Aaron primum, & postmodum Ioiada, qui ambo summi sacerdotes erant, vxores è regia tribu duxerint, & post hos alij: consequutum est, vt ex tali permixtione hæ duæ essent inter se cognatæ. Quia enim in diuinis rebus primas ferebat sacerdotale genus, in humanis vero regale: merito commixta sunt, vt & sacerdos regalis esset, & rex esset sacerdotalis.

tius. i. ine fa- bile, uel res p rasim braicã. od. 6 Par. 22

E *Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum.* Iam non solum credidit, sed etiam optabat, vt sibi contingeret sicut dixerat angelus.

Et discessit ab ea angelus. Simulac iam per verbum suum conceperat.

Exurgens autem Maria in his diebus abiit in montanam cum festinatione in ciuitatem Iuda. Montana erat Iudææ ciuitas, in qua habitabat Elizabet. Abiit autem illuc diuino prægnãs spiritu, vt infante in vtero Elizabet exultante, & illa prophetante, maiorem acciperet celsitudinem.

Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabet. Compellauit vt moris erat.

Et factum est ut audiuit Elizabet salutationem Mariæ, exultauit F *infans in utero eius.* Christus quidem loquutus est per os suę matris: Ioannes autem audiuit per aures suæ matris: & agnito supernaturaliter domino suo, exultatione illum prædicauit: infans enim qui in vtero ferebatur virginis, prophetica statim gratia donauit infantẽ, qui in vtero gestabatur sterilis.

Et impleta est spiritu sancto Elizabet, exclamauit & uoce magna ac dixit, Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus uentris tui. Ab infante qui erat in sterili, prædicatur infans qui erat in virgine: à sterili vero virgo. Christo siquidem reuelato ei qui in vtero Elizabet impletus erat spiritu sancto, impletur & ipsa: & quę prophetã in vtero gestabat etiam vaticinatur, ac benedicit & virginem, & fructum ventris virginis.

Et unde

Et unde hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me? Vnde A mihi res hæc inopinata? Sicut enim postmodum filius Elizabet veniente ad ipsum Christo, indignum se tali domini accessu dicebat: ita quoque nunc mater ipsius indignam sese fatetur tali dominæ accessu. Matrem autem etiam ante partum eam nominauit, & dominum eum qui ex illa nasciturus erat: attestans angeli verbis, idque efficiens, vt sermonibus eius firmius virgo crederet. De Elizabet.

Ecce enim ut peruenit uox salutationis tuæ ad aures meas, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Præ gaudio, vtpote sentiens iam hominum salutem, ac de ea gaudens.

Et beata est quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ illi dicta sunt à domino. Beatam prædicat Mariam quæ his fidem habuerit quæ sibi à domino per angelum dicta sunt. Præcognouit enim Elizabet etiam ea quę dicta erant, & quod virgo crediderat. Itaque aliæ quoque steriles genuerant, at nunquam earũ infans prophetica gratia dignus habitus fuerat, quũ adhuc in vtero matris gestaretur. Facta sunt ergo circa hãc sterilem admiranda, vt etiam crederentur quæ circa hanc facta sunt virginem maxime supernaturalia. B

Et ait Maria, Magnificat anima mea dominum. Magnificat, De Ma hoc est, benedicit, glorificat. Est autem hic sermo credentis ac gratias agentis. ria.

Et exultauit spiritus meus in deo saluatore meo. Spiritũ rursus animam intellige. Gauisa est, inquit, anima mea in deo, qui me saluam fecit: iam enim salua facta sum, quæ digna habita sum, vt fierem mater dei. Deinde etiam causam dicit cur gratias agat.

Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Ad vilitatem: se- C ipsam enim deiicit quasi tanta re indignam: vel etiam propter abiectionem humanæ naturæ comparatæ ad sublimitatem diuinæ.

Ecce enim posthac beatam me dicent omnes generationes. Credentium videlicet.

Quia fecit mihi magna qui potens est. Quia fecit in me magna, & supernaturalia miracula, qui ad huiusmodi facienda potens est.

Et sanctum nomen eius. Eximium, magnum.

Et misericordia eius in progeniem & progeniem timentibus eũ.

Quod

D Quod dicitur, In progeniem & progeniem: &, In generationes generationũ, aliaque similia, idem significant quod Semper, apud Hebræos. Dicit ergo, quod etiam misericordia eius semper est in his qui timent ipsum: similia loquens cum Dauid, qui ait, Misericordia domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum. Deinde recensẽt & alias dei virtutes, vt moris est his qui gratias agunt.

Fecit robur per brachium suum. Fecit magnificentiam, fecit victoriam per fortitudinem suam. Nam brachium hoc in loco significat fortitudinẽ. Qui enim in certaminibus pugnant, in brachio fortitudinem habent.

Dispersit superbos cogitatione cordis sui. Superbos in cogitatione cordis sui, superbos apud seipsos.

E *Detraxit potentes à sedibus, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Similia sunt his quæ dixit Anna mater Samuelis, Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & subleuat. Deinceps ergo vaticinatur & de misericordia erga Christianos: dicit enim.

Auxiliatus est Israel puero suo. Visitauit Israeliticum populum suum, seruum suum: Puerum enim dicit nunc seruum.

Vt memor esset misericordiæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in seculum. Auxiliatus est & visitauit vt memor esset misericordiæ in seculum: siue misericordiæ sempiternæ, continuæ. Sicut loquutus est, sicut annuntiauit ad patres nostros. Deinde dicit etiam, quibus loquutus est de

F huiusmodi misericordia, quod videlicet Abraham & semini eius scilicet Isaac & Iacob: profecto & Dauid. His enim vtpote maximè insignibus ænigmatice de hoc annuntiauit. Misericordia vero dicitur incarnatio diuina: vtpote per misericordiam qua misertus est deus, hominibus facta ex semine Abraham dictorumque filiorum, ac ab eo progenitorum, iuxta promissionem ad eos factam. Dubitabit aliquis, quomodo auxiliatus sit deus Israelitico populo, vt memor esset dictæ misericordiæ? Christianis nanque potius auxiliatus est, quàm Iudæis. Cui respondemus, quod vetus Israel antiquus est populus: nouus autem Israel, nouus populus pro illo inductus, hoc est Christianus, qui ex omni gente consistit: hũc ergo Israel hic intellige. Quod si etiam veterem intellexeris,

ita quoq;

ita quoq; sermo cõstabit: propter illum enim potissimum incarnatus est: deinde & ab eis matrem elegit, ac cognatus illorum nũcupatus est, & apud illos docuit, ac miracula operatus est: ideoq; dicebat, Non sum missus nisi ad perditas oues domus Israel. Quia vero in sua venit & sui eum non receperunt. ideo gentes misericordia dignæ habitæ sunt. A Matth. Ioan.1

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus. Per voluntatem videlicet sponsi: Ioseph enim & Zachariam & Elizabet sanctos esse sciebat, & animo lætissimo virginem eis tradidit: non solum quia cognati eius erant, verum etiã quia irreprehensibiles. Mansit autem vsque ad partum Elizabet apud illam, vtpote cognoscentem quod in se agebatur mysterium: & ob id amantem hanc, & ab hac amatam.

Et reuersa est in domum suam. Deuitans eos qui ob natum infantem ad domum Zacharię concurrere debebant. Erat autem & moris vt abscederent virgines quum parituræ erant prægnantes. B

Ipsi autem Elizabet impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quod magnificasset dominus misericordiã suam cum illa, & cõgratulabantur ei. Factumq; est in die octauo uenerunt ut circunciderent puerũ. Secundum legẽ. De præcursore

Et uocabant eum nomine patris sui Zachariam. Plurimi enim filij, patrum nominibus vocati sunt.

Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed uocabitur Ioannes. A spiritu sancto ipsa quoque nomen pueri didicerat: ideo etiam conabatur vt ipse vocaretur Ioannes.

C *Et dixerunt ad illam, Nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quid uellet uocari eum.* Nutu illum interrogabant, vt qui etiam audire non posset, veluti superius manifestatum est. Aiunt enim vno quodã neruo colligatas esse audiendi loquendiq; vires: ideo neque audire posse eos, qui à natiuitate muti sunt. Zachariæ ergo ita fuit ablata loquela, sicut iis qui à natiuitate illa priuati sunt.

Et postulatis tabellis scripsit dicens, Ioannes est nomẽ eius. Postulatis, non per vocem, sed similiter per nutum.

Et mirati sunt uniuersi. Mirati sunt quomodo qui nec audire ab Elizabet, nec ei dicere hoc potuerat, cum ea conueniebat. Verisimile est enim Elizabet certiores illos fecisse, quod non per scripturam hoc vel dixisset vel audisset.

Aperium

D *Apertum est autem repente os eius ac lingua eius, & loquebatur benedicens deum.* Apertum est, hoc est, in vocem solutum est. Manifestum est autem quòd & auditus pariter solutus est. Sicut enim pariter ablatus fuerat, ita quoque pariter solutus est.

Et factus est timor super omnes uicinos eorum. Timor præ admiratione.

Et in tota montana Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc. Quę erant circa miracula facta in impositione nominis pueri, quo modo inopinate in eo parentes conuenerant: & quo pacto à Zacharia mirabiliter ablata erat loquelæ carentia: similiter & quæ à principio ad finem vsq; contigerant.

Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo. Posuerunt hęc
E tanquam admiranda.

Dicentes, Quisnam puer hic erit. Dicentes dubitantium more, aut cogitantes. Operæprecium est autem quærere, quare ablata non est à Zacharia loquelæ carentia quando puer natus est, sed potius quando nomen accepit? Dicimus quod propter angeli vaticinium. Dixerat enim, Et ecce eris mutus nec loqui poteris vsque ad diem quo hæc fient. Siquidem dicens Hæc, duo vtique manifestauit, natiuitatem videlicet ac nomi nis impositionem, non autem solam natiuitatem: vt conueni entia in nomine sit etiam miraculum.

Et manus domini erat cum illo. Virtus ac gratia dei.

e Za- *Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, & prophetauit*
aria. *dicens: Benedictus dominus deus Israël, quia uisitauit & fecit re-*
F *demptionem plebi suæ.* Hæc de Christi incarnatione prophetat: per hanc enim visitauit ac redemit populum suum, non solum à tyrannide hostium inuisibilium, sed etiam visibiliũ, vt videlicet fidem eius superare non possint. Populum suum autem: primo quidem veterem: illo vero non credente, postmodum nouum. Dicit autem ea quæ futura sunt, tanquam ea quæ facta sunt more prophetiæ. Verum quomodo dicitur deus solius Israël, quum non tantum Israëlitarum deus sit, sed & omnium hominum: vtpote omnium creator? Quia cæterorum quidem omnium hominum deus erat, ipsis etiam nolentibus. solorum autem Israëlitarum, vltroneorum, & per cognitionem. Ne turberis autem propter difficultatem eorum quæ à Zacharia dicuntur: nam huiusmodi sunt prophetica:

tentabimus

tentabimus tamen ea iuxta datam nobis intelligentiam ex- A
planare.

Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut loquutus est per os sanctorum prophetarum suorum, qui à seculo fuerunt. Per cornu regnum hic intelligit: quia per cornu reges inungebantur ac designabantur. Aut significat potentiam. In cornu enim fortitudinem habent omnes animantes cornua gerentes. Cornu vero non simpliciter, sed salutis siue salutare: Regnum autem & potentiam salutarem dicit Christum, vtpote regem regnantium, & potentiam patris, ac saluatorem in se credentium. Domum etiam intelligit domum Dauid. Dicit ergo quod instituit nobis populo suo regnum & potẽtiam salutarem è genere Dauid serui sui. A genere enim Dauid descendebat virgo ex qua Christus natus est. Fecit autem hoc B
sicut promiserat per os sanctorum, videlicet prophetarum, qui olim fuerunt. Per ipsos enim promiserat regem exoriturum potentem in domo Dauid saluatorem Israël. Et hoc do- *Psal. 88*
cent multi psalmi Dauid. *& 131.*

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Erexit autem hoc cornu, salutem & redemptionem ab inimicis nostris visibilibus & inuisibilibus.

Vt faceret misericordiam cum patribus nostris, & memor esset testamenti sui sancti. Faciendo misericordiam cum patribus nostris, siue miserendo patrum nostrorum, ad quos facta est promissio salutis nostræ, & per illos habendo huius memoriam. Testamentum enim vocat promissionem: huius autem memoriam, terminationem ac complementum. C

Iusiurandi quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. Vt etiã memor esset iusiurandi quod iurauit, hoc est, confirmationis quam confirmauit ad Abraham patrem nostrum: iusiurandum enim dei, confirmatio est. Indifferenter autem verbum μνησθῆναι à genitiuo transit ad accusatiuum: id enim frequenter in scripturis accidit propheticis, sicut & in ænigmaticis & figuris (idemque fit apud Latinos in vulgata translatione, quum primo dicitur testamenti, & postmodum iusiurandum.) Deinde dicit ad quid fuerit hoc testamentum & confirmatio.

Vt daret nobis quo sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus die-

bus

D *bus uitæ nostræ.* Per hyperbaton est horum ordinatio verborum. Primum autem dicendum est, Vt daret nobis quo sine timore seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ. Deinde quod in medio remansit, De manu inimicorum nostrorũ liberati. Sanctitatem itaq; vocat cultum diuinum: iustitiam vero, reliquarum perfectionem virtutum. Deinde in vaticinio ad filium quoque suum Ioannem digreditur, & ait:

Et tu puer propheta altissimi uocaberis. Et vere omnes prophetam eum nominabant.

Præibis enim ante faciem domini ad parandum uias eius. Dominum hic Christum appellat, quem præcedens Ioannes, vtpote præcursor ac præco eius, quando ad desertum venit Iu-
E dææ parauit vias eius. Quæ autem sint viæ eius diximus ter-
Matth.3. tio capite euangelij secundum Matthæum, vbi habetur. Vox clamantis in deserto, Parate viam domini.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius. Præibis, inquit, ante faciem domini, & cætera, vt des populo ipsius cognitionem salutis, hoc est, ad indicandum ac demonstrandum Iudæis Christum: hic enim salus ipsorum est.

Per remissionem peccatorum eorum. Salutis, inquam, quæ est per remissionem peccatorum eorum, siue quę fit quum remittuntur ac soluuntur illis peccata sua. Sic enim & angelus
Matth.1. ad Ioseph loquutus est, interpretans nomẽ Christi: Ipse enim inquit, saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Per uiscera misericordiæ dei nostri. Per remissionem pecca torum, quæ est per viscera misericordiæ dei nostri, siue quæ
F datur per compassionem misericordiæ ipsius, & non per opera eorum.

Quibus uisitauit nos oriens ex alto. Per quæ viscera misericordiæ, vel propter viscera misericordiæ visitauit nos, siue apparuit oriens solis intellectualis ex alto diuinitatis. Dicit autem Christi apparitionem, quæ nondum erat.

Vt appareret his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Visitauit, inquit, nos, vt appareret, hoc est, vt illucesceret lux veritatis his qui in tenebris erroris sedent. Vmbra vero mortis peccatum est: nam & hoc mortem significat. Sicut enim hæc animæ separatio est: ita quoque peccatum est spiritus sancti expulsio.

Ad diri-

Ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. Vt dirigeret iter A
conuersationis nostræ in viam pacis quæ secundũ deum est.

Puer autem crescebat & corroboratur spiritu. Spiritu diuino.

Et erat in desertis usque ad diem quo demonstrandus esset Israelis Vsque ad diem quo ipsum Israëlitis demonstrari oporteret: quando venit in omnem quæ circa Iordanem erat regionem, prædicans baptismum pœnitentiæ. Oportebat enim eum à teneris, quod aiunt, vnguibus ad virtutem exerceri: vt & libere argueret, & Christi qui à se annunciaretur testis fide dignus esset.

CAPVT PRIMVM DE CENSV CAESARIS.

B

Factum est autem in diebus illis. Exiit edictum à Cæsare Cap.2.
Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Vt censum penderent, vt tributum exoluerent, qui iam Romanorum subiecti erant potestati, quorum princeps erat Cæsar. Præfigurabat autem vniuersi orbis erga Cæsarem subiectio ac descriptio, totius mundi ad Christum subiectionem, ac recensionem eorum qui in cœlos describuntur. Facta est autẽ huiusmodi descriptio, quum nasciturus erat Christus: vt dum omnes in sua metropoli describi oporteret, abiret & virgo in Bethlehem, ac ipsum in ea pareret: & prophetia impleretur quæ ait, Et tu Bethlehẽ terra Iuda nequaquam minima es inter principatus Iuda: ex te C
enim exibit dux qui regat populum meum Israël, de qua ma- Mich.5.
nifeste dictum est capite primo euangelij iuxta Matthæum. Matth.2.

Hæc descriptio prima facta est. Quæ vsque illud tempus facta non erat.

Præside Syriæ Cyrenio. Principatum descripsit Cyrenij, ad significandum quod ipse fecerit Syriæ descriptionem in qua sita est Palæstina.

Et ibant omnes ut describerentur quisque in suam ciuitatem. In tribus suæ metropolim, vt nota fieret cuiusque tribus multitudo.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazaret in Iudæam ad ciuitatem Dauid quæ uocatur Bethlehem, eo quod esset ipse de domo & familia Dauid, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore.

Sibi uxore. Quum Dauid in Bethlehem imperasset, suam appellauit ciuitatem. Simul autem descriptus est Christus, vt eos qui descripti essent in seruitutem principis Cæsaris, liberaret à seruitute diaboli, qui princeps est mundi.

Quæ erat prægnans. De spiritu sancto videlicet, sicut dictum est.

Factum est autem quum essent ibi, completi sunt dies ut ipsa pareret, & peperit filium suum primogenitum. De significatione nominis Primogenitus, tractauimus in fine proœmij euangelij Matth. 1. iuxta Matthæum, vbi dicitur, Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum.

† *Et fasciis eum inuoluit ac reclinauit eum in præsepe* †, *quia non erat eis locus in diuersorio.* Diuersorium dicitur hospitium, E in quo quum non esset locus propter domus angustiam, reclinauit ipsum in præsepe irrationalium quod ibi erat. Futurum enim erat vt verbum pasceret nos verbo euangelij † & ab irrationalitate ac brutalitate affectionum liberaret. Quære autem primo iuxta Matthæum capite enarrationem eius quod dicitur. Et intrantes domum viderunt puerum.

† † *Præsepe est mundus, nos uero irrationalia. Vt ergo nos ab irrationalitate liberaret, ideo uoluit ibi reclinari.*

† † *Non potuimus uno uerbo eam reddere consonantiam uel allusionem quæ pulchre apud Græcos apparet quum dicunt* λόγος ψυχῆ ἄλογος, *hoc est, uerbum siue ratio, & irrationalis.*

CAPVT II. DE PASTORIBVS IN AGRO DEGENTIBVS.

F

ET *pastores erant in ea regione in agro degẽtes & excubantes excubias noctis super gregem suum.* Verbum ἀγραυλεῖν quidam interpretantur ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν in agro tibia canere siue fistula vti. Alij vero ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι, in agro degere, siue pernoctare.

Et ecce angelus domini adstitit illis, & claritas domini circunfulsit illos. Claritatem domini intellige hic diuinum lumen. Circunfulsit autem illos vt angelum domini esse scirent eum qui illis adstaret.

Et timuerunt timore magno. Propter visionis nouitatem.

Dixitq;

Dixitq; illis angelus, Ne timueritis. Ecce annuncio uobis gaudium A *magnum, quod erit omni populo.* Quod autem sit nuntium audito.

Quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Natus est vobis in ciuitate Dauid saluator qui est Christus, vtpote vnctam habens humanitatem suam diuinitate. Dominus autem, vtpote deus. Scribis vero & pharisæis non annunciauit hoc gaudium: quum enim peruersi essent & inuidi, non erant credituri: sed pastoribus, qui versutia ac inuidia carebant, quique veterem patriarcharum viuendi modum apprehenderant. Quia etiam pastor ac dux factus est populi, pastoribus primum ea quæ de se erant mysteria manifestauit. Significatur quoque & aliud: quod videlicet pastoribus rationalium ouium diuina mysteria primum ante alios B reuelantur.

Et hoc uobis signum. Hoc vobis argumentum quod vera dicam.

Inuenietis infantem fasciis inuolutum iacentem in præsepe. Fasciis alligatum vt facias nostrorum soluat peccatorum. Iacebat autem, vt eos qui in peccata ceciderant erigeret.

Et subito facta est cum angelo multitudo cœlestis militiæ. Facta est cum angelo, id est, coniuncta est illi angelo.

Laudantium deum. Laudes canentium vni sanctæ trinitatis diuinitati, propter ordinatam hominum salutem.

Et dicentium, Gloria in altissimis deo. Laus in cœlis deo.

Et in terra pax. Vt hæc hymno siue laudi correspondeat. Quia & in terra pax facta est, quæ in cœlis versabatur, homi- C nibus pacem iam ad deum habentibus. Vel quia etiam in terra dei filius apparuit, qui est pax mundi, mediator dei & hominum factus: qui pacificauit terrestria cœlestibus, dissidentia coniungens, eosq; qui inuicem hostes erant reconcilians. Vel, Et in terra pax: quia omnipotente Christo nato, bellum omne dissolutum est: omnibus simul gentibus Romanorum ditioni subiectis.

In hominibus beneplacitum. In hominibus nunc est quod olim patris erat beneplacitum: hoc autem est vt incarnaretur dei filius, ac saluaretur homo perditus. Nunc enim completum est quod olim illi beneplacuit, siue quod definiuit aut voluit.

G *Et factum*

D *Et factum est postquam discesserunt ab illis angeli in cœlum, & homines pastores dixerunt inter se inuicem: Transeamus iam usque Bethlehem: & uideamus hanc rem quæ accidit, quam dominus notam fecit nobis.* Videamus rem, hoc est, inquiramus factum de nato nobis hodie saluatore. Inquiramus autem hoc, per datum nobis signum.

Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph ac infantem iacentem in præsepe. Quum uidissent autem cognouerunt de uerbo quod dictum erat eis de puero hoc. Cognouerunt siue certiores facti sunt de verbo quod dictum erat eis de puero hoc, quod natus erat populo saluator. †

† *Potius tamen διεγνώρισαν, hoc est, notũ fecerunt, Vel diuulgauerunt. ob id potissimum quod protinus sequitur, Et omnes qui audierunt, mirati sunt, &c.*

E *Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his quæ dicta erant ipsis à pastoribus.* Statim enim annunciauerunt Ioseph & matri pueri quæcunque dicta erant ipsis ab angelo, & de multitudine cœlestis militiæ. Nec his solũ, verum etiam omnibus quibus occurrebant, qui etiam mirabantur de his quę audiebant.

Maria autem conseruabat omnia uerba hæc. Quæ à pastoribus dicta erant. Conseruabat autem apud sese.

Conferens in corde suo. Examinans hæc apud seipsam, & comparans ad Gabrielis ab exordio salutationem, ac sine semine conceptum, & absque doloribus puerperium, partumq; sine corruptione: & paulatim certitudinem suscipiebat perfectiorem.

F *Et reuersi sunt pastores glorificantes ac laudantes deum super omnibus quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad ipsos.* Reuersi sunt ad gregem suum.

Quumque completi essent dies octo ut ipse puer circumcideretur, & uocatum est nomen eius Iesus: quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Quemadmodum apud nos sacerdotes, quando baptizant, tunc etiam nomen imponunt: ita & apud Hebræos quando circuncidunt, tunc etiam nomen imponunt. Dubitabit autem aliquis, quare Christus circunci sus est, qui circuncisioni finem erat impositurus? Cui respondendum est ꝙ hoc secundum dispensationem actum est. Nisi enim circuncisus fuisset, nequaquam eius doctrina suscepta fuisset, sed omnino repudiata, tanquam alienigenæ: neq; credidisset

didisset quispiam ipsum esse Christũ, de semine Abraham ex- A
pectatum. Omnes enim qui ab Abraham descendebant, sigillum ac signum habebant circuncisionis quæ distinguebat illos ab aliis gentibus. Ob hoc itaque circuncisus est. Legem etiam in hoc adimplens, sicut in aliis quoque præceptis legalibus: ne legis transgressor videretur. Hanc autem cessare facit, & valde rationabiliter: Hebræorũ enim circuncisio Christianorum baptisma figurabat, ac præsignabat. Quemadmodum enim illa signabat eos, & ab omni gente distinguebat: ita & hoc Christianos †. Oportebat autem cessare figuram, † 4
veniente exemplari: & quiescere signum, adhibito significato. Nam hoc per seipsum adimplet: & superfluum est, quicquid reliquum est.

† *Et sicut illa superfluam amputat corporis particulam, ita & hoc* B †
amputat peccatum superfluum.

Et quando completi sunt dies purgationis eorũ iuxta legem Mosi. Lex quidem dei erat, vtpote ab eo data. Dicebatur autem & Mosi tanquam ab eo scripta. Iubebat autem, vt quę semen suscepisset ac peperisset masculum, impura haberetur vsque ad quadraginta dies. Hoc autem ordinabat ad requiem matris, ne statim viri suis, quæ peperissent, vxoribus cõmiscerentur: nondũ curato labore, qui parientes cõsequitur. Verum dei genitrix huic certe legi subiecta non erat, eo ꝙ semen non susceperat: obediuit tamen, ne legem transgredi videretur. Purgationis autẽ eorum, puta matris pueri ac sponsi eius: appropriabantur enim & viris purgationes vxorum suarum. Leuiti. 12

Adduxerunt illũ Ierosolyma, ut sisterent eum domino: sicut scriptũ C
est in lege domini: Omne masculinũ adaperiens uuluã, sanctũ domino uocabitur. Sisterẽt siue adferrẽt domino in templũ quod erat Ierosolymis. Scriptũ erat enim in lege: Omne masculinũ adaperiens vuluã: primũ videlicet, hoc est, primogenitũ: sanctũ domino vocabit: siue separatũ domino vocabit. Consecrabantur autẽ Hebræorũ primogenita deo, quia olim primogenita Aegyptiorũ morti tradidit pro libertate Hebræorũ. Sed hęc quidẽ primogenita iam apertã adaperiunt vuluã: aperitur eñ in viri cõgressu, quãdo semen infundit. Solus aũt Christus nondũ apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter seruauit: quia etiã solus hic proprie sanctus est domino, & secundum diuinitatem, quia filius eius: & secundum humaExod. 13. Nume. 8.

D nitatem, vtpote vnitus filio eius. Itaq; licet propter dictã causam de omnibus primogenitis præsens verbum statutum est, solum tamen Christum directè respicit.

Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Adduxerunt eum, inquit, vt sisterent domino sicut dictum est, & vt darent hostiam pro eo, illa scilicet quæ dicta sunt. Iussit enim lex vt darẽt par tur
Leuiti. 12. turum, propter pueri temperantiã: est enim turtur animal castissimum: aut duos pullos columbarum, propter eius fœcunditatem: columba namque fœcundissima est. Erant autem & hæc & illa duplicia. Vnum enim offerebatur in placationem, alterum in oblationem. Verum sicut Christi mater prædictæ legi subiecta non erat, sic nec ipse præsenti.

E

CAPVT III. DE SIMEONE.

ET ecce erat homo in Ierusalem, cui nomen Simeon: & homo hic iustus & pius, expectans cõsolationem Israël. Id est, reuocationem, redemptionem Israëlitici populi à seruitute. Expectabat autem hanc ex libris propheticis Christum annunciantibus, qui noui Israëlitici populi reuocatio est, reuocans eum ab erroris seruitute.

Et spiritus sanctus erat super eum. Spiritus sanctus prophetiæ. Non erat autem sacerdos, vt mihi interim videtur: alias enim & hoc omnino manifestasset euangelista tanquam magnam viri dignitatem.

Et responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem
F *priusquam uideret Christum domini.* Legens enim quodã tempore prophetias quæ de Christo erant, quũ inuenisset q̃ deus incarnandus esset, ad supernaturale mysterium tanquam homo anhelabat: ideo etiam oraculũ siue responsum accepit, se non moriturum, donec ipse Christum oculis videret corporeis. Christum autem domini dixit, propter eius ad patrem similitudinem. Dominum enim intelligit nunc patrem.

Et uenit per spiritum in templum. Motus à spiritu sancto.

Et quum inducerent parentes puerum Iesum, ut ipsi facerent iuxta consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in ulnas suas. Statim enim cognouit eum perspicacissimis oculis.

Et benedixit deum. Qui incarnatus erat.

Et ait:

Et ait: Nunc dimittis seruum tuum domine secundum uerbũ tuum. A Nunc omnino me absoluis à vita, quemadmodum olim dixeras mihi requirenti de tua incarnatione.

In pace. In pace cogitationum. Nunc enim quæ me turbabant de diuina incarnatione cogitationes pacificatæ sunt. Vel, In pace intrepiditatis: quia deinceps mortem non metuam, propter profundam senectutẽ. Vel, In pace gaudij, quia deinceps non contristabor propter libertatem Israëlis: iam enim vidi liberatorem.

Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Nunc dimittis me, inquit, quia vidi incarnationem tuam: hanc enim vocat salutare, vtpote pro hominum salute factam.

Quod parasti ante faciem omnium populorum. Quod salutare dispositi corã omnibus, vt omnibus manifestũ esset, non Iu B dæis tantum, verum etiam aliis gentibus.

Lumen † *ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israel.* † Lumen: quod gentibus errore cæcis visum restituat. Reuelationem enim vocat visus restitutionem. Ad gloriam id quidẽ & nominis celebritatem populi tui Israëlitici. Nam gloria illorum est quod secũdum humanitatem sis ab eis progenitus. Et vere salutaris incarnatio, gentes quidẽ illustrauit illustratione diuinæ cognitionis ac virtutis: Iudæos vero glorificauit, quia cognatus eorum fieri dignatus est.

† *O qui uere lumen & es & diceris, ad reuelatiouem gentium,* † *ad manifestationem affectuum, ad increpationem dæmonum, & gloriam populi tui Israelis, noui uidelicet: in quo per te est destructio malorum quæ sunt præter naturam, & possessio bonorũ quæ sunt secun* C *dum naturam, & acquisitio bonorũ, quæ sunt supra naturam. Vel, uirtus & cognitio diuinitatis.*

Et erant Ioseph & mater eius admirantes super his quæ dicebantur de illo. Mirabantur, non quod tunc primum de illo audissent, sed quod præter ea, quę prius didicerant adhuc mirabiliora præcipiebant.

Et benedixit eis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce
situs est hic in casum † *& in erectionem multorum in Israel.* † In casum his qui ad ea offendunt quæ hominis sunt, qui cadunt in incredulitatem diuinitatis eius: erectionẽ vero his qui adhærent rebus quæ dei sunt. Situs est autem vtpote lapis angularis coniungens ad seipsum duos populos, veterem ac nouũ.

DNam & per Ieſaiam prædixit deus, Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali.

Ieſaiæ.8.

† † *In caſum quidem carnis ſiue carnalis prudentiæ & affectionum ac cogitationũ malarum & dæmonum ac legis literalis. Erectionem uero ſpiritus ſiue ſpiritualis prudentiæ ac naturaliũ potentiarum, uirtutiſq; & cognitionis ac legis ſpiritualis.*

Et in ſignum cui contradicitur. Et in miraculum cui ab infidelibus contradicitur, ſiue contradictionem ſuſtinens: miraculum enim erat, vtpote neque homo tantum, neque deus tantum, ſed deus ſimul & homo (quod Græce vnico dicitur vocabulo θεάνθρωπος) ideoque quaſi rei quæ ſupra naturam eſt contradicunt ij, qui omnia ſecundum naturam inquirunt, nec quicquam ſupernaturale intelligere poſſunt. Quidam vero, Signum cui contradicitur, dicunt crucifixionem: ſignum quidem, quaſi ſymbolũ amoris erga homines: nam hanc propter homines ſuſtinuit: huic vero ab infidelibus contradicitur vtpote rei probroſæ.

E

Et tuam ipſius animam penetrabit gladius. Gladium nominauit dolorem acutiſſimum maximeque diuidentem, qui penetrauit cor matris dei, dum filius eius cruci affixus eſt. De hoc enim cruciatu nunc vaticinatus eſt.

Vt retegantur ex multis cordibus cogitationes. Eorum qui ſuſpicabantur hanc non eſſe illius matrem. Sicut enim multi ad ea reſpicientes quæ hominis ſunt, dicebant hominem tantum eſſe filium Mariæ: ita rurſum alij attendentes ad ea quæ diuinitatis eius erant, ſuſpicabantur quod eſſet tantum deus,

F

nec eſſet hæc mater eius: tunc autem intuentes eam amare dolentem, ac plurimum lugentem, naturæque cedere, crediderunt quod mater eſſet eius: & retegebant ſiue prodebant cogitationes cordium ſuorum, quæ à ſuſpitione proceſſerant.

CAPVT QVARTVM DE ANNA PROPHETISSA.

ERat Anna prophetiſſa filia Phanuel de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis. Prouectæ admodum ætatis ſiue anus.

Et uixerat cum uiro annis ſeptẽ à uirginitate ſua. Et hæc uidua erat ferme annorũ octoginta quatuor: quæ nõ diſcedebat

diſcedebat de templo, ieiuniis ac orationibus ſeruiens nocte ac die. A Ob hoc enim prophetica etiam gratia dotata fuit, quia non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus deo ſeruiẽs nocte ac die.

Et hæc ipſa hora ſuperueniens uiciſſim confitebatur domino. Gratias agebat deo incarnato.

Ac loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem in Ieruſalem. Loquebatur de eo, quod hic eſſet redemptio. Verum Simeon quidem figura erat veteris teſtamẽti, Anna autem noui: inter quos medius poſitus Chriſtus, illud abſoluebat, hoc vero retinebat: oſtendens quod vetus quidem ceſſat, nouum autem viuit.

Et ut perfecerunt omnia quæ ſecundum legem domini erant, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazaret. Omnia quæ B erant circa pueri præſentationem, ac circa hoſtias de quibus iubebat lex. Quære autem primo capite euangelij ſecundum Matthæum dicti illius expoſitionem: Ecce angelus domini Matth.2 apparet in ſomnis Ioſeph dicens, Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.

Puer autem creſcebat & corroborabatur ſpiritu, plenus ſapientia, & gratia dei erat ſuper illum. Quo ad humanitatem hæc omnia intellige. Tanquam puer enim creſcebat ætate: corroborabatur autem aduerſus malitiam, ſpiritu, ſiue vnita ſibi diuinitate. Nam ſpiritus vocatur & diuinitas: implebatur vero ſapientia, tanquã diuinitati vnitus: gratia quoq; vniti ſibi dei erat ſuper illum, quæ ipſum moderabatur, regebat & compo- C nebat. Vel etiã alio modo. Corroborabatur ſpiritu, videlicet ſancto gratia autem dei ſiue patris erat ſuper illũ. Sicut enim incarnatus eſt ex patris beneplacito, ac ſuperueniente ſpiritu ſancto: ita etiam conuerſabatur ac operabatur per beneplacitum patris & cooperationem ſpiritus ſancti.

Et ibant parentes eius quotannis Ieroſolyma in die feſto paſchæ. Et quum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolyma ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisque diebus, quum ipſi redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Finitis diebus, videlicet die feſto paſchæ, diebusq; azymorum. Remanſit autem ſiue relictus eſt in Ieruſalem volẽs commiſceridoctoribus.

Et non cognouit Ioſeph & mater eius. Iuxta diuinam pro-

Duidentiam hoc factum est, ne prohiberent eum quasi puerum & sine literis. †

† † *Ex his uerbis, simulque & ab iis quæ paulo post habentur super eo uerbo, Et uiso eo obstupuerunt, apparet autor sentire, quod uirgo hoc tempore non cognouerit Iesum fuisse deum: non tamen ita sentit, quod patet ex illius dicti enarratione: Et mater eius cõseruabat omnia uerba hæc in corde suo, quod paulo post prædicta sequitur.*

Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt itinere diei, & requirebant illum inter cognatos & notos. Quumque non inuenissent eum, reuersi sunt in Ierusalem quærentes illum. Et factum est post tres dies, inuenerunt illum in templo sedentẽ in medio doctorũ. Vnum quidem diem consumpserunt, quando venerunt itinere diei, & requirebant illum inter cognatos & notos: alterum quando non inuento eo reuersi sunt in Ierusalem quærentes illum: circiter tertium vero tandem inuenerunt illum. in templo inuenitur Christus, siue in sacro loco, & in sacro negotio, ac in sacro homine.

Audientem illos, & interrogantem eos. Audiẽtem & interrogantem de legalibus, vt à puero intelligentia eius cognita foret. Timeamus ergo qui præceptores sumus, quoniã in medio nostrum est Christus, attendens quo pacto doceamus.

Stupebant autẽ omnes qui audiebant eum super intelligentia & responsis eius. Oportebat enim hoc fieri, vt quum postea doceret, facile ab illis reciperetur.

Et uiso eo obstupuerũt. Ioseph videlicet & mater eius. Obstupuerunt autem, non propter intelligentiam tantum & responsa illius, verum etiam propter audaciam.

Et dixit mater eius ad illum, Fili cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Patrem, Ioseph nominauit, vtpote sponsum suum, & illius nutritium. Dolentes autem quærebant illum, propter longam moram & desiderium. Si quis ergo præ desiderio dolẽs quærat eum, inueniet illum.

Et dixit ad illos: Quid est quod me quærebatis? Quasi errantem videlicet: deus enim non errat.

Nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Id est, in domo patris mei. Dicebat autem de templo; quod deo patrique suo à Solomone ædificatum erat. Verum mater eius

eius de adoptiuo patre loquuta fuerat: ipse autem eum qui natura sibi pater erat manifestabat. A

Et ipsi non intellexerunt uerbum quod loquutus est illis. Quod erat de templo.

Et descendit cum eis, uenitq; Nazaret, & erat subditus illis. Docens vt subditi simus, non solum naturalibus parentibus, verum etiam adoptiuis.

Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Quę de templo dixerat ac similia, tanquam verba non simpliciter pueri, sed etiam filij dei. Conseruabat autem examinans apud sese, vtpote quæ non vulgariter dicta erant.

Et Iesus proficiebat † sapientia & ætate ac gratia apud deũ atq; homines. Tanquam puer lege humanæ naturæ paulatim ad hæc proficiebat. Nam vt deus omnino perfectus erat. B †

† *Grego. Theolo. Proficiebat inquit ut ætate, ita & sapiẽtia & gratia. Non hæc accipere oportet per augmentum? Quid enim? Num qui ab initio perfectus erat, perfectior fieri poterat? Sed quod hæc paulatim denudaret ac demonstraret.* †

Anno uero decimoquinto principatus Tiberii Cæsaris. Post prędictum Augustum Tiberius fuit Cæsar Romanorum, hoc est, Imperator. Tunc enim Cæsar rege maior erat: postea vero Cæsaris dignitas depressa est. Significat autem euangelista & tempus Cæsaris qui tunc imperabat, & præsidum, more historiæ, Id enim historicis mos erat. Cap.3.

Pontio Pilato præside Iudææ, Tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lisania Abilenes Tetrarcha. De his accurate dictum est capite secundo euangelij secundum Matthæum, vbi de Ioseph dicitur, Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo timuit illo ire. C Matth. 2.

Sub pontificibus Anna & Caiapha. Atqui eo tempore solus Annas pontifex erat: Caiaphas enim pontifex factus est circiter annum quo crucifixus est saluator. Verum euangelista coniunxit & Caiapham tanquam adiutorem. Erat enim gener eius, & communem inter sese gubernationem habebant, veluti diximus sexagesimoquinto iuxta Matthæum capite, vbi de Petro dicitur. Et ingressus intro sedebat cum ministris. Siquidem etiam Annas postmodum opitulabatur Caiaphæ Matth. 26

Diaphæ in pontificatu ipsius.

CAPVT QVINTVM DE VERBO QVOD FACTVM est ad Ioannem.

FActum est uerbum dei super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & uenit in omnem regionem, quæ circa Iordanem erat. Quære tertio capite euãgelij secundum Matthæum dictum illud, In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ: & lege totam illius verbi enarrationem.

E Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Marci. 1. De his manifeste dictum est in procœmio euangelij secundum Marcum, vbi dicitur, Fuit Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Iesa. 40. † Sicut scriptum est in libro sermonum Iesaiæ prophetæ dicentis: Vox clamantis in deserto †, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Hæc prophetæ verba declarata sunt tertio capite

Matth. 3. euangelij iuxta Matthæum. Quæ vero sequuntur, prophetia est docens, quod æquabit Christus inæqualitatem mũdi, tortuositatem ac asperitatem hominum corrigens, ac delens aratro euangelicorum præceptorum. Ait enim.

† F † Desertum est hic mundus aut humana natura, siue cuiusque anima propter infructuositatem bonorum, quæ à ueteri transgressione prouenit. Vox autem clamantis dicitur morbi sensus, quasi per conscientiam clamans contra ea quæ quisque deliquit, arguendo cordis occulta, & adhortando ad resipiscendum, & etiam ad parandum uiam domini. Præparatio autem est morum & cogitationum ad melius mutatio. Via uero domini, est uita quæ uirtuti secundum deum imitatur. Semitæ quoque uariæ sunt studia secundum deum. Has rectas faciunt, qui recte atque irreprehensibiliter uirtutem sectantur. Bonum enim, inquit, non est bonum nisi recte & bene fiat.

Deute. 16.

† † Omnis uallis † implebitur, & omnis mons & collis deprimetur. Vallis & mons ac collis loca sunt inæqualia & accessu difficilia. Significantur autem per vallem præfracti & ad prauitatem al-

tatem allicientes: vallis enim prærupta est. Per montem & collem elati, duri, ac infructuosi advirtutem. Impletur autem omnis vallis, iniecto eo quod deerat, videlicet pietate ac virtute: deprimitur vero omnis mons & collis, ablato superfluo, puta impietate ac prauitate. Quod autem dicitur Omnis, etsi vniuersale sit, sæpius tamen apud Hebræos non vniuersum significat, sed simpliciter multitudinem. Potest & alio quoque modo vallis quidem illos innuere, qui in profundum perditionis deiecti sunt: qui implebũtur per euangelicã prædicationem. Mons & collis, elatos dæmones, qui deprimẽtur & euertentur à Christo. A

† Vallis est cuiusque caro, quæ multo ac uehementi fluxu affectionum, in modum torrentis demissa, spiritualem animæ continuitatem ac coniunctionem ad dei colligantis legem diuidit. Potest autẽ & anima uallis intelligi, quæ frequenti ac ueloci malarum cogitationum defluxu cauatur, & spiritualis planitiei pulchritudinem per prauitatem abiicit. Omnis ergo huiusmodi uallis per eos implebitur, qui uiam domini parant, hoc est, ad debitum statum perueniet, per prauitatis & ignorantiæ abiectionem, & uirtutis ac scientiæ adiectionem, recipietque decentem naturalium uirtutum ornatum. † B †

† Mons est scientia omnis falsi nominis, elata contra ueram dei scientiam. Collis uero est omnis iniquitas, contra uirtutem erecta, Aut mons significat spiritus, qui falsam producunt scientiam: Collis uero eos qui operantur malitiam, qui omnes deprimentur, deiicientur, diruentur, & auferentur per contrariam scientiam, & oppositam uirtutem. Item alio quoque modo, qui falsæ scientiæ habitum in ueram scientiam, & prauitatis efficaciam in actum uirtutis immutauerit, hic per montium & collium subuersionem, uallium concauitates repleuerit. C

Et obliqua fient directa: & asperæ fient uiæ planæ †. Obliqua sunt viæ peruersæ hominum, & asperæ viæ, opiniones ipsorum: hæc fient recta & plana, ita vt per ea æquabiliter pergant ad Christum. Aut etiam obliquitas & asperitas prauitatis, in rectitudinem & planitiem virtutis immutabitur. Vel alio quoque modo obliquitas & asperitas veteris legis, in rectitudinem ac perfectionem euangelij conuertetur. Veteris quidem legis obliquitas, erat obscuritas ac varietas: † asperitas

Dasperitas vero, austeritas & incompassibilitas. Rursus euangelij rectitudo est claritas ac simplicitas: lenitas autem, mansuetudo & compassibilitas.

† *Obliqua sunt sensuum motiones quæ præter naturam fiunt: directa uero, secundum naturam. Rursum asperæ uiæ sunt tentationum impetus, quæ nobis inuitis accidunt: planæ autem sunt attractiones, quæ per has fiunt in patientia & gratiarum actione: explanat enim & mutat laboriositatem illarum, gratiarum actio cum patientia. Obliqua uero manifestius dici possunt tentationes uoluntariæ, quæ per uoluptatem accidunt: est enim uaria & mutabilis uoluptas. Asperæ autem uiæ dicuntur, quæ per dolorem inuitis nobis accidunt.*

Et uidebit omnis caro salutare dei. Salutare lumen euangelij, vel salutarem incarnationem, quæ ambo præparauit deus E ante faciem omnium populorum.

Dicebat autem populis qui egrediebantur ut baptizarentur ab eo: Progenies uiperarum, quis submonstrauit uobis ut fugeretis à uentura ira? Hæc etiam scripsit Matthæus capite tertio sui euangelij, & in eo declarata sunt.

Facite ergo fructus pœnitentia dignos, & ne cœperitis dicere apud uosipsos, Patrem habemus Abraham: dico enim uobis, quod potest deus ex lapidibus his suscitare filios ipsi Abrahæ. Similiter & hæc.

Iam autem & securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Pari modo & hæc: quære ergo ibi omnium enarrationem. F

CAPVT. VI DE HIS QVI IOANNEM INTERROGABANT.

Et interrogabant eum turbæ dicentes, Quid igitur faciemus? Iussi facere fructus pœnitentia dignos interrogant.

Respondens autem dicit eis: Qui habet duas tunicas tradat non habenti. Tradat nullam omnino habenti: aut habenti quidem, sed inutilem.

Et qui habet escas, similiter faciat. Per traditionem vestis ac cibi inducuntur hi ad pauperum subsidium, communicationem & mutuum amorem. Nihil ergo nunc quod grauius esset, illis præcipit: sciens quod non multo post Christus euangelica

gelica stabiliturus esset præcepta. A

Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad eum, Præceptor quid faciemus? Ille autem dixit eis: Nihil amplius quàm quod constitutum est uobis exigite. Habebant enim constitutum de exactionibus, de quantitate & qualitate exactorum.

Interrogabant autem & milites dicentes: Et *nos quid faciemus? Dixitq; illis: neminem concutiatis, neque calumniemini.* Concutiebant enim & calumniabantur multos quasi à Cæsare deficientes aut insidiatores: eo quod vitam turpiter quæstuosam ducerent. 4

Et contenti estote stipendiis uestris. Tesseris frumentariis. Omnes ergo admonebat diuersimode vt expediebat, perfectiorem doctrinam Christo relinquens. B

Expectante autem populo. Suspicante. deinde interpretatur verbum.

Et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioane, num ipse esset Christus. Respondit Ioannes omnibus. Cogitantibus omnibus, num ipse esset Christus, quem prophetæ annunciabant. Obstupefaciebat enim eos conuersatio ac sermo ipsius. Sciens autem Ioannes hanc eorum opinionem acumine sui spiritus, respondit illam corrigens.

Dicens, Ego *quidem aqua baptizo uos: uenit autem is qui me fortior est, cuius non sum idoneus, ut soluam corrigiam calceamentorum eius* †. Dictum est & de his capite tertio euangelij iuxta † Matthæum. Lege quoque in procemio secundum Marcum enarrationem illius verbi, Venit is qui me fortior est post me. C †

† *Quod Ioannes ait, Non sum dignus ut soluam corrigiam calceamentorum eius: quantum ad manifestiorem intelligentiam, significat se non esse dignum, qui uel numerari dignus sit postremus eius seruus. Quantum autem ad reconditum sensum duo calceamenta domini sunt, duæ eius peregrinationes, puta à cœlo in terram, & à terra ad infernum. Harum enim peregrinationum modos nemo potest soluere, ne si Ioanni quidem sit similis. Quis enim poterit dicere, aut quo modo sit incarnatus, aut quo modo ad infernum descenderit.*

Ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni †. Prædicto tertio capite euangelij secundum Matthæum etiam de eo inuenies. †

† *Baptizat Christus in spiritu sancto fideles, in igne uero infideles:*

D deles: & illud quidem in præsenti uita, hoc autem in futura.

Cuius uentilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & cõgregabit frumentum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Hæc etiã scripsit Matthæus, & similiter enucleata sunt tertio capite euangelij ipsius.

Multa quidem & alia exhortans nũtiabat populo. Multa prẽterea & alia de Christo annuntiabat populo, adhortans vt ad eum accurrerent, & in eum crederent qui iam veniebat. Vel, Multa de salute illorum adhortans eos, vt pœniteret ipsos ac resipiscerent.

Herodes autem Tetrarcha quum argueretur ab eo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecerat Herodes: addidit & hoc super omnia, & recluſit Ioannem in custodia. Post-
E quam videlicet baptizatus fuerat Christus. Dictum est autem
tuth.14 de Ioannis incarceratione vicesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum.

Factum est autem quum baptizatus esset ab eo populus, ut baptizato Iesu ac orante, aperiretur cœlum, descenderetq; spiritus sanctus corporali specie quasi columba super eum, & uox de cœlo fieret dicens, Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacitum est. Baptizatus orabat docens eos qui baptizati sunt orare. Spiritus sanctus autem corporali specie descendit, vt oculis corporalibus hominum videri posset: & etiam in honorem corporis Christi. Sed de eius baptismate planius scripsit Matthæus tertio capite. & ibi sunt omnia ad verbum explanata.

† Et ipse Iesus erat ferme annorum triginta. † De his pulchre
F dictum est in principio dicti tertij capitis vbi habetur. Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.

† † Tricẽnarius hic numerus & temporis & naturæ sensibilis, naturæq; intelligibilis, creatorem ac gubernatorem inducit dominũ. Tẽporis quidem per septem, tempus enim per septem dies procedit. Naturæ autem sensibilis per quinque: sunt enim quinque sensus. Naturæ uero intelligibilis per octo. paululum enim supra tẽpus, quod per septem procedit, est intelligibilium generatio. Gubernatorem uero per decem, propter denarium præceptorum numerũ, qui homines ad beatitudinem inducit. Aut ideo, quia litera iota quæ decem significat, principium est humanæ appellationis domini, scilicet nominis ιησοῦς. Cõiungens itaque septem quinque octo & decem, trisesimum efficies numerum, qui prædictas res mystice ac ænigmatice designat.

Incedens.

Incedens. Veniens, sese demonstrando ad populum ma- A
nifesta conuersatione, per signa videlicet & doctrinam.

Vt putabatur, filius Ioseph. Vt putabatur à Iudæis, vt enim veritas habebat, non erat filius eius. Vbi autem de Ioseph fecit mentionem, ascendit & ad patrem Ioseph, deinde etiam ad auum eius, & ad proauum ac abauum: & ita consequenter regrediens ascendit vsque Adam. Dictum est autem de huiusmodi genealogia in primordiis genealogiæ quæ apud Matthæum est, vbi dicitur, Filij Dauid, filij Abraham: & ibi Mat.1.
quære causam diuersitatis earum.

Qui fuit Eli. Ioseph filij Eli. Verum quomodo Matthæus Ioseph filium dixit Iacob, Lucas autem nunc filium Eli? Quia mortuo Eli sine prole, Iacob qui frater eius ex eadem matre erat, sumpta illius vxore iuxta legis præceptum, genuit B
Ioseph. & factus est Ioseph lege quidem filius Eli, natura vero filius Iacob. Itaque Matthæus naturalem eius patrem scripsit, Lucas vero legalem, vtrinque enim Ioseph inuenitur generis relationem habere à Dauid.

Qui fuit Matthan. Ipsius Eli filij Matthan †. Sed quomodo rursum Matthæus Matthan dicit patrem Iacob, Lucas autem nunc patrem dicit Eli? Quia alius fuit Matthan iste & alius ille. Matrem siquidem ipsius Eli & Iacob primum duxit in vxorem hic Matthan, de quo Lucas, & genuit Eli: deinde iam viduam duxit hanc Matthan ille qui apud Matthæum ponitur, quum esset de eadem tribu, quanquam de alia cognatione, & genuit Iacob. Eli itaque & Iacob C
ab eadem nati sunt matre, diuersis tamen patribus. Reducunt autem genus, Matthan quidem pater Eli ad Resa filium Zorobabel, Matthan vero pater Iacob ad Abiud similiter filium Zorobabel, & vterque ad Zorobabel, à quo duo hæc genera diuisa sunt. Alia quoque similia in euangelistarum genealogiis habentur.

† Veram nominum huius genealogiæ orthographiam ad He- †
bræorum fontem reductam in nostris annotationibus de uaria exemplariorum lectione in huius libri exordio inuenies circa hunc locum.

Qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianna, qui fuit Ioseph, qui fuit Mattathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naũ, qui fuit Esli, qui fuit Naggæ, qui fuit Naath, qui fuit Mattathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph

D Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohaanan, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri. Salathiel Matthæus filiũ Iechoniæ nominauit, vtpote naturalem eius filium: Lucas vero nunc filium Neri tanquam legalem. Reducunt autem & hi genus, Neri quidem ad Nathan filium Dauid, Iechonias vero ad Solomonem filium similiter Dauid, & rursus vterque ad Dauid.

Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmodam, qui fuit, Er, qui fuit Iose, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit, Iuda, qui Ioseph, qui fuit Iohanan, qui fuit Eliacim, qui fuit Melea, qui fuit Mainan, qui fuit Mattatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iessæ, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui
E fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iuda, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Nachor, qui fuit Seruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech qui fuit Mathusalẽ, quit fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Moleleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam. A nouo Adam incipiens ascendit generationem texendo vsque ad veterem. Causam autem didicisti in primordiis genealogiæ quam retexit Matthæus vbi dicitur, Fili Dauid, fili Abraham.

* Qui fuit dei. Ipsius Adam qui fuit à deo. Neque enim ipsi Adam s. it pater homo, sed deus formauit eum. Vide autem quòd à Christi inchoans humanitate, sermonem reduxit ad
F eius diuinitatem: demonstrans Christum vt hominem quidem incepisse, vt deum vero carere principio.

CAPVT. VII. DE TENTATIONIBVS IESV.

Cap 4. IEsus autem plenus spiritu sancto reuersus est à Iordane, & ductus est à spiritu in desertũ: ac diebus quadraginta tentabatur à diabolo. Plenus spiritu sancto, vt sciam° quod spiritum sanctum accipimus in diuino baptismate. Lege autem tertio capite euangelij secundum Matthæum expositionẽ illius dicti, Tunc ductus est Iesus in desertum à spiritu vt tentaretur à diabolo. Matth.3

Scire

Scire autem oportet, quod humanitas Saluatoris tãquam magistrum habuit spiritum sanctum, non quodvnita sibi diuinitas non sufficeret, sed quemadmodum patris beneplacito incarnatus est, ita cooperatione spiritus sancti totius vitæ ipsius curriculum peractum est, vt demonstraretur quod eiusdem sint inter se naturæ. A

Nihilq; comedit in diebus illis: & completis eis postea esuriit. Dixitque ad eum diabolus: Si filius dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondens Iesus ait illi: Scriptum est: Non in pane solo uiuet homo, sed in omni uerbo dei. Ibi & hæc omnia ad verbum declarata sunt. Deut.8 Matth.4

Et subduxit eum diabolus in montem excelsum: & ostendit ei omnia regna mundi in momento temporis, dixitq; ei diabolus: tibi dabo potestatem hanc uniuersam, & gloriam eorum: quia mihi tradita est, & cuicunque uolo do eam. Tu igitur si prouolutus coram me adoraueris, erunt tua omnia. Et respondens dixit illi Iesus, Abi post me satana. Scriptum est enim, Dominum deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Etiam de his omnibus illo capite manifestissimè dictũ est, vbi habetur, Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. B Deut.6

Duxitq; eum Ierosolyma, ac statuit eum super pinnaculum templi, & ait illi, Si filius dei es, mitte teipsum hinc deorsum. Scriptum est enim, Angelis suis mandabit de te, ut seruent te, & in manibus portabunt te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens dixit illi Iesus, Dictum est, Non tentabis dominum deum tuum. Similiter & hæc illo capite conuenienter explanata sunt, vbi dicitur, Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem. Psal.90 Deut.6

Quumq; expleuisset omnem tentationem diabolus, discessit ab eo usq; ad tempus. Dictum est & de hoc ibidem, vbi habetur, Tunc dimisit eum diabolus. C

Et reuersus est Iesus in uirtute spiritus in Galilæam. In virtute vnitæ sibi diuinitatis, vel etiam sancti spiritus: vt discamus quod qui diabolum vicerit, deinceps confirmatur diuino spiritu ad facienda signa.

Et fama exiuit per uniuersam regionem uicinam de illo: ipse autẽ docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus. Laudabatur à turbis quæ malitia ac inuidia carebant.

Et uenit Nazaret ubi erat nutritus. Dictum est de hoc vicesimoquarto capite euangelij secundum Matthæum post si- Matt.13

H nem

Dnem parabolarum.

Et ingressus est iuxta consuetudinem suam in synagogam, surrexitq; ut legeret. Adhortantibus eum præceptoribus populi, quòd & ipse præceptor esset: vel vt cognoscerent vtrum legere nosset, quum literas non didicisset.

Iesa.61 *Et traditus est ei liber Iesaiæ prophetæ: aperto q; libro inuenit locum in quo scriptum erat: Spiritus domini super me.* Per prouidentiam suam inuenit statim, quæ de diuinitate sua dicta erant: prius enim ipse hæc per prophetam fuerat loquutus. Dicit autem tanquam homo: Diuinitas domini siue filij super me Iesum, hoc est, deus vnitus est mihi. Hoc nanque loco per spiritum intellige diuinitatem. Spiritus autem domini super me, vt homines saluos faciam: id enim deficit & subauditur, sicut manifestum est ab eo quod sequitur.

E *Propter quod unxit me.* Cuius causa, cuius gratia, vnxit me hominem deus: vnxit autem me non oleo, sicut reges ipsos vngebant, sed diuinitate.

Ad euangelizandũ pauperibus misit me. Pater videlicet. Pauperes autem vocat gentiles, vtpote diuini cultus diuitias non habentes, omniq; bono carẽtes. Aut etiam Iudæos, qui virtute pauperes erant, quibus simul omnibus euangelizauit cultum diuinum ac conuersationem quæ secundum virtutem est, idq; per euangelium.

Ad sanandum contritos corde. Eosdem, quibus grauitate peccatorum cor contritum erat.

Ad prædicandũ captiuis remissionem & cæcis uisum. Captiuis quorũ anima à diabolo ducta est in captiuitatem. Cæcis vero
F hoc est, excæcatis mente ab affectionibus. Prædicabat autem, his quidem libertatẽ, illis vero intelligentiã, quando tradebat euãgelica præcepta. Siquidem illa sunt prædicatio saluatoris.

Ad dimittendũ confractos per remissionem. Ad absoluendum per libertatem confractos tyrannide dæmonum.

Ad prædicandum annum domini acceptum. Annum vocauit tempus quo docebat ac miracula operabatur. Acceptum vero dixit, vtpote super omnem annum patri acceptabilem. Eo enim tempore salus omnium hominum germinauit. Aut salutare euangelium. Prædicabat autem hunc annum postquã tentatus fuerat ac tentatorem superauerat & reuersus erat.
Mat.3 Ab eo enim tempore cœpit, inquit, Iesus prædicare & dicere, Resipiscite,

Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Nam Instat, tem- A
poris significatiuum est.

Quumq; clausum librum reddidisset ministro, resedit. Ministro scilicet doctorum.

Et omnium qui erant in synagoga, oculi defixi erant in eum. Vt audirent quomodo interpretaretur ea quæ legerat.

Cœpit autem dicere ad illos, Hodie completa est scriptura hæc in auribus uestris. Scriptura hæc: vt subaudiatur, Quæ sonuit, in auribus vestris. Hodie vero, hoc est his diebus. Hoc autem dicens, significabat sese eum esse de quo loquebantur quę lecta erant.

Et omnes testimonium illi dabant, & admirabantur super sermonibus gratiæ, qui procedebant de ore eius. Dixit enim & alia B
admiranda, de quibus mirabantur, & testimonium ei dabant de gratia diuina.

Et dicebant, Nonne hic est filius Ioseph? Quære de hoc dicto capite vbi hæc clare ponuntur. Matth.13

Et ait illis, Omnino dicetis mihi parabolam hanc: Medice cura teipsum: Quæcunque audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua. Parabolam, dicit hic prouerbium, prouerbium inquam, quod dici solet de medicis ægrotantibns. Medice cura teipsum. Dixit autem hoc, cognito quod cupidi essent videndi signa. Ait ergo, Omnino dicetis mihi, Medice cura teipsum, siue patriam tuam quæ ægrotat, non solum prauis corporis habitibus, verum etiam infidelitate animæ, nec credere
C valet signis, quæ à te facta esse audiuit, nisi etiam oculis similia videat.

Dixit autem, Amen dico uobis, Nullus propheta acceptus est in patria sua. Prædicto vicesimoquarto capite euangelij iuxta Matthæum accurate etiam de hoc dictum est.

In ueritate autem dico uobis, Multæ uiduæ erant in diebus Eliæ 4.Reg.5
in Israel quando clausum est cœlũ annis tribus & mensibus sex, sic ut facta sit fames magna super uniuersam terram, & ad nullam illarũ missus est Elias, nisi in Sarephtha Sidonis ad mulierem uiduam. Ostendit hoc signo quòd indigni sint signorũ propter insensatam illorũ incredulitatẽ. Quemadmodũ enim & Elias quũ multæ essent apud Israelitas viduę, ad nullam illarũ missus est à deo, quod indigne essent vt ad eas accederet: ad solã aũt illã venit, quæ in Sarephtha ciuitate Sidonis regiõis habitabat,

D propter illius honestatem & promptitudinem ad virtutem, licet alienigena esset: & miraculum apud eam operatus est, sicut ostendit tertius liber Regum. Ita quoq; ipse ad nullũ horum qui indigni erant veniebat signa facturus: ꝙ non solum inutile esset, verum etiã blasphemiæ occasio, sed ad solos eos, qui per ea iuuandi erant, & quos futurum erat vt pœniteret.

Et multi leprosi erant tempore Elisæi prophetæ, & nullus eorum
4.Reg.5 *curatus est, nisi Naaman Syrus.* Idem quoque præsenti manifestauit exemplo.

Et repleti sunt omnes qui in synagoga erant ira audientes hæc: & surgentes eiecerunt eũ extra ciuitatem, duxeruntq; illum usq; ad uerticem montis, super quem ciuitas sua ædificata erat, ut præcipitarent eum. Hinc ostenderunt seipsos esse signis indignos: &
E Saluatoris sermonem qui de hoc factus erat, ab eo quod facere conabantur, confirmarunt.

Ipse autem transiens, per medium illorum ibat. Seruatus ab vnita sibi diuinitate.

Et descendit Capernaum ciuitatem Galilææ, docebatq; eos sabbatis, & stupebant super doctrina eius, quia per autoritatem erat ser-
Mat.7 *mo illius.* Scripsit & hoc Matthæus in fine quinti capitis: quære ergo ibi enarrationem.

CAPVT VIII. DE HABENTE SPIRITVM DAEMONIACVM.

F *ET in synagoga erat homo habens spiritum dæmonis immundi, & exclamauit uoce magna dicens: Ea quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? uenisti ut perdas nos? noui te quis sis, nempe sanctus ille dei.* Hæc & Mar
Mar.1 cus primo scripsit capite, & in eo ad verbum declarata sunt.

Et increpauit eum Iesus dicens, Obmutesce & exi ab eo. Et quum proiecisset illum in medium, exiuit ab eo, nihilq; illi nocuit. Similiter & hæc.

Et factus est pauor super eos, ac colloquebantur inuicem dicentes, Quod est hoc uerbum, quod cum autoritate ac potestate imperat spiritibus immundis & exeunt? Similiter & hæc.

Et egrediebatur sonus de eo in omnem locũ finitimæ regionis.
Mat.4 Dictum est de hoc, quarto iuxta Matthæum capite.

CAPVT

CAPVT IX. DE SOCRV PETRI. A

QVumq; surrexisset de synagoga ingressus est domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt eũ pro illa: & astans præcepit febri: & dimisit illam, ac continuo surgens ministrabat illis. ἠρώτησαν, non significat interrogauerunt, sed rogauerunt, sicut alibi dictũ est. Similiter ἐπετίμησε non est hic proprie increpauit, sed præcepit, quod etiã alio loco dictũ est. Quæ vero sunt de socru Simonis Petri, manifeste declarata inuenies octauo capite euãgelij secundũ Matthæum. Mat.8

CAPVT. X. DE CVRATIS A VARIIS MORBIS.

B QVum sol autẽ esset in occasu, omnes qui habebant infirmos uariis ægritudinibus, ducebant illos ad eũ. At ille singulis eorum manibus impositis curabat eos. Dictum est de his in principio noni capitis euangelij secundum Matthæum.

Exibant autem & dæmonia à multis clamantia & dicentia, Tu es Christus filius dei. Et obturato illis ore, non sinebat ea loqui, quod nossent ipsum esse Christum. ἐπιτιμῶν non est hic proprie increpans, sed silentium illis imponens. Lege autem tertio capite euangelij secundum Marcum dicti illius expositionem, Et Marci.1
non sinebat loqui dæmonia.

Facto autem die egressus iuit in desertum locum. Dictum est C de hoc eodem loco.

Et turbæ requirebant eum: uenerũtq; usq; ad ipsum, ac detinebant illum ne discederet ab eis. Illo capite de his dictum est.

Ipse autem dixit eis, Aliis etiam ciuitatibus oportet me annunciare regnum dei: quia ad hoc missus sum. Et prædicabat in synagogis
Galilææ. Similiter & de his omnibus.

Factum est autem quum turba immineret ei, ut audiret sermonem Cap.5
eius: & ipse stabat iuxta lacum Genneſaret, & uidit duas naues stãtes iuxta lacum. Vna quidem erat Simonis & Andreæ, altera vero Iacobi & Ioannis: hi siquidem socij in piscatione erant, prout in sequentibus inueniemus.

D *Piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia.* Nempe Simon & Andreas, Iacobus & Ioannes. Atqui Matthæus ait hos in principio prædicatiõis reliquisse piscatoria omnia, & sequutos esse Christum. Verum die quidem sequebantur Christum, nocte vero piscatoria exercebant: nondum ingenue in Christi familiam alciti: eo quod propria detinerẽtur verecundia. Verisimile est autem id vna nocte factũ aut duabus, & non amplius.

Ingressus autem in unam nauium quæ erat Simonis, iussit ei ut à terra abduceret pusillum. Verbum ἠρώτησεν, nec hic significat interrogauit, sed iussit.

Et sedens docebat de naui turbas. Docebat de naui ne in eũ docentem irruerent: videretque omnes coram facie stantes.

E Hoc autem aliâs etiam fecit, veluti dixit Matthæus vicesimo-
Matth.13 tertio capite.

CAPVT. XI. DE CAPTVRA PISCIVM.

T *autem cessauit loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam.* Sciens quod tota nocte nihil ceperant, adhortabatur vt nũc laxarent retia: quo cognita firmius eius potentia, maiorem de eo fidem conciperent: relictaq; deinceps capturæ magnitudine, continue eum sequerentur.

Et respondens Simon dixit ei: Præceptor tota nocte laborantes ni-
F *hil cœpimus: ad uerbũ tamen tuum laxabo rete. Quumq; hoc fecisset, concluserunt multitudinem piscium copiosam: rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis qui erant in altera naui, ut uenientes adiuuarent eos: & uenerunt ac impleuerunt ambas naues, ita ut ipsæ mergerentur.* Nutu eos vocauerunt, quum præ stupore & timore loqui non possent.

Videns autem Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens. Exi à me domine, quia uir peccator sum. Intellexit quòd præceptum eius admirando modo operatum erat, quodq; diuinus ac supernaturalis homo esset: & magna illius reuerentia, suíque correptione repressus, indignum sese ducebat. Eius itaq; deuitabat præsentiam, timens ne quando periclitaretur, eo quod talis talem ausus fuisset suscipere.

Stupor

Stupor *enim circundederat eum & omnes qui cum eo erant, su-* A
per captura piscium quam comprehenderant. Verisimile enim est non solum fratrem Andream secum habuisse, verum etiã mercenarios: sicut etiam de Iacobo & Ioanne docuit Marcus Marci.1.
circa finem sui procœmij.

Similiter autem & Iacobum ac Ioannem filios Zebedæi qui erant socii Simonis. Et dixit ad Simonem Iesus: Noli timere: posthac homines captabis. Abundans captura piscium, typus erat copiosæ hominum capturæ, ac præsignatio magnæ illorum multitudinis, qui ab Apostolis irretiendi erant, quorum sensibilem capturam ad intellectualem transtulit Christus. Posthac, inquit, mutata tibi piscatione, homines captabis. Considerandum autem & iuxta anagogen, quæ ad præsens faciunt propositum. Ante Christi sane peregrinationem, nox erat er- B
roris & ignorantiæ rectæ fidei: in qua prophetæ laborantes nullum obedientem acceperant: eo quod essent facinorosi rationales illi pisces & fugerent. Quando autem ortus est sol iustitiæ, hominum illuminans animas: tunc ab Apostolis laxata sunt retia doctrinæ prædicationis euangelicæ: & concluserunt multitudinem copiosam rationalium piscium, greges videlicet gentium. Participes vero ac socij capturæ apostolicæ sunt episcopi ac magistri singularum ecclesiarũ, qui suo labore coopitulantur Apostolis.

Et deducentes nauigia in terram relictis omnibus sequuti sunt eũ. Nunc perfecte sequuti sunt eum.

CAPVT XII. DE LEPROSO.

C

T *factum est dum esset ipse in una ciuitatum: ecce uir plenus lepra uiso Iesu procidit in faciem: & deprecabatur eum dicens: Domine si uis potes me mundare.* De hoc dictum est sexto capite euangelij secundum Matthæum. Matth.8

Et extenta manu tetigit eum dicens, Volo, Mundare. Et confestim discessit ab eo lepra. Et ipse præcepit ei, ut nemini diceret. Ibi etiam hæc declarata sunt.

Sed abi & ostende te sacerdoti, ac offer pro emundatione tui sicut cõstituit Moses. Sed abi inquit: Deficit enĩ inquit, extra ordinem secus sumendum. Inuenies autem horum quoq; enarrationẽ

D prædicto capite.

In testimonium illis. Similiter & præsentis verbi.

Peruagabatur autem magis rumor de illo: & conueniebant turbæ multæ ut audirent ac sanarentur ab illo de infirmitatibus suis. Ipse uero in secessu agebat in desertis & orabat. Oportet ergo & nos quum præclari aliquid agimus fugere, ne ab hominibus celebremur: orare vero vt nobis donum & gratia conseruetur.

Factumq; est uno dierum, & ipse sedebat docens. In hac oratione, Et ipse erat docens: abundat, &, Hebraice autem linguę
Marci.2. hoc peculiare est, & sæpius apud Lucam. Marcus vero etiam addidit vbi tunc erat docens, nempe in domo.

Et sedebant pharisæi ac legisdoctores, qui uenerant ab omni uico Galilææ & Iudææ ac Ierusalem. Qui vndiq; aduenerant pro-
E pter famam eius.

Et uirtus domini erat ad sanandum eos. Virtus dei erat cum eo ad sanandum turbas. Virtutem autem domini dixit ob continuam & autoritatis plenam sanationem.

CAPVT XIII. DE PARALYTICO.

ET ecce uiri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre ac ponere coram illo.
Matth.9. De hoc manifeste dictum est decimotertio capite iuxta Matthæum.

Quumque non inuenissent qua illum inferrent præ
F *turba.* Qua via, per quem ingressum.

Conscenso tecto per tegulas demiserunt eum cum lectulo in medium ante Iesum. Et intuitus fidem illorum, dixit ei, Homo remissa sunt tibi peccata tua. In illo etiam de his dictum est.

Cœperuntque disceptare scribæ & pharisæi dicentes, Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus deus? Similiter & de his.

Cognita autem Iesus disceptatione eorum, respondens dixit ad eos. Quid disceptatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius dicere, Remissa sunt tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Pari modo & de his.

Vt autem sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, dixit paralytico, Tibi dico, Surge & sublato lectulo tuo,

lo tuo, uade in domum tuam. Et repente surgens coram eis sublato eo A
in quo iacebat, abiit in domum suam glorificans deum. Et stupor apprehendit uniuersos, ac glorificabant deum. Ibi etiam hæc omnia diligenter enucleata sunt.

Impletique sunt timore dicentes, Vidimus admiranda hodie. Admiranda quippe timorem solent immittere peccatoribus: ne quo modo patiantur aliquid mali propter peccata sua.

CAP. XIIII. DE LEVI PVBLICANO.

ET post hæc egressus est, uiditque publicanũ nomine Leuin sedentem in telonio: & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus surgens sequutus est eum. Dictum est de hoc decimoquarto capite euangelij secundum B
Matthæum.

Fecitque ei conuiuium magnum Leuis in domo sua. Et erat turba magna publicanorum ac aliorum qui accumbebant cum eo. Eodem capite etiam hæc manifestata sunt. δοχὴ autem quod hic ponitur idem significat quod ἐπιδοχὴ vel ἕστασις, conuiuium, opulum, vel prandium.

Et murmurabant scribæ qui inter eos erant & pharisæi ad discipulos eius dicentes, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Ibi & de his disputatum est.

Et respondens Iesus dixit ad eos, Non opus est sanis medico, sed male habentibus. Non ueni ut uocem iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Præterea & de his omnibus.

At illi dixerunt ad eum, Quare discipuli Ioannis crebro ieiunant, C
& precationes faciunt, similiter & pharisæorum, tui uero edunt ac bibunt? Eodem capite hæc enarrationem sortita sunt.

Ille uero dixit ad eos, Num facere potestis ut filii sponsi, quamdiu cum eis est sponsus, ieiunent? Per interrogationem hoc legendum est. Dictum est autem & de hoc in eodem loco.

Venient autem dies quum auferatur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Similiter & de his.

Dicebat autem & similitudinem ad eos: Nemo immissurã uestimẽti noui immittit in uestimentum uetus: sin autem, & nouum scindit, & ueteri non conuenit immissura à nouo. Etiam hæc inde facile cognoscuntur. Nouum autem non scinditur, sed ipsum potius scindit vetus.

Et nullus

D *Et nullus mittit uinum nouum in utres ueteres: sin autem, rumpit uinum nouum utres, & ipsum effunditur, utresque pereunt: sed uinũ nouum in utres nouos mittendum est, & utraque conseruantur.* Similiter & hæc omnia.

Et nemo qui biberit uetus, statim uult nouũ: Dicit enim, Vetus melius est. Ostendit quod nullus vetustati legis assuetus, statim potest euangelij ferre nouitatem. Putat enim illud melius esse ac vtilius, propter consuetudinem.

Cap.6. *Factum est autem in sabbatho secundo primo, ut ipse transiret per sata.* Sabbathum simpliciter omne festum vocant Hebræi propter requiem. Nunc autem dicit festum azymorum. Hoc itaq; sabbathum vocabatur secundo primum, tanquam secundum quidem à pascha, primum vero ab azymis. Post festum
E enim paschæ festum azymorum peragebant quod primus erat septem dierum quibus vescebantur azymis.

Et uellebant discipuli eius spicas, edebantque confricantes manibus. Quære vicesimo capite euangelij secundum Matthæũ
Matth.12 enarrationem illius dicti, In illo tempore ibat Iesus sabbathis per segetes. Non oportet autem propter tempus hæsitare. Quum enim calidissima sit Palestinę regio, fructus producit præcoces.

Quidam autem phariſæorum dixerunt eis, Quid facitis quod non licet facere sabbathis? Et respondens dixit ad illos Iesus, Neque hoc
Reg.21 *legistis quod fecit Dauid quando esuriit ipse & qui secum erant? quomodo ingressus est domum dei, panesque propositionis accepit, & comedit, deditque & his qui secum erant, quos non licet edere ni-*
F *si solis sacerdotibus?* Eodem capite de his omnibus inuenies.

Et dicebat illis, Dominus est filius hominis etiam sabbathi. Ibi & hoc post pauca positum est.

CAPVT XV. DE HABENTE DEXTRAM MANVM aridam.

FActum est autem ut altero quoque sabbatho ingrederetur synagogam & doceret. Et erat ibi homo, manusque eius dextera erat arida. Observabant autem scribæ & pharisæi an sabbatho curaret, ut inuenirent unde accusarent

sarent eum. De hoc dictum est vicesimoprimo capite euan- A
gelij iuxta Matthæum.

Ipse uero sciebat cogitationes eorum, & ait homini manũ aridam habenti: Surge & sta in medium. Ille uero erectus stetit. Dixit ergo Iesus ad eos, Interrogabo uos: Quid? Licet sabbathis benefacere an malefacere? animam saluam facere an occidere? Et circunspectis omnibus ipsis, dixit illi: Extende manum tuam. Ille autem fecit, & restituta est manus eius sana sicut altera. In eodem etiam de his omnibus diligenter diximus. Animam vero intellige hominem, à parte videlicet totum.

At illi dementia repleti sunt, & mutuo colloquebantur, quid nam ipsi Iesu facerent. Ibi quoque de his dictum est in enarratione dicti illius, Pharisæi vero cœperunt consilium aduersus
eum. B

Factum est autem in his diebus, exiuit in montem ad orandum: eratque pernoctans in oratione dei. Quumque factus esset dies, aduocauit discipulos suos. Quære in euangelio iuxta Marcum e- Marci.
narrationem principij octaui capitis, vbi & hæc pulchre ac succincte habentur.

CAPVT XVI. DE ELECTIONE DVODECIM APOSTOLORVM.

ET elegit duodecim ex eis, quos & Apostolos nominauit: Simonem quem & Petrum nominauit, & Andream fratrem eius: Iacobum & Ioannem: Philippum & Bartholomæum: Matthæum & Thomam: Iacobum Alphæi filium, & Simonem qui dicebatur Zelotes: Iudam Iacobi, C
& Iudam Iscariotem, qui etiam proditor euasit. Decimonono capite euangelij secundum Matthęum inuenies de ordine ho Matth.
rum nominum Apostolorum, vbi dicitur, Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc.

Quumque descendisset cum eis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, copiosaque populi multitudo, ab omni Iudæa & Ierusalem, ac maritima Tyro & Sidone, qui uenerant ut audirent eum, ac sanarentur ab infirmitatibus suis: & qui uexabantur à spiritibus immundis curabantur, omnisque turba quærebat eum tangere: quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Virtus ab illo egrediebatur diuina, sanans illos, qui vel tetigissent ipsum.

Caput

CAPVT. XVII. DE BEATITVDINIBVS.

ET ipse eleuatis oculis suis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes, quoniam uestrum est regnum dei. Aliæ sunt hæ beatitudines ab his quæ suprascriptę sunt in euangelio iuxta Matthæum. Illas siquidem dixit, vbi in montem cõscendisset ac resedisset: has vero quum descendisset, stetissetque in loco campestri. Et ibi quidē pauperes spiritu, siue animo humiles beatos dixit: hic autem simpliciter pauperes, eos videlicet qui diuitiarū amore non tenentur, eos qui voluntarie pauperes sunt.

E Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Similiter quoque esurientes ac sitientes iustitiam beatificauit, siue iustitiam vehementer appetentes: hic autem simpliciter esurientes, eos videlicet qui voluntaria esuriunt paupertate, gratoq; sustinent animo, qui æternis saturabuntur delitiis.

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Qui flent non vtcunque, sed vel pro suis peccatis, vel pro aliorum afflictionibus: & vt vno absoluam verbo, qui secundum deum flent. Hi autem in futuro ridebunt seculo, hoc est, spiritualiter gaudebunt: gaudij enim signum est risus.

Beati eritis quum uos oderint homines, & quum separauerint & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum propter filium hominis. Quum prædicta vobis fecerint, non propter aliquod malum quod in vobis sit, sed propter me, & quia vos mei estis.

Gaudete in illo die & exultate: ecce enim merces uestra multa est in cœlo. Gaudete spiritualiter.

Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Secũdum ea quæ dicta sunt, puta odio habentes, & separantes siue segregantes sese ab illis, & cætera quæ sequuntur. Patres autē eorum, puta Iudæorum, qui vobis hæc facturi sunt.

Veruntamen uæ uobis diuitibus quia habetis cõsolationem uestrā. Postquam beatificauit pauperes & esurientes ac flentes, & odio habitos ac segregatos, opprobriisq; ac conuitiis propter se affectos: deplorat deinceps eos qui contrario modo se habent, vt per beatificationem ad illa adhortetur, per deplorationem vero ab his auertat. Diuites autem dicit nunc auaros, diuitiis

diuitiis intabescentes, maleque tabescentes. ἀπέχετε autem, habetis siue auferti sonat: vel ab hoc tempore siue ab ipsis diuitiis accipitis. A

Væ uobis qui impleti estis, quia esurietis. Qui saturati estis in præsenti vita, quia esurietis in futura, ne vna quidem consolatione fruentes.

Væ uobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. Qui ridetis nunc immoderate, quia flebitis. Intensio autem ipsius luctus est fletus: aut luctus est tacita lamentatio: fletus vero, ea quæ auditur.

Væ quum laudauerint uos homines. Quum mali sitis, Væ vobis, inquit, quum laudauerint vos tanquam illis placentes & non deo. Sicut enim beatus est, qui iniuste contumeliis afficitur, ita rursum miser est, qui iniuste laudatur. B

Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Secundum hæc, videlicet eodem modo laudantes, tanquam ad beneplacitum suum prophetantes.

Sed uobis dico qui auditis. Qui mihi assentitis & obedientes estis.

Diligite inimicos uestros. Dixit hoc quoque capite quinto euangelij secundum Matthæum vbi habetur, Audistis quod dictum sit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Benefacite his qui uos oderunt: benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. Hæc etiam ibi dixit.

Percutienti te in maxillam præbe & alteram: & ab eo qui aufert C pallium tutum, etiam tunicam ne prohibueris. In illo capite etiã horum quære enarrationem, vbi ante prædicta habetur, Audistis quod dictum sit, Oculum pro oculo, dentem pro dente.

Omni autem exigenti abs te tribue. Similiter & huius data est interpretatio.

Et ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne repoſcas. Hoc manifeste expositum est.

Et quemadmodum uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite illis. Matth. Rursus in eo capite quære dicti illius interpretationē. Omnia ergo quęcunque vultis vt faciant vobis homines, hęc & vos facite ipsis.

Et si diligitis eos qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? etenim etiã peccatores diligunt diligentes se. Matth. Ibi quoq; hoc inuenies.

Et si bene-

D *Et si benefeceritis his qui uobis benefaciunt, quæ uobis est gratia? siquidem peccatores hoc ipsum faciunt.* Nam id retributio est, non beneficium.

† *Et si mutuum dederitis his à quibus speratis uos recepturos, quæ uobis est gratia?* † *Siquidem & peccatores peccatoribus dant mutuũ, ut paria referant.* Et hoc manifestum est.

† † *Et quale mutuum est à quo non expectatur spes receptionis? Erga eum quidem qui mutuum accipit donum est, eo quod non sit spes receptionis: erga deum uero mutuum est propter spem retributionis.* Qui

ouer.19 *miseretur inquit pauperis, fœneratur, siue mutuum dat deo.*

Verũtamen diligite inimicos uestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces uestra multa. Nihil ab il-

E lis sperantes vos accepturos. Repetiuit autem sermonem, cõfirmans huiusmodi præceptum.

Et eritis filii altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos ac malos. Bonus est simul erga omnes. Dicto autem capite ait, Vt efficiamini filij patris vestri qui in cœlis est, quia solem suum oriri facit super malos ac bonos, & pluit super iustos ac iniustos.

Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Et hoc manifestum est.

Et nolite iudicare, ut non iudicemini: nolite cõdemnare, ut nõ con-

atth.7. *demnemini: remittite, & remittetur uobis.* Dictum est etiam, Nolite iudicare, prædicto capite.

Date & dabitur uobis. Date ac præstate omne genus be-

F neficij.

Mensuram bonam, confertam, & concussam, ac superexundantem dabunt in sinum uestrum. Metaphorica loquutio est. Solent enim qui triticum bene metiuntur, superpositis modio manibus, deorsum illud premere, concutere vt descendat, & adiicere donec supereffundatur. Reddent autem huiusmodi mẽsuram beneficij, ij sane qui beneficio affecti sunt. Deo enim pro ipsis rependente, ipsi rependere videntur. Hãc vero illis reddent, qui liberaliter eis mutuum dederunt.

Eadem enim mensura qua metimini, metientur alii uobis. Eadem beneficij mensura qua metimini, mutuo illud dantes his qui indigent.

† *Dixit autem illis similitudinem, Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadẽt?* Dixit etiam hoc vicesimo-

octauo

octauo capite euangelij secundum Matthæum, sed de pharisæis, hic autem de omnibus dixit simpliciter, qui obscuratos habent animæ oculos, & eos docere conantur, qui similiter affecti sunt: primum enim videre opus est, deinde ducatum aliis præstare. A Matth.15

Non est discipulus super magistrum suum. Et hoc rursum de- Matth.10
cimonono iuxta Matthæum capite de seipso dixit: hic autem de discipulis hoc ait, quos præceptores cõstituit, vt nullus super eos efferatur, putans supergredi virtutem illorum.

Perfectus autem erit, sicut magister suus. Dixit enim prædicto quoq; decimonono capite. Sufficit discipulo vt fiat sicut magister suus.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem uero quæ in B
proprio oculo est non consideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater permitte eiiciam festucam de oculo tuo, quum ipse trabem in oculo tuo non uideas? Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut eiicias festucam de oculo fratris tui. Dicta sunt omnia quinto iuxta Matthæum capite: ibi ergo quære Matth.7
explanationem.

Non est enim arbor bona, quæ fructum facit uitiosum: neque arbor est uitiosa, quæ fructum facit bonum. Vnaquæq; enim arbor à proprio fructu cognoscitur. Similiter & hęc. Attamen ibi de seductoribus: hic autem de his qui purgati sunt, & alios purgãt: & de his qui quum immundi sint, alios tamen mũdare tentant. Hos autem per similitudinem appellauit arbores: fructũ vero operationes illorum. Et admonet, vt ad horũ operationes attẽdamus, quæ sunt fructus, & non ad verba quæ sunt folia. C

Non enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo uindemiant uuam. Non colligunt neq; vindemiãt talia è talibus homines. Rursum autem exemplo confirmat sermonẽ. Sicut enim hoc prẽter naturam est & impossibile: ita sane & illud.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia nãque cordis loquitur os eius. De his qui benedicunt aut maledicunt fratribus nunc loquitur. Dixit autem hæc etiam vigesi- Matth.
mosecundo capite euangelij iuxta Matthæum: & ibi quære de his.

Quid autem uocatis me domine domine, & non facitis quæ dico?
Quære quinto iuxta Matthæum capite dicti illius enarra- Matth.
tionem,

Dtionem, Non omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est.

Omnis qui uenit ad me, & audit sermones meos, facitque eos, ostẽdam uobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, posuitque fundamentum super petram. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, nec ualuit eam mouere: fundata enim erat super petram. Hæc etiam dixit circa finẽ quinti capitis euangelij secundum Matthæum: & in eo lege interpretationẽ loci illius: Omnis ergo qui audit hos sermones meos, & facit eos, assimilabo eum viro prudenti. Sed ibi quidem compendiose dictum est, Qui ædificauit domum suam super
E petram, hic autem latius. Qui fodit in altum, quod ad iaciendum fundamentum, præcedens est: & ad solam acceptum est emphasim diligenter fundamentũ ponentis. Innundatio vero fluminis est multitudo ac vehementia tentationum.

Qui autẽ audiuit & non fecit, similis est homini qui ædificauit domũ suam super terram absq; fundamento, cui illisum est flumen, statimq; cecidit: & facta est ruina domus illius magna. Etiã hæc ibi manifestata sunt. Ruina vero casus est ac dissolutio.

Cap.7. *Quum autem consummasset omnia uerba sua audiente populo, intrauit Capernaum.* Omnia verba sua, quæ videlicet dicta sunt. Ait enim Matthæus, Et factum est quum finisset Iesus hos sermones.

F

CAPVT DECIMVMOCTAVVM
DE CENTVRIONE.

Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat iamiamque moriturus, qui erat illi charus. Quum uero audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, deprecans eum ut ueniret ac sanaret seruum ipsius.

Et hic ἐρωτῶν idem significat quod deprecãs. De
Matth.8. hoc autem dictum est septimo iuxta Matthæum capite. Lege ergo totius capitis illius enarrationem, & potissimum in fine, vt scias quod non repugnent euangelistarum dicta etsi videantur.

Qui quum uenissent ad Iesum studiose deprecabantur eum dicentes, Dignus est ut hoc illi præstes. Hoc, quid nam? puta venire ac

re ac sanare seruum eius. A

Diligit enim gentem nostram, & synagogã ipse ædificauit nobis. Synagoga hęc habitaculum erat, in quo congregabantur statutis à lege diebus.

Iesus autem ibat cum illis. Quumque iam non longe à domo abesset, misit ad eum Centurio amicos dicens, Domine noli uexari. Ne distraharis, ne molesteris.

Non enim sum idoneus ut sub tectum meum intres: sed dic uerbo, & sanabitur puer meus. Hæc etiam dixit Matthæus, & declarata sunt prædicto capite.

Siquidem ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, ac uadit: & alii, Veni, ac uenit: & seruo meo fac hoc, & facit. Similiter & hæc. B

His autem auditis Iesus admiratus est eum, & conuersus sequenti se turbæ ait: Dico uobis, Ne in Israel quidem tantam fidem inueni. Pari modo & hæc.

Et reuersi qui missi fuerant in domum, inuenerunt seruum, qui lãguerat, sanum. De hoc rursum inuenies in calce enarrationis, quæ posita est ad finem dicti capitis.

CAPVT. XIX. DE FILIO VIDVAE.

Et factũ est deinceps, ibat in ciuitatẽ quæ uocatur Nain, & ibãt cum eo discipuli eius multi ac turba copiosa. Vt autem appropinquauit portæ ciuitatis, ecce defunctus ef C *ferebatur, qui fuerat filius unigenitus matri suæ, & hæc uidua erat: turbaque ciuitatis multa cum illa.* Condolebant enim illi, vt quæ non modo virum perdiderat, sed nunc quoque filium, & hunc vnigenitum.

Et intuitus eam dominus miseratione motus est super illam. Intuitus eam inconsolabiliter flentem. Si enim turba miserebatur, quanto magis qui fons erat misericordiæ?

Dixitq; illi, Noli flere. Et accedens tetigit loculum. Arculam in qua iacebat mortuus.

Qui uero portabant, substiterũt. Et ait, Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui fuerat mortuus, cœpitque loqui, & dedit illum matri suæ. Quemadmodum ferrum quod in igne aliquanto tempore permansit, habet ignis operationes: ita quoque sancta ipsius caro

D sius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis sunt operabat. Ideo manus quidem mortuum ac desertum corpus coniunxit: vox autem recedentem animam reuocauit.

Accepit autem timor uniuersos, & glorificabant deum dicentes, Propheta magnus surrexit in nobis, & uisitauit deus plebem suam.

1.Reg.17 Olim siquidem propheta Elias filium Sarephthanæ viduæ suscitauit, sed deplorando erga deum, ipsumque precando.

2.Reg.4 Et propheta Elisæus filium Somanitidis, sed extensus super eum, totus super totum. Hic vero tangés solum ac iubens, statim excitauit. Propter hoc itaq; dicebant, Propheta magnus, sed ingrati postmodum ipsum occiderunt.

Egressusq; est hic sermo in uniuersam Iudæam de illo, & in omnem finitimam regionem. E Sermo miraculi, & quod propheta magnus surrexisset.

Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his: aduocatiq; Ioannes duobus è discipulis suis, misit ad Iesum dicens, Tu es ille qui uenturus erat, an alium expectamus? De his exacte dictum est

Matth.11. vicesimo iuxta Matthæum capite.

CAPVT. XX. DE DISCIPVLIS MISSIS A IOANNE.

QVum uenissent autem uiri ad eum, dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te dicens, Tu es ille qui uenturus erat, an alium expectamus? In ipsa uero hora curauit F *multos à morbis ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum. Et respondens Iesus ait illis, Euntes renũtiate Ioanni, quæ uidistis & audistis: quod cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgũt, pauperibus annuntiatur euangelium: & beatus est quicunq; non acceperit offendiculum mei causa.* De his quoq; omnibus in illo capite dictum est manifeste. Plagas autem siue flagella, intellige dolores. Sunt enim morbi quidam dolore carẽtes: veluti sunt cæcitas, surditas, mutum esse, ac multi huiusmodi.

Quumq; discessissent Ioannis nuntii, cœpit ad turbas dicere de Ioanne. Dictio ἀγγέλων significat hic internuntiantes, siue nuntia perferentes à Ioanne ad Christum.

Quid existis ut uideretis in desertum? arundinem uento agitatam? Sed quid existis ut uideretis? hominem mollibus uestibus amictũ? Ecce

qui uestitu spendido uestiuntur, & in deliciis agunt, in aulis regum A *sunt. Sed quid existis ut uideretis? prophetã? utiq; dico uobis & plusquam prophetam. Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum* Malac.3. *meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.* Similiter & de his omnibus ad verbum dictum est.

Dico enim uobis: in his qui è mulieribus nati sunt, maior Ioanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno dei, maior est illo. Et hæc quoq; pulchrã ibidẽ sortita sunt interpretationem.

Omnisq; popul⁹ qui audiuit & publicani, iustificauerũt deũ, baptizati baptismate Ioannis. Iustificauerunt siue gratias ei egerũt, qui baptistã sibi miserat, prouidens ipsorũ saluti. Christi autẽ & hic sermo est, sicut etiam dictum quod sequitur.

Pharisæi uero & legisperiti consiliũ dei spreuerunt in semetipsis, B *non baptizati baptismate Ioannis.* Consilium dei vocat ipsum baptisma tanquam dei præcepto factum. Factum est, inquit, Supra.3. verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto: & venit in omnem regionem, quæ circa Iordanem erat, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. In semetipsis autẽ. Nam εἰς ἑαυτοὺς capitur pro ἐν ἑαυτοῖς.

Cui autem assimilabo homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inuicẽ, ac dicentibus: Tibia cecinimus uobis, & non saltastis: lugubria cãtauimus uobis, & non planxistis. Venit enim Ioannes neq; panem edẽs, neq; uinum bibens, & dicitis dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibens, & dicitis, En hominem comedonem, ac uini potorem, amicum publicanorum ac peccatorum. Et iustificata est sapientia à fi- C *liis suis omnibus.* Prædicto vigesimo capite de his omnibus ac singulis inuenies.

Inuitabat autem illum quidam è pharisæis, ut ederet cum ipso. Similiter & hic ἠρώτα non significat interrogabat, sed vocabat: nam tanquam prophetam, eum ad conuiuium vocabat vel inuitabat.

Et ingressus domum pharisæi accubuit. Non deuitauit hũc, ne daret occasionem dicendi, quod cum publicanis & peccatoribus vnà cibum caperet: pharisæos autem fastidiret.

CAPVT. XXI. DE EA QVAE VNXIT DOMINVM VNGVENTO.

ET ecce mulier quæ erat peccatrix in ciuitate, ut cognouit quod Iesus accubuisset in domo pharisæi, allato alabastro unguenti, & stans ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius. Matth. 26 Quære in euangelio secundum Matthæum enarrationem sexagesimiseundi capitis. Hæc autē mulier quum Christi miracula partim ipsa vidisset, partim ab his qui viderāt audisset: deum esse credidit eum, qui hæc operabatur: ideo etiā venit, sperans remissionem peccatorum suorum se acceptura. Con-
E sidera vero magnam huius reuerentiam. Stetit enim ad extremas corporis illius partes, tanquam extrema: & à tergo, tanquam audacia carens: flebat quidem propter peccata sua: rigabat autem pedes illius lachrymis, vtpote ad pedes eius inclinata.

Et capillis capitis sui extergebat. Extergebat eos, quos lachrymis madidos reddiderat. Christus quum rei causam nosset, sustinebat: vt etiam fides eius feruorq; pœnitentiæ appareret, & vt merito pro his rebus, quod quærebat, acciperet.

Et deosculabatur pedes eius, ac unguento ungebat. Osculabatur quidem ipsos, tanquam eius qui petitionem suā adimplere poterat, siue tanquam dei: vngebat vero vnguento, plusquam humano modo hunc honorans, qui plusquam
F homo erat.

Intuitus autem pharisæus qui uocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utiq; quæ & qualis sit mulier quæ tangit eū, quia peccatrix est. Offendiculū passus hæc dicebat, ignorans quod quum deus esset, propter peccatores homo factus erat. Neque autem Iudas hic murmurabat, neque cæteri discipuli: siquidem ille morbo auaritiæ nondū captus erat: isti vero necdum sermones de pauperibus infixos habebant.

Et respondens Iesus dixit ad eum, Simon habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait, Magister dic. Pharisæus intra semetipsum de eo offensus erat, quod meretricem admitteret, nec sciret esse peccatricem: ipse vero hoc cognito, maius quiddam facit, quàm sit prophetæ, detegens ei arcanum cogitationis suæ. Itaque exemplo demonstrat quod etiam hoc nosset, ac iuste

eam

eam admitteret propter magnam ipsius dilectionem, quæ à A
fide & pœnitentia procedebat.

Duo debitores erant cuidā creditori: unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. Quum autem illi non essent soluendo, condonauit utriq;. Dic ergo, Vter horum plus eum diliget? Et respondens Simon dixit: Existimo quod is cui plus cōdonauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Hinc intelligendum dedit, quod veluti narrat exemplum, ita sane & tu tanquam is qui paucis obnoxius est suppliciis, parum me dilexisti: hæc vero vt quæ multis erat obnoxia, vehementer me dilexit, vt multum sibi remitteretur: ideo quoque congruum mihi est, vt ei tanquam vehemēter diligenti, multum remittam. Multum autem, intellige hic
B vniuersum debitum.

Et conuersus ad mulierem ait Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculū mihi non dedisti: hæc autē ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguēto unxit pedes meos. Tu quidem ea etiā quæ facilia erant non fecisti: hæc vero quæ etiam difficilia sunt operata est. Vide autem quòd ab his vnde prius suam ipsa venabatur perditionem, ab eisdē nunc venata est salutem: lachrymis enim amatoriis, & capillis curiosius concinnatis ac vnguento, lasciuos iuuenes demētabat: quę vero primum fuerunt instrumenta peccati, ea nunc fecit instrumenta virtutis. C

Propter quod dico tibi: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Multa equidem, quum illa multa haberet, & omnia remissa sunt.

Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Hoc dixit reprehendens Simonem.

Dixit autem ad illam: Remissa sunt peccata tua. Dixit hoc illi, vt certior ipsa redderetur, & ipse donaret indigenti quod illa petebat.

Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra sese: Quis est hic qui etiam peccata remittit? Hoc & alij dixerunt quando paralyticum curauit. Supra. 5

Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace. Eodem modo loquutus est ad eam quæ sanguinis profluuio laborabat, quemadmodum vigesimosexto prę̄sentis euangelij

infra.8. capite inuenies. Vtinam autem contingeret, vt & anima mea
D fornicaria, siue voluptatum amatrix, pœnitentia pungeretur, & lachrymis abluerer fœtorem ipsius peccati, ac suauem ad deum deferret odorem vnguenti ipsius virtutis.

Cap.8. *Factumq; est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates ac uicos, annuncians regnum dei.* Denuntians quod fruitio diuina, requiesq; sempiterna donarentur in ipsum credentibus.

Et duodecim cum eo. Simul erant cum eo.

Ac mulieres quædam quæ curatæ erant à spiritibus malis & infirmitatibus: Maria quæ uocatur Magdalene de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, ac Susanna, aliæque multæ: quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Quum
E enim beneficiis ab eo affectæ essent, non discesserunt ab eo. Septem dæmonia quidam pro multis interpretantur. Cõsuetum est namque apud Hebræos Septẽ vocare quę multa sunt, Procuratorem vero Herodis intellige œconomum & dispensatorem rerum ipsius.

CAPVT. XXII. DE SEMINANTE PARABOLA.

Vum autem turba multa conueniret, & de singulis ciuitatibus properarẽt ad eũ, dixit per similitudinem: Exiit
F *qui seminabat ad seminandum semen suum, Et dum seminaret, aliud cecidit iuxta uiam, & conculcatũ est, & uolucres cœli etiam comederũt illud. Et aliud cecidit super petram: & enatum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: & simul enatæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & enatum fecit fructum centuplum.* De hac semẽtis parabola latius scripsit Matthæus vigesimoquar-
atth.13. to capite. & ibi de his omnibus quære.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures ad audiendum audiat. De his etiam ibi dictum est.

Interrogabãt autẽ eũ discipuli eius, quæ esset hæc parabola. At ille dixit: Vobis datũ est nosse mysteria regni dei. Similiter & de his.

arci.4. *Cæteris autem in parabolis.* Marcus vero planius scripsit dicens: His autẽ qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. Et horum quære expositionem nono eius capite.

Vt uidentes non cernant, & audientes non intelligant. Ibi & hæc declarata sunt.

Est autem

Est autem hæc parabola. Hæc, id est talis iuxta interpreta- A
tionem.

Semen est sermo dei. Sermo fidei euangelicus.

Qui autem iuxta uiam: hi sunt, qui audiunt: deinde uenit diabolus, ac tollit sermonem de corde eorum, ne credentes salui fiant. Prædicto vigesimoquarto capite ait Matthæus: Quum quiuis audiuit verbum regni, nec intelligit: venit ille malus, & rapit quod seminatum est in corde ipsius: hic est qui iuxta viam seminatus fuit. Et lege vniuersam illorum expositionem, vnde & præsentia facile erit cognoscere.

Qui uero super petram. Qui ad petram, hi sunt videlicet de quibus dicturus est,

Qui quum audierint, cum gaudio excipiunt sermonem, & hi radicem non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Eodem capite etiam hæc inuenies. B

Quod autem in spinas cecidit hi sunt. Hoc est, In his est. Qualibus his? Audi.

Qui audierunt uerbum, & sub solicitudinibus & diuitiis ac uoluptatibus euntes suffocantur, nec referunt fructum. Sub solicitudinibus & diuitiis ac voluptatibus: hoc est cum solicitudinibus ac voluptatibus euntes siue conuersantes. In eo etiam de his dictum est.

Quod uero in terram bonam, hi sunt qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam. Similiter & de his.

Nemo quum accenderit lucernam, operit eam uase, aut sub lecto ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Hæc debito modo declarata sunt quinto cap. euãgelij secũd. Matth.
Matthæũ vbi post beatitudines ponitur, Vos estis lux mundi: C
ad Apostolos enĩ dicta sunt, quanq̃ ad oẽs cõmunia videãtur.

Non est enim occultum, quod manifestum nõ sit futurum, neq; absconditum, quod nõ sit cognoscendũ, & in propatulum uenturũ. Decimonono capite dicit Matthæus, Nihil tectũ est. quin sit de- Matt.1
tegendum: & nihil occultum est, quin futurum sit vt sciatur. Et lege eorum enarrationem. Verisimile est autem quod variis temporibus Christus similia dixerit: ideo etiam diuersis euãgeliorum locis posita sunt. Quidam autem dicunt sermonem hunc de occulta dici virtute, quæ omnino manifestanda est tempore retributionis: quanquam in præsenti quoque

D vita frequentius hoc fiat.

Videte ergo quomodo audiatis. Attendite quomodo his quę à me dicuntur animum aduertatis: oportet enim diligenter & cum studio hæc audire, quum allegorica sint ac sublimia, & non temere aut casu dicta.

Quisquis enim habuerit, dabitur illi. Quicunque habuerit studium ac diligentiam, dabitur illi horum cognitio.

Quisquis uero nō habuerit, etiam quod habere uidetur, tolletur ab eo. Nono capite dicit & Marcus, Quicunque habuerit, dabitur ei, & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo: illorum ergo lege interpretationem.

Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant accedere ad eum propter turbam. Dictum est de his in fine vi-
Luc.12 E gesimitertij capitis euangelij secundum Matthæum.

Et nuntiatum est illi dictumque, Mater tua & fratres tui stant foris uolentes te uidere. At ille respondens dixit ad eos, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem dei audiunt, ac faciunt. Ibi etiam de his omnibus exacte disseruimus.

CAPVT. XXIII. DE INCREPATIONE VENTI AC TEMPESTATIS maris.

ET accidit uno dierum, & ipse ascendit in nauim ac discipuli eius, & ait ad illos, Transeamus in ulteriorem ripam stagni. Et soluerunt. Nauigantibus autem illis, obdormiuit: & ingruit procella uenti in stagnū, & implebantur ac periclitabantur. Horū interpretatio-
F nem quære in enarratione vndecimi capitis euangelij secundum Matthæum. Implebantur autem, puta aqua.

Porro accedētes excitauerunt eum dicētes, Præceptor præceptor perimus. Ipse uero excitatus increpauit uentum, ac tempestatem aquæ, & cessauerunt, factaq; est tranquillitas. Omnia in eo capite conuenienter manifestata sunt.

Dixit autem eis, Vbi est fides uestra? Quæ de hoc est, quod seruem à periculis, quodque perire non possint, qui saluatorem secum habent.

Territi uero admirabantur dicentes inter se, Quisnam est hic? quia & uētis imperat & aquæ, & obediunt ei. Etiam de his similiter ibi disputatum est.

CAPVT

CAPVT. XXIIII. DE LEGIONE DAEMONVM.

A

ET nauigauerunt ad regionem Gadarenorum, quæ est è regione Galilææ. Quum autem exisset ipse in terram, occurrit ei uir quidam è ciuitate, qui habebat dæmonia à temporibus multis: & uestimento non induebatur, nec in domo manebat, sed in monumentis. Intuitus autē Iesum quum exclamasset procidit ante eum, & clamauit uoce magna dicens, Quid mihi rei tecum est Iesu fili dei excelsi? obsecro te ne me torqueas. In enarratione duodecimi iuxta Matthæum capitis de hoc manifeste dictum est. Multitudo vero inhabitantium in eo dæmonum, tanquam vnum propter communica- B tionem, obsecrabat vtens ore hominis.

Præcipiebat enim impuro spiritui, ut exiret ab homine. Tanquam vni imperabat multis dęmonibus, propter illorum imbecillitatem: vel etiam quia omnes simul, legio vocabantur: siue quod vnus esset princeps cæterorum: qui etiam obsecrabat, & cui Christus imperabat, tanquam aliis eum sequentibus.

Frequenter enim corripuerat illum: & uinciebatur catenis, ac compedibus custodiebatur: & uincula rumpens, agebatur à dæmone in deserta. A dæmone qui cæterorum, qui secum erant, princeps erat.

Interrogauit autē eum Iesus dicens, Quod tibi nomē est? At ille dixit, Legio. Quia dæmonia multa ingressa erant in eum. Et deprecabantur eum ne iuberet ipsis ut in abyssum irent. Hæc omnia C scripsit Marcus, & horum enarrationem quære vndecimo ca- Marci.5 pite euangelij quod ille conscripsit.

Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret ipsis in illos introire. Et permisit ipsis. Egressa uero dæmonia ab homine, intrauerunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. Prædicto duodecimo capite euangelij secundum Matthæum de his omnibus inuenies.

Quum autem uidissent pastores quod acciderat, fugerunt, ac renuntiauerunt in ciuitatem ac uillas. Similiter & de his.

Exierunt autem ut uiderent quod contigerat: uenerūntque ad Iesum: & inuenerunt sedentem hominem à quo dæmonia exierant,

D rant, ueſtitum ac ſanæ mentis, ad pedes Ieſu, & timuerunt. Matthæus dixit quod exierunt in occurſum Ieſu: ſiquidem ipſe veniebat in ciuitatem. Lucas vero nunc oſtendit, quod ipſe non ambulabat: nam ſi progrediebatur, nequaquam is, qui à dæmoniis liberatus fuerat, ad pedes Ieſu ſedebat. Manifeſtum ergo eſt, quod dum iret in ciuitatem ſtetit quodam in loco docens: is autem qui curatus fuerat, tanquam tyrannide dæmonum miſere afflictus ac defatigatus, ſedere iuſſus eſt.

Nuntiauerunt autem eis & qui uiderant, quomodo ſanus factus eſſet is, qui à dæmonio agitabatur. Et rogauerunt eum omnis multitudo adiacentium Gadarenorum, ut diſcederet ab ipſis, quia magno timore tenebantur. Duodecimo iuxta Matthæum capite, hęc E pulchre declarata ſunt. Et hic ἠρώτησαν, idem eſt quod rogabant.

Ipſe uero conſcenſo nauigio, reuerſus eſt. Orabat autem eum uir, à quo dæmonia exierant, ut eſſet cum eo. At Ieſus remiſit eum dicens, Reuertere in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit deus. Et abiit per totam ciuitatem prædicans, quanta ſibi feciſſet Ieſus. De his ſcripſit Marcus vndecimo capite, & ibi inuenies quare orabat eum vir vt cum ipſo eſſet, & quam ob cauſam remiſit eum Ieſus, ac de aliis diligenter tractata.

Factum eſt autem dum reuerteretur Ieſus, excepit eum turba: erant enim omnes expectantes eum. Tãquam bene de eis meritum ac ſaluatorem.

F

CAPVT VICESIMVMQVINTVM DE FILIA Archiſynagogi.

ET ecce uenit uir cui nomen Iairus, & ipſe princeps erat ſynagogæ, & procidens ad pedes Ieſu, deprecabatur eum, ut intraret in domum ſuam, quia filia unigenita illi erat ferme annorum duodecim, & hæc moriebatur. De his pulchre dictum eſt decimo-
Matth.9 quinto iuxta Matthæum capite.

Inter eundem autem turbæ coartabant eum. Conſtringebant, cõprimebant impellentes circa eum.

CAPVT

CAPVT. XXVI. DE MVLIERE PROFLVVIO SANGVInis laborante.

A

ET mulier quæ erat in profluuio ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem ſubſtantiam, nec ab ullo potuerat curari: acceſſit retro, ac tetigit fimbriam ueſtimenti eius: & protinus ſiſtebatur fluxus ſanguinis eius. Ab annis duodecim, id eſt annos duodecim: hoc enim ſignificauerunt priores euãgeliſtę. Marcus vero addidit, quod non ſolum à medicis in nullo adiuta fuerat, verũ etiam magis in deterius venerat. Quid ſit autẽ fimbria, dictum eſt decimoſexto capite euangelij ſecundum Matthęum. Præterea dicit Matthæus veniſſe ipſam in turba à B tergo, hoc eſt immiſcuiſſe ſe turbæ, quod latere niteretur. Sed cur manifeſte nõ tetigit? Quia ſeipſam immundam eſſe ſciebat, & eum qui mundus erat palam tangere formidabat, quũ à lege prohiberetur. Quare autem à longinquo ſtans nõ petebat ſanitatem? Quia verebatur huiuſmodi morbum publicare. Simul etiam timebat, ne quo modo agnita à turba repelleretur propter ſuam impuritatem.

Et ait Ieſus, Quis me tetigit? Interrogauit, non quod ignoraret, ſed vt illa, cognito quod non lateret prout ſperauerat, ſanitatem furtim non ſubriperet, ſed hanc ab ipſo vltroneo auferret, confitendo quæ circa ſe facta eſſent: & ita nota fierent his qui Chriſtum ſequebantur, & mulieris fides, & Chri C ſti virtus, quem nihil latere poteſt: ac multi & fidem illius imitarentur, & timerent huius omnipotentiam, omniumque ſcientiam. Præterea vt archiſynagogus à præſenti miraculo maiorem conciperet fidutiam.

Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum eo erant: Præceptor turbæ comprimunt ac coarctant te, & tu dicis, Quis me tetigit? Petrus de ſimplici contactu Chriſtum loqui exiſtimabat, quo omnes qui ſequebantur tangebant eũ, impulſi ac coarctati circa ipſum, & ita conſtringebant eum: ipſe vero de tali non loquebatur, ſed de eo qui fide factus erat. Quum enim tunc multi caſu eum comprimendo tangerent, ſolum huius ſenſit contactum, qui à fide procedebat.

Ieſus uero ait, Tetigit me quiſpiam. Quia nondum confeſſa

D fessa erat mulier timore perterrita, expectabat ipse dicens, Tetigit me quispiam: vt videns ipsa huius quasi stuporem, sua sponte quod factum erat confiteretur, & ipsa miraculum prædicaret.

Ego enim sensi uirtutem quæ à me exiit. Virtutem, videlicet sanandi, quam attraxit fides mulieris. Dixit autem hoc vt magis confirmaretur, quod eum non lateret, quæ esset ea quæ ipsum tetigerat. Marcus vero dixit, quod etiam circunspiciebat, vt videret eam quæ hoc fecerat.

Quum ergo uideret mulier quod non latuisset, tremens accessit. Tremens, tum propter illius virtutem, tum propter legem, quod quum immunda esset, eum qui mundus erat tetigisset.

Ac procidit ad pedes eius: & ob quam causam illum tetigisset indicauit ei coram omni populo: & quemadmodum sanata protinus fuisset. Per hyperbaton est ordo verborum. Procidit ad pedes eius, & indicauit ei coram omni populo ob quam causam illum tetigisset, puta clam siue occulte: hanc autem causam superius prædiximus.

Iesus autem dixit ei: Confide filia, fides tua te seruauit. Ne aut me aut legem timeas. Ex fide enim & non ex contemptu tetigisti: & certe fides tua à me quidem conciliauit tibi sanitatem: à lege vero remissionem. Fidei autem illius totum attribuit negotiũ, vt & alij ad fidem attraherentur, sicut prædiximus. Ostendit itaque per hoc Christus, quòd nullus ob morbum vel affectionem quam inuitus patitur, immũdus est apud deum. Filiam vero ipsam vocauit, vtpote per fidem sibi F adoptatam: simul etiam huiusmodi appellatione timorem penitus ab ea repellens, ipsamq; sibi familiarem reddens.

Vade in pace. Qua deinceps à morbo non impugneris. Iuxta anagogen vero intelligi potest sanguine fluens, natura humana: quæ priusquam veniret Christus, manabat peccati impuritate sanguinaria † siue mortifera: nec quicquam adiumenti senserat à spiritualibus animorum medicis, qui eius curam habuerant puta philosophis: sed detrimentum potius susceperat, per extraneas ac absurdas eorum doctrinas. Vt autem Christi tetigit vestimentum, hoc est, incarnationem eius per fidem, repente sanata est. Eius siquidem tangit vestimentum quisquis credit ipsius incarnationem.

† † *Allusio est apud Græcos quando dicunt* φονικὸς, ἤτοι φονικός,

κὸς, id est, sanguinarius siue mortifer. A

Adhuc eo loquente, uenit quidam à domo principis synagogæ dicens illi: Mortua est filia tua, noli uexare magistrum. Quod quum audisset Iesus, respondit illi dicens, Ne timeas, crede solũ, & salua erit. Hæc etiam scripsit Marcus decimotertio capite, & in eo quære interpretationem.

Quum autem uenisset Iesus in domum, neminem intrare permisit nisi Petrum ac Ioannem & Iacobum, ac patrem matremque puellæ. Flebant uero omnes, & plangebant illam. At ipse ait, Nolite flere, non est mortua, sed dormit. Et irridebant illum, scientes quod mortua esset. Similiter & hæc omnia illo capite explanata sunt.

Et apprehensa manu eius clamauit dicens, Puella surge. Reuersusq; est spiritus eius, & repente surrexit, ac iussit illi dari cibum. Et stupuerunt parentes eius: ipse uero admonuit eos ut nemini dicerent B *quod factum est.* De his quoque nullo prætermisso ibi inuenies.

CAPVT XXVII. DE EMISSIONE DVODECIM APOSTOLORVM.

Conuocatis autem duodecim, dedit eis potestatem & auctoritatem super omnia dæmonia: & ut morbos curarent. Cap.9. Dictum est de his decimonono iuxta Matthæum capite. Matth.10

Et misit illos ut prædicarent regnum dei, ac sanarent infirmos. Eodem capite de his quoque distincte dictum est, vbi ponitur, Euntes autem prædicate, dicentes: Instat regnũ C cœlorum.

Et ait ad illos, Nihil feratis in uiam, neque uirgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habeatis. Similiter & de his.

Et in quamcunq; domum intraueritis, ibi manete, atq; illinc exite. De his quoque latius scripsit ibi Matthæus.

Et quicunque non susceperint uos: exeuntes de ciuitate illa etiam puluerem à pedibus uestris excutite in testimonium aduersus illos. Pari modo & de his.

Egressi uero circumibant per uicos euangelizantes, & curantes ubique. Iuxta præceptum eius qui miserat illos.

Audiuit autem Herodes tetrarcha uniuersa quæ fiebant ab eo: & hærebat

D & hærebat eo quod diceretur à quibusdam, quod Ioannes surrexisset à mortuis, à quibusdam uero quod Elias apparuisset: ab aliis autē quod propheta quispiam ex antiquis surrexisset. Et dixit Herodes: Ioannem ego decollaui: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et cupiebat uidere eum. De his exacte disputatum est vicesimoquinto capite euangelij secundum Matthæum.

Matth.14

Et reuersi Apostoli narrabant ei quæcūq; fecerant. Et assumptis illis secessit seorsum in desertum locum ciuitatis quæ uocatur Bethsaida, quod ubi cognouerunt turbæ, secutæ sunt eum. Decimoquinto capite euangelij secundum Marcum dictum est de his latius vbi ponitur, Et congregantur Apostoli ad Iesum.

Marci.6.

Et suscipiens illos loquebatur eis de regno dei: eosque quibus cura opus erat, sanabat. De his vicesimoquinto iuxta Matthæū capite diligenter disputauimus, vbi dicitur, Et egressus Iesus vidit turbam multam: & misertus est illorum.

E

Dies uero cœperat declinare: & accedentes duodecim dixerunt ei: Dimitte turbas, ut euntes in castella uillasque uicinas diuertant, & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Prædicto capite horum data est explanatio. Diuersorium vero dicit nunc receptaculum.

CAPVT XXVIII. DE QVINQVE PANIBVS.

F Dixit autē ad illos, Vos date illis quod edāt. At illi dixerūt, Nō sunt nobis plures quàm quinq; panes & duo pisces: nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populū escas. Erant enim uiri ferme quinquies mille. Similiter & de his.

Dixit autem ad discipulos suos, Facite illos discumbere, in singulo quoque discubitu quinquagenos. Et fecerunt omnes discumbere. Pari modo & de his.

Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, suspexit in cœlum, ac benedixit eos, fregitque ac distribuit discipulis, ut apponerent turbæ. Et comederunt & saturati sunt omnes. Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim. Præterea & de his.

Caput

CAP. XXIX. DE INTERROGATIONE DOMINI AD discipulos.

A

ET factum est quū esset ipse solus orans, erant cum eo & discipuli. Et interrogauit illos dicens, Quem me dicunt esse turbæ? At illi respondentes: Ioannem Baptistam: alii autem Eliam: alii uero quod propheta quispiam de antiquis surrexit. Dixit autem eis, Vos autem quem me esse dicitis? Respondens uero Petrus ait, Christum dei. Horum omnium interpretationem inuenies tricesimotertio capite euangelij secundum Matthæum.

Matth.16

Et interminatus præcepit eis, ne cui hoc dicerent. Lege totam enarrationem eorum quæ in illo capite dicta sunt, vsque ad eum locum vbi dicitur: Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis: & inde simul omnium diligentissimam sumito explanationem.

B

Dicens: Oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus ac principibus sacerdotum & scribis: & occidi, tertioq; die resurgere. Ibi his quoque suo ordine disputatum est.

Dicebat autem ad omnes: si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Sed & de his quoque ibidem post pauca omnino inuenies.

Quisquis enim animam suam seruare uoluerit, perdet eam. Quicunque voluerit animam suam à morte seruare tempore martyrij, factus animæ amator, at nō Christi amator: perdet eam in futuro seculo, hoc est, in supplicium proiicietur. Hæc autem ibidem etiam, suoq; dicta sunt ordine, videlicet decimonono capite euangelij secundum Matthæum.

C

Matth.16

Quisquis uero perdiderit animam suam propter me, hic seruabit eam. Quicunque illa priuatus fuerit per martyrium, hic seruabit eam in futuro seculo.

Quid enim proderit homini, si mundum uniuersum lucretur, seipsum autē perdat, aut suiipsius iacturam faciat? Hoc & Matthæus scripsit in fine tricesimitertij capitis: & ibi quære enarrationem. Quod autem addit, Aut suiipsius iacturam faciat, declaratiuum est præcedentis, puta, Seipsum perdat. Perditionem vero & iacturam nominat æternam condemnationem & supplicium.

Matth.16

Quemcunque

D *Quemcunque enim mei puduerit, meorumque sermonum, huius & filium hominis pudebit, quum uenerit in gloria sua & patris, sanctorumque angelorum.* Horum & Marcus meminit vicesimoquarto capite, & ibi explanata sunt. Verum quomodo & patris & sanctorum angelorum? Quia gloria patris, gloria est ipsius, quum vnum sint. Ego & pater, inquit, vnum sumus: gloria vero angelorum, etiam ipsius est: dominus enim illorum est.

Marci.8.

Ioan.10.

Dico autem uobis uere: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum dei. Dictum est de his in fine tricesimitertij capitis euangelij secundum Matth.

CAPVT XXX. DE TRANSFORMATIONE

E

Factum est autem post hæc uerba circiter dies octo. Videlicet pertransierunt.

Assumpsit Petrum & Iacobum ac Ioannem, ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species uultus eius altera & uestitus eius candidus ac coruscans. Et ecce duo uiri loquebantur cum eo, Moses uidelicet & Elias, qui apparentes in gloria dicebant excessum eius, quem completurus erat Ierosolymis. De hac transformatione manifestius scripsit Matthæus tricesimoquarto sui euangelij capite, in quo etiam hæc ad verbum declarata sunt. Orans autem transformatus est, vt discamus, quod oratio transformat ac illustrat hominem, si fiat quemadmodum oportet.

Matth.17

F *Petrus uero & ii qui cum eo erant, somno grauati erant. Perfecte autem experrecti, uiderunt gloriam eius, & duos uiros qui stabant cum illo.* Ibi etiam de his dictum est. Gloriam vero, intelligе splendorem.

Factum est autem, quum illi ab eo discederent, dixit Petrus ad Iesum, Præceptor bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum, nesciens quid diceret. Hæc autem eo dicente, facta est nubes, & obumbrauit eos, timueruntque intrantibus illis in nubem. Moses quidem & Elias intrauerant in spissitudinem nubis, ad loca omnino inter se separata: discipuli vero quum etiam propter domini transformationem essent exterriti, veluti dixit Marcus: videntes etiam quod hoc modo

Marci.9.

modo ipsi supernaturaliter in nubem reciperentur, maxime timuerunt. A

Et uox facta est de nube dicens: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Quumque fieret uox, inuentus est Iesus solus. Prædicto capite euangelij secundum Matthæum subtiliter de his disputatum est. Quæ ergo præteriit Matthæus, ea Lucas expressit: quæ vero prætermisit Lucas, ea scripsit Matth.

Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam eorum quæ uiderant. Dixit enim Matthæus, quod dum descenderent de monte præcepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et ibi lege horum interpretationem.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM DE LVNATICO. B

Factum est autem sequenti die, dum ipsi de monte descenderent, occurrit ei turba multa: & ecce uir de turba exclamauit dicens: Magister obsecro te respice ad filium meum, quoniam unicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum: subitoq; clamat ac discerpit eum cum spuma: uixque ab eo discedit dilanians eum. Et oraui discipulos tuos ut illum eiicerent, nec potuerunt. Filium hunc lunaticum fuisse scripsit Matthæus tricesimoquinto capite: & omnino de his ibi dictum est.

Respondens autem Iesus dixit: O generatio incredula & peruersa, usquequo ero apud uos & patiar uos? adduc filium tuum huc. In illo horum omnium declarationes inuenies. C

Quum ille uero adhuc accederet, laniauit eum dæmonium ac dissipauit. Hæc latius scripsit Marcus vicesimosexto capite: & ibi enarrationem horum quære.

Increpauit autem Iesus spiritum immundum, sanauitque puerum, & reddidit illum patri suo. Prædicto tricesimoquinto capite euangelij iuxta Matthæum de his dictum est.

Stupebant autem omnes super magnificentia dei. Putabant enim non propria sed dei virtute hæc eum operari miracula.

Omnibus uero admirantibus super his quæ faciebat Iesus, dixit ad discipulos suos: Ponite uos in auribus uestris sermones istos. Quos Sup. eod.

D dixit vicesimonono capite præsentis euangelij de sua passione & occisione ac resurrectione: ideo etiam quum hos quasi significare incepisset, cætera reliquit tanquam iam intellecta.

Futurum est enim ut filius hominis tradatur in manus hominum. Ipsi uero ignorabant uerbum istud, & erat absconditum ab eis, sic ut non intelligerent illud: timebantq; interrogare eum de uerbo hoc. Verbum non quod erat de passione & occisione, sed de resurrectione. Dictum est autem de hoc in fine enarrationis tricesimiquinti capitis euangelij secundum Matthæum: lege ergo quæ ibi dicta sunt.

CAPVT XXXII. DE DISPVTANTIBVS QVIS ESSET MAIOR.

E

INtrauit autem cogitatio inter eos, quis eorum maior esset. At Iesus uidens cogitationem cordis ipsorum, assumpsit puerum, & statuit illum iuxta se. Matthæus vero tricesimoseptimo capite ait, quod accedentes discipuli, de hoc interrogauerunt eum. Verisimile ergo est quod vbi cogitationem illorum cognouisset, & interrogasset, Quid in via tractabatis? sicut dixit Marcus, postmodum etiam ipsi, quum iam cognita esset cogitatio sua, interrogauerunt de hoc: deinde Iesus apprehendit puerum qui ibi præsens erat, & statuit illum iuxta se, dixitque cætera quæ sequuntur. Itaq; Matthæus scripsit: quod interrogauerunt discipuli: Marcus vero & Lucas hoc relicto scripserunt, quod cognouit cogitationem eorum: & ille quidem posteriora dixit, hic autem priora. Lege ergo dicto capite euangelij iuxta Matth. explanationem totam quæ admodum vtilis est.

Matth.18

Marci.9.

F

Et ait illis, Quicunq; susceperit puerum hunc in nomine meo me suscipit: & quicunq; me susceperit, suscipit eum qui me misit. Alia quoque ante hæc dixit, quæ Matthæus conscripsit, per quæ etiam hæc facile cognoscuntur: quære ergo illa. Per puerum vero humilitatem & abiectionem significauit.

Nam qui minimus est inter omnes uos, hic erit magnus. Hic finis est intensionis propter quam puerum iuxta se statuit. Minimum autem dixit humillimum. Similia quoque dixit quadragesimotertio euangelij secundum Matthæum capite: & quære iuxta medium eius capitis.

Matth.20

Respondens

Respondens autem Ioannes dixit: Præceptor uidimus quendam A *per nomen tuum eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Iesus, Nolite prohibere: qui enim non est aduersum nos, pro nobis est.* Hæc etiam scripsit Marcus vicesimoseptimo capite, & ibi horum lege explanationem.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis suæ, & ipse faciem suam obfirmauit, ut iret Ierosolyma. Dies assumptionis ipsius dicit præfinitum tempus dum à terra assumeretur in cœlum: iam enim instabat sui interemptio ac resurrectio & assumptio. Obfirmauit faciem suam, hoc est, direxit vt iret Ierosolyma, progrediens ad passionem, ne respiciendo quidem in tergum. Scriptum est enim in libro quoque psalmorum: Obfirmabo super te oculos meos: siue infigam, dirigam, indeclinabiliter aspiciam.

Psalm.31. B

Misitq; nuncios ante conspectum suum. Hic etiam dictio ἀγγέλους simpliciter nuncios significat.

Et euntes intrauerunt in oppidulū Samaritanorum. Quod in transitu eius situm erat.

Vt pararent illi. Hospitium videlicet, ad susceptionem ipsius, & illorum qui cum eo erant.

Et non receperunt illum, quia facies eius erat pergens Ierosolyma. Facies eius, hoc est, ipse, à parte totum. Non receperunt, inquit, eum, quia pergebat Ierosolyma ad inimicos ipsorum. Nam Samaritani inimico animo affecti erant ad Ierosolymitas.

Quod quum uidissent discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine uis dicamus ut ignis de cœlo descendat & perdat illos, sicut etiam fecit Elias? Conuersus autem increpauit illos & ait, Nescitis cui C *ius spiritus estis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum.* Suspicor hos fuisse præmissos. Itaque irati sunt quod præceptorem spreuissent: interrogauerunt ergo an contemptores vlciscí oporteret, vtpote Zelotem Eliam imitantes. Increpauit autem illos Christus tanquam clemens: instruens eos, vt incredulorum iniurias patienter ferrent. Siquidē sciebat quod se susceperi non essent Samaritani: misit tamen discipulos, vt illis non parentibus, & his irascentibus, obiurgaret ac doceret eos non insurgere in illos qui contemnerent. Futurū enim erat, vt quū euangelium annunciarent, à multis repudiarentur. Non sibiipsis

D autem, sed de illius potentia confidentes dixerunt, Vis dicamus, vt ignis de cœlo descendat.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM
DE EO CVI NON PERMISIT VT sequeretur.

ET *abierunt in aliud oppidulũ. Factum est autẽ dum irent per uiam dixit quidam ad illum: Sequar te quocunque ieris domine. Et Iesus ait ad illum: Vulpes latibula habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Matth.8. De hoc & Matthæus scripsit duodecimo capite, & ibi posita est interpretatio.

E *Ait autem ad alterum: Sequere me. At ille dixit: Domine permitte mihi ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum. Iesus autem ait illi: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu uero abiens annuncia regnum dei.* Ibi etiam plane de hoc disputatum est. Hunc vero Christus vocabat sciens eum dignum.

De aratro. *Dixit autem & alter: Domine sequar te, sed permitte mihi prius ut ualedicam iis qui sunt domi meæ. At Iesus ait illi: Nemo qui manum suam admota aratro, respexerit à tergo, aptus est regno dei.* Qui arare conatur, & à tergo respicit, corrumpit conatus promptitudinem, segnitie qua à tergo respicit. Parabolice ergo saluator dixit Aratrum, & Sequi se: & tantundem est ac si dicat: Nemo qui me sequi conatur, si à tergo respiciat, hoc est, mentem adhuc ad temporalia habeat, aptus est ad regnũ dei.

F Oportet enim eum qui eligit sequi Christum, confestim omnia despicere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo, ne forte habitu ac specie eorũ quę à tergo sunt, retineatur. Quid enim deo optabilius ac præstantius.

† CAPVT XXXIIII. DE DESIGNATIS SEPTVAGINTA APOSTOLIS.

Cap.10. POST *hæc autem designauit dominus & alios septuaginta.* Apostolos videlicet. Multi enim crediturierant, & pluribus prędicatoribus opus erat. Duodecim siquidem Apostoli primus erat chorus: septuaginta vero, secundus. Hos autem duodecim &

cim & septuaginta præfigurabant duodecim fontes aquarum A
& septuaginta trunci palmarum in Aelim, ad quam venerũt Exod.15.
Israëlitæ, vbi mare rubrum pertransissent.

Et emisit eos binos ante conspectum suum, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse uenturus. Similiter & duodecim coniunctim emisit, sicuti dixit Marcus decimoquarto capite: sed Marci.6.
duodecim in omnes ciuitates ac pagos Israël emisit tanquam perfectiores: septuaginta vero in solas eas, quæ in transitu erant, per quas iter facturus erat, vt prædicarent remissionem peccatorum, eiusque aduentum qui remissionem illorum tribueret.

Dicebat ergo ad eos, Messis quidem multa, operarii uero pauci. Messem dicit illos, qui ab infidelitate demetendi, & ad fidem suam erant comportandi: operarios vero Apostolos, & quicunque ad hoc subministrarent. Hic autem manifestata est B
causa promotionis ipsorum septuaginta, & tamen paucos adhuc esse dicit omnes Apostolos ad multitudinem illorum qui crediturierant.

Rogate ergo dominum messis, ut producat operarios in messem suam. Hoc & id quod ante istud præcessit, etiam dixit in fine decimioctani iuxta Matthęum capitis: sed ibi messem mul Matth.9.
tam appellat eos, qui de Iudæis erant crediturii: hic autem eos qui ex gentibus: & ibi admonet duodecim, vt orent pro emissione horum septuaginta: hic vero ipsos septuaginta admonet, vt orent pro promotione episcoporum ac præceptorum per singulas ciuitates ac regiones. Lege autem enarrationem præsentis dicti in memorato capite euangelij secundum C
Matthæum.

Ite, ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Hoc etiam ad duodecim dixit, & quære decimonono iuxta Matthæum ca- Matth.10
pite dicti illius interpretationem, Ecce ego mitto vos tanquã oues in medio luporum. Poterit quiuis hoc etiam loco dicere, quod duodecim appellauerit oues tanquam perfectiores, septuaginta vero agnos tanquam teneriores.

Nolite portare sacculum neq; peram, neque calciamenta. Hoc interdicto iubet, vt de necessariis corporis spem in illum habeant qui ipsos emisit. Quũ autem iubet ne sacculum ferãt, ab auaritia auocat: dicens, Neq; perã, dehortatur à recõdendo cibo: quũ vero addit, Neq; calciamẽta, ad exercitiũ ipsos erudit.

D *Et neminem per uiam salutaueritis.* Hoc iussit, non inhumanos eos fieri volens, aut moribus asperos, quos nemo possit compellare, sed impedimento carentes. Solet enim salutatio per viam, vehementiæ studij vtplurimum obstare. Præcipit itaq; illis, vt soli operi eis commisso intendant: & oblatam prædicationis occasionem non insumant in ea, quæ necessaria non sunt, sed præter intentum sese offerunt. Elisæus quoque olim emisso Giezi famulo ad opus quod festinationem requirebat, præcepit dicens, Si inueneris virum, non benedicas ei: & si tibi benedixerit vir, ne respondeas illi: indicans opus esse vt indistractus ac omnino sine impedimento procederet. 4.Reg.4

In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui. Hanc alloquutionem Matthæus salutationem nominauit prædicto capite. Est autem huiusmodi salutatio signum dilectionis, significans & pacifici & amici aduenerint. E

Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illũ pax uestra. Hoc est gratia datæ à vobis pacis, vel efficacia huiusmodi sermonis. Filius quoque pacis dicitur pacificus, sicut variis in locis diximus.

Sin minus, ad uos reuertetur. Lege quoque decimonono capite euangelij iuxta Matthæum dicti illius enarrationem. Et si quidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super illam: si autem indigna fuerit, pax vestra ad vos conuertatur.

In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ ab illis offeruntur. Dignus est enim operarius mercede sua. Similiter & de his in illo capite manifeste dictũ est paulò superius. Edere autem ac bibere permisit quæ ab illis porrigerentur: non simpliciter, sed sicut discipulos suos decebat: hoc enim ipsis notum erat. F

Nolite transire de domo in domum. In illa enaratione huius causam inuenies.

Et in quamcunque ciuitatem ingressi fueritis, & receperint uos, comedite quæ apponuntur uobis, & curate infirmos qui in ea sunt, ac dicite illis, Appropinquauit in uos regnum dei. Regnũ dei nunc seipsum appellat, tanquam regem ac deum. Appropinquauit, inquit, & iam diuersatur vobiscum: digni habemini qui præparemini ad eius susceptionem.

In quamcunque autem ciuitatem ingressi fueritis, & nõ receperint uos,

uos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate uestra extergimus in uos. Ibi de his etiam quære, vbi declaratum est illud, Et quicunque non susceperit vos. A

Tamẽ hoc scitote quod appropinquauit in uos regnum dei. Hoc protestari præcepit incredulis, ne dicere possent: Nõ cognouimus aduentum tuum domine.

Dico uobis quod Sodomis in die illo tolerabilius erit, quàm ciuitati illi. Prædicto capite etiã hæc conuenienter declarata sunt.

Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes scelerum eos pœnituisset. Quære vigesimo capite iuxta Matthæum vbi dicitur, Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus æditæ fuerant plurimæ virtutes eius, quòd nõ resipuissent: ibi enim & de his dictum est. Matth.11 B

Veruntamen Tyro & Sidoni tolerabilius erit in iudicio, quàm uobis. Vobis puta incredulis. Hoc quoque dixit decimono capite euangelij iuxta Matthæum, & ibi lege dicti illius declarationem, Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum, quàm ciuitati illi. Matth.10

Et tu Capernaum usq; ad cœlum exaltata, usque ad infernum detraheris. Vigesimo capite euangelij secundum Matthæum etiam de hac dictum est, ibi ergo quære. Matth.11

Qui uos audit, me audit: & qui reiicit uos, me reiicit: qui autem me reiicit, reiicit eum qui misit me. Reiectionem hanc vocat incredulitatem & auersionem. Ne enim mœrore afficiantur quum spernuntur, dicit: Vestra iniuria per vos in me recurrit, qui misi vos: per me autem, in patrem meum qui misit me. C

Reuersi sunt ergo septuaginta cum gaudio dicẽtes, Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis per nomen tuum. Gaudebãt quod digni haberentur & miracula edere, & dæmonia sibi subiicere.

Dixit autẽ illis, Videbam satanam, tanq̃ fulgur de cœlo, cadentem. Causam significauit subiectionis dæmoniorum, quia cecidit princeps eorum, qui fortes illos reddebat ac confortabat, & iam facile deuincũtur: Siquidem ante saluatoris incarnationem in sublime ferebatur, & tyrannum agebat, ac potẽs erat: quum autem deus in terra per carnem diuersaretur, cecidit, non à cœlo: olim enim inde ceciderat, nec amplius eo ascendit, sed à dicta celsitudine, tyrannide ac potentia. Dicit ergo, Videbam satanam, postquam videlicet humanitatem assum-

 psi, ca-

D psi, cadentem vt fulgur quod de cœlo cadit. Quidam autem Cœlum intelligunt hoc loco aerem in quo versari gaudet
Psal.8. satanas. Nam & aer cœlum dicitur: Volucres inquit cœli. Vsus est autem fulguris exemplo, ostendens vehementiam ac velocitatem casus illius.

Ecce do uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones. Serpentes ac scorpiones intelligibiles, qui animas mordét ac deuorant. Ita autem dæmones appellauit, non solum propter insidias, veneni iaculationem ac infectionem, sed & propter debilitatem ac ignauiam. Verum quod de dæmonibus loquatur, manifestat id quod subditur.

Et super omnem uirtutẽ inimici. Videlicet intelligibilis dra-
E conis. Quum ergo vidisset eos gaudentes de subiectione dæmoniorum, dat quidem continuã aduersus illa potestatẽ, quã prius ad tempus acceperant quum mitterẽtur: sed adhortatur ne de hac gaudeant, quia nõ ex certamine eis prouenit, sed ex dono, propter eos qui adiuuandi erant. Potest autẽ virtus inimici dici, non solũ ipsi dæmones, sed & multiformes eorũ tẽtationes. Quidã vero & feras quæ homines perdunt, virtutem illius dicunt, quòd etiam his aduersus nos vtatur.

Et nihil uobis nocebit. Nec dæmon, nec tentatio, nec fera venenata.

Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus subiiciuntur uobis. Non enim vestrum est opus, sed mea gratia. In hoc ergo ne gaudeatis, ne tanquam de egregio facinore gaudentes, in
F elationem eleuemini.

Gaudete autem quia nomina uestra scripta sunt in cœlis. Quia propter fidem vestram in ciues conscripti estis in æterna ciuitate: non atramento, sed memoria: neq; vt homines scribũt, sed sicut deus scribere nouit. Dicit enim de iustis Dauid, Et
Psal.138. in libro tuo omnes scribentur. Siquidem subiicere dæmonia, propter aliorum vtilitatem vobis datum est: quod autem nomina vestra scripta sunt in cœlis, propter salutem vestrã: ideo furtiuum quidem illud gaudiũ tumorem causare nouit, hoc vero gratiarum actionem potius: & illud quidẽ cauendũ tanquam superfluũ, hoc autẽ proponendũ est tanquã necessariũ.

In illa hora exultauit in spiritu Iesus. Animo exultauit tanq̃ homo propter eorum salutem, qui à discipulis iuuandi erant.

Et dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quod abscon-
deris

deris hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelaris ea paruulis. Vti- A
que pater, quia sic beneplacitum fuit coram te. Hæc quoque dixit de duodecim discipulis vigesimo capite euangelij secundum Matthæum: & ibi quære expositionem.

Et conuersus ad discipulos dixit, Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & nemo scit quis sit filius nisi pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. In eo loco etiam hæc diligenter explanata sunt.

Et conuersus ad discipulos seorsim dixit: Beati oculi qui uident quæ uidetis. Dico enim uobis, quod multi prophetæ & reges uoluerũt uidere quæ uos uidetis, & non uiderũt: & audire quæ auditis, & nõ audierunt. Hæc quoque dixit vigesimoquarto iuxta Mat- Matth.1
thæum capite, & in eo lege ipsorum interpretationem, vbi di B
citur, Vestri autem beati oculi. Hac autem auiditate captus est Dauid propheta simul & rex: ideo etiam dixit, Ostende Psal.84
nobis domine misericordiam tuã: saluatoris videlicet incarnationem appellans misericordiam, vtpote propter hominũ misericordiam factam. Verũ obserua quod ad discipulos saluator conuertitur, & ipsis seorsim loquitur, ab iis qui discipuli non sunt auersus. Ideo & nos quoque si discipuli eius fuerimus, per obedientiam mandatorum ipsius, & animæ simul & corporis habuerimus oculos recte intuentes, auresque recte audientes, ad nos etiam omnino conuertetur, & mysteriis à vulgo absconditis dignabitur.

CAPVT. XXXV. RE TENTANTE LEGISPERITO. C

ET ecce legisperitus quidam surrexit tentans eum, & dicens: Magister quid faciẽdo, uitam æternam possidebo? Illaqueare putabat Christum, si quippiam legi contrarium vllo pacto doceret. Dicit ergo: Quid faciendo vitam æternam possidebo, quam populo annuntias? Cognita autem illius versutia saluator, ad legem ipsum remittit: simul quidem conatum illius repellens, simul etiam arguens illum, quod sese pro virtutis cultore gereret quum non esset, veluti finis indicabit parabolæ.

Ipse uero dixit ad eum: In lege quod scriptum est? Maius præceptum †. †

† Ex hoc autoris scholio uidetur iuxta mentem eius legendum in litera. †

D litera. Quod, ut pro substantiuo habeat, præceptum, quod facile subaudiatur. Nam Græci eadem dictione τί, efferunt Quid & quod.

Quomodo legis? Maiora legis præcepta: de maioribus nãque ipsum interrogauit.

At ille respondens ait, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua: ac proximũ tuum sicut teipsum. Dixit autẽ ei: Recte respondisti. Recte illum respondisse dixit: vt qui duo recitauerit præcepta quæ ad se inuicem connectuntur, sicut quinquagesimoquarto iuxta Matthæum capite manifestatum est. Alius autem erat hic legisperitus ab eo, de quo à Matthæo & Marco facta est mentio.

E *Hoc fac & uiues.* Hoc quod nunc recitasti, hoc inquã fac & viues vita æterna, qua viuunt iusti, qui hæc præcepta seruauerunt. Docuit siquidem prædicto capite euangelij secundum Matthæum, quòd in his duobus præceptis vniuersa lex & prophetæ pendent: quorum enarrationem perfecte inuenies quinto iuxta Matthæum capite, vbi dicitur, Ita enim est lex & prophetæ.

At ille uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Conatu suo frustratus, effudit quem apud se occultabat tumorem. Putabat enim se cunctis esse præstantiorem: Nam lex proximum † nominauit eum, qui alterius egeret auxilio: ipse vero illum dici opinabatur, qui virtute æqualis esset: ideo etiam volens seipsum iustificare siue aliis preponere,

F interrogat: Quis mihi est æqualis? Deinde Christus per parabolam demonstrat illum esse proximum, qui alterius indiget auxilio.

† † *Proximus dicitur omnis homo, quod omnes inter nos propinqui simus secundum naturæ communicationem.*

Suscipiens autem Iesus dixit. Suscipiens: hoc est excipiens sermonem.

CAPVT. XXXVI. DE EO QVI INCIDERAT IN LATRONES.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho. Parabola hæc etsi efficta sit, vt ostendat quis sit proximus: paucis tamen verbis ostendit humanã & benignam saluatoris nostri gubernationẽ. Hominem siquidem intelligimus Adam, & qui ab Adam

Adam descenderunt vniuersos: descensum autem ab Ierusalem in Iericho, viam à virtute ad vitium, & ab obedientia ad inobedientiam, & à sublimi vitæ instituto ad terrenam conuersationẽ: est enim Ierusalẽ sublimis, Iericho vero humilis. A

Et incidit in latrones. Id est dæmones qui in via residebant.

Qui etiam exuerunt eum. Vestimentis virtutis, timore dei, quo in modum vestis circundatus erat.

Et uulneribus inflictis abierunt. Animæ plagis, vulneribus peccatorum.

Relinquẽtes semimortuum. Ex dimidio factũ mortalẽ: iuxta animã enim mansit immortalis, corpore vero mortuus est. Quod autem dicitur, Abierunt, & Relinquentes, non est de hoc curiose scrutandum propter normam parabolæ. B

Casu autem sacerdos quidam uia illa descendebat. Sacerdos, hoc est lex data per Mosen, vtpote de sacrificiis disputans.

Visoque illo præteriit. Pertransiit illum, quum ita male affectus esset.

Similiter Leuites quum iret iuxta locum, uenisset que ac uidisset, præteriit. Per Leuiten hoc loco accipiendus est sermo prophetarum, vtpote dei iussionibus subministrans.

Samaritanus uero quidam iter faciens uenit ad eum: & uiso eo, misericordia motus est. Samaritanus intelligitur nunc Christus, vtpote ab incredulis Iudæis Samaritanus appellatus. Vel etiam non Iudæorum tantum, sed & cunctarum gentium naturam per carnis assumptionem amplectẽs. Samaritani enim sunt quædam natio gentium. C

Et accedens obligauit uulnera eius. Vinculo doctrinæ.

Infundens oleum & uinum. Lenitatem ac mordacitatem. Doctrina enim eius alibi quidem mansuete procedit & exhilarat: interdum vero perstringit ac mordet: & ita pulchre tẽperata est, ac vndique iuuat.

Et imponens illum in iumentum suum. In proprium corpus quod occidendum erat †: hoc est, portans infirmitates eius per assumptam humanitatem.

† † Νᾶ κτῖνος, *pro quo hic habemus iumentũ, dicitur ἀπὸ τοῦ κτείνεσθαι, id est occidi, quia pecus siue iumentum mactationi nascitur: uel mactari & immolari solet.*

Duxit in diuersorium. Diuersorium est ecclesia, quæ omne genus hominum recipit.

Et curam

D *Et curam illius egit.* Rationem eius habuit, & de eo prouidit.

Ac postero die egressus. Post aliquod tempus mortuus & de mundo egressus.

Depromptos duos denarios dedit hospiti, & ait illi: Curam illius habe. Donec viuebat, ipse curam habebat infirmorum: vbi vero mortuus est ac resurrexit, & ad peregrinandum in cœlum diuertit, hanc curam Apostolis commisit: hospes enim est, quisquis ecclesiæ præest, puta omnis episcopus, vel quisquis Apostolorum successor est. Duo vero denarij sunt nouum ac vetus testamentum, quæ infirmis medicinam suppeditant. Dixit enim vigesimoquarto capite euangelij secundum Matthæum. Omnis scriba edoctus ad regnum cœlo- Matth.13
E rum similis est homini patrifamilias qui depromit de thesauro suo noua & vetera. Vel, duo denarij duæ sunt interpretationes scripturæ euangelicæ, aut etiam omnis diuinæ: illa videlicet quæ iuxta historiam est, & quæ iuxta anagogen.

Et quodcunque præterea insumpseris, ego quum rediero persoluam tibi. Si etiam de tuo quippiam insumpseris, quod in eius cedat vtilitatem. Nam de suo quoque præceptores apponunt, dilatantes diuinorum sermonum interpretationes. A duobus siquidem testamentis sumunt quidem argumentum: propriis autem sermonibus abundantiorem curam exhibent laborantibus. Reuersio vero CHRISTI, secundus est aduentus eius, in quo persoluet omnibus re-
F tributiones.

Quis ergo horum trium proximus tibi fuisse uidetur illi qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit misericordiam cum illo. Cum illo, hoc est in illum.

Dixit ergo ei Iesus, Vade & tu fac similiter. Curam eius habe qui auxilio indiget. Qui enim hoc non facit, non diligit proximum suum, sicut seipsum: qui vero proximum non diligit tanquam seipsum, neque deum diligit ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota fortitudine sua, & ex tota mente sua, quæ dilectionis vehementiam ac intensionem manifestant.

CAPVT

CAPVT. XXXVII. DE MARTHA ET MARIA. A

FActum est autem dum irent, ut ipse intraret in quoddam castellum: mulier autem quædam nomine Martha excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam assidens ad pedes Iesu audiebat sermones illius. Castellum hoc Bethania erat: hanc enim Ioannes castellum dixit Mariæ & Marthæ. Ioan.11

Martha uero distrahebatur circa frequens ministerium. Præparans quæ necessaria erant ad cõuiuium & obsequium eius ac discipulorum ipsius.

Quæ adstitit, & ait: Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me ut sola ministrem? Dic ergo illi ut me adiuuet. Tanquã B præceptor curam illi cõmitte, vt vnà mecum ministerio manum admoueat.

Respondens autem dixit illi Iesus, Martha Martha solicita es & tumultuaris circa multa. Tumultus hoc loco distractio est & turbatio. Circa multa vero, puta quæ ad conuiuium & obsequium necessaria sunt, vt dictum est.

Atqui unum est necessarium. Videlicet meorum auscultatio sermonum. Neque enim vt epuler veni, sed vt vos doceam.

Maria uero bonam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Duæ partes conuersationis laudabiles sunt, nempe practica siue operatiua, & theorica siue contemplatiua: has duæ sorores istæ elegerant: Martha quidem operatiuam, ministran- C
do circa corporale domini obsequium: Maria vero contemplatiuam audiendo sermones illius. Et quia bipartitus erat Christus: illa quidem refocillabat partem eius visibilem, hęc autem colebat partem eius inuisibilem: ipse vero illius quidem promptitudinem non vituperauit, huius autem electionem laudauit. Siquidem illius opus vtile certe admodum erat, huius tamen sublimius. Tu ergo quam volueris imitare, aut curam habe corporis domini, dico sane pauperum. Nam quatenus, inquit, vni de his minimis feciſtis, & mihi feciſtis. Mat.25
Aut occupare circa auscultationem sermonum ipsius, circa contemplationem dogmatum illius. Aut etiam vtrumque exerce cõgruis temporibus. Bonam vero partem dixit, nõ quod altera mala sit: sed bonam hic appellauit eam quę melior est.

Potest

Cap. 11.

D Potest enim fieri, vt duorum bonorum vnum altero melius sit. Bonum siquidem est hospitalem esse, verum melius est deo assidere: illud enim corporale est, hoc autem spirituale.

CAPVT. XXXVIII. DE ORATIONE.

Cap. 11

Ccidit autem quum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit quidam ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, sicut & Ioannes docuit discipulos suos. Discipulus hic erat ex septuaginta. Nam duodecim docuerat quinto capite euangelij iuxta Matthæum. Quum videret enim præceptorem nouum vitæ institutum & exercere & admonere: nouam quoque orationem quæsiuit, vitæ studio conuenientem. At ille quam ipsos duodecim docuerat, hanc etiam nunc exponit.

Matth. 6

E

Ait autem illis: Quum oraueritis, dicite: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra. panem nostrum quotidianum da nobis quotidie, & remitte nobis peccata nostra, siquidē ipsi remittimus omni debenti nobis, & ne nos inducas in tentationē, sed libera nos à malo. Horum omnium ad verbū data est interpretatio prædicto quinto capite. Quod si dictiones quædam hic permutantur, eandem tamen & istæ seruant significationem, & in similem cōueniunt interpretationem. Postquam autem orare docuit, vult ostendere, quod orationis perseuerātia tribuit id, quod quis expetit: & parabola vsus est, quæ hoc demonstret, quæ etiam accuratius formata est, vt persuadibilior reddatur.

F

Et dixit eis, Quis uestrum habebit amicum? & ibit ad illum media nocte, dicētque illi: Amice da mihi mutuo tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, nec habeo quod apponam illi. Et ille intus respondens dicat, Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Dicunt quidam per amicum anagogice deum intelligi hominum amatorem. Vadit autem ad ipsum media nocte & petit tres panes, qui conuenienti tempore petit triplicem diuinum sermonem, patris videlicet & filij ac spiritus sancti, vt apponat amico qui ad se venit de instabili ac conculcata via, & huiusmodi indiget cibo. Cæterum deus intus, siue inuisibiliter respondet, Noli mihi molestus esse, iam ostium diuini sermonis clausum est, nondū tempus est huiusmodi gratiæ: & cætera etiam quæ in parabola sequuntur conati sunt quidam huc reducere, nec potuerunt suo aptare proposito: idcirco horum anagogen tanquā minus conuenientem præterij, videns quod ad emphasim cōposita sint, vt rationabilis videatur repulsio. Pater nanque qui cum filiis suis dormit, rationabiliter recusat intempestiue surgere, ne illos expergefaciat. Apparet autem mihi tota hæc proposita parabola nihil aliud demonstrare, nisi petitionē esse maxime necessariam, & repulsionē esse iustissimam: vt videatur propter perseuerantiā exauditus esse is qui petit, & persuadibilis fiat admonitio.

e amic.

A

B

Dico uobis: etsi non daturus sit illi surgēs, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quantum illi opus fuerit. Hoc est, cuius gratia hæc parabola facta est. Improbitatem tamen siue impudentiam vocat assiduitatem ac perseuerantiam petitionis.

Et ego uobis dico, Petite & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Hęc similiter ipsis quoq; duodecim præcepit, quemadmodum scripsit Matthęus quinto capite: & ibi quære enarrationem optime traditam.

Mat. 7

Quis autem uestrum pater, à quo si petierit filius panē, num lapidem dabit illi? aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit ei? aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Ibi etiam de his consequenter inuenies.

C

Si ergo uos quum sitis mali, nostis bona dona dare filiis uestris, quanto magis pater qui de cœlo est, dabit spiritum bonum poscentibus se? Similiter & de his. Malos vero eos dixit, non solum propter causam ibi dictam, sed etiam propter humanam naturam, quæ malitiæ capax creata est.

CAPVT. XXXIX. DE EIECTO DAEMONIO MVTO

T erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Nec ipsum loquebatur vel audiebat, nec hominem sinebat loqui vel audire: non ex natura, sed ex malitia.

malitia. Huius autem apud Matthæum facta est mentio
D decimo octauo capite, in quo de ipso manifeste disputatum est.

Factum est autem, ut egresso dæmonio loqueretur mutus, & admiratæ sunt turbæ. Ibi etiam de his dictum est.

Quidam uero ex ipsis dixerunt: Per Beelzebul principem dæmoniorum eiicit dæmonia. Similiter & de his. Pharisæi autem hoc dixerunt, veluti scripsit Matthæus.

Alii autem tentantes signum ab eo petebant de cœlo. Non nunc tantum, sed frequenter hoc fecerunt, sicut aliis Matthei capitibus significatum est. Quære autem potissimum trigesimoprimo capite euangelij eius vbi dicitur iuxta finem: Quũque accessissent pharisæi & sadducæi tentantes rogabant
E eum, vt signum aliquod de cœlo demonstraret sibi: & lege eius enarrationem, ac disces causas fraudulenti eorum conatus.

At ipse sciens cogitationes eorum. Cogitationes, tum suspitionis, quòd in Beelzebul eiiceret dæmonia, nam hoc apud se dicebant, timentes turbam, tum conatus quo signum petebant. Et nunc quidem de vno respondet, post pauca vero de reliquo. Quære autem vigesimosecundo capite euangelij secundum Matthæum interpretationem quoque illius quod dicitur: Iesus autem sciens cogitationes eorum. Frequenter autem à nobis dictum est, quod euangelistæ interdum quidem temporis aut ordinis eorum quæ dicta aut facta sunt curam
F habent, quandoque vero id tantum studeant, vt rem quæ gesta est enarrent.

Dixit illis, Omne regnum aduersus seipsum diuisum desolatur, & domus aduersus domum cadit. Domus aduersus domum, videlicet diuisa. Prædicto vigesimosecundo capite etiam de his consequenti ordine data est interpretatio.

Quod si satanas quoque aduersus se diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Similiter & de hoc.

Quia dicitis per Beelzebul eiicere me dæmonia. Manifestat etiam eis, quid apud se dicentes suspicabantur.

Si autem ego per Beelzebul eiicio dæmonia, profecto peruenit in uos regnum dei. De hoc quoque apertissime ac diligentissime ibidem inuenies.

Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet;

possidet: at ubi fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa eius arma aufert in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Pari modo & de his caput illud disserit: & ex his quæ ibi dicta sunt, etiam hæc facilius cognosci poterunt. A

Qui non est mecum aduersum me est: & qui nõ colligit mecum dispergit. Præterea & de his.

Quum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arentia quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domũ meam unde exiui. Et quum uenerit, inuenit eam scopis mundatam atque ornatam. Hæc Matthæus quoque scripsit vigesimotertio capite, & in eo declarata sunt.

Tunc uadit & assumit septem alios spiritus nocẽtiores ipso: & ingressi habitant ibi, fiuntq; extrema hominis illius peiora primis. Similiter & hæc. B

CAPVT. XL. DE MVLIERE QVAE DE TVRBA VOCEM EXTVLIT.

Factum est autem quũ hæc diceret, extollens uocẽ quædam mulier de turba dixit illi, Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Elata siue eleuata voce. Quum enim vehementem in eam impressionem sermones illius fecissent, magna & exaltata voce eam beatificauit quæ illum pepererat, vtpote quę talis filij mater fieri digna fuerat.

At ille dixit, Quinimo, beati qui sermonem dei audiunt, illumq; custodiunt. Quinimo, hoc est vere dico vobis. Quære autem vigesimotertio iuxta Matthæum capite vbi dicitur, Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse C
& meus frater & soror & mater est: ac lege totam dicti illius enarrationem. Custodia vero sermonis dei, eius est adimpletio.

CAPVT. XLI. DE HIS QVI SIGNVM PETEBANT.

Turbis autem condensantibus se, cœpit dicere: Generatio hæc praua est, signum quærit. Nunc etiã de rereliqua eorũ cogitatione respondet. Prauã autem

Dnominauit generationem pharisæorum, ac sadducæorũ tanquam tentantem ipsum. De hac autem dictum est vigesimotertio cap. euangelij secundum Matthæum.

Et signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Ibi etiam hæc manifeste declarata sunt.

Sicut enim fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti. Quemadmodũ ille fuit signũ apud Niniuitas, hoc est res nunquam audita, quod supernaturaliter è ventre ceti tertio die liberaretur: ita hic erit signum apud generationem infidelium Iudæorũ, siue res inaudita, quod supernaturaliter è ventre terræ tertio die surrexerit. Sed Niniuitæ sane crediderũt auditæ nouitati, ac obedierunt his quæ Ionas prædicauit: hi vero nec crediderunt nec obedierũt, ideo quoque illi cõdemnabunt istos, sicuti paulo post manifestabitur.

E *Regina Austri surget in iudicio cum uiris generationis huius, & condemnabit illos: quia uenit à finibus terræ ad audiendum sapientiam Solomonis: & ecce plusquam Solomon hoc in loco.* Hæc & Matthæus prædicto loco proposuit: & ibi quære horum enarrationem.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia ad pœnitentiam adducti sunt prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hoc in loco. In illo capite etiam hæc scripsit Matthæus antequam de regina Austri: lege ergo ibi horum quoque interpretationem rationabiliter enarratam.

De lucer na. F Matth. 5

Nemo postquam lucernam accendit, in abscondito ponit illam, aut subter modium, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen uideant. Dictum est de his quinto capite euangelij iuxta Matthæum, vbi dicitur. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Ex iis enim quæ ibi dicta sunt, etiam hæc plenissime tibi nota fient. Absconditum autem dicit occultum domicilium.

Lucerna corporis est oculus: quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quod si malus fuerit, & corpus tuum tenebrosum erit. Hanc etiam considerationem Mat. 6 scripsit Matthæus quinto capite, & ibi quære interpretationem diligenter expositam.

Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Obserua ne mens, animæ tuæ fenestra, affectionibus obtenebretur.

Si ergo

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens ullam partem tenebrosam, erit lucidum totũ, sicut quando lucerna fulgore illuminat te. Ab exemplo eius quod circa corpus accidit, facit vt de anima intelligam⁹, cuius illi maior cura est. Sicut enim in corpore, ita & in anima: si hæc tota lucida fuerit, non habens quicquam affectione tenebrosum, neque rationale, neq; irascibile, neque concupiscibile, erit lucida tota, sicut quando lucerna fulgore suo illuminat te, hoc est splendidissima ac lucidissima. A

CAPVT. XLII. DE PHARISAEO QVI DOMINVM INVITAVIT.

Et quum loquutus esset, rogabat eum quidam pharisæus, ut prandaret apud se. Quum loquutus esset quæ iam dicta sunt. ἠρώτα, hoc est deprecabatur, sicut frequenter diximus, aut inuitabat. Hoc autem faciebat ostendens se præstantiorem esse cæteris pharisæis, & ab illorum inuidia liberum. Christus vero paret, cupiens mensa vti ad conuiuatoris admonitionem. B

Ingressus autem accubuit. Pharisæus uero admirabatur quum uidisset quod ante prandium non lauisset. Quemadmodum moris erat, non tantum pharisæis, sed & Iudæis omnibus. Ait enim Marcus in fine decimiseptimi capitis, quod pharisæi & omnes Iudæi nisi crebro lauerint, non capiunt cibum, obseruantes mordicus, traditionem seniorum: & à foro reuertẽtes nisi lauerint, nõ comedunt. Etenim deus nusquam huiusmodi lotionem eis præcepit, sed seniores illis tradiderunt cum cęteris nationibus cõmunem: idque faciunt putantes se abluere omnem maculam, quæ ipsis in foro adhæsit. Mar. 6 C

Et ait dominus ad illum, Nunc uos pharisæi exteriora poculi catinique mundatis, quod autem intus est uestri, plenum est rapina & malitia. Offerẽte se rationabili occasione arguit omnes pharisæos inter capiendum cibum, tanquam eos qui se superiores arbitrarentur cæteris Iudæis, quanquã etiam ipsi insipientes essent. Hic autem inductis poculis & catinis, apte sumpsit ab ipsis exemplũ: vnumquęq; pharisæorum per hæc insinuans. Et exteriorem quidem eius partem dicit corpus tanquam apparens: interiorem vero, animam tanquam absconditam. Obiurgat autem eos, vt qui corpora quidem mundabant, De pœnitentia mũdatione.

 animam

D animam vero immundam relinquebant. Prædictum enim baptiſma ſiue lotio, corporales tantum ſordes mundare poteſt.

Matth. 23 Hæc quoque aduerſus phariſæos dixit quinquageſimoſexto capite euangelij ſecundum Matthæum.

Stulti nonne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt fecit? Eiuſdem artificis aut figuli opus ſunt corpus & anima: quare ergo & hanc non mundatis? Prædicto capite manifeſtius dixit: Phariſæe cæce munda primum interiorem poculi & patinæ partem, vt munda quoque fiat & pars eorum exterior: & ibi quære enarrationem.

De eleemoſyna. *Verumtamen de his quæ adſunt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uobis.* Vbi ſuperfluam ac vanam eſſe oſtendit dictam ablutionem, deinceps procedit aduerſus auaritiam, E quæ his maxime dominabatur: & per eleemoſynã adhortatur corpus purgare & animam, dicens: De his quæ adſunt, videlicet de repoſitis diuitiis, date pauperibus eleemoſynam, & ſimul omnia mundabuntur, & corpus & anima. Hoc autem maxima dixit prouidentia, volens ipſos emergente affectione liberare. Solent nanque ingenioſi præceptores virtutem extollere ad quam exhortãtur: & præſertim quod per eam, qui penitus in tenebris verſantur, omnia perſpicaciſſime videant.

Sed uæ uobis phariſæis quia decimatis mentham & rutam & quoduis olus: & præteritis iudicium ac dilectionem dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Prædicto quinquageſimoſexto capite euangelij ſecundum Matthæum de his exacte diſputatum eſt. F

De primis cathedris. *Væ uobis phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis & ſalutationes in foris.* Quinquageſimoquinto capite euãgelij ſecundum Matthæum de his quoque dixit: Amant primos accubitus in cœnis, & prima ſedilia in ſynagogis, ac ſalutationes in foris: & horum lege interpretationem.

Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia eſtis ut monumenta quæ non apparent, & homines ſuperambulantes neſciunt. Dictum eſt de his quinquageſimoſexto capite euangelij ſecundum Matthæum, vbi illud declaratum eſt, Væ vobis ſcribæ & phariſæi, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, &c.

CAPVT.

CAPVT. XLIII. DE DEPLORATIONE LEGISPERITORVM. A

RESpondens autem quidam ex legiſperitis ait illi: *Magiſter, hæc dicens etiam nos afficis contumelia.* Quũ ſimilibus ipſe affectibus eſſet obnoxius, cognouit quod hæc aduerſus omnes diceret qui æqualiter errarent.

At ipſe dixit: Et uobis legiſperitis uæ: quia oneratis homines oneribus quæ portare non poſſunt: & ipſi uno digitorum ueſtrorum onera non attingitis. Quinquageſimo quinto iuxta Matthæum capite etiam de his dictum eſt, vbi habetur: Alligant onera grauia & importabilia & imponunt in humeros hominum: quære ergo ibi enarrationem. Vtilis eſt autem opportuna redargutio, quæ arrogantium detrahit vanum faſtum.

Væ uobis quia ædificatis monumenta prophetarum: patres autem B *ueſtri occiderunt illos, profecto teſtamini quod comprobatis facta patrum ueſtrorum, quoniam illi quidẽ eos occiderunt, uos autẽ ædificatis monumenta eorum.* Manifeſtius de his ſcripſit Matthæus quinquageſimoſexto capite: & in eo lege explanationem, à qua etiam hæc tibi captu facilia erunt.

Propterea etiam dei ſapientia dixit, Mitto ad eos prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident ac perſequentur. Sapientiam dicit ſuam: aut etiam ſeipſum vocat dei ſapiẽtiam. Prædicto enim capite ait Matthæus eum dixiſſe, Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes ac ſcribas & cætera: vbi enarrationem aptiſſimam ad ſingula verba inuenies. Nũc autem more prophetiæ vtens, prædicit quod futurum eſt.

Vt exquiratur ſanguis omnium prophetarum, qui effuſus eſt à cõſtitutione mundi à generatione iſta, à ſanguine Abel, uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ibi etiamhęc rationabiliter declarata ſunt. C

Profecto dico uobis, exquiretur à generatione iſta. Similiter & hæc.

Væ uobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi nõ introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. Prædicto. 56. capite quęre vbi dicitur, Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum coram hominibus, vbi manifeſta ponitur enarratio.

D *Quum autem hæc ad illos diceret, cœperunt scribæ & pharisæi grauiter insistere, & ab ore interrogare eum.* Insistere, hoc est molesti esse siue iracsci. Quædam vero exemplaria ἐνέχειν scribunt, id est arguere siue disputare. Quod autem sequitur ἀποστοματίζειν, significat extemporales & non consideratas responsiones dolosarum interrogationum expetere (ideoque vertimus Ab ore interrogare.

De multis insidiantes ei. In multis problematis insidiantes ei. Deinde additur & causa talis technæ seu conatus.

Quærentes uenari quippiam ex ore eius, ut accusarent eum. Putabant enim repente & de improuiso in errorem omnino illum inducere. Verum sapientissime dissoluebat omnia, facileque respondebat.

E

CAPVT QVADRAGESIMVM-QVARTVM DE FERMENto Pharisæorum.

Cap.12 *INter quæ quũ conuenissent innumera turbæ multitudo, adeo ut se inuicem cõculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos primũ, Cauete uobis ipsis à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.* Quia etiã nunc per hypocrisim interrogabant, apparenter quidem discere quærentes, occulte vero insidiantes, discipulos suos omnino munit, vt caueant sibi ab hypocrisi illorum, ne imprudẽter in eam incidant. De hoc autẽ fermento etiam illis præcepit trigesimo secundo capite euangelij secundum Matthæum.

F

Matth.16 *Nihil enim opertum est, quod non reuelabitur: nec occultum, quod non cognoscetur.* Etiam hæc de hypocrisi dixit eorum, docẽs quod arguetur in die vniuersalis iudicij. Et quia tunc omnia cognoscentur, & opera & sermones ac cogitatus, superflua nunc est & inutilis hypocrisis.

Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine audiẽtur: & quod in aurem loquuti estis in cõclauibus, prædicabitur super tecta. Factus quidem est ad discipulos sermo, verum & hic potius de illis dictus est, quod quæcunque apud sese cogitarent, vel etiã inter se mutuo clam communicarent. omnia tunc à deo publicabuntur, qui cuncta cognouit. Lumen enim & tecta, publicationem nominauit. Quoniã, id est propterea, quia nihil occultum

occultum erit. Hæc etiam decimonono iuxta Matthæum capite tractauit, quanquam secundum alium intellectum. A Matt.10.

Dico autem uobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent quid amplius faciant. Ostendam autem uobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem coniiciendi in gehennam, utique dico uobis, hunc timete. O immensitatem humilitatis ac dilectionis. Amicos vocat seruos, sciens quòd se ament ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Quod autem dicit, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus & cætera, dixit etiam prædicto capite decimonono euangelij secundum Matthæum: & ibi horũ quærito enarrationem. Variis enim opportunitatibus ac temporibus, Apostolos de eisdem frequenter admonebat: volens hęc animabus eorum infigi tenacius. B

Nonne quinq; passeres uæneunt paruis assibus duobus? & unus ex illis non est in obliuione coram deo. Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt, Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis. Similiter & hæc dixit eodem capite. Attamen ibi duos paruulo asse siue assario venire dixit: hic autẽ quinq; passeres paruis assibus duobus. Et verisimile est tunc aliter vænisse, nunc vero aliter. Lege ergo & eam quę ibi posita est enarrationem.

Dico autem uobis, Omnis quicunque in me confessus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur in eo coram angelis dei: qui uero negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis dei. Pari modo & hæc consequenter dixit eodem capite: sed ibi dixit Coram patre meo qui est in cœlis: hic autẽ Coram angelis dei, Est autẽ indifferens. Nam patri eius & ipsi sanctoq; C spiritui, tempore iudicij assistent simul & angeli.

Et quicunque dicit uerbum contra filium hominis, remittetur ei: conuitium uero contra spiritum sanctum ingerenti, non remittetur. Quære 22. capite euangelij secundum Matth. interpretationem illius dicti, Quicunq; dixerit contra filium hominis, remittetur ei, omnia bene ac nullo prætermisso continentem. Matth.1

Quum autem adduxerint uos ad synagogas & magistratus ac potestates, nolite soliciti esse quo aut quid respondeatis, uel quid dicatis: spiritus enim sanctus docebit uos in illa hora quæ oporteat dicere. Hæc etiam dixit decimonono capite euangelij iuxta Matth. & in eo lege dicti illius enarrationem, Quum autem tradiderint vos, nolite soliciti esse quomodo aut quid loquamini. Matth.1

D CAP. XLV. DE EO QVI VOLEBAT DIVIDERE HAEREDITATEM.

DIxit autem ei quidam de turbâ: Magister, dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatẽ. Ipse uero dixit ei, Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos? Mansuete illum, tanquam de minimis verba facientem, reiecit. Quum enim auarus esset, ac pecuniæ desiderio flagraret: quod animę necessarium erat, eiusque saluti vtile, petere omisit: corporale autem requisiuit, maiorem habens curam corporis quàm animæ. Reprehendit ergo petitionem illius Christus, respondens quod nõ pecuniarum aut possessionum diuisor, sed regni cœlestis tanquã hæ- E reditatis dator aduenisset.

e auaritia. *Et ait ad illos, Videte & cauete uobis ab auaritia.* Opportune sumpta occasione apud discipulos protestatur: Auaritiam vocans plus habere quàm quod sufficiat aut sit necessarium.

Quia non in abundantia cuiusquã uita eius est ex his quæ possidet. Nõ quia homo quispiã diuitiis abundat, vita eius abundat ex tali abundantia eius. Admonet itaq; ab auaritia fugiendum, quia non secundũ hanc accedit vitæ mensura. Deinde etiã parabolam profert, ostendentem ꝙ auaritia solicitudinem quidem adfert ac mœrorem: vitam vero addere non potest. Itaq; auarum esse non solum inutile est, verum etiam nociuum.

F CAPVT XLVI. DE DIVITE CVIVS AGER FERAX FVIT.

DIxit autem ad illos similitudinem dicens: Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus prædium attulit. χώραν prædium vocat, terram siue agrum.

Et cogitabat intra se dicens, Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Quum omnes fructus præ auaritia habere vellet, sed præ multitudine non posset, hæret & angitur tanquam admodum pauper, qui nimium erat locuples. Cognoscit enim quod non nimia tantũ penuria, sed nimiæ quoq; diuitiæ angere solent: ibi quidẽ ob rerum necessariarũ penuriam: hic autem ob facultates superfluas, vbi rationem non habuerint quæ gubernet. Considera etiam

etiam mihi profundam insipientiam. Quum enim veteres fru A ctus euacuare oporteret in ventres pauperum: aut etiam de his qui nuper culti erant partem erogare pauperibus, & ita locum facere etiam abunde patentem, ac deo gratias agere ob fertilitatem: hoc ille non cogitauit, auaritia obtenebratus, sed alium locum extruere meditatur conuenientem.

Et dixit: Hoc faciam: Diruam horrea mea, & maiora extruam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi. Imprudenti vsus consilio, considerauit quo pacto solus omnia reciperet, vt omnes vtilitate, quæ posset à fructibus prouenire, fraudaret: non perspiciens quod non ipsi soli, verum etiam indigẽtibus ager suus vberes fructus attulerat: neq; vt fructus lucrifaceret, sed vt ipsos dispensaret, ac pauperibus diuideret. Si enim ipsi soli fertilis fuisset, certe ea tantum produxisset, quæ illi satis B fuissent.

Et dicam animæ meæ, Anima habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe gaude. O diues habes quidem multa bona: vnde autẽ nosti quod reposita sint in annos multos? ipsi enim fructus tuq; cum ipsis, corruptibiles estis ac temporales: ideoq; merito stultus vocatus es.

Ait autem illi deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te. Hæc ei dixit per conscientiam: tunc enim conscientia mortem sentiens talia disserit. Et vide quo modo non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet, & quomodo superflua solicitudinem quidem ipsi conciliauerunt, vitam vero addere non potuerunt. C

Quæ uero parasti, cui cedent? Non solum quæ recondidisti De malo tibi non cedent, tua non erunt, sed nec tibi manifestum est cu thesauro ius hæc erunt, vtrum hæredis, an peregrini: amici, an inimici: quod ipsum etiam mœrorem adauget.

Sic est qui sibi recondit, nec apud deum ditescit. Qui thesauro fidit, & in deum non habet fiduciam, qui sibi in futurum temporalia reponit, & secundum deum non ditescit: diuitiæ vero secundum deum, sunt acquisitio virtutum.

Dixit autem ad discipulos suos: Propterea dico uobis, Ne soliciti sitis animæ uestræ quid edatis, neque corpori uestro quid induamini. Anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm indumentum. Hæc quoque dixit quinto iuxta Matthæum capite: & in eo quære Matth.6. dicti illius expositionem: Propterea dico vobis ne soliciti sitis animę

tis animæ vestræ quid edatis aut quid bibatis, neque corpori vestro quid induamini &c.

De corvis. *Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus penu non est, aut horreum, & deus pascit illos: quanto magis uos pluris estis quàm uolucres?* In illo etiam de his inuenies.

Quis autem uestrûm solicitudine sua potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis? De hoc quoque ibi dictum est. Minimum autem vocat adiectionem quãtitatis cubitalis ad staturam.

De liliis agri. *Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem uobis, neque Solomon in omni gloria sua uestitus est sicut unum ex istis. Quod si herbam quæ hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur deus sic uestit, quanto magis uos ô parum fidentes?* E De his etiam prædicto capite disputauimus.

Et uos nolite quærere quid edatis aut quid bibatis, & ne extollamini: hæc enim omnia Gentes mundi requirunt: pater autem uester nouit quod his indigeatis. Veruntamen quærite regnum dei, & hæc omnia adiicientur uobis. Præterea & de his: ibi ergo lege omnium horum enarrationẽ diligenter expositam. μετεωρίζεσθε autem (pro quo extolli vertimus) hic mihi intellige à cœlestibus distrahi ad terrena.

De pusillo grege. *Ne timueris pusille grex.* Postquàm à corporali solicitudine abduxit, iubet non timere indigentiam corporalis necessitatis: pusillum gregem vocans congregationem fidelium, collatam ad magnitudinem angelicæ multitudinis. In parabola siquidem, angelos, nonagintanouem oues appellauit, F fideles vero, vnam. Vel etiam ad magnitudinẽ multitudinis infideliũ. Aut propter voluntariam deiectionẽ huiusmodi gregis. Deinde causam etiam addit, cur timere non oporteat.

Quia complacitum est patri uestro dare uobis regnum. Quod si adeo magnam ac præcellentem fruitionẽ tribuit, dabit vtiq; & necessaria, vitæq; sufficientia.

Vendite possessiones uestras, & date eleemosynã. Hoc præceptum ad eos qui habent dirigitur.

Facite uobisipsis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non accedit, neque tinea corrodit. βαλάντιον est ipse thesaurus. Nõ veterascens, idem est quod nõ deficiens: secunda itaq; particula interpretatiua est primæ. Lege

præterea quinto iuxta Matthæum capite interpretationẽ eius A quod dicit, Ne recondatis vobis thesauros in terra &c. vbi etiam de his quæ sequuntur inuenies.

Vbi enim est thesaurus uester, ibi & cor uestrum erit. Consequenter ibi etiam de his dictum est.

Sint lumbi uestri præcincti & lucernæ accensæ. Quum præcinctos esse iubet, practicam siue operatiuam proponit virtutem: quum vero lucernas accendi præcipit, contemplatiuam. Solent enim qui aliquid operantur, lumbos habere præcinctos: & qui casti, modesti ac sobrij degunt, lucernas incendere: illi quidem, vt expedite operentur: hi vero, vt in luce permaneant. Aliter quoq; per lumborum præcinctionem ad concupiscibilis alligationem adhortatur: nam in lumbis concupiscibile situm est: per lucernarum vero accensionem, splendo- B rem interioris ac eloquẽtis sermonis statuit. Oportet enim vt hic semper illuminet, tum nos, tum eos qui à nobis docentur.

Et uos similes hominibus expectantibus dominũ suum, quando reuertatur à nuptiis. Per similitudinẽ significauit, vt ad occursum suũ præparentur, in omnibus bene dispositi, & expectantes eũ qui rursum è cœlo venturus est. Propter hoc enim descensum suũ, quo, longo expectatus tempore, veniet, reuersionem nominauit: nuptias vero supernã lætitiã & exultationẽ.

Vt cũ uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Hoc est, vt cognoscentes eius aduentum, prompte & cum gaudio occurrant, nullius sibi mali conscij. Præter hæc autem nihil est curiose scrutandum de parabola.

Beati serui illi, quos, quum uenerit dominus inuenerit uigilantes. C Vigilantes item, eo q; in vigilantia moriantur: quũ enim animæ virtus sit vigilantia, simul cum ea permanet. Quidam vero ex hoc reditu & aduentu ac pulsatione intellexerũt, quod Christus aduenit ad mortem iustorum: nec horum tantum, verum etiam peccatorum: & hoc ex eo confirmant quod dixerit deus diuiti, Stulte hac nocte animã tuam repetunt à te. Alij vero hunc accipiunt intellectum, vt dicant Christi aduentum esse sermonem eius, qui tunc iustos accersit ad gaudium, peccatores autem ad mœrorem.

Amen dico uobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Præcinget se, iustitia retributionis: & faciet illos discumbere, ad requiem sempiternam, tanquam

D eos qui propter ipsum laborauerunt: ac ministrabit illis, distributionem dignarum retributionum.

Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi. Quia nocti præsens vita assimilatur propter infusam ei caliginem ac errorem à dæmonibus & affectibus: merito in diuersas vigilias seu custodias ipsam diuidit. Veteres enim qui nocte vigilabãt, in tres excubias ipsam diuidebant: quidam vero in quatuor. Et primam quidem dicit statum eorum, qui ad virtutem sunt perfectiores, secundam mediocrium, tertiam postremorum: qui omnes si ita inuenti fuerint sicut ante dixit, videlicet parati mortis tempore, beati erunt, vtpote vitæ beatæ pariter participes.

E *Hoc autem scitote, quod si sciuisset paterfamilias qua hora fur uẽturus erat, uigilasset utique, & non permisisset perfodi domum suam.* Matt.24. Quinquagesimooctauo etiam capite euangelij iuxta Matthæum dixit, Illud autem scitote quod si scisset paterfamilias qua vigilia fur venturus erat, vigilasset vtique & cætera: lege ergo ibi enarrationem.

Et uos ergo estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis uenturus est. Ibi quoq; hæc dicta sunt ac declarata.

Ait autem ei Petrus, Domine ad nos dicis istam parabolam, an etiã ad omnes? Dixit autem dominus, Quisnam est fidelis dispensator ac prudens, quem præficiet dominus famulitio suo, ut det in tempore demensum cibum? Sciẽs Petrus quasdam parabolas electis proprie aptari discipulis, quasdam vero communiter omnibus,

F merito de parabola interrogat, qua videlicet dixit, Sint lumbi vestri præcincti & cætera. Quid ergo Christus? Requisito fideli ac prudenti dispensatore, deinde ipso beato prædicato, ostendit quod de ipsis dixerit parabolam: futurum enim erat vt ipsi fidelium dispensatores fierent, dantes ipsis in tempore demẽsum doctrinæ cibum. Lege autem, 58. iuxta Matthæum capite dicti illius enarrationem, Quisnam est fidelis seruus & prudens: & ibi horum omnium inuenies explanationem.

Beatus ille seruus, quem quum uenerit dominus eius, inuenerit ita facientem. Vere dico uobis, quod omnibus quæ possidet præficiet illũ. Ibi etiam hæc patefacta sunt.

Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Cunctatur dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos & ancillas, edere ac bibere & inebriari: ueniet dominus serui illius die quo non sperat, & hora qua nescit:

nescit: ac dissecabit eum, partemque eius cum infidelibus ponet. A
Consequenter etiam prædicto capite hæc dicta ac declarata sunt.

Ille uero seruus qui nouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis.
De futuris pastoribus est hic sermo, exterrens eos qui omnem dei voluntatem nouerunt, nec se præparant, hoc est non faciunt iuxta beneplacitum eius. Et protestatur quod vapulabũt multis, puta plagis, id est misere torquebuntur, quia scientes despexerunt.

Qui uero non nouit, fecit autem digna plagis, uapulabit paucis.
Atqui ignorabat voluntatem domini: sed tamen ita quoque vapulabit: quum enim scire potuisset, non sciuit: neque tamẽ B
tantum vt prior: ille siquidem despexit, hic vero segnis fuit: grauior autem est segnitie cõtemptus. Significat autem fidelem, ignorantem ex ignauia ac ruditate dei voluntatem. Infideles enim non ex segnitie dei voluntatem ignorant, sed voluntario errore ac immutabili prauitate.

Porro cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Et hoc de pastoribus dictum est: his enim magna gratia intellectus diuinæ voluntatis data est, ad eorum qui pascũtur vtilitatem: ideo etiam tanquam ab his, qui multa acceperũt talenta, multum lucri ab eis quæretur. Quod autẽ pastoribus data sit gratia, etiam Paulus dicit scribens ad Timotheum: Noli negli- 1.Timo.4
gere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est cum impositione manuum presbyterij.

C
Et cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Exemplaris quidem sermo: est autem & hic de eisdem: cui enim multam summam ad negotiationem commendauerũt, plus lucri ex negotiatione petent ab eo. Ita & Christus cui multum gratię commendauit, plus petet ab eo. Ei enim concredita est nõ solum propria salus, verum etiam populi.

Ignem ueni missurus in terram. Ignem nunc dicit fidem ac sui dilectionem, demonstrans vehementiam ac ipsius efficaciam, quam decimonono capite euangelij secundum Mat- Matth. 1
thæum appellauit gladium: ibi ergo quęre dicti illius enarrationem, Ne putetis quod venerim pacem missurus in terram: non veni pacem missurus, sed gladium.

Et quid uolo si iam accensus est? Et quid ampliusvolo? Si etiã accensus

accensus est quid amplius in mundo expecto? Hæc autem dicens significabat quod in discipulis iam accensus erat, & accensus deinceps nō extingueretur, & orbem percurreret vniuersum, quòdque iam ipse à præsenti vita transiret.

Sed baptismate habeo baptizari. Manifestius prædicit de morte sua. Baptismate baptizandus sum, quod est per sanguinem: baptisma, dixit sui occisionem, tanquam nostri purificationem.

Et quodammodo coarctor, donec perficiatur. Et veluti anxius sum propter tarditatem. Ostēdit autem quod festinaret mori pro nobis, & voluntarie seipsum traderet.

Putatis quod pacem uenerim missurus in terram? Non, dico uobis, imo separationem. Quære veluti superius diximus, decimono nō capite euangelij secundum Matthæum dicti illius enarrationem, Ne putetis quod venerim pacem missurus in terrā: non veni pacem missurus sed gladium.

Erunt enim ex hoc quinq; in domo una diuisi: tres aduersus duos, & duo aduersus tres. Hæc iuxta historiam narratione non egent, sed tantum secundum anagogen interpretanda sunt. Vna enim domus, anima est viri fidelis: quinque vero, sunt quinque eius potentiæ: puta mens, intelligentia, opinio, phātasia, & sensus: quæ ante fidei sermonem vnitæ erant: hoc est in voluptatum amore concordes. Postquam autem ad eas sermo ille peruenit, diuisæ sunt tres rationales, mens, intelligentia, & opinio: aduersus duas irrationales, puta phātasiam, & sensum, non concordes cum ipsis in affectione: hæ vero irrationales contra tres prædictas rationales, non cōsonæ cum eis in immobilitate circa affectiones, donec ratio vincat irrationalitatem. Præterea & alio modo. Quum homo habeat quinque prædictas animæ potentias, & quinque sensus corporis, visum, auditum, olfactum, gustum, & tactū: domus esse potest ipse homo. Erunt autem in ea quinque diuisi, videlicet tres rationales animæ potentiæ, mens, intelligentia, & opinio, aduersus reliquas duas, phantasiam, & sensum: duo vero præcipui corporis sensus visus & auditus, contra reliquos tres, olfactum, gustum, & tactum: repugnantes illis, ac subiicere contendentes.

† *Diuidetur pater aduersus filium, & filius aduersus patrem: mater aduersus filiam, & filia aduersus matrem: socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum suam.* † Hæc prędictis nō sunt coaptanda, sed ab alio principio legenda, ac secundum historiam interpretanda: significant enim diuisionem fidelium ab infidelibus: & quod propinquissimæ generis habitudines separabuntur. Lege autem decimonono capite euangelij secūdum Matthæum dicti illius interpretationem, Veni enim vt dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & cætera quæ præsentibus verbis plurimum conformis est. Iuxta anagogen vero pater esse potest mens †: filius autem eius, praua cogitatio, aduersus quam mouebit seditionem, negans ipsam tanquam nociuam. Mater vero cor: filia eius, praua cupiditas aduersus quam etiam ipsa insurget & ab ea aufelletur. Socrus autem sit synagoga Iudæorum: nurus eius, ecclesia Christianorum, vtpote nupta Christo, qui dictæ synagogæ iuxta humanitatem filius erat, nempe ab ipsa generatus.

† *Græcis enim νοῦς, id est mens masculinum est sicut & νόημα, id est cogitatio neutrum. καρδία uero, id est cor fœmininum, sicut ἐπιθυμία, id est cupiditas uel concupiscentia.*

† *Quomodo quum quinque prius dixerit, nunc sex adfert, tres enim binarios adducit: Non diuidit quinarium in senarium, qui à quinario oriatur: sed mysticum quiddam denotat ille quinarius: senarium uero assumit exempli gratia. Quid est ergo quod per quinarium significatur: irreconciliabilitas, fœderisque carentia post fidem, inter eos qui ante susceptam fidem uniti erant. Sicut in quibusdam quinque, puta duobus hominibus & tribus rebus, aut duabus rebus & tribus hominibus, difficilis quædam est ac impossibilis conciliatio: quum duo homines de tribus rebus dissentiunt, aut econtrario tres de duabus: omnino enim necesse est, ut una trium duobus diuidatur hominibus. uel duæ res in tres secentur, quum nullus eorum diuisam sortiri uelit, Ita & in his qui cognatione aut cōiunctione uniti erāt, dissentientibus circa fidem ac diuisis, & implacabiliter se habentibus. Erunt inquit duo super tribus id est tanquam duo homines super tribus rebus dissidentes, & rursum tanquam tres homines super duabus rebus. Deinde ponit etiam exempla cognationum ac habitudinum eorum, qui propinquissimi sunt, & sibi mutuo maxime familiares, sed diuisi acutissimo fidei gladio, quæ per prædicationem inducitur: quorum duo binariū sunt sanguine coniunctorum, tertia uero coniunctio est affinium.*

¶ *Præterea circa idem alio modo.* Duæ habitudines aduersus tres personarum combinationes. & rursum tres personarum combinationes ad-

Dnes aduersus duas habitudines: dupla siquidem habitudo est duorum extremorum processus iteratus, utpote à patre ad filium, & à filio ad patrem, & ita in cæteris. Triplex uero *personarum combinatio est, pater & filius, mater & filia, socrus & nurus. Quod autem Græce dicitur ἐπὶ significat contra uel aduersus, ut contra uel aduersus tres aut duos, ad significandam separationem uel alienationem.*

Dicebat autem & ad turbas: Quum uideritis nubem orientem ab occasu statim dicitis, Imber uenit, & ita fit: & quum austrum flãtem, dicitis quod æstus erit, & fit. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Facies cœli & terræ superficies est huius & illius. Dicit ergo, Diiudicantes apud vos præsagia, superficiem cœli & terrę nostis discernere, & ex eius obseruatione quod futurũ est prædicere: hoc autem tempus, mei videlicet aduentus, quomodo non discernitis ex obseruatione legalium librorum ac prophetalium, in quibus signa & præsagia posita sunt, quibus ipsum facile dignoscitur ab his qui aduertunt. Est autem hic sermo ad scribas, quanquam simpliciter ad turbas dictus sit.

Cur autem à uobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Ad aliũ transiuit sermonem, & exemplo notissimo admonet à satana liberari siue ab operibus eius, dicens, Quare & à vobisipsis nõ diiudicatis quod honestum est, quum facile sit ad diiudicandum?

Quum enim uadis cum aduersario tuo ad magistratum, in uia da operam ut libereris ab illo. Da operam: siue adferas laborem, diligentiam, certamen, vt ab illo libereris. Per aduersarium autem satanam indicat communem inimicum. Per magistratum vero, deum tanquam omnium dominum, ad quem abducimur cum inimico, de malis operibus nostris causam dicturi. Viam autem, præsentem vitam instabilem intelligit, in qua cum huiusmodi aduersario nostro proficiscimur. Hæc quoq; sententia alio proposito tractata est capite quinto euangelij secundum Matthæum.

Matth. 5.

Ne forte pertrahat te ad iudicem. Diabolus enim etsi dei inimicus est, tamen eius vltor est, prout Dauid docuit dicens, Vt destruas inimicum & vltorem.

Psal. 8.

Et iudex tradat te exactori. Angelo qui carceribus præpositus est.

Et exactor coniiciat te in carcerem. In supplicium.

Dico tibi

Dico tibi non exibis inde, donec extremum etiã minutum exoluas. Donec omne id sustineas ad quod cõdemnatus eras, hoc est, nunquam inde exibis: ad hoc enim condemnantur huiusmodi vt semper puniantur. Nihil autem prohibet, vt quæ dicta sunt intelligantur iuxta sensum qui datus est prædicto quinto iuxta Matthæum capite.

CAPVT. XLVII. DE GALILÆIS, ET IIS QVI IN Siloe, & cætera.

Erant autem quidam eodem in tempore nuntiantes ei de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuerat cũ sacrificiis. Hi Galilæi quum partes tuerẽtur Iudæ Galilæi, accusati sunt tanquam qui à Cæsare defeciissent, & Galilæam seditione aduersus ipsum repleuissent. Quum ergo quodam tempore congregati essent ac sacrificarent, audiuit hoc Pilatus, & ira feruens, misit in eos milites: ipsisque iugulatis, sanguinem illorum miscuit sacrificiis ipsorum. Quæ itaque ad rem gestam spectant, ita se habent. Aderant ergo quidam Iudæi nuntiantes Christo de illis, scire cupientes vtrum tanquam peccatores vltra omnes suæ regionis Galilæos hæc passi essent: ita enim ipsi existimabant.

Et respondens Iesus dixit eis: Putatis quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico uobis: imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Quum omnes simpliciter essent peccatores, soli illi passi sunt, vt & ipsi darent pœnas, & cæteri deprehensi corriperentur. Nisi ergo conuertamini à mouenda seditione aduersus regem vestrum, Christum videlicet, subiiciendo vos ipsi, & à malitia ad virtutem: omnes similiter peribitis: hoc est etiam vos in sacrificiis interficiemini, in quibus extollimini ac gloriamini. Et ita factum est. In festo enim paschæ, obsidione capti, à Romanis cæsi sunt.

Aut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloe & occidit illos, putatis quod hi debitores fuerint, super omnes homines habitãtes Ierosolymis? Non, dico uobis: imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Etiã de his erat quæstio: an propterea casum adeo

D acerbum passi fuissent, quòd essent peccatores vltra cunctos, qui Ieroſolymis habitabāt: hic enim debitores appellauit peccatores. Ostendit itaq; & de ipsis, ac protestatur, quod nisi cō uertantur, omnes similiter peribunt: hoc est & ipsi acerbū accipient finem, sicut etiam acceperunt, à Romanis misere capti. Hinc ergo discamus, quòd temporalis fratrum nostrorū exterminatio, diuinæ in omnes iræ exemplū est, facta ad correctionem nostram, propter summam dei bonitatem, nō propter sola illorum peccata. Deinde & parabolam adfert, qua ostendat, quod nisi resipuerint, peribunt.

Dixit autem parabolam hanc: Ficum habebat quidam in uinea sua plantatam, & uenit quærens fructum in ea, & non inuenit. Dixit autem ad uineæ cultorem: E *Ecce tres anni sunt ex quo uenio quærens fructum in hac ficu & non inuenio. Succide illam: ut quid etiam terrā occupat?* Per ficum infrugiferam indicat synagogā Iudæorum, foliis quidem lasciuientem ac virentem, verbis videlicet legalibus ac propheticis, sed fructum non ferentem, puta virtutem. Vinea autem mundus est, vtpote plantatus vt fructum deo proferret iucundissimum: cultor vero vineæ Christus, cuiam scilicet gerens huiusmodi vineæ, ac plantator fidelium: habere autem ficum dicitur pater: hunc namq; solum fatetur Iudæorum synagoga dominū suum. Tres vero anni, tres sunt Iudæorum gubernationes, ea videlicet qua sub iudicibus regebantur, ea qua sub regibus, & ea qua sub pontificibus. Ait ergo: Succide illam, vt quid etiam terram reddit ociosam?

F *At ille respondens ait ei: Domine sine eam & hoc anno, donec fodiam circa illam, & mittam stercora.* Precatur pro Iudæis, vt qui ex Iudæis humanitatem assumpsit: & pro cognatis iuxta carnem obsecrat, vt vel hoc anno relinquātur, videlicet tempore quo docebat: donec effoderet duritiem, quæ in anima eorum erat instrumento admonitionis, & mitteret stercora impinguantia, hoc est doctrinam quæ ad fructificationem pinguem reddit.

Et si fecerit fructum. Defectiua oratio est: deficit enim, Bene se habet res, vel bene quidem.

Sin minus, in futurum succides illam. In futurum tempus, significat autem tempus quo Iudeam obsederunt Romani: tūc enim generaliter synagogam Iudæorum excidit à terra illa: ac loco eius Christianorum ecclesiam plantauit, quæ fructū semper

semper affert. Quod si quis dicat: Non semper infrugifera A erat synagoga Iudæorum in prædictis tribus gubernationibus: quidam enim inter eos fructum attulerunt etiam tempore quo docebat Christus. Dicemus quod multorum malitia, paucorum occultat virtutem: & ex eo quòd in ipso abundat quiduis iudicatur.

CAPVT. XLVIII. DE MVLIERE CONTRACTA SPIRITVM infirmitatis habente.

Docebat autem in una synagogarum sabbatis. Et ecce *mulier erat habens spiritum infirmitatis annis decem* B *& octo.* Dæmonium imbecillitatis non sinens illam viuere cum salute.

Eratque contracta, nec omnino poterat caput erigere. Intuitus autem illam Iesus uocauit eam ad se. Misericordia motus vocauit illam.

Et ait illi: Mulier liberata es ab infirmitate tua: imposuitque illi manus: & continuo erecta est, ac glorificabat deum. Creditura erat mulier & grata futura. Siquidem etiam propter ipsum venerat, & sanata gratias agit. Ideo velociter eā curauit: verbo quidem vt deus, manuum vero impositione tanquam homo. Figurabat hæc mulier communem humanitatem, satanæ insultibus debilitatem, & ab affectibus in terram inclinatam, ac humi ad terrena contractam: nec omnino potentem ad cœ C lestia, diuina ac intelligibilia caput sursum erigere: cuius ita misere habentis, misertus est qui eam formauerat: & per euangelium ad se vocauit ac erexit: vt viam quę in cœlum ducit recta transiret.

Respondens autem princeps synagogæ, admodum ægre ferens quod sabbatho curauerat Iesus, dixit turbæ: Sex dies sunt quibus licet operari: in his ergo uenite ut curemini: & nō die sabbathi. Christo nihil dixit, veritus eximiam eius virtutem.

Respōdit ergo illi dominus: Hypocritæ unusquisque uestrum sabbatho nō soluit bouem suum aut asinum à præsepe & ducit aquatum? Hæc ergo filiam Abrahæ quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto die sabbathi? Hypocritas nominauit eos qui cum principe synagogæ erant: vtpote fin-

D gētes se legem sabbathi honorare, sed hoc prętextu suam inuidiam defendentes, ac sanitatem quæ sabbathis daretur prohibentes: quia sabbatho potissimum curabat, ideo quod tunc concursus esset turbarum: & tunc vehementer admirationi habebatur. Aut hypocritas dixit quia fingebāt se scire legem, eius autem intellectum ignorabant: si enim curam irrationalis iumenti permittebat, multo magis rationalis, quum longe prestantior sit homo iumento.

Quumque hæc diceret, erubescebant omnes aduersarii eius. Propter reprehensionem cui contradicere non poterant.

Et omnis turba gaudebat super uniuersis rebus gloria plenis quæ fiebant ab eo. Tanquam ab inuidia libera, & tanquam ab
E ipso affecta beneficio.

CAPVT. XLIX. DE PARABOLIS.

De grano sinapis.

Dicebat autem: Cui simile est regnum cœlorum: & cui assimilabo illud? Simile est grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum: & creuit ac euasit in arborē magnam & uolucres cœli nidificabant in ramis eius.

Matth.13. Hanc similitudinem vocauit Matthæus parabolam, quam tertiam ordinauit vigesimoquarto euangelij sui capite: & in ipso lege eius enarrationem.

De fermento.

Rursus dixit: Cui simile dicam regnum dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentatum est totum.
F Hoc est tota farina. Hanc quoq; similitudinē ille dicto capite nominās parabolam, quarto loco collocauit, & quære etiam ibi eius interpretationem.

CAPVT .L. DE EO QVI DOMINVM INTERROGABAT AN pauci essent qui salutem consequerentur.

ET pertransibat ciuitates ac uicos docens & proficiscens Ierosolyma. Dixit autem illi quidam: Domine an pauci sunt qui salutem consequuntur? εἰ πεῤ dixit, ponitur hoc loco pro interrogauit. Quidam autem interpretantur εἰ πεῤ ἐι, id est dixit, Sane: vt sit sensus, Dixit: Sane pauci sunt qui saluantur. A

Ipse uero dixit ad eos: Contendite intrare per angustam portam. Ad interrogationem quidem non respondit, eo quod superflua esset & insipiēs. Quid enim prodest discere pauci ne sint an multi qui saluentur: solum autem dixit modum quo posset quispiam saluus fieri, & docuit quod ad salutem ingredi oporteat per angustam portam: hoc enim potius necessarium erat discere. De angusta autē porta dictum est quinto iuxta Matthæum capite: & ibi quære dicti illius interpretationem: In- Matth. 7.
trate per angustam portam.

Quia multi dico uobis, quærent intrare, nec poterunt. Qui non per angustam portam, sed per latam plateam gradiuntur. Ibi autem & de platea inuenies. B

Quum autem surrexerit paterfamilias, clauseritque ostium, & cœperitis foris stare ac pulsare, dicentes: Domine domine aperi nobis: Et respondens dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Tunc incipietis dicere: Comedimus coram te ac bibimus, & in plateis nostris docuisti.
Ponit per parabolam timorem his imminētem qui suam negligunt salutem. Effingit enim patremfamilias sedentem, suosque amicos recipientem, deinde surgentem ac domus suæ ostium claudentem, nec aliis ingredi permittentem. Ipse ergo Christus paterfamilias intelligitur: domus autem regnum cœlorum. Per hoc ergo quòd sedet, & āmicos recipit, significatur vsque ad mundi consummationem expectare, & eos qui digni sunt recipere: per hoc vero quod surgit & ostium claudit: finis mundi denotatur. Qui autem foris stāt, dici pos- C
sunt infideles Iudæi quærentes intrare, ac dicentes ad deum: Comedimus ac bibimus coram te: sacrificantes enim edebāt ac bibebant in templo: & in plateis nostris docuisti, plateas appellantes synagogas in quibus deus eos docebat, per legales ac propheticos libros loquens, quum hi in synagogis legebantur. Possunt quoque qui foris stant dici fideles negligentes: qui comederunt ac biberunt coram eo, pretiosum eius corpus, sanctumque ipsius sanguinem: & in quorum ecclesiis ac congregationibus docuit per euangelium, aliasq; scripturas à deo inspiratas.

Et dicet: Dico uobis: Non noui uos unde sitis. Quemadmodū cognoscit cognoscentes se, ita rursum voluntarie ignorat illos, qui voluntarie ipsum ignorant: ac reprobat illos, qui se

reprobant. Voluntarie autem reprobant ipsum nõ solum infideles Iudæi, sed fideles etiam negligentes: illi quidem volũtarie excæcati, ac voluntarie obsurdescentes ad miracula & doctrinas ipsius. hi vero ex ignauia, eius præcepta spernẽtes: quanquam nouerunt quod qui ea spernit, ipsum spernit.

Discedite à me omnes qui operamini iniustitiam. Hoc est peccatum: quicunque enim peccat, iniuria afficit, aut seipsum tãtum, aut etiam alterum.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Ibi: hoc est tunc in illo tempore erit fletus, qui consolationem nõ recipiet: & stridor dentium, ex intolerabili dolore proueniens.

Quum videritis Abraham & Isaac & Iacob, omnes & prophetas in regno cœlorum, uos autem expelli foras. Hoc præsertim ad Iudæos dictum est qui insolescebant eo quòd de semine essent Abrahæ ac cæterorum.

Et uenient ab oriente & occidente & aquilone & austro: & accumbent in regno dei. Venient ad fidem, & vt deo sese gratos exhibeant, qui ex gentibus conuertẽtur à quatuor mũdi partibus, ortu & occasu, septentrione ac meridie. Per aquilonem namq; septentrionalis pars significatur, per austrũ vero meridies: accubitum autem dicit requiem ac fruitionem.

Et ecce sunt postremi qui erunt primi. Fideles ex gẽtibus: qui nunc quidem postremi videtur: vtpote qui filium agnouerũt: erunt autem tunc primi, propter synceram eorum fidem.

Et sunt primi qui erunt postremi. Infideles Iudæi nunc quidem primi videntur, vtpote qui primi deum agnouerunt: nam filius meus (inquit) primogenitus Israel: tunc autem postremi erunt propter eorum infidelitatem. Intelligitur autem sermo & de fidelibus, qui in præsenti vita esse videntur postremi, erunt autem primi in futuro sæculo: & rursum econtrario.

Exod. 4.

CAPVT. LI. DE HIS QVI SVADEBANT VT SECEDERET propter Herodem.

Eodem die accesserunt quidam pharisæi dicentes ei: Exi & uade hinc, quia Herodes uult te occidere. Audito quod eiiciendi essent foras, quòdque futuri

futuri essent postremi, accensi sunt ira: & simulata beneuolẽtia suadent illi vt exeat ac secedat: hoc quidem prætextu ne ab Herode occidatur: in veritate autem ne præsens ac miracula edens, glorificetur & attrahat turbam.

Et ait illis: Ite & dicite uulpi illi: Ecce eiicio dæmonia ac sanitates perficio hodie & cras, tertioq; die consummor. Cogita eorũ versutia, clementer ac scite respõdet dicens: Ite & dicite vulpi illi: hoc est dolo morumque difficultati quæ in vobis est. Quanquam enim hic sermo Herodi videtur attribui, ad ipsos tamen respicit. Hodie vero & Cras, etsi enumeratorũ dierum significatiua apparent, attamen temporis significant brevitatem. Solemus enim quando modicum tempus indicare volumus, hodie & eras dicere. Similiter etiam quod dicit, Tertio die consummor, indicat se non multo pòst moriturũ. Hęc autem dixit vt iram aç inuidiam eorum mitigaret.

Tamen oportet me hodie & cras † & perendie ambulare. Oportet me hodie & cras, siue modico tempore operari quæ dixi: & perendie ambulare: id est insequenti die transire à vita præsenti, siue postmodum occidi à vobis, qui Ierosolymis principatum tenetis.

Quidam aiunt Hodie & Cras eum dicere de diebus quibus miracula ibi erat editurus, tertium uero eum qui post hos erat futurus, in quo consummandus erat, ac iter Ierosolyma uersus inchoaturus, ut in ea moreretur.

Quia fieri non potest ut pereat propheta alibi quàm Ierosolymis. Ironice hoc dixit obiurgans Ierusalem tanquam prophetarũ homicidam. Est autem huiusmodi sentẽtia sermonis: Quum me dicat prophetam, vtiq; occidet: impossibile enim est siue insuetum, vt propheta alibi occidatur quàm in ea.

Ierusalem Ierusalẽ quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quoties uolui congregare filios tuos, quẽadmodum auis nidum suũ sub pennas & noluistis. Hæc etiã scripsit Matthæus quinquagesimosexto capite: & in eo lege ipsorũ expositionẽ. Nidum autem vocat pullorum multitudinem.

Matt. 23

Ecce relinquitur uobis domus uestra. Deserta videlicet, sicut addidit Matthæus: vbi etiam hoc dictum consequenter declaratum est.

Dico autem uobis: Non me uidebitis donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Quousque veniat tempus quum hoc

D dixeritis. Horum autem omnium in eo loco consequenter interpretationem inuenies.

Cap.14 *Et factum est quum introisset in domum cuiusdam principis phariſæorum sabbato ad capiendum cibum, & ipſi obſeruabant eum.* Et hic phariſæus tanquam prophetam vocauit eum ad conuiuium, opinionem venari cupiés, quod ipſi non inuideret. Erant enim quidam inter phariſæos ſemimali, & qui cæteris erant præſtantiores. Sequutus eſt autem & hic Chriſtus occaſionem vtilitatis phariſæi, faciens in domo eius prandium. Cæteri vero obſeruabant eum, an faceret quippiam in ſabbato quod præter legem eſſet.

E

CAPVT. LII. DE HYDROPICO.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illũ. Erat ſtans nec audens petere curationem propter ſabbatum & phariſæos: ſolum autem apparet, vt quũ ille vidiſſet, miſeratione moueretur erga ipſum, ac hydropiſi liberaret.

Et reſpondens Ieſus ait ad legiſperitos ac phariſæos. Qui etiam ibi ſimul erant inuitati.

F *Dicens: An licet ſabbato curare? At illi tacuerunt.* Etiam alibi ſimile quid interrogati obmutuerũt: neque enim dicere poterant, quod prohibuiſſet lex benefacere in ſabbato.

Ipſe uero apprehenſum ſanauit eum ac dimiſit. Apprehendit, hoc eſt tetigit eum.

Et reſpondens illis dixit: Cuius ueſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum in die ſabbati? Hoc enim lex permittebat. Quod ſi irrationale animal à periculo extrahi non prohibebat in ſabbato, multo magis rationale, cuius commodo viuebat irrationale. O profundam ſapientiam quomodo variis temporibus ſabbato tribuens ſanitates, diuerſis ad id vſus eſt reſpõſionibus, omnibuſque inſolubilibus, docens quod à corporalibus operibus iubebat lex quieſcere, non à ſpiritualibus.

Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Quum manifeſta eſſet veritas.

CAPVT

CAPVT. LIII. DE NON AMANDIS PRIMIS ACCVBITIBVS. A

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intẽdens quomodo primos accubitus eligerent. Intendens, id eſt obiurgans aut indignans, quia primos accubitus eligebant: tunc enim eos hoc facere videbat.

Dicens ad eos. Ad vnumquemq; illorum.

Quum ab aliquo inuitatus fueris ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne quando honoratior te ſit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum inuitauit dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore poſtremum locum tenere. Admonet ne ſe honoratioribus præponant, neque ante alios ſeſe collocent. Per parabolam B autem admonitionem contexens, abſque inuidia eos redarguit: nam huiuſmodi ſunt parabolicæ admonitiones. Per nuptias vero omne prandium omnemque cœnam ſignificauit: inuitari enim ad nuptias honorificentius videbatur, quàm ad prandium aut cœnam vocari.

Sed quando inuitatus fueris, uade accumbe in poſtremo loco, ut quũ uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius: Tunc erit tibi gloria coram ſimul tecum diſcumbentibus. Dilatat ſermonem oſtendens & confuſionem ab impudentia naſci, & gloriam à verecundia: & vtrinque ad modeſtiam adhortatur. Deinde infert etiam vniuerſalem ſententiarum collectionem ad confirmationem adhortationis, dicens:

Omnis enim qui ſeſe extollit, deiicietur: & qui ſeſe deiicit, extolletur. Ille quidem deiicietur. Hic autem extolletur, non tantum apud homines recte iudicantes, verum etiam multo ma- C gis apud deum.

Dicebat autẽ & ei qui ſe inuitauerat: Quum prandiũ feceris aut cœnã, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites, † *nequãdo & ipſi te uiciſſim inuitent, ac rependatur tibi beneficium. Sed quum feceris cõuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris, quia non poſſunt repẽdere tibi: rependetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Vide totius vtilitatis argumentum. Conuiuium fecit: poſtquam enim admonuit quæ ad inuitatos maxime pertinerẽt, admonet etiam quod expedit conuiuatori. Non dixit autem, Quum nuptias † feceris,

D feceris,sed,Quū prandiū feceris aut cœnā. In nuptiis enī necessarium est amicos,& fratres, & cognatos, & vicinos diuites inuitare ad honorem nuptiarum. Quidam tamen per prādium & cœnam nuptias intelligi dicunt. Est autem docendi mos non tantum mala prohibere, sed vtilia quoque consulere: illa ne fiant,hæc vero vt fiant. Non autem in contumeliā amicitiæ,fraternitatis,cognationis, aliorumque similium hęc admonuit: sed vt quod melius est cognoscentes,id præponamus: & ne benignitatem his qui non indigent, repensionis intuitu vendamus: Deum enim potius quàm hominem curare oportet,& à deo potius retributionem quærere, quàm ab
E hominibus. Congruum etiam est vt spiritualis conuiuator pauperes conuocet, qui videlicet scientia indigent, debiles præcordiorum dissolutione,& qui in actiua vita claudi sunt, & qui in contemplatiua cæci: Nam qui tales non sunt, hoc conuiuio non indigent.

† *Si quidem qui pusillanimes sunt uocant amicos & fratres, cognatos ac uicinos diuites,ut cito ab eis sibi rependatur: qui uero magno sunt animo,longe honestius ac honorificentius operantur, quod demonstrauit dominus per eos,qui hoc faciunt erga infirmos & indigentes ac mutilos,à quibus non est retributio,quibus deus in futura uita se daturum esse mercedem pollicitus est.*

F

CAPVT. LIIII. DE INVITATIS AD COENAM.

QVumque hæc audisset quidam de simul accumbentibus, ait illi: *Beatus qui prandium sumit in regno dei: At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam* †, *& uocauit multos.* Parabolam subinfert vt ostendat, quod nullus qui ei non obedierit fructur regno dei. Hominem itaque vocauit deum & patrem,tanquam humanum ac hominum amatorem. Cœnam vero magnam inef
Matth.22 fabilem regni dei fruitionem,quam ideo cœnā vocauit,quòd finem nesciat. Nā quin quagesimoprimo iuxta Matthæū capite prandiū appellauit. Et vocauit multos, puta duodecim tribus Israel: ipsæ enim ante omnes gentes vocatæ erant,vtpote populus à deo electus.

† *Vniuersorum creator & pater deus magnam fecit cœnā,hoc est dispen-*

est dispensationem euangelicā ad quam omnes cōuenirent. Cœnā autem uocat non prandiū,quia in postremis tēporibus & ad uesperā seculi. Parauit ergo peccatorū depositionem,spiritus sancti participationem,adoptionis splendorē,regnum cœlorū ac uaticinia euāgeliorū. A

Et misit seruum illum suum hora cœnæ ut diceret inuitatis: Venite,quia iam parata sunt omnia. Seruum patris dicit seipsum, eo quod serui formam acceperit: non tamen simpliciter seruum, sed cum articulo,seruum illum,qui secundum humanitatem ad Iudæos missus est, vt eos ad prædictam fruitionem vocaret per euangelium.

Et cœperunt omnes simul excusare. ἀπὸ μιᾶς ab vna, puta pactione vel fœdere: hoc est in vnum & communiter (nos Simul vertimus. B

Primus dixit ei: Villā emi,& necesse mihi est exire ut uideā illā: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo ad probandū illa: rogo te habe me excusatū. Et alius dixit: Vxorem duxi,& ideo non possum uenire. Diuersæ excusationes nihil aliud indicant,quàm varios animi morbos & affectiones, propter quas dicta fruitione priuati sunt: Nam hic quidem ista detentus,alter autem illa, tertius vero alia, euāgelium repulerunt,per quod hāc oportebat assequi fruitionem,tanquā propositis & electionibus suis contrarium. Et hic ἐρωτῶ non interrogo significat,sed Obsecro.

Et reuersus seruus ille renunciauit hæc domino suo. Hæc dixit,nō quod pater recusationem illorum ignoraret, sed propter parabolæ cōsequentiam: moris enim iis est qui ad vocādum aliquos emissi sunt,reuerti ac renuntiare de illis. C

Tūc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis,& pauperes ac debiles,claudos & cæcos introduc huc. Qui recusauerunt, erant pontifices & scribæ ac pharisæi, & quiq; honoratiores populi: hi vero qui loco illorum introducti sunt,cōmunes & abiecti ac plæbei: qui iudicantur à prioribus pauperes ac debiles,claudi & cæci, vtpote incompositi & indocti,qui potius Christo docenti obedierunt. Vel etiam de iis,qui sensibilibus huiusmodi affectionibus erant obnoxij intellige: qui ab eis liberati per fidem,introducti sunt ad dictam fruitionem.

Et ait seruus: Domine factum est ut imperasti,& adhuc locus est. Humanus ac benignus sermo est,suggerens etiā de gentibus.

Dixitque

D Dixitq; dominus ad seruum: Exi in uias & sepes & compelle intrare. Viæ, sunt habitationes gentium, vtpote non munitæ lege ac diuina custodia seu visitatione, sicut habitatio Iudæorum: vel tanquam à dæmonibus conculcatæ. Similiter & sepes, tanquam peccatorum spinis stipatæ: vel tanquam circuitum igne dignum habentes. Cogi vero iussit eos qui ex Gentibus erant, non quod violentiam inferri præceperit, sed subindicans quod vehementiorem ac constantiorem adhiberi prædicationem eis oporteat, vtpote fortiter à dæmonibus detentis, & in profundis erroris tenebris dormientibus.

Vt impleatur domus mea. Vult enim omnes introduci propter immensas suæ bonitatis diuitias.

Dico enim uobis, quod nullus uirorum illorum qui uocati erant, gu-
E stabit cœnam meam. Vt qui inobedientes fuerunt, ac vocationem siue prædicationem spreuerunt. Ob hunc ergo sermonem tota parabola composita est, quemadmodũ in principio eius diximus.

Ibant autem turbæ multæ cum eo. Alio videlicet tempore.

Et dixit illis: Si quis uenit ad me & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Sciens ipsos quidem se sequi velle, quum tamen vinculis amicitiæ ad huiusmodi personas retinerentur, manifeste protestatur quod quisquis ad se per fidem venit, nec prædictas odit personas, quum ad dilectionem erga deum sibi fuerint impedimento, & ad iter ad Christum: vel quod infideles sint, vel quod mundana sapiant,
F non potest ipsius esse discipulus. Siquidem qui illis obedit, Christo inobediens est: illi namque carnaliter eum viuere volunt, ipse vero spiritualiter eum conuersari docet. Honorandi siquidem sunt pater & mater, verum deus prior illis in honore habendus est. Per propinquiores autem personas omnem dilectam personam significauit. Addidit & quod maius est: Adhuc autem & animam suam, hoc est, suam quoque ipsius voluntatẽ, vbi diuinæ fuerit contraria voluntati. Oportet enim vere Christi discipulum in spiritualibus certaminibus, à carnis & animæ siue voluntatis amore penitus auelli.

Et quisquis non baiulat crucem suam & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Quisquis non baiulat in memoria mortem suam: per crucem enim mortem significauit, quia tunc mortis

mortis instrumentum erat crux, sicut etiam tricesimotertio A
iuxta Matthæum capite dictum est. Quisquis non baiulat sui Matth.
mortificationem eam videlicet quæ est carnis suæ aduersus voluptates. Quia vero auersio vitæ à voluptatibus, quodammodo conuersio quædam est ad laboriosam conuersationem, consolatur & docet per exemplum, quod oporteat eum qui vult eius esse discipulus præparare seipsum ad tolerantiam omnis tentationis. Scriptum est enim: Si accesseris vt seruias Eccles.2
domino, præpara animam tuam ad tentationem.

CAPVT LV. PARABOLA DE AEDIFICATIONE TVRRIS.

QVis enim est ex uobis qui uelit turrim ædificare, quin B
prius sedens computet sumptus, an habeat quibus opus est ad perficiendum: ne postquam posuerit fundamentum nec potuerit perficere, omnes qui uiderint incipiant illudere ei dicentes: Hic homo cœpit ædificare, nec potuit consummare? Sicut is qui turrim sensibilem cupit ædificare, debet primum sumptus pecuniarum numerare: ita quoque volens turrim intellectualem ædificare, puta virtutum compactionem, debet metiri primum sufficientiam quã habet ad tentationes, vt præparatus ferat facilius quum inciderint. Deinde & alio exemplo ad tolerantiam excitat.

Aut quis rex proficiscens, ut committat prælium aduersus alterum De rege
regem, nonne sedens prius consultat an possit cum decem millibus oc
currere ei, qui cum uiginti millibus uenit contra se. Pari quoque C
modo quemadmodum rex ad prælium proficiscens debet primum consultare, ita & hic primum consultare debet, an possit cum paucis euangelij præceptis resistere satanæ, qui cũ multis dæmonibus & machinis ac affectionibus, venit contra se.

Alioqui adhuc illo longe agente, legatione missa rogat ea quæ pacis sunt. Rursum ἐρωτᾷ significat precatur aut petit. Hæc autem addidit, non adhortans vt qui non possint occurrere, pacem ineant cum satana: quonam enim modo id fieri potest, quum ille homines enecet, ac perdat animas? Sed exẽpli consequentia vsus est, sicut etiam fecit superius: simul etiam ad confusionem eorum qui postquam facti sunt discipuli, emolliuntur. Nam & hic est modus loquendi ad generositatem

excitans

D excitans quo dicere solemus: Melius est hoc vel illud facinus non inchoare, quàm non perficere, posteaquam inchoaueris: præsertim quum hic sit sermo de eo qui vere discipulus est aut esse cupit. Qui enim non renunciat, veluti docuit Christus non est vere discipulus: qui autem non est vere discipulus, sed nomen ferens discipuli, opera vero habens quæ non respondeant illius operibus, pacem facit cum satana, perpetrando quæ illi grata sunt.

Ita ergo omnis ex uobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ita: sicut superius protestatus est dicens: Si quis non facit hæc & illa, nō potest meus esse discipulus.

e sale. *Bona res est sal.* Salem nunc vocat aptum ad docendum
E sermonem. Scripsit autem & Marcus circa finem vicesimiseptimi capitis sui euangelij Bona res est sal: & ibi quære huius
arci.9. enarrationem.

Quod si sal ipse insulsus fuerit, per quid condietur. Eodem capite etiam de hoc dictum est.

Neq; in terram neq; in sterquilinium utilis est. Terram nunc dicit discipulos vtpote impinguatos ac commodo affectos. Dicit ergo: Si sermo aptus ad docendum prauis dogmatibus corrumpatur: neque iis qui discunt conueniens aut vtilis est: neq; iis qui docent.

Foras proiiciunt illum. Tanquam inutilem.

Qui habet aures ad audiendum audiat. Hoc frequenter de-
ap.15. claratum est.

F *Appropinquabant autem ad eum omnes publicani & peccatores ut audirent illum. Et murmurabant scribæ & pharisæi dicentes: Hic peccatores recipit & cibum capit cum illis.* Etiam decimoquarto iuxta Matthæum capite dixerunt discipulis eius: Quare cũ
atth.9. publicanis & peccatoribus cibum capit magister vester?

CAPVT LVI. PARABOLA DE CENTVM OVIBVS.

Dixit autem eis parabolam hanc, dicens: Quis ex uobis homo est qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne relinquit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ periit, donec inueniat eam? Parabolice os

illice os illis occludit, docens q̃ non propter iustos humanitatem assumpserit, sed propter peccatores. Hanc autem parabolam scripsit & Matthæus tricesimooctauo sui euangelij capite, & ibi lege eius enarrationem quæ pulchre posita est. A Matth.18

Quumq; inuenerit, imponit in humeros suos gaudens. Euidens signum dilectionis est ac prouidentiæ, quam habebat erga genus nostrum.

Et ueniens in domum conuocat amicos ac uicinos dicens: Congaudete mihi quia inueni ouem meam quam perdideram. Domum eius intellige cœlum, Qui habitas, inquit, in cœlis. Amicos autem ac vicinos dicit angelos: amicos, tanquam ea diligentes quæ ille diligit: vicinos, tanquam illi propinquos. Hæc autem per parabolam nunc significat, ostendens quod in tali inuentione etiam angeli dei congaudent, vtpote & ipsi benigni erga homines. Psal.118. B

Dico uobis quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente, magis quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. Ita: Quomodo? Sicut docuit parabola. Perditur itaq; rationalis ouis, quum à diuinis præceptis longe separatur: inuenitur autem, quum per pœnitentiam resipiscit, & in illis reponitur. Deinde alteram quoq; adducit parabolam, de gaudio quod de eius qui perierat inuentione exoritur.

Aut quæ mulier habens drachmas decem: & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & uerrit domum, quæritque diligenter donec inueniat? Et quum inuenerit, conuocat amicas ac uicinas dicens: Congaudete mihi quia inueni drachmam quam perdideram. Sicut prædicta facit mulier, ita fecit & filij dei humanitas, siue benignitas. Perdidit enim drachmam vnam puta humanam naturam, quum affectionibus obruta esset. Accendit lucernam: hoc est, ostendit in mundo suam carnem, iuxta Gregorium Theologum splendentem non solum fulgure diuinitatis, verumetiam lumine puritatis, & illuminantem eos qui errore obtenebrati erant. Verrit domum, siue purgauit hominum habitaculum, puta mundum, quum diffusas in eo peccati tenebras abegit, iacentesque affectionum sordes extulit. Et quærendo diligenter, circumeundo ciuitates ac vicos, & mittendo discipulos in mundũ vniuersum, inuenit quod quærebat: & conuocauit amicas ac vicinas, puta administratorios exercitus, ad communionem huiusmodi gaudij. Dedrachma. C

Ita dicq

D Ita dico uobis gaudium erit coram angelis dei super uno peccatore resipiscente. Gaudium erit non solum super multis, sed etiam super vno. Id autem ostendit deum vehementer sitire cuiusuis peccatoris pœnitentiam. Drachmas autem nominauit ordines, vtpote dei regis characterem habentes, ac imaginem. Quidam itaque centum esse omnes ordines senserunt, ad parabolam centum ouium attendentes: quidam vero alteram decem drachmarum parabolam in patrocinium assumentes,

De ordinibus angelorũ & hominũ.

decem hos esse dicunt: nouem quidem cœlestes iuxta Dionysium Areopagitam: Thronos Cherubim, Seraphim, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Archangelos & Angelos: decimum vero terrenum puta homines. Ego vero opinor & Centum & Decem in his parabolis non significare numerorum diuersitates, sed tantum multitudinem ordinum perfectam: est enim perfecta multitudo & centum & decem: Multitudinem autem ordinum perfectam esse dicimus: quia tot sunt quot esse oportuit. Sed quomodo dixit, Inueni drachmam quam perdideram, quum non omne genus resipuerit? Dicimus quod quantumcunque fuit quod inuenit, id drachma erat perdita: hoc enim merito drachmam perditam appellauit.

E

CAPVT LVII. DE DVOBVS FILIIS QVORVM IVNIOR LVXVrioſe vixit.

F

Dixit autem: Homo quidam habebat duos filios, & ait adolescentior illorum patri: Pater da mihi portionem substantiæ quæ mihi obuenit. Aliam quoque inducit plurimæ vtilitatis parabolam: quæ vim pœnitentiæ eorum qui peccauerunt submonstrat & diuinæ benignitatis magnitudinẽ: & per hanc peccatores ad pœnitentiam adhortatur: hominem quidem appellans patrem ac deum qui humanus est, duos autem filios eius omnem iustũ, omnemque peccatorem: est enim & iustorum pater & peccatorum, vtpote per lauacri regenerationem ab ipso adoptatorum, de fidelibus enim sermo est. Iuniorem vero nominauit peccatorem, † vt qui pueriliter sapit facileque fallitur: qui etiam

†

etiam substantiæ partem quæ sibi obueniebat petiuit: hoc est, liberum arbitrium quod ei ex natura debebatur. Quisquis enim pueriliter sapit, liberum poscit arbitrium. † Aut obtingentem substantiæ partem dicit debitam ex baptismo gratiã. Cuiuis enim baptizato diuina datur gratia. Substantia autem siue diuitiæ dei, sunt charismata, id est, dona quæ diuidit fidelibus.

A

†

† *Non quia tempore iunior, sed quia sensu indigens, menteque inconstans.*

† *Ac si diceret: Nolo urgeat me seruiendi necessitas: liberum est enim mihi arbitrium: si uolo, modestus sum: si uolo cogi nequeo. Pater ergo candide impertiit: uult enim dominus ut sibi uoluntarie seruiatur. Deinde peregre profectus est. Quo? Non à loco ad locum, sed mente discessit à deo, & deus ab illo: propter quod etiam facta est illi fames ualida: non fames panis & aquæ, sed fames audiendi uerbi dei: quia fames bonorum uehemens est.*

†

Amos.8.

B

Et diuisit illis substantiam. Liberum videlicet arbitrium illis diuisit. Substantiam nanq; aut facultates filiis diuidere nihil aliud est quàm libero arbitrio illos relinquere: neminem enim cogit deus qui ipsi nolit obedire. Aut etiam diuisit eis congruentia dona prout dictum est.

Et post dies paucos adolescentior cõtractis omnibus peregre profectus est in regionem longinquam. Senior quidẽ apud patrem remansit, tanquã prudens: iunior vero congregatis omnibus, puta libero arbitrio, ac dei dono: vel omnibus suis voluntatibus: id est, dominus illorum constitutus, peregre profectus est ad peccatum, quod à deo longe separatur: longe enim fiunt à deo qui peccant: non loci segregatione sed virtutis.

C

Ac ibi dissipauit substantiam suam. Corrupit donum quod à baptismo susceperat, puta animæ nobilitatem, ad virtutes aptitudinem, Hæc enim & similia erant eius substantia ac diuitiæ.

Viuendo luxuriose. Prodigaliter, intemperanter, libidinose, lasciue.

Quumque omnia consumpsisset. Quum abiecisset aut repulisset quæcunq; habebat à deo bona.

Facta est fames ualida in regione illa. Vbi enim diuini timoris frumentũ non seritur, ibi fames valida, non panis sed virtutis: vbi fertilitas omnis mali, ibi sterilitas omnis boni.

D *Et ipse cœpit egere.* Fame premi, dilapso ab eo omni bono, solaq; incontinentia derelicta.

Et abiit & adhæsit uni ciuium regionis illius. Ciues regionis illius puta peccati sunt dæmones. Distractus ergo à patre, O magnam dementiam, adhæsit inimico: & qui non sustinuerat parere deo humanissimo, seruiuit inhumanissimo dæmoni.

Atque is misit eum in uillam suam ut pasceret porcos. Ita dæmones remunerant eos qui sibi adhærent. Significat autẽ sermo extremam miseri seruitutem, cui indignissima præcipiuntur. Propterea enim dilatat Christus parabolam, & minutatim amplificat quę calamitatis erant: vt discamus qualia patiantur ij qui à dei præceptis recedunt, & suis voluntatibus
E gradiuntur. Potest quoq; villa dæmonis dici indigna conuersatio: porci vero voluptates ac lutulentæ cogitationes: quas miser pascere ac fouere iussus est.

Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis quibus porci uescebantur. Siliquæ iuxta anagogen voluptates sunt, quibus prędictæ cogitationes nutriuntur. Quemadmodum enim siliquæ ad breue spatium gustui dulcescunt, deinde vtplurimum constringunt: ita & in his quod suaue est, primum & ad tempus habent: quod autem amarum & acerbum, posterius est ac æternum.

Nec quisquam illi dabat. Nullus illi dabat ad satietatem: huiusmodi enim dæmones neminem sinunt satiari voluptatibus ne citius à peccato quiescat: semper enim excitant appetitum ac defatigationem suscitant.

F *In se autem reuersus.* Sui compos effectus: hoc est, tanquam expergiscens ab ebrietate grauique somno, & respiscens.

De pnĩa. † *Dixit: Quam multi mercenarii patris mei abundant panibus: ego uero fame pereo.* † Mercenarios intelligimus eos qui adhuc sunt catechumeni: & nondum per baptismum adoptati quibus merces fidei datur, puta adoptio: panes vero, doctrinas animarũ nutritiuas. Dicit ergo ab intimo cordis: O quot mercenarij patris mei non modo cibum habent animarum, sed & delitias: id enim significat Abundare: ego autẽ qui filius sum, fame pereo. Hæc & ea quæ sequuntur parabolice narrans saluator, veræ pœnitentiæ figuram nobis tradit.

Surgens

Surgens ibo ad patrem meum. † Surgens à casu peccati. A †

† *Honeste eo reuertar unde male exiui.* †

Dicamq; illi: Pater peccaui in cœlum. † Præponens videlicet illi terram, siue bonis cœlestibus terrena. †

† *Timeo enim firmamenti aspectum, tanquam accusatoris uocem.* †

Et coram te. † Hoc est in te, vt qui tuam voluntatem posthabui meæ. †

† *Vereor tuæ diuinitatis lucem intueri: sordidos enim habeo corporis & animæ oculos.* †

Nec posthac dignus sum qui uocer filius tuus. Quia tali patre indigne conuersatus sum.

Fac me sicut unum de mercenarĩs tuis. † Ex quo primo ordine excidi, dignare me vel secundo: tantum ne penitus abiicias me. Placabilis est sermo, & cor attingens paternum. B

† *Hoc est, ne me ab atrio tuo expellas domine: ne inuentum me rursum errantem, inimicus tanquam captiuum abducat.* †

Et surgens uenit ad patrem suum. Venit: hoc est, veniebat sumpta fiducia de illius misericordia: oportebat enim non solum bene velle, sed & quæ animo concepta sunt operari.

Quum autem longe adhuc abesset, uidit illum pater eius. O visum compatientis acutissimum. Simul vt quis respiscere in animo cogitauit, hunc etiam simul ipse vidit: paratus semper ad eorum qui conuertuntur susceptionem, & ab exordio statim pœnitentiæ illos recipiens. Hinc ergo parabola incredibilem manifestat misericordiam, ac incomparabilem cœlestis patris amorem, & quantam qualemq; demonstret erga eos qui conuertuntur compassionem.

Ac misericordia motus est. Pater enim erat: nec id tantum, C sed & deus misericordiæ.

Et accurrens ruit in collum eius, & osculatus est eum. Præ nimio gaudio, non expectauit vt ille veniret, sed prius occurrit: neq; id vtcunq;, sed & accurrit, vt appareat amoris vehementia: & ruit in collum eius, certiorem eum reddens, quod omne peccatum illi remisisset: & osculatus est eum, tanquam desideratum filium, qui vsque ad pœnitentiam sceleratus fuerat & abominabilis. O admirandam reconciliationem. Quid Nota. dicam, aut quid loquar de ineffabili dei benignitate? Nã vbi ad immensum illius pelagus respicio, sermo mihi præciditur, neque quid loquar mihi reliquum est: solum autem hoc clara

D ac libera voce clamo, quod res magnas efficit pœnitentia, facile eum flectens qui facilis est vt flectatur, benignum videlicet deum nostrum. Homini vero maxime congrua sunt præ dicta, quæ eum fecisse dicit ad manifestiorem compassionis ac reconciliationis ipsius doctrinam, quum etiam in principio parabolæ hominem eum supposuerit.

Ait autem illi filius: Pater peccaui in cœlum & coram te, nec posthac dignus sum qui uocer filius tuus. Quæ dicere cogitauerat, ea nunc toto corde dicit, vt hinc discamus, quod oporteat etiã post reconciliationem toto corde fateri quod peccauerimus, nosq; ipsos condemnare.

Dixit autem pater ad seruos suos. Ad ecclesiæ sacerdotes: nam hi deo ministrant ad eorum qui conuertuntur sa-
E lutem.

Proferte stolam primam & induite illum. Primam, preciosissimam, quæ est purificatio aut gratia qua custodiatur, quam perdidit à patre separatus, fidem, veritatis cognitionẽ: & induite illum, qui seipsum exuit.

Et date annulum in manum eius. Arrhabonẽ familiaritatis erga deum, aut signaculum ad operationem eius, ne ipsa insidiis appetatur.

† *Et calciamenta in pedes.* † Id est, custodiam ad iter con-
phe. 6. uersationis suæ.

† † *Vt his calciatus in præparatione euangelii pacis, conculcet serpentes ac scorpiones, hoc est, contrarias potestates.*

Et adductum uitulum illum saginatum mactate. Vitulus sagi-
F natus sanctum Christi corpus est: vitulus quidem, tanquam non domatus iugo ac pondere peccati: saginatus vero, tanquam virtutibus impinguatus, ac seruatus, vt pro peccatorib⁹ immoletur.

Ac epulantes lætemur. Edere quoq; ipse dicitur ad lætitiæ communicationem.

Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Mortificationem quidem ac perditionẽ dicit eam, quæ à peccato procedit: viuificationem vero ac inuentionẽ, eam quæ à pœnitentia.

Cœperuntque lætari. Hoc manifestum est.

De senio e filio. *Erat autem filius eius senior in agro.* In agro virtutum, exercens ac colens illas.

Quumq;

Quumque ueniens appropinquasset domui, audiuit Concentum & A *choros.* Talis quidem, venit felicitate prouectionis: perfectione autem appropinquat domui dei, & audit musices concentum propter filij erga patrem concordiam, qua per pœnitentiam concors factus est: choros vero propter gaudium quod inibi erat: Nam in domo dei sonus est pure festa celebrantium.

Et accersito uno de seruis, interrogauit quid hæc essent. Vno angelorum accersito. Per angelũ enim reuelantur diuina mysteria. παῖδας vocat nunc seruos: nam angeli sunt serui dei.

Isque dixit illi: Frater tuus uenit. Adest conuersus.

Et mactauit pater tuus uitulum illum saginatum, quia saluum illum recepit. Abiecto morbo per pœnitentiam.

Indignatus est autem, nec uolebat introire. Assimulat hunc B parabola indignantem, nec intrare volentem: non quod inuiderit, nullus enim mœror iustis de salute fratrum, sed vt ob oculos ponat immensam dei bonitatem. Ostendit siquidem huiusmodi indignatio, quod tantã demonstrat erga eos qui resipiscunt gratiam & gaudium † vt cæteris inuidiam mouere posset. Hoc autem fecit & parabola operariorũ mercede conductorum, quadragesimo secundo iuxta Matthæum capite: nam in illa quoq; primi murmurabant.

† *Alluſio est apud Græcos inter* χάριν ἢ χαρὰν, *hoc est, gratiam & gaudium.*

Pater ergo eius egressus rogabat illum. Vtpote filiorum amator ac prudens: & eum qui conuersus est habens in honore, & eum qui permansit rogans. C

At ille respondens dixit patri: Ecce tot annis seruio tibi, nec unquã præceptum tuum transgressus sum, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis lætarer. Non dicunt hæc aut similia sancti deo, sed consequenter ad indignationem assimulata est & hæc causæ redditio, ob causam quã prædiximus. Solent enim inuidi de similibus conqueri. Quidam ergo per hœdum, minimam voluptatem intelligentes, per amicos vero voluntates: aiunt illũ dixisse: Mihi ne minimam quidem voluptatem vnquam permisisti, vt cum voluntatibus meis lætarer. Nobis autem non est curiose scrutãdum quis sit hœdus, aut qui sint amici: nam periculosæ sunt in talibus subtiles quæstiones ac disputationes, sicut in multis parabolis protestati sumus.

D *Sed quum filius tuus hic, qui deuorauit substantiam tuam cum meretricibus uenit, mactasti ei uitulum illum saginatum.* Etiam hæc eiusdem sunt consequentiæ, & similiter efficta sunt. Dei vero substantiam dicit dona vel gratiam veluti superius significatum est: meretrices autem, voluptatum amores.

At ille dixit ei: Fili tu semper mecum es. Nunquam à me discedendo, sed mandata mea semper implendo.

Et omnia mea tua sunt. Quum enim talis sis, omnia mea hæreditario iure possidebis: huiusmodi nanque filij in hæreditatem accipiunt regnum patris & dei. Ne ergo tristeris, nam in nullo affectus es iniuria. Et ita mansuete illum consolatus, deinceps etiam de his respondet, quæ in fratrem eius facta sunt.

E *Lætari autem & gaudere oportuit, quoniam frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Ostendit necessariam fuisse lætitiam & gaudium. Quis enim quum mortuũ viderit reuixisse, non lætatur? & quis vbi id quod perierat inuenerit, non gaudet? Vidisti quemadmodum & quando peregre profectus est patienter sustinuit, & conuersum immenso excepit gaudio: nec solum substantiæ rationem non repetiit, sed & donis illum dignatus est, nec solum non exprobrauit, sed insuper pro eo respondit. Vere magna est domine benignitas tua, nec vllus explicare sufficiet sermo ad gratiarum actionem illius. Vtinam autem & nos qui æqualiter cum prodigo sumus peregre profecti, ac diuitias cõsumpsimus, æqualem cum eo conuersionem demonstremus, & æquali benignitate digni habeamur.

Nota.

F

CAPVT LVIII. DE DISPENSATORE INIQVO.

Cap.16. Parabola ad Christianos.

Dicebat autem ad discipulos suos: *Homo quidam erat dives, qui habebat œconomum, & hic delatus est apud illum, ut qui dissiparet bona illius.* Parabola hæc Christianis attributa est, qui non volunt omnino possessiones ac pecunias despicere: admonens illos, vt in pauperes sint benefici. Dicta est autẽ ad discipulos, quia & hi sunt dispensatores. Representat etiam hominẽ diuitem, puta deum humanum, nulloq; indigentẽ: œconomum vero

vero siue dispensatorem, omnem qui possidet diuitias: tales enim non sunt domini sed dispensatores. Dicit namque deus: Meum est aurum, meum est argentum. Delatus est autem apud deum malus dispensator de mala dispensatione, vt quĩ dissiparet quæ dei erant, in ea quæ non oportuit, nec superflua pauperibus distribueret. A Aggæ.2

Et uocauit eum, dixitq; illi, Quid hoc audio de te? redde rationẽ dispensationis tuæ. Hæc illi per diuinas dixit scripturas, quę de futuro docent iudicio, & de redditione rationis.

Neque enim posthac poteris dispensare. Morte propemodũ tetransferente.

Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus auferet à me dispensationem? Fodere non ualeo, mẽdicare erubesco. Post mortem enim nemo poterit operari: nam præsens tempus operationis est, futurum vero retributionis, & deprecari erit inutile. B

Scio quid faciam. Eruditus à scripturis.

Vt quum amotus fuero à dispensatione, recipiãt me in domos suas. Hi quos scio, & quos nunc dicturus est.

Et aduocato unoquoque debitorum domini sui, dicebat primo: Quãtum debes domino meo? At ille dixit, Centum batos olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam, & sedens cito scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit, Tu uero quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Dixitq; ei, Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Quisnam debitor sit olei, & quis tritici, quisve vnusquisque debitor, & quæ cautio debiti, & quare prior scripsit quinquaginta, posterior vero octoginta, ac similia quæ in præsenti reperiuntur parabola, superfluum est inquirere: siquidẽ ad nihil aliud efficta sunt, quàm vt ostendatur, quòd dictus dispensator, dũ dispensationis tempus habuit, prudenter domini rebus ad suũ commodum abusus est, & per eas in futurum suam salutem procurauit, vt hinc discant qui habent diuitias, quod oporteat eos, quum illarum dispensatores constituti sint, dum vitæ tempus habent, prudenter dei rebus ad suum abuti commodum: & per illas, pauperibus benefaciendo, in futurum salutem sibi acquirere. Beatus itaque mensura erat olei, corus vero tritici mensura. De debitoribus. C

Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quod prudenter fecisset. Quid manifeste consequatur, auditoribus reliquit co-

Universitat de Barcelona Biblioteca

D gitandum. Nam si dominus iniustitia affectus laudauit iniquum dispensatorem, qui videlicet suam ipsius salutem ex iniustitia procurauerat: multo magis de⁹ qui in nullo iniustitia afficitur, laudabit iustum siue iustitiæ dispensatorē, qui videlicet suam ipsius salutem ex iustitia dispensauerit: id enim habet iustitia, vt superflua pauperibus diuidantur.

Quia filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Filios huius seculi dicit mundo adhærentes: seculum enim nunc mundum appellauit: filios autem lucis vocat eos, qui seipsos à mundo separauerunt. Et dicit illos prudentiores esse istis in hoc solo, quod de futuro illis cura est, sicut dicti dispensatoris exemplum demōstrauit. Exhortatur autem ser-
E mo eos, qui de futuro negligentes sunt.

Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de iniquo mammona. Māmona apud Hebræos diuitiæ dicuntur. Iniquum autem dixit siue iniquitatis, quod ex iniquitate recōdatur: quæ in hoc est, quia superflua pauperibus non diuidūtur. Quum ergo inquit hactenus male dispensaueritis, & concreditas vobis iniquitatis diuitias male expenderitis: vel tandem sero facite vobis ab ipsis amicos pauperes, ad imitationē modo dictæ parabolæ.

Vt quum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Vt quum per mortem hinc demigraueritis, preparent vobis locū ad æterna tabernacula, ipsi prius hospites ibi facti.

Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est: & qui in minimo
iniquus est, etiam in multo iniquus est. Qui fidelis est in mini-
F mo, etiam multo dignus est. Dicit autem minimum, terrenas diuitias: multum vero, cœlestes.

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis. Male videlicet dispensando.

Quod uerum est, quis credet uobis? Veras regni dei diuitias.

Et si in alieno fideles non fuistis, quod uestrum est, quis dabit uobis? Similiter & alienum nominat terrenas diuitias, quippe quę apud illum non permaneant, qui ipsas est assequutus: nostrum autem cœlestes: vt quæ apud illum permaneant, qui ipsas accipit.

Nullus minister potest duobus dominis seruire: aut enim unū odio
habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum cōtemnet.
Matth.6. Hæc etiam dixit quinto capite euangelij secundum Matthæum: & in eo lege dicti illius enarrationem, Nemo potest duobus

duobus dominis seruire. A

Non potestis deo seruire & mammonæ. Consequenter ibi & de hoc dictum est, & data interpretatio.

Audiebant autem hæc omnia & pharisæi qui erāt auari, & deridebant illum. Vilipendebant eum, ipsi viles ac detestandi.

Et ait illis, Vos estis qui iustificatis uos ipsos coram hominibus. Qui vos ipsos iustos putatis.

Deus autem nouit corda uestra. Peccatis plena & execrāda.

Quod enim hominibus excelsum est, abominandum est coram deo. Siquidem inquit, etiā si in alio nullo deliqueritis, quàm quòd coram hominibus sublimiter sapere videmini, id abominatio est coram deo, ac detestandos facit superbos.

Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Lex prophetādi & pro- B
phetæ, qui videlicet de me prophetauerunt, vsq; ad Ioannem prophetauerunt: Nam hoc addidit Matthęus, Posthac autem Matth.11
neque lex neque prophetæ, sed quid?

Ab eo tempore regnum dei annuntiatur. Non obscure prophetatur, sed palam annuntiatur: ipse enim Ioannes illud primum annuntiauit dicēs: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Regnum vero dei nunc dicit fidem quæ in ipsum est, Matth.3
vtpote arrhabonem regni cœlorum siue fruitionis cœlestiū bonorum.

Et quilibet in illud uim facit. Omnis sapiens ad illud sibiipsi vim infert à mundi amore ac infidelitate abstractus. vos autē quum insipientes sitis & segnes, merito increduli permanetis.

Facilius est autem cœlum & terram præterire, quàm legis uel C
unum apicem cadere. Legem hoc in loco appellauit omne vetus testamentum, in quo frequenter prædictum est, quod illi à dei familiaritate excciderent. Dicit ergo, Facilius cœlum ac terra corrumpentur, quàm vel minima pars eorum quæ per scripturam prænuntiata sunt de casu illorum ob infidelitatē, concidat aut irritum permaneat.

Quisquis repudiat uxorem suam & alteram ducit, adulterium cō-
mittit: & qui repudiatam à uiro ducit, adulterium committit. Nūc quidem non interrogatus hæc dixit, in quosdā inuehens, qui in huiusmodi rebus delinquebant: quadragesimo vero capite euāgelij secundum Matth. interrogatus à pharisæis vtrū licet Matth.19
homini diuortiū facere cūvxore sua qualibet ex causa, latiorē dedit responsionem: lege ergo ibi totam eius enarrationem.

CAPVT

CAPVT. LIX. DE DIVITE ET LAZARO.

Homo quidam erat dives. Quum multa frequenter de paupertatis amore docuerit, nunc per parabolam etiam timorem duris corde ac tenacibus diuitibus incutit: de his quę adhuc futura sunt, tanquam de præteritis narrans: nondum enim eorũ quæ in vita sunt peracta, datur retributio, quum nondum adsit iudicium, aperte manifestans, quæ nam vltiones excipiant diuites, qui nullo compassionis affectu mouentur: & quæ refrigeria suscipiant pauperes, qui labores tolerauerunt. Alia E etiam vtilia per hanc discimus parabolam.

Qui induebatur purpura & byssо. Preciosissimis ac speciosissimis vestibus corpus ornabat.

Et epulabatur quotidie splendide. Precioſe.

Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus. Diuitis quidẽ nomen nõ ædidit, vtpote odio digni. Scriptum est enim, Nec memor sim nominum eorum per labia mea: mendici vero nomen addidit tanquam amore digni. Aiunt autem quidam ex traditione Hebrẽorum, quod iuxta ea tempora dives ille fuerat Ninevsis appellatus, & mendicus iste Lazarus: postquam autem vterq; mortuus est, formauit Christus parabolã de rebus ab illis gestis, & futuras ipsorũ retributiones quasi iam factas narrauit, timorem iis qui diuiti illi adhæserant, immittẽs F vt diximus, eis vero qui ad pauperem hunc attinebant, consolationem: & his autem & illis vtilitatem.

Qui iacebat ad ianuam eius vulceroſus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant à menſa diuitis: ſed & canes veniebant ac lingebant vulcera eius. Adeo debili erat corpore, vt neque canes possit abigere. O crudelitatem ac præstupore indolentiam, per quam in tantis constitutus bonis, in tot malis ac calamitatib⁹ positum despiceret, idque ad ianuam suam iacentem. Et rursum ô egregiam fortitudinem ac tolerantiam, quod quum ille ita se haberet, hic ita affectus non malediceret neque murmuraret.

Accidit autem ut moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Vt hospitem Lazarum apud hospitalem Abraham intuitus dives, osor hospitum, haberet hoc ad confutationem

futationem suæ inhospitalitatis. Obserua etiam quod peccatorum animæ violente ac dure repetuntur: Stulte inquit, hac nocte repetunt animam tuam à te: iustorum vero pie ac reuerenter ab angelis tanquàm satellitibus abducuntur. A Supra.

Mortuus est autem & dives ac ſepultus est. De mendico nõ dixit quòd sepultus sit, eo quòd vile esset pauperis sepulchrum, de diuite verò maxime, propter preciositatem sepulchri diuitis.

Atq; in inferno ſublatis oculis quum eſſet in tormẽtis, uidet Abraham eminus & Lazarum in ſinu eius. Infernũ dicit locum supplicij. Ex hac autem parabola discimus, quod in futuro seculo non solum peccatores vident iustos & iusti peccatores, sed & agnoscunt: & peccatores quidem iustorum vident fruitiones, quo magis doleant videntes quibus sint priuati bonis: iusti vero peccatorum vident supplicia, quo amplius gaudeant intuentes quanta effugerunt tormenta. Agnoscunt autem se inuicem, vt sciant inter quos sunt hi de quibus ante mortem ignorabant. Tunc autem deum non obsecrant iusti pro peccatoribus, scientes quod cum diabolo & angelis eius condẽnati sunt. Et quemadmodum pro dæmonibus supplicare vanum esset & inutile, ita quoque & pro his, sicut dixit Gregorius Dialogus †. Non dolent autem quanquam compatientes sint: tunc enim fugit ab eis dolor, mœror, ac gemitus, vt pure lætentur. Hæc quidem dicit Gregorius Dialogus. Alij vero patres dicunt, neque à peccatoribus videri iustos, neque à iustis peccatores: illi siquidem in luce degunt, hi autem C in tenebris: longe autem distant à se inuicem lux & tenebræ. Præterea quum illi sint omnino lux, nequaquam cupiũt ad tenebras prospicere: hi vero quum omnino sint tenebræ, non possunt lucem aspicere. Nam & peccatoribus doloris esset cõsolatio lux ipsa, & iustis imminutionem voluptatis adferrent tenebræ. Dicunt itaque in hac parabola proponi hoc lege parabolica, & vt terribilior ac magis persuadibilis fieret sermo. Oportet autem & hæc & illa scire: sanctorum enim sunt, & nihil pietatem lædunt. B †

† *Gregorium primum Romanum pontificem Græci cognominarũt Dialogum, ut manifeſtum eſt ex concione quadam de orando pro defunctis, quæ Damaſceni operibus inſeritur. Opinor autem id cognomi-* †

nimis

D minis ipsos illi tribuisse, quo huuc à Theologo uel Nysseno distinguerent, habentes fortassis huius libellum Dialogorum in Græcam linguam uersum.

Et ipse clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac. Vide quantum eum sapere fecit cruciatus: quem enim prope iacentem despexerat, hunc eminus acute videt. Nec tamen Lazarū deprecabatur: suspicabatur nanque quod malorum ipsi inflictorum, aduersus se memor esset: sed Abrahā obsecrat opinatus, quod hūc lateret quæ circa se contigerant. Quemadmodum autem Lazaro quum in tot malis positus esset, calamitatum erat augmentum intueri diuitem in tot bonis: ita nunc diuiti in tan-
E tis degēti miseriis, additio suppliciorum est videre Lazarum in tantis bonis.

Dixit autem Abraham, Fili recordare quod receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu uero cruciaris. Inhumanitatem huic non improperat, sed
cles.4 mansuete respōdet. Scriptum est enim, Animam humiliatam ne turbaueris. Et hunc nominat filium, vtpote patriarcha seu progenitor ipsius, & tanquam senex. Non dixit autem: Accepisti bona tua, sed Recepisti. Nā recipere ob ea ponitur quæ
ota. debentur: & hinc omnino significatur, quod & dives quanquam peccator erat, aliquam tamen habebat virtutem, pro qua bona debita adhuc viuens receperat: & Lazarus quanquam iustus erat, aliquod tamen vitiū habebat, propter quod
F adhuc viuens debita mala receperat. Siquidem nullus hominum expers est virtutis aut omnino malus: nullusque expers est vitij aut omnino bonus: ideoque iam morientes discesserunt, ille quidem meram habens malitiam, hic autem puram habens virtutem.

Et super hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, non possint: neque inde ad nos transcendere. Hiatum magnum dicit firmissimum dei præceptum, tanquam ad modum hiatus prohibens horum & illorum commixtionem.

Ait autem: Rogo ergo te pater. Etiam hic ponitur ἐρωτῶ pro obsecro.

Vt mittas ipsum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut

tres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in locum hunc cruciatus. A Repulsam passus in eo quod pro se orabat, pro fratribus supplicat insinuans, quod sicut ipse ante mortem, ita & illi pro fabulis ducunt minas, quæ in scripturis habentur de futuri seculi suppliciis: & propterea solam voluptuosam vitam insequuntur.

Dicit illi Abraham, Habent Mosen & prophetas. Mosaicos libros ac prophetias: neque enim ita tibi curæ sunt fratres vt deo, qui fecit illos, & sexcentos eis adhibuit præceptores.

Audiant illos. Quum vitam suadeant virtuti cōformem.

At ille ait: Non pater Abraham. Non audiunt illos.

Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Libris quidem non habent fidem, vtpote scriptis ab his qui viuebant & necdum ea viderant quæ in futuro sunt seculo: si quis autem ex mortuis ierit ad illos, credent, tanquam ei qui viderit vniuersa. B

Ait autem illi, Si Mosen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Siquidem Iudæi quia Mosen & prophetas non audiebant, neque iis qui à mortuis resurrexerant credebant: quin & Lazarum Marthæ & Mariæ Ioan.12 fratrem qui à mortuis surrexerat, & de rebus quæ in inferno erant loquebatur, potius occidere volebant.

Ait autem ad discipulos suos, Fieri non potest quin ueniant offendicula, uæ tamen illi per quem ueniunt. Hoc est, necesse est vt veniant. Dixit enim trigesimoseptimo etiam iuxta Matthæū capite. Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim vt veniant offendicula, veruntamen væ homini illi per quem venit offendiculum: & in eo lege interpretationem quæ pulchre posita est. C

Cap.17 De offendiculis. Matth.18

Expedit illi, ut mola asinaria alligetur ad collum eius, & proiiciatur in mare, potius quàm ut offendiculo sit uni de pusillis istis. Ibi etiam hæc paulo ante dicta sunt, & aperte declarata.

Cauete uobis ipsis. Cauete ne quo modo cuiquam sitis offendiculo, aut à quoquam offendiculum patiamini.

Quod si peccauerit in te frater tuus, corripe illum. Fraterne illum increpa, & more eius qui corrigit.

Et si resipuerit, remitte illi. Pœnitentia enim promeretur, vt veniam impetret.

Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit dicens,

rit dicens, Pœnitet me: remittes illi. Oportet enim nos qui infirmi sumus, & affectionibus vincimur, condolere his qui similiter affecti sunt. Hic autem septies, idem significat quod frequenter: hoc est quoties in die post peccatum pœnituerit eum, toties remitte illi: & ita idem indicat quod Septuagies septies. Aliter etiam: Septies quidem de vnoquoq; die dictũ est, Septuagies septies autem, de omnibus simul.

Et dixerunt Apostoli domino, Appone nobis fidem. Appone ei quam habemus deficientem: siue perfice in nobis fidem quæ in te est. Fides siquidem partim à nobis inducitur iuxta id
Mat.9 quod dicitur, Fides tua te saluam fecit: partim vero à deo da-
2.Cor.12 tur. Ait enim Apostolus Paulus, Alij quidẽ per spiritũ datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secundũ eundẽ spiritum:
E alij vero fides per eundem spiritũ. Hoc ergo scientes petunt eam fidem, quæ à deo datur, quam etiam acceperunt post superuentionem spiritus sancti in specie ignitarum linguarum. Ideo priusquam hanc accepissent exprobrabatur illis, quod pusilli essent fide: imperfecti enim ad fidem erant: addita
Mat.8 vero à deo fides, perfectio erat & confirmatio fidei prius illatæ.

De sina- *Ait autem dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis sane huic sycamino, eradicare & transplantare in mare, & obediret utique uobis.* Si haberetis fidem adeo acutam, vehementem ac feruentem, sicut est granum sinapis: nam illud talis est qualitatis, moueretis sane & arbores, illasque in mare plantaretis. Hoc autem dixit, laudans perfectam fidem, & ma
F gnam eius significans potentiam. Dixit autem de fide & gra-
Matth.17 no sinapis etiam trigesimoquinto iuxta Matthæum capite, alio tamen intellectu.

Quis autem ex uobis habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso ab agro statim dicat, Transi & accumbe, ac non potius dicit illi, Para quod cœnem, & præcinge te ac ministra mihi, donec comedero ac bibero, & postea tu comedito ac bibito? num gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerant? Non opinor. Sic & uos quum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Postquam præcedentibus sermonibus ad boni operationem discipulos excuit: hoc nunc exemplo, iactationis affectum qui hanc consequitur auellit, docens quod sicut nullus seruum suum arantem aut

tem aut pascentem, & ex agro domum reuertentem, honore A
dignum ducit ob huiusmodi laborẽ, sed rursum iubet, ac debitam adhuc exigit seruitutem, & nec sic illi gratiam habet: ad eundem sane modum & deus. Itaque secundum iustitiæ sermonem his qui præcepta non adimplent, periculum immi net: ipsa vero implentibus, gratia nulla, nec propterea extolli oportet. Quod bene sciens Paulus Apostolus dicebat: Si e- 1.Cor.9
uangelium prædico, non est quod inde glorier: necessitas siquidem mihi incumbit: væ enim mihi est si euangelium non prædicauero. Attamen quum bonus sit deus, seruis tanquam mercenariis vtitur, & seruitutem illorum mercede rependit: ac debitum obsequium tanquam facinus egregium suscipit, & præmium tribuit quod labores etiam excedat. Vincit nanque bonitas eius id, quod iustum est & æquum.

CAPVT LX. DE DECEM LEPROSIS. B

Et factum est dum iret Ierosolyma, & ipse transibat per mediam Samariam & Galilæam: quumq; ingrederetur quendam uicum, occurrerunt ei decem leprosi. Nouem quidem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus: morbi vero cõmunicatio tunc eos adunauerat, audito quòd pertransiret Christus.

Qui steterunt procul. Tanquam immundi.

Et eleuata uoce dixerũt: Iesu præceptor miserere nostri. Ἐπιστάτα, hoc est domine præceptor aut magister.

Quos ut uidit, dixit illis: Ite ostendite uos sacerdotibus. Nondum mundauit eos, sed mittit sacerdotibus manifestandos, vt C
inter eundum mundarentur. Hoc autem fecit probans fidem illorum. Illi vero credendo quòd eundo posset illos mundare, ibant non diiudicantes de eius præcepto. Manifestabãtur autem sacerdotibus qui mundati erant, vt ab illis mundi dicerentur: & tunc iuxta legem hostiam offerebant.

Et accidit ut inter eundum mundati sint. Vnus autem ex illis ut uidit quod mundatus esset, regressus est cum magna uoce glorificans deum. Magnum quendam ac magnæ potentiæ credens esse Christum, nondum tamen natura deum.

Et procidit in faciem ad pedes eius, gratias illi agens. Quum enim

D enim mundatus esset, iam appropinquabat.

Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit. Nonne decem mundati sunt? Et nouem illi ubi? Non sunt reperti qui redierint, ut darent gloriam deo, nisi hic alienigena. Hinc ostendit q magis grati sunt gentiles quàm Iudæi: hi enim beneficiũ con tinuo obliuioni tradentes, ingrati & erga patrem & erga fi lium apparebant.

Et ait illi, Surge, uade, fides tua te saluum fecit. Atqui etiam il los fides eorum saluos effecerat: sed fideles quidem decem fuerunt, solus autem hic gratus fuit.

Interrogatus autem à pharisæis, quando uenturum esset regnum dei. Quia frequenter docuerat instare regnum dei, de seipso hoc dicens: nunc interrogant eum quando regnaturus esset,
E irridentes eum, vt qui vilis appareret, & in proximo ab eis interficiendus esset.

Respondit illis, & ait, Non ueniet regnum dei cum obseruatione. Cum prospectu humano.

Neque dicent, Ecce hic, ecce illic. Quod faciunt in terrenis regibus.

Ecce enim regnum dei intra uos est. Regnum dei dicit seipsum, vtpote regem ac deum. Intra ipsos autem erat, tanquam
Ioan.1 in medio eorum conuersans: de quo & præcursor dixit illis, Medius vestrum stetit quem vos non nostis.

Ait autem ad discipulos: Venient dies quando desiderabitis uidere unum diem filii hominis, & nõ uidebitis. Pharisæis licet ir risorie interrogantibus, mansuete tamen consueraque respon
F dit clementia: discipulis vero iam prænuntiat, quod breui occidendus, non esset amplius cum eis conuersaturus: nam hoc indicat quod ait futurum esse, vt concupiscant vnum ex diebus vitæ ipsius.

Et dicẽt uobis, Ecce hic, aut ecce illic: nolite exire, neque sectari.
Matt.24 De his manifestius scripsit Mattheus quinquagesimoseptimo capite dicens, Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ & cætera. Lege ergo ibi etiam horum interpretationem.

Sicut enim fulgur coruscans è regione quæ sub cœlo est, in alterã quæ sub cœlo est fulget. Ab Orientis parte quæ sub cœlo est, in Occidentem quæ sub cœlo est fulget. Ait enim Matthæus in illo

in illo capite, Sicut enim fulgur exit à partibus Orientis, & A
apparet vsque ad partes occidentis & cætera: lege ergo ibi interpretationem, & disce quid significet huiusmodi exemplum.

Ita erit & filius hominis in die suo. Ita erit & ipse orbi vniuerso manifestus. Diem vero suum, dicit diem secundi aduẽtus sui. Illud autem caput etiam de his manifeste disserit.

Primum autem oportet ipsum multa pati, & reprobari à natione hac. Prauorum Iudæorum.

Et sicut accidit in diebus Noe, ita erit & in diebus filii hominis: e- Gene.7
debant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum usque diem quo intrauit Noe in arcam: & uenit diluuium, ac perdidit uniuersos. Manifestius scripsit exemplum hoc Matthæus quinquagesimo octauo capite: & ibi quære huius intel- B
lectum.

Similiter quoq; sicut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, eme- Gene.19
bant, uendebant, plantabant, ædificabant. Cæterum quo die exiuit Lot è Sodomis, pluit igni & sulphure de cœlo, ac perdidit uniuersos. Secundum hæc erit dies quo filius hominis reuelabitur. Quemadmodum eos qui fuerunt temporibus Noe & Lot, in delitiis agentes ac securos perdidit, illos quidem diluuium, hos vero ignis & sulphur, cœlitus repente demissa: ita & eos qui tempore secundi aduentus erunt, in delitiis agentes ac securos, perditio repentina deprehendet. θεῖον autem, siue θειάφιον (quod nos sulphur dicimus) egregium est ignis nutrimentum.

In illo die qui fuerit in tecto & uasa eius in domo, ne descendat C
ad tollendum ea. Qui à terrena conuersatione subleuatus, & sublimis vita fuerit effectus, cuius affectus in mundo relicti sunt, quibus ad peccati operationem vtebatur, ne descendat vt tollat eos, sed maneat in celsitudine, & expectet descendentem dominum.

Et qui in agro, similiter non conuertatur ad ea quæ à tergo sunt. Qui in vita sunt anachoretica siue segregata aut separata. Hæc autem præcipit propter seductiones pseudoprophetarum Antichristi, quæ tunc frequentes erunt, & vehementem ipsius Antichristi deceptionem.

Memores estote uxoris Lot. Quid videlicet illi acciderit. Quum enim deus ipsi Lot significasset vt à Sodomis omnino Ibidem.

D fugeret, propter incendium diuinitus immittendum, quod illa oppressurum erat: ac præcepisset, vt nec in tergum respiciendo progrederetur, respexit vxor eius in tergum, & facta est statua salis: statua quidem in exemplum eorum qui à salutari via ad priores mores reuertuntur: salis autem propter peccati acerbitatem.

De amore aīæ. *Quicunque quæsierit animam suam seruare, perdet eam.* Quicunque quæsierit animam suam liberare ab inductis illi propter religionē ab Antichristo periculis, perditioni futuri supplicij tradet illam, vt quæ fidem prodidit.

Et quicunque perdiderit eam, uitam illi parabit. Quisquis per martyrij mortem ipsa fuerit priuatus, hic vitam illi parabit, siue seruabit eam in futuro seculo.

E *Dico uobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes simul, una assumetur & altera relinquetur.* In illa nocte, qua? In ea quæ erit tempore secundi aduentus ipsius. De his autem qui erunt in agro, & quæ erunt molentes, manifeste dictum est quinquagesimo octauo iuxta Matthæum capite: & ibi quære dicti illius enarrationem, Tunc duo erunt in agro.

Et respondentes dicunt illi: Quo domine? Quo assumentur?

De aquilis. *At ille dixit eis: Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* Hoc est in occursum mei, ad satellitium ac præmissionem. Aquilas siquidem nominauit iustos tanquam virtutibus sublimes & regios: corpus vero seipsum, tanquam huiusmodi aF quilas congregantem. Quod autem hic habetur σῶμα corpus, Matthæus scripsit πτῶμα, hoc est cadauer.

CAPVT. LXI. DE IVDICE INIQVO.

Cap.18 *Dicebat autem & parabolam ad illos huc spectantem, quod oporteret semper orare.* Die videlicet & nocte, congruis & ordinatis temporibus.

Nec defatigari. Non deficere orantes.

Dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui deum non timebat, nec hominem reuerebatur. Vidua autem erat in ciuitate illa, & ueniebat ad ipsum dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat aliquandiu. Neque deum timebat iubentem eos vin-

eos vindicare, qui iniuria affecti sunt: neque hominē reuerebatur, qui iudicibus indignatur oppressos despicientibus. A

Post hæc autem dixit intra se: Etsi deum non timeo, nec hominem reuereor: quia tamen mihi molesta est hæc uidua, uindicabo illam, ne in finem ueniens exturbet me. In finem, hoc est prorsus aut tādem. Exturbet autem, id est grauiter aspiciat aut cogat: nam hæc significat verbum ὑποπιάζῃ.

Ait autem dominus: Audite quid iudex iniustitiæ dicat. Puta q̄ quanquam non propter dei timorem, nec hominis reuerentiam, at saltem propter molestiam ac interpellationis continuitatem, vindicaturus est illam.

Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamātium ad se die ac nocte. Interrogat hoc tanquam necessarium vt quiuis fateatur. B

Etiam quum tolerans fuerit super illis. Quanquā deus super illis primum tolerans sit, siue quasi despicere aliquanto tempore videatur, vt ipsi probentur.

Dico uobis quod faciet uindictam illorum cito. Omnino post tolerantiā faciet. Quidā vero iuxta anagogen intelligunt iudicem iniustitiæ deum: qui deum non timet, quum non sit alius deus præter ipsum: nec hominem reueretur, vtpote carens respectu personarum. Ciuitatem vero, ecclesiam dicunt fidelium: Viduam autem, quamlibet animam separatam à dæmonis coniunctione: Contrarium vero illius, diabolum. Ostendit ergo parabola, quod res sit maxime expediens orationis perseuerantia. Chrysostomus vero impium ac inhumanum dicens hunc iudicem, reiicit huiusmodi anagogen. Iesa.45

Veruntamen filius hominis quum uenerit, an reperturus est fidē in terra? Quum venerit in secundo aduentu. Interrogat autem & de hoc, non quod ignoret, sed ostendens quod tunc pauci fideles inuenientur. C

CAPVT. LXII. DE PHARISAEO ET PVBLICANO.

Dixit autem ad quosdam qui in se cōfidebant quod essent iusti, & aspernabantur cæteros parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut precarentur, unus

D *pharisæus & alter publicanus.* Apte vnum proposuit pharisæum & alterum publicanum: pharisæi siquidem iusti videbantur,& publicani peccatores.

Pharisæus stans hæc apud se orabat: deus gratias tibi ago quod non sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Talia orans nihil aliud agebat quàm quod seipsum laudabat,cæteros vero homines ac publicanum spernebat. Atqui scriptum est,Laudet te vicinus,& non os tuum, Prouc.27 alienus & non labia tua.

Ieiuno bis in sabbato. Sabbatum dicit hic totam hebdomadam.

Decimas do omnium quæ possideo. Pauperum gratia.

Et publicanus procul stans,nec oculos ad cœlum uolebat attollere.
E Non solum indignum se iudicans vt prope staret, verum etiam vt in cœlum intenderet.

† *Sed percutiebat pectus suum* † *dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Spretus à pharisæo sese magis hinc condemnabat, & percutiebat pectus suum, ostendens quod plagis dignus esset.

† *Verberans enim pectus crimina confitetur, & tanquam morbum medico manifestans,precatur sibi misericordiam exhiberi.*

Dico uobis: Descendit hic iustificatus in domum suam potius quàm ille. Hoc est,& non ille. Siquidem qui sese adeo iustificauerat,à deo condemnatus est: & qui sese adeo condemnauerat, à deo iustificatus est: & illius quidem eminentias omnes seu bona opera euacuauit iactantia: huius autem omnes defectus repleuit humilitas siue propria deiectio. Vide ergo quomodo
F breui tẽpore cordis affect⁹ & oris sermo,illius quidẽ multorũ annorum iustitias, huius vero multorũ annorum iniustitias corruperunt. Hinc itaque discamus & nos,quomodo precari oporteat,& à miserabili statione, & ab habitu miseratione digno, & à verbis placantibus potius flectamus, nec iritemus deum horum contrariis.

Quia omnis qui sese extollit,deiicietur: & qui sese deiicit,extolletur. Hæc omnino manifesta sunt.

De infan tibus. *Afferebant autem ad eum & infantes,ut eos tangeret. Videntes autem discipuli increpabant illos. At Iesus conuocatis illis dixit, Sinite puerulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est enim*
Matth.19 *regnum dei.* De his scripsit & Matthæus in fine quadragesimi ca-

mi capitis,& ibi hæc omnia explanata inuenies. A

Amen dico uobis: quicunqte non acceperit regnum cœlorum sicut puerulus,non intrabit in illud. Hoc & Marcus scripsit ad finẽ Mar.10 vigesimioctaui capitis: & ibi quære enarrationem.

CAPVT. LXIII. DE DIVITE QVI DOMINVM interrogauit.

ET interrogauit eum quidam princeps dicens: Magister bone quid faciam,ut uitam æternam possideam. Ait autem illi Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus,nempe deus. Mandata nosti: Ne committas adul- B *terium: ne occidas,ne furtum facias: ne falsum testimonium feras: honora patrem tuum & matrem tuam.* De his dictũ est quadragesimo primo capite euangelij secũdum Matthæum,& in illo omnium declarationem inuenies ad singula verba positam.

At ille dixit: Hæc omnia custodiui ab infantia mea. His autem auditis Iesus,ait illi: Adhuc unum tibi deest: Omnia quæcunque habes uende,& distribue pauperibus,habebisq; thesaurum: & ueni sequere me. Mat.19 Similiter & de his ibi ad singula quæque verba dissertum est.

Quum autem ille hæc audisset,mœrore affectus est, quia dives erat ualde. Intuitus autem Iesus quod mœrore affectus esset,dixit: Quàm difficile qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. πῶς, quàm vel quomodo: vel confirmatiuum est,ac si dicat,Vere. C Et quod dicitur οἱ ἔχοντες,qui habẽt, sumitur pro Retinent, aut Recondunt nec vtuntur: quum pecuniæ χρήματα dicãtur propter χρῆσιν,hoc est vsum: & omnino ipsis χρῆσθαι, id est vti oporteat ad id quod opus est,nõ includere,sicut etiam in dicto iuxta Marcũ capite prædiximus. Lege autem de his supradicto quoq; capite euangelij secundum Matthæum.

Facilius enim est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum dei intrare. Dixerunt autem qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? At ille ait: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum. Præterea & hæc omnia manifeste declarata sunt eodem capite. De Petri

Dixit autem Petrus: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus verbis.

D te. *Ipse uero ait illis: Amen dico uobis, quod nemo est qui reliquit domum uel parentes, uel fratres aut uxorem, aut filios propter regnum dei, qui non recipiat multo plura in tempore hoc, & in futuro seculo uitam æternam.* Consequenter eodem capite de his omnibus diligenter tractatum est, & pulchre expositum.

Assumptis autem duodecim dixit illis: Ecce ascendimus Ierosolyma: & complebuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur: quumq; flagellauerint, occident eum: & tertio die resurget. Dixit hæc & Matthæus in fine quadragesimisecundi capitis: lege ergo dicti illius enarrationem, Et quum ascenderet Iesus Ieroſolyma assumpsit duodecim discipulos suos seorsim in via, &c. Matth.20

E *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* In fine enarrationis dictorum verborum etiam de his facta est mentio, & ibi quære explanationem.

CAPVT. LXIIII. DE CAECO.

Factum est autem dum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat iuxta uiã mendicans. Audita uero turba prætereunte, interrogabat quid hoc esset. Respõderunt autẽ illi, quod Iesus Nazarenus pertrãsiret, & clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Filium

F Dauid dixit ipsum, in honorem eius: honoratissima siquidẽ erat apud Hebræos huiusmodi appellatio.

Et qui præibant increpabant eum ut taceret. Silentium imponebant ne molestus esset magistro.

Ipse uero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Multo amplius clamabat, vt vel perseuerantia flecteret.

Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se: quũq; ille appropinquasset, interrogauit eum dicens, Quid tibi uis faciam? Ipse uero ait, Domine ut uisum recipiam. Interrogauit eum, ne quis putaret, quòd aliud acciperevolenti, aliud daret. Non expectauit autem ab eo fidem: nam fidei erat perseuerans clamor.

Et Iesus ait illi, Recipito uisum. Fides tua te saluũ reddidit. Et cõtinuo uisum recepit, ac sequebatur eũ glorificans deũ. Cunctusq; populus ut uidit, dedit laudem deo. Fidem habebat nõ quod deus esset, sed quod se sanare posset: sequebatur vero ipsum tanquam gratus, & ita beneficium rependens.

CAPVT

CAPVT SEXAGESIMVMQVINTVM DE ZACCHAEO.

A

Et ingressus perambulabat Iericho: Et ecce uir nomine Cap.19.
Zacchæus, atque is princeps erat publicanorũ, & idem erat diues, quærebatque uidere Iesum quis esset, nec poterat præ turba, quod statura pusillus esset. Et præcurrens ascendit in caprificum, ut uideret illum. † Ca- †
prificus arbor erat in via sita.

† *Nam quum ille dominum Iesum conspicere optaret, & ob id in* †
caprificum ascendisset, salutis fructum in eo germinauit.

Quia illac erat transiturus. Et quum uenisset ad locum. Vbi sita erat caprificus.

Suspiciens Iesus uidit illum. Oculis humanitatis: nam prius B
viderat eum oculis diuinitatis.

Et ait illi, Zacchæe festinans descende, hodie enim in domo tua oportet me manere. Cognouit enim eum ad obedientiam esse paratum, & feruentem ad fidem, facileque à vitio mutabilem esse ad virtutem: ideo etiam vocat, & accedit vt illum lucrifaciat.

Et festinans descendit ac suscepit eum gaudens. † Gaudens nõ †
solum quod eum vidisset vt optauerat, sed quod etiam ab illo voçatus esset, quodq; ipsum susceptisset, quod nunquam fore sperauerat.

† *Vnde & statim misericors factꝰ est, & pauperũ ac pietatis amator.* †

Quumque uiderent omnes, murmurabant dicentes quod intrasset, apud hominem peccatorem diuersaturus. Mansurus ac recubitu C
rus. Publicani enim apud omnes habebantur peccatores propter suam auaritiam ac iniustitiã. Indignabantur ergo Christo, quemadmodum etiam propter Matthæum Publicanum, ac alios huiusmodi variis in locis. Ignorabant autem modum & causam ob quam Christus cum illis conuersaretur: ideo etiam hos ipse despiciebat, quum propter huiusmodi res offenderentur. Oportet enim modicum offendiculum parui ducere, vbi cuipiam magna salus accedit, nec propter rem modicam magnum perdere emolumentum.

Stans autem Zacchæus dixit ad Iesum, Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui: reddo quadruplum. O velocem mutationem, auarus factus est li-

Beralis: iniustissimus, iustissimus. O salutem quam sese ipse docuerat: neq; enim adhuc à Christo didicerat: dimidium bonorum dedit pauperibus in beneficium: dimidium vero retinuit, non vt possideret, sed quo per id exolueret in quadruplũ, lucra fraude quæsita. Quod enim hoc in loco habetur ἐσυκοφάντησα, nõ significat vane aut stulte calumniatus sum, sed, Ex iniustitia & calumnia acquisiui. Quadruplum autem reddit secundũ legem quæ quatuor oues ob vnam sublatã exolui iubebat. Audiamus qui iniuriam facimus, & vel ea quæ iniuste parta sunt, affectis iniuria restituamus: vel similem medelam illis qui iniuriam irrogauerunt offeramus.

Dixit autem Iesus ad illum: Hodie salus domui huic contigit. Domum dicit eos qui in domo erant. Hodie, inquit, salus contigit, eiecta iam perditione, quæ in ea morabatur propter auaritiam & iniustitiam.

Eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Hoc propter eos dixit qui murmurabant quod intrasset, apud peccatorem virum diuersaturus. Ait ergo, Hodie salus domui huic contigit: oportebat siquidem saluum fieri Zacchæum, quia & ipse ex genere est Abrahæ. Significat autem inductus hic sermo quod propter eos potissimum humanitatem assumpserit, qui ab Abraham descendebant.

Venit enim filius hominis ut quæreret ac saluum faceret quod periit. Quod periit ex genere Abrahæ. Ait enim, Nõ sum missus nisi ad oues perditas domus Israël. Ego vero & Zacchæus sum statura spirituali pusillus: adhuc enim humi circa terrena trahor: cupio autem Christum intueri manifeste & sicut expedit: verum ita ipsum intueri non possum, nisi ea quæ mihi ad hoc impedimento sunt fugiam, & ascendam in arborẽ, id est, supra terrena eleuer, attollarque ad cœlestia: tunc enim & ipse me ingenue aspiciet, vocabitq; ad se, & mansionem apud me faciet: talis siquidem efficitur domus dei.

Hæc illis audientibus adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, & existimarent confestim regnum dei manifestandũ. Audientes quidam ex Iudæis eum frequenter dicẽtem, quod instaret regnũ dei, suspicabantur quod propterea nunc ascenderet Ierusalem vt regnaret in ea, quod ipse sciens, per parabolam corrigit erroneam illorum opinionem: ostendens regnum suum non esse ex hoc mundo, sed cœleste ac æternum.

Caput

CAPVT SEXAGESIMVMSEXTVM
DE HOMINE QVI PROFECTVS est vt acciperet sibi regnum.

Dixit ergo, Homo quidam præclaro genere natus, profectus est in regionem longinquam. Seipsum significat, hominem quidem, vt qui humanitatem assumpsit: præclarum verò genere, vtpote filiũ dei. Profectus est autem in regionem longinquam, post resurrectionem ex mortuis, ascendẽs ab eis in cœlum †: siquidem tanquam iam facta dicit ea quæ futura sunt.

† *Nam regio longinqua alia præter terram est cœlum.*

Vt acciperet sibi regnum. Quod vt homo accepit, de quo dixit Dauid, Dominus regnauit. Et rursus, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Psal.92. Psal.109

Ac reuerteretur. In secundo aduentu suo.

CAPVT SEXAGESIMVMSEPTIMVM
DE HIS QVI DECEM MINAS acceperunt.

Vocatis autem decem seruis suis dedit eis decem minas. Numerus in hoc loco denarius, multitudinis dũ taxat manifestatiuus est, tam de seruis quàm de minis. Mina autem genus erat argentei numi. Seruos ergo dicit omnes fidelium præceptores: minas vero spiritualia dona.

Et ait ad illos, Negotiemini donec ueniam. Negotiemini per dona salutem hominum.

Ciues autem eius oderant eum. Cognati eius Iudæi.

Et miserunt legationem post illum dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Nam & prius dixerunt ad Pilatum: Non habemus regem nisi Cæsarem: & postmodum orabant ad deum & patrem, vt extingueretur etiam eius memoria. Ioan.19. Ierem.1

Et contigit ut ipse rediret accepto regno. De secundo aduentu est hic sermo, quando reuertetur cum potestate magna & gloria, sedebitque super sedem gloriæ suæ.

Iussitq; uocari ad se seruos illos quibus dederat pecuniam, ut sciret quantum

D *quantum quisque negotiatus esset.* Nam tunc rationem ponens reddet vnicuiq; iuxta opera sua.

Venit autem primus dicens, Domine mina tua decem minas acquisiuit. Per denarium numerum etiam hic multitudinem siue magnitudinem lucri significauit.

Et ait illi, Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis. Bene precantis est, vel laudantis, contrarium Væ. Bene tibi sit, quia in vna mina diligens fuisti.

Habeto potestatem super decem ciuitates. Per potestatem super decem ciuitates, variam beneficij magnitudinem ac honorem demonstrauit.

Et secundus uenit dicens, Domine mina tua confecit quinq; minas. Dixit autem & huic, Tu quoque esto super quinq; ciuitates. Con-
E formiter ad mensuram studij cuiusque mensuratur & honor ac beneficium.

Et alius uenit dicens, Domine ecce mina tua quam habui repositam in sudario. Sudarium anagogice ocium ac segnitiem & inutilitatem hoc in loco demonstrat.

Timebam enim te, quòd homo austerus sis, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Putabat enim quod sola negotiantium diligentia absque dei auxilio totũ efficeret: & quum esset austerus, repeteret ab aliis lucra in quæ ipse nihil contulerat. Hanc autem responsionem figurauit parabola, volens ostendere quod tales nihil rationabile possint respondere, sed quæcunq; responderint contra seipsos conuertentur: Nam audi quæ sequuntur.

F *Ait autem illi, Ex ore tuo iudico te serue male.* Ex verbis tuis.

Sciebas, quòd ego homo austerus sim, tollẽs quod nõ posui, & metens quod non sparsi: & quare nõ dedisti pecuniã meam ad mensam. Ad mensarios. Hi dici possunt, qui norunt diiudicare bonum à malo. Ait ergo, Quum talem me cognosceres, quanquam talis non essem, quare non potius exposuisti datum tibi donum meum ad mensarios: oportebat enim quod in te erat facere, reliquum vero mihi relinquere: efficere interim id quod erat facilius, quod autem difficilius mihi permittere, dico sane repetitionem.

Et ego ueniens cum usura utique exegissem illam. Repetiissem. Mutuũ ergo est doctrina: vsura vero huiusmodi mutui, virtutes sunt quæ ex doctrina oriuntur. Lucrum autem qua-

lemcunque

lemcunq; nominauit vsuram, communi vsus consuetudine. A

Et astantibus dixit. Ministrantibus videlicet angelis.

Tollite ab eo minam, & date illi qui decem minas habet. Tollite ab eo gratiam docendi, & date illam ad accessionem honoris ei qui decem minas habet.

Et dixerunt ei, Domine habet decem minas. Habet sufficientem honorem.

Dico uobis, quod omni habenti dabitur, & abundabit. Qui adstabant dixerunt, Habet sufficientem honorem. Ipse vero ait, Omni studium ac diligentiam habenti, dabitur honor etiam abundantior quàm illi conuenit.

Ab eo autem qui non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo. Ab eo qui studium non habet ac diligentiam, vt dictum est, etiam id quod habet, gratia videlicet docendi auferetur, tan- B quam ab illo qui ea non vtitur. Sed quare de solis tribus seruis dixit, relictis cæteris? Quia ex his facile est etiam de aliis coniectare: quotquot enim negotiati sunt, conformes ad lucrum susceperunt honores: quotquot vero ociosa ac inutilia seruauerunt dona, similia cum prædicto passi sunt. Sexagesimo autem iuxta Matthæum capite, quum similem dixisset pa Matth.25
rabolam, in fine addidit, Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium: & ibi horum dictorum interpretationem legito.

Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite coram me. Hæc cædes aut designat supplicium Iudæorum in futuro seculo, aut omnimodã eorum subuersionem sub Vespasiano & Tito. C

Et his dictis pergebat ascendens Ieroſolyma. Festinans ad passionem & crucem.

CAPVT LXVIII DE PVLLO.

ET *factum est cũ appropinquasset ad Bethsphage & Bethaniam ad montẽ Oliuarũ, emisit duos ex discipulis suis dicens: Ite in castellũ quod è regione est, in quod introeuntes inuenietis pullũ alligatum, super quem nullus unquam hominum sedit, soluite illũ & adducite. Et si quis uos interrogauerit, quare soluitis? ita dicetis ei, Quia hic domino necessarius est.* Et hoc inuenies 45. iuxta Matthæum capite, Matt.21
in quo

D in quo tota huius enarratio ad verbum expoſita eſt.

Abierunt autem qui emiſſi erant, & inuenerunt ſicut dixerat eis. Quum autem ipſi ſoluerent pullum, dixerunt domini eius ad ipſos: Quare ſoluitis pullum? At illi dixerunt: Quia hic domino neceſſarius eſt. Et duxerunt illum ad Ieſum. Ibi etiam de his dictum eſt.

Et ſuperiectis ueſtimentis ſuis, ſuper pullum impoſuerunt Ieſum. Eunte autem illo ſubſternebant ueſtimenta ſua in uia. Hæc ſubſternebat plurima turba, ſicut dixit Matthæus: nam & iſta quoque inuenies eodem capite.

Quumque iam appropinquaſſet ad deſcenſum montis Oliuarum, cœperunt omnis multitudo diſcipulorum gaudentes laudare deum uoce magna, ſuper omnibus, quas uiderant, uirtutibus. De miraculis quæ ipſo tempore viderant. Erat enim miraculum, de pullo illiusque dominis prædicere: & quum ipſe eſſet indomitus, adeo compoſite ac modeſte incedere, turbam ad tantum illius honorem attrahi, ac huiuſmodi fauſtã de eo efferri acclamationem & ſimilia.

Dicentes: Benedictus qui uenit rex in nomine domini. Matthæus autem dixit, quòd turbæ quæ præcedebant & quæ ſequebantur clamabant dicentes hoc: & ibi lege totam enarrationem illorum verborum vſq; ad eum locum: Quumque intraſſet ipſe Ieroſolyma, commota eſt vniuerſa ciuitas.

Pax in cœlo, & gloria in excelſis. In ea interpretatione etiã hæc enarrata ſunt. Videntes enim diſcipuli turbas hæc facientes, & ita clamantes, ſimul ac ſimiliter vociferabãtur, vnã cum eis numine afflati.

Et quidam phariſæorum de turba dixerunt ad eum: Magiſter increpa diſcipulos tuos. Et reſpondens ait illis: Dico uobis quod ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Lege conſequenter prædicto capite illius dicti interpretationem, Turbæ autem dicebant: Hic eſt Ieſus propheta: ibi enim hæc declarata ac manifeſtata ſunt.

Et poſtquam appropinquauit, intuitus ciuitatem fleuit ſuper illa. Sciens illam propter immenſa vitia deſtruendam, humano modo ipſam præ immenſa ſua bonitate deflet, etiã hinc oſtẽdens, qualia haberet erga ingratos Iudæos viſcera.

Dicens: Si cognouiſſes & tu. Et quidem in iſto die tuo quæ ad pacem tuam. Defectiuus ſermo eſt: deficit enim: Nequaquam perires. Conſueuerunt enim flentes verba præ affectus vehementia

mentia abrumpere. Quod autem ait, tantundem eſt ac ſi diceret: Si cognoſceres & tu in die hoc, id eſt in hoc tempore quo ego hic conuerſor: tuum enim eſt, quia propter te potiſſimum humanitatem aſſumpſi, & peregrinus effectus ſum. Si cognoſceres inquam quæ ad pacem tuam pertinent, quæ te erga deum pacificant, quæ ſunt aut fides in me filium eius, aut meæ prædicationis ſuſceptio, nequaquam perires. Quod autem interponitur, Et quidem, ſuperfluum eſt tanquam proprietas hebraicæ compoſitionis. A

Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Abſcõdita ſunt hęc ab oculis animæ tuæ: ſiue contempta, neglecta.

Quod uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo. Hæc tanquam ab exordio proprie legenda ſunt. Nam ipſum Quod, propheticum eſt hic & narratiuum. Dies itaque dicit obſeſſionis: inimicos vero illius, Romanos, qui poſtmodum in eam ſæuierunt. B

Et cingent te, ac coanguſtabunt te undique, & ſolo proſternent te ac filios tuos in te. Et filios tuos in te, videlicet ſolo proſternent.

Nec relinquent in te lapidem ſuper lapidem. Hoc eſt, lapidũ compoſitionem ſiue ſtructuram.

Eo quod non cognoueris tempus uiſitationis tuæ. Quia non agnouiſti tempus curæ tuæ, tempus namque peregrinationis meæ erat tempus curæ ſalutis tuæ.

Et ingreſſus in templum cœpit eiicere uendentes in eo & ementes, dicens illis: Scriptum eſt, Domus mea domus orationis eſt, uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronũ. Latius de his ſcripſit Matthæus in fine quadrageſimiquinti capitis: & ibi quære enarrationem. Ieſa.56. Iere.7. C

Et docebat quotidie in templo. Principes autem ſacerdotum ac ſcribæ quærebant eum perdere, & primores plebis: nec inueniebant quid illi facerẽt: uniuerſus enim populus pendebat ab ore eius, quum audiret illum. Quum ab eo doceretur.

CAPVT. LXIX. DE SACERDOTIBVS ET SCRIBIS AC SENIORIBUS QUI DOMINŨ INTERROGABÃT.

ET *accidit quodam dierum illorum quum ipſe populum docereet in templo & euangelizaret, inſtiterunt ſacerdotes & ſcribæ cum ſenioribus populi, & dixerunt ad illum: Dic* Cap.20.

D lum: Dic nobis qua auteritate ista facis? aut quis est, qui dedit tibi istã autoritatem? Dictum est de his quadragesimooctauo capite euangelij secundum Matthæum.

Respondens autem dixit ad eos: Interrogabo uos & ego unam quæstionem, & respõdete mihi: Baptismus Ioannis erat è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant apud sese dicentes: Si dixerimus, E cœlo, dicet: Quare non credidistis illi? Si dixerimus, Ex hominibus: uniuersus populus lapidabit nos: persuasum enim habet Ioannem fuisse prophetam. Consequenter in illo capite etiam hæc manifestata sunt.

Et responderunt se nescire unde. Iesus uero ait illis: Neque ego dico uobis, qua autoritate ista faciam. Similiter etiam hæc: & ibi
E lege enarrationem.

CAPVT. LXX. DE VINEA.

Cœpit autem ad populum dicere parabolam hanc: Homo plãtauit uineam, ac locauit eam colonis, & peregre egit ad multa tempora. Hæc parabola quinquagesimũ est caput euangelij secundum Matthæum: & ibi quære huius enarrationem, ad minutula vsque appositam.

Quumque opportunum esset, misit seruum suum ad colonos, ut de fructu uineæ darent ipsi: coloni uero cæsum ipsum dimiserunt inanẽ. Et rursus adhuc alterum seruum misit: illi uero hunc quoque cæsum
F *& contumeliis affectum emiserunt inanem. Rursum misit & tertiũ. At illi hunc etiam inflictis uulneribus eiecerũt.* In illo capite hęc quoque declarata sunt.

Dixit autem dominus uineæ. Quid faciam? mittam filium meum dilectum, fortassis hunc intuiti reuerebuntur. Similiter & hæc.

Quum autem uidissent eum coloni, cogitauerunt intra sese dicentes, Hic est hæres, uenite occidamus eum, ut nostra fiat hæreditas. Et eiectum eum extra uineam occiderunt. Pari modo & hæc.

Quid ergo faciet illis dominus uineæ? Veniet ac perdet colonos illos, dabitq; uineam aliis, Quod quum audissent dixerunt, Absit. Etiam de his diligenter ibi dictum est.

Psal.117. *At ille intuitus eos dixit, Quid ergo est illud quod scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, is factus est in caput anguli?* Præterea & de his.

Omnis

Omnis qui ceciderit super lapidem illum, conquassabitur: super A *quemcunque autem ceciderit, comminuet eum.* Prædicto capite postquam etiam illud addidit, quòd de hac Dauidica prophetia hic relictum est, postquam etiam dixit: Idèo dico vobis, quòd tolletur à vobis regnum dei, & dabitur nationi facienti fructus eius: tunc intulit, Et qui ceciderit super hunc lapidem confringetur: super quemcunque verò ceciderit, cõteret eum. Sunt itaque ea quæ Matthæus habet exacte recitata, quæ autem apud Marcum & Lucam habentur compen- Marc.12
diose tradita, quemadmodum frequenter diximus. Apud omnes itaque euangelistas hanc inuenimus dispensationem, vt quisque eorum interdum quidem diligenter, interdum autem compendiose rerulerint. Propositum autem verbum di- B
cto capite iuxta Matthæum declaratũ est: & ibi quære enarrationem.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ inicere in illum manus eadem hora, & timuerunt: cognouerunt enim quod in ipsos dixerit parabolã hanc. Hæc item manifestius scripsit Matthæus prædicto capite.

Et obseruantes emiserunt insidiatores qui se iustos simularent, ut caperent eius sermonem, quo traderent eum principatui & potestati præsidis. Ait Matthæus in fine quinquagesimi capitis. Tunc Matt.22
abeuntes pharisæi consilium ceperunt, vt illaquearẽt eum in sermone, & cætera. Lege ergo illorum enarrationem, & ibi etiam præsentium verborum declarationem inuenies.

C

CAPVT. LXXI. DE HIS QVI DOMINVM INTERROGABANT OCCASIONE CENSVS.

Et interrogauerũt eum dicentes, Magister scimus quod recte dicis & doces, nec respicis personam, sed uiam dei in ueritate doces. Licet nobis censum dare Cæsari an nõn? Quinquagesimo secundo capite de his manifestius scripsit Matthæus, & ibi similiter quære interpretationem.

Cognita uero illorum uersutia dixit ad eos, Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium: cuius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes autem dixerunt, Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ

sunt Cæ-

D sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Et non potuerunt uerbum eius reprehendere coram populo, miratique super responso eius tacuerunt. In illo etiam horum facta est mentio, dataque interpretatio.

CAPVT. LXXII. DE SADDVCAEIS.

Accedentes autem quidam Sadducæorum qui negant esse resurrectionem interrogauerunt eum dicentes, Magister Moses scripsit nobis, Si cuius frater mortuus fuerit habens uxorem, isque sine liberis mortuus fuerit, ut accipiat frater eius uxorem, & suscitet semẽ fratri suo.

E Septem ergo fratres erant, & primus sumpta uxore mortuus est absque liberis: & secundus accepit uxorem, isque mortuus est sine liberis: tertius quoq; accepit illam: similiter autem & cæteri septem, liberos non reliquerunt & mortui sunt. Nouissime uero omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? septẽ enim habuerunt eam uxorem. Caput hoc quinquagesimũ tertium est apud Matthæum: & ibi quære totam enarrationem.

Et respondens ait illis Iesus: Filii huius seculi ducunt uxores & nuptum dant. Hoc est, Filij huius mundi, huius vitæ.

Qui uero digni habebuntur ut seculum illud consequantur ac resurrectionem ex mortuis, neq; ducent uxores, neq; nuptum dabuntur, neq; enim amplius mori poterunt, siquidem æquales angelis erũt, & filii dei erunt, quum futurum sit ut sint resurrectionis filii. Apud

F Matthæum etiam horum facta est mentio, dataque interpretatio, vbi dicitur, In resurrectione enim neq; contrahent matrimonium, neque nuptui tradentur.

Exodi. 3. Quod autem surgant mortui & Moses innuit iuxta rubum. Id est significauit in scriptura de rubo: hæc autẽ scripta sunt in libro Exodi.

Quum dicit dominum deum Abraham & deum Isaac & deum Iacob: Deus autem non est mortuorum, sed uiuentium: omnes enim illi uiuunt. Etiam de his prædicto iuxta Matthæum capite dictum est: & ibi quære enarrationem.

Respondentes autem quidam scribarum dixerunt: Magister bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare. Ibi horum quoque facta est mentio, vbi dicitur, Quumque audissent turbæ stupuerunt de doctrina eius.

Caput

CAPVT. LXXIII. INTERROGATIO DOMINI AD IVDAEOS, quomodo dicant Christum filium esse Dauid.

A

Ait autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse Dauid, quum ipse Dauid dicat in libro Psalmorum, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Dauid ergo dominum eum uocat, & quomodo filius eius est? Psal. 10

Matthæus autem quinquagesimoquinto sui euangelij capite ait, quod congregatis pharisæis interrogauit eos Iesus dicens, Quid vobis videtur de Christo cuius filius est & cætera: ibi- B que omnia rationabiliter enarrata sunt.

Audiente autem omni populo ait discipulis suis: Cauete à scribis qui uolunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foris, primaq; sedilia in synagogis, ac primos discubitus in conuiuiis. Lege prædicto Matthæi capite dicti illius enarrationem: Dilatant phy- Matth. 2 lacteria sua & magnificant fimbrias palliorum suorum, ac de omnibus inuenies.

Qui deuorant domos uiduarum, & occasione prolixe precantur: hi accipient grauius iudicium. Quinquagesimo sexto euangelij secundum Matthæum capite dixit etiam ad scribas & pharisæos, Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia deuoratis domos viduarum & cætera: lege ergo illorum interpretationem. C

CAPVT. LXXIIII. DE VIDVA QVAE DVO MINVTA OBTVLIT.

Respiciens autem uidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam uiduam pauperculam mittentem illuc duo minuta: & ait, Vere dico uobis, quod uidua hæc paupercula plus omnibus misit: omnes enim illi ex eo quod sibi exuberat miserunt in munera dei: hæc autem ex penuria sua uniuersam substantiam quam habebat misit. De hac & Marcus quadragesimoprimo sui euangelij capite disseruit: & ibi quære totam enarrationem. Cap. 21. Marc. 12.

P Et quibus-

D *Et quibusdam dicentibus de templo quod pulchris lapidibus ac donis ornatum esset, dixit,* Ex *his quæ uidetis, uenient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non diruatur.* De his diligẽ-
Matt. 24. ter dictũ est in fine quinquagesimi sexti iuxta Matth. capitis, vbi habetur, Et egressus Iesus exiuit de templo: sequutiq; sunt eum discipuli eius, vt indicarent ei structuras templi.

CAPVT. LXXV. DE CONSVMMATIONE.

E INterrogauerũt autem eum dicentes, *Præceptor quando ergo hæc erunt? & quod signum quando hæc futura sunt?* Dicit Matthæus. 57. capite quod sedẽte eo in monte oliuarum accesserunt ad eum discipuli seorsim dicentes, Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduẽtus tui & cõsummationis seculi? & ibi ista quære.

At ille dixit, Videte *ne seducamini. Multi enim uenient in nomine meo dicentes,* Ego *sum, &,* Tempus *instat.* Ne *igitur sequamini illos.* Ibi etiam horum facta est mentio, & data declaratio.

Quum autem audieritis bella & seditiones, nolite terreri: oportet enim primum hæc fieri, sed non statim finis. Tunc dicebat eis, Surget *gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt in singulis locis, & fames ac pestilentiæ, terroresq; & signa à cœlo magna erunt.* Ibi etiam de his dictum est.

F *Verum ante hæc omnia iniicient manus suas in uos & persequẽtur, tradentes in synagogas & carceres, tractos ad reges ac præsides, propter nomen meum.* Similiter & de his.

Continget autem uobis in testimonium. In protestationem, in redargutionem eorum qui non crediderunt, ne dicere possint in die iudicij quòd prædicationem non audierint. Aut contingent vobis quæ ab illis inferentur in martyrij gloriã. (Nã Græci dicunt, Continget vobis εἰς μαρτύριον, id est in martyrium, aut in testimonium.)

Habete igitur fixum in cordibus uestris non esse præmeditandam defensionem, ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere aut resistere omnes qui aduersabuntur uobis. Os appellat verba: sapientiam verò intelligentiam verborum.

Trademini autem à parentibus & cognatis, amicis ac fratribus: & morte afficient quosdam ex uobis. Et eritis inuisi omnibus propter nomen meum. Prædicto capite etiam de his inuenies. A

Et capillus de capite uestro non pereat. Et vere multi fidelium in ignem iniecti, ne capillos quidem perdiderunt. Manifestum ergo est, quòd si cuius pars aliqua corporis amputata sit, hoc diuina permissione sustinuit: siquidem interdum propriam ostendebat potentiam, quandoq; autem carni permittebat, vt iuxta naturam pateretur. Quum ergo dixerit, Et capillus de capite vestro non pereat, significauit, quod omnipotens esset, quòdque illis auxiliaretur, ac alacritatem immitteret. Daniel. 3

Per patientiam uestram possidete animas uestras. Possidete siue seruate, quòd si animas, omnino & corpora. Scriptum est B enim prædicto capite, Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

Quum autem uideritis circundari ab exercitibus Ierusalem, tunc scitote quòd inminet desolatio eius. Matthæus verò prædicto capite aliud scripsit signum dicens, Quum videritis abominationem & cætera: lege ergo totam dictorum illorum enarrationem.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes. In illo etiã de his quærito.

Et qui in medio eius, discedant. Rursum idem dicit ad confirmationem sermonis.

Et qui in regionibus, non intrent in eam. Hoc prætermiserunt Matthæus & Marcus, sicut & hic aliud quod illi dixe- Marc. 13.
runt, puta: Qui in tecto, non descendat vt tollat quicquam C
de domo sua: & qui in agro, non reuertatur vt tollat vestimenta sua.

Quia dies ultionis hi erunt. Videlicet dominicæ cædis.

Vt compleantur omnia quæ scripta sunt. Vt compleantur omnia quæ in libris Danielis aliorumq; prophetarum de hu- Daniel. 9.
iusmodi Ierosolymorum expugnatione scripta sunt.

Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Apud Matthæum hoc etiam dicto capite manifestatum est.

Erit enim afflictio magna super terram, & ira in populo hoc, cadentque acie gladii, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec compleantur tempora gentium. Dicit Matthæus quòd erit tunc afflictio magna, qualis non

D fuit à principio mundi ad hoc vsq; tempus, neq; fiet: ex interpretatione ergo quæ ibi posita est, etiam hæc cognoscentur.

Et erunt signa in sole & luna & stellis: & super terram anxietas gentium, per defluxum † resonante mari ac fluctu: arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient orbi terrarum. Nam uirtutes cœlorum mouebuntur. Hæc de secundo aduentu suo dicit, Quære autem similiter apud Matthæum dicti illius enarrationem, Statim autem post afflictionem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suũ, & stellæ cadent de cœlo: ac dicti sequentis: & de his etiam inuenies.

† † *Quære quam posuimus annotatiunculam capite iuxta Matthæũ.* E *24. secũdum numerum latinorum ad illud dictum, Statim autem post afflictionem dierum illorum & cætera.*

Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate & gloria magna. Rursus ibi suo ordine lege enarrationes quæ necessariæ sunt vsq; ibi, A ficu autem discite parabolã.

His autẽ fieri incipientibus suspicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores, quum protrudũt iam gemmas, cernentes ex uobis ipsis, scitis quod iam prope sit æstas. Sic & uos quum uideritis hæc fieri, scitote quod instet regnum dei. Rursus ibi reliqua enarratio legenda est vsq; ibi: Amen dico vobis, nequaquam præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant: in ea enim & horũ facta est mẽtio, & data interpretatio vt par erat,

F *Amen dico uobis, Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiãt. Cœlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt.* Ibi etiam de his dictum est.

Attendite autem uobis ipsis nequando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, ac curis huius uitæ: & repentinus superueniat uobis dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedẽt super faciem uniuersæ terræ. Vigilate itaque omni tempore precantes, ut digni habeamini effugere omnia hæc quæ uentura sunt.

Quinquagesimooctauo euangelij iuxta Matthæum capite quære enarrationem eius quòd dicitur, Vigilate ergo quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit: nam in eo etiã de his facta est mentio, dataque enarratio. Signandum est autem, quod nõ sola ebrietas, sed & curæ seculares animam absorbent, mentemque demergunt.

Et stare

Et stare ante filium hominis. Adstare Christo cum angelis. A

Erat autem interdiu docens in templo. Propter eorum vtilitatem qui illuc concurrebant.

Noctibus uero exiens diuersabatur in monte qui uocatur Oliuarũ. Ne mente distraheretur, & quia aptus erat ad precãdum, nec minus quoq; ob secretiorem discipulorum instructionẽ: nam manifestũ est quòd illuc cum eis exibat & conuersabatur.

Omnis q; populus diluculo ueniebat ad eũ, ut in templo audiret illũ. Si populus ille hoc faciebat, multo magis nos qui populus magis illi familiaris sumus oportet diluculo venire ad eum, vt in templo audiamus illum per scripturas sanctas docentem: nec solum vt audiamus, sed etiam vt obediamus.

B

CAPVT. LXXVI. DE PASCHA.

Appropinquauit autem dies festus azymorum, qui dicebatur Pascha. Festum azymorum etiam dicebatur ipsum paschę festum, quia in pascha carnibus agni & azymis vescebantur: quum itaque tunc primum azyma gustarent, ipsum pascha nominabant etiam azyma. Aliud tamen proprie festum erat azymorum die sequenti post paschæ festum, de quo latius dictũ est sexagesimotertio capite euangelij iuxta Matthæum vbi dicitur, Primo autem azymorum accesserũt discipuli ad Iesum dicentes ei, Vbi vis paremus tibi ad edendum pascha? Cap. 22 Matth. 26

Et quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum occiderent: timebant enim populum. Quærebant quomodo occideret eum occulte, aut nacta bona occasione scilicet: timebãt enim populũ, si palam aut nulla data occasione illum occiderent. C

Intrauit autem satanas in Iudam cui cognomẽ erat Iscariotes, qui è numero erat duodecim. Ioannes vero dicit, quòd post offulam tunc introiuit in illum satanas. Non est autẽ in hoc contradictio. Primum siquidem experientia probabat satanas, ac miserum explorabat: postmodum verò agnito quòd repudiatus esset & incorrigibilis, ausus est in eum ingredi, sicut etiam in euangelio iuxta Matthæum diximus, nõ tamẽ quòd insanire eum faceret aut agitaret, sed quòd illi dominaretur, & tanquam seruo vteretur. Iscarioten hunc dixit ad discrimẽ alterius Iudæ. Addidit etiam quòd è numerò duodecim erat, Iohan. 13.

D vt ostenderet, quod de primo erat discipulorum choro.

Et abiit ac loquutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodũ illum traderet eis. Magistratibus qui templum custodiebant. Nam & hi pecuniis persuasi cum homicidis coniurauerant. Traderet autem, hoc est traditurus esset.

Et gauisi sunt, ac pacti sunt se argẽtũ ei daturos. Sicut petebat.

Et ille spopondit. Hoc in loco ἐξωμολόγησεν, idem est q̃ Pactus est, firmiter & ex animo promisit.

Ac opportunitatem quærebat, ut traderet eum illis sine turba. Sine tumultu.

Venit autem dies azymorum, in quo oportebat occidi pascha. Verbum Venit, significat hic Instabat. Dixit autem, Venit,

E propter magnam propinquitatem. Aliud enim est quod superius dixit ἤγγισεν appropinquauit, & aliud ἐνεστήκει imminebat, quod hic significatur per verbum ἦλθε Venit. Siquidem propinquius est ἐνεστήκει quàm ἤγγισε. Ideo vbi posuit ἤγγισε, erat ante duos dies paschæ. Nã ante duos dies loquutus est Iudas cum principibus sacerdotum & magistratibus: vbi autem significatur ἐνεστήκει, est ante vnum diẽ. Nam ante vnum diem misit Petrum & Ioannem ad parandũ

arci.14 pascha, sicut apud Matthæum & Marcum didicimus.

Et emisit Petrum ac Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha ut edamus. Secundum legem.

At illi dixerunt ei: Vbi uis paremus? Neque enim ipse proprium habebat diuersorium, neque illi: vtpote omnibus iam

F derelictis.

Ipse uerò ait illis: Ecce introeũtibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo hydriam aquæ baiulans, sequimini eum in domũ in quam intrat, & dicetis patrifamilias domꝰ: Dicit tibi magister: Vbi est diuersoriũ ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse uobis ostendet cœnaculum magnũ stratũ, ibi parate. Sexagesimotertio euangelij secundum Matthæum capite quære dicti illius interpretationem, At ille dixit: Ite in ciuitatem ad quendam & cætera: in illa enim de his omnibus dictum est.

Abeuntes autem inuenerunt sicut dixit eis, ac parauerunt pascha. Quumq; hora aduenisset, accubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Consequenter ibi etiam de his inuenies.

Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha comedere uobiscũ antequã patiar. Festinatione festinaui hoc anno pascha comedere vo-

dere vobiscũ antequã crucifigar, siue ante tẽpus paschę: nam A
in eo crucifigendus erat, sicut apud Matthæum legisti in dicti illius enarratione, Vespera autem facta discumbebat cum duodecim.

Dico enim uobis: Posthac non edam ex eo, donec compleatur in regno dei. Sexagesimoquarto euangelij iuxta Matthæum capite quære dicti illius enarrationem, Dico autem vobis quòd non bibam posthac ex hoc fructu vitis vsque in diem illum, quum illum bibam vobiscum nouum in regno patris mei: lege totum, & de omnibus particulatim inuenies.

Et accepto poculo quum gratias egisset dixit: Accipite hoc & diuidite inter uos. Hinc incœpta est mystica cœna.

Dico enim uobis, quòd nequaquam bibam de fructu uitis, donec regnum dei ueniat. In prædicta interpretatione etiam horum B
facta est mentio cum his quæ sequuntur.

Et accepto pane quum gratias egisset, fregit ac dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum ipsum postquam cœnauit dicens: Hoc ipsum poculum nouum testamentum est in meo sanguine, quod pro uobis effunditur. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Lege prædicto capite dicti illius enarrationẽ, Edentibus autem illis sumpto Iesus pane quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis: similiter autem & sequentes interpretationes vsque ad eum locum quo dicitur, Et dictis laudibus exierunt in montem Oliuarum: & de his omnibus exacte inuenies: nihil enim indiscussum relictum est. Quod vero dicitur, Quod pro vobis effunditur, ad poculum referendum est: C
porro poculum est sanguis eius.

Et filius quidem hominis secundum quod definitum est uadit, tamẽ uæ homini illi per quem traditur. Matthæus sexagesimotertio capite sic habet, Filius quidem hominis abit sicut scriptũ est de ipso & cætera: ibi ergo etiam hæc manifestata sunt.

Et ipsi cœperunt conquirere inter se quis hoc facturus esset. Matthæus quidem & Marcus ante panis ac poculi diuisionem aiunt ipsos de hoc dubitasse: Lucas vero & Ioannes post Ioan.13
diuisionem. Manifestum est ergo quod & ante & postea factum sit.

CAPVT. LXXVII. DE CONTENTIONE QVIS esset maior.

D

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Etiam alibi de huiusmodi re curiose inquisierant, sicut manifestius scripsit Matthæus trigesimoseptimo sui euangelij capite sed tunc quidem de hoc erat, quis nam maior esset in regno cœlorum: hic autem alia de causa contentio siue inquisitio inter eos incidit: iam enim certiores facti de morte magistri, inquirebant quis eorum videretur esse maior, vt cæterorum fieret magister. Matt.20

E At ille dixit eis, Reges gentium dominantur eis. Docet sane quod is qui præponendus esset, non deberet dominari tanquã dominus, nam id reges terræ faciunt inflati principatu, & elati propter eos quibus dominantur.

Et qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Tanquam iudicati maiores, aut etiam tanquam gloriæ cupidi.

Vos autem non ita, sed qui maior est inter uos, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut is qui ministrat. Fiant hæc quantum ad animi modestiam. Iuniorem autem dicit postremum.

Vter enim maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nonne qui accumbit? At ego in medio uestrûm sum sicut qui ministrat. Seipsum in exemplum sermonis præbet. quũ enim ipsi accumberent, tanquam maiores ab eo habiti: ille ministrabat, quasi postre-
F mum seipsum ducens, quum & pedes eorũ lauaret.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum. Dispono vobis regnum, hoc est promitto. Regnum vero cœleste intelligit, cuius spe roborabat eos etiam ad magnitudinem ac tolerantiam.

Vt edatis ac bibatis super mensam meam. Mensam videlicet illam regiam ac cœlestem. Possunt autem dici mẽsa, bona æterna & ineffabilia, quæ diligentibus deum præparata sunt, cibus vero ac potus, est illorum fruitio.

Et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Hoc etiam illis promisit quadragesimoprimo euangelij iuxta Matthæum capite, vbi scriptum est, Iesus autem dixit eis: Amen dico Matth.19

Amen dico vobis, quod vos qui secuuti estis me & cætera: ibi ergo lege horum interpretationem. A

CAPVT. LXXVIII. DE EXPETITIONE SATANAE.

Dixit autem dominus, Simon Simon, ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Illi enim moris est præstãtiores expetere ad palæstram, sicut Iob. Cribrare vero, id est turbare, mouere, concitare. Cribrum „ siquidem quod frequentius κόσκινον siue σινιατήριον vocatur, à quibusdam etiam σινίον dicitur à quo verbũ σινιάζω cribrovel concutio. Nam in cribro triticũ transfertur & cõcutitur ac confunditur. Prædicit autẽ eis de futura tentatione, quando omnes relicto eo fugerunt.

Ego uero pro te rogaui ne deficiat fides tua. Rogaui, inquit, B patrem meum tanquam homo, ne perdas tandem fidem tuã quam in me habes, in tempore negationis.

Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Conuersus, post negationem videlicet per fletum amarum: hoc est in pristinum locum denuo restitutus. Fratres autem eius dicit reliquos Apostolos, aut illos qui per eos erant credituri.

At ille dixit ei, Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Oportebat quũ hæc ab ipsa veritate audisset, fortitudinem atque auxilium ab eo petere: at ille præ feruore cõtradicit potius, asserens se nihil tale passurum.

Ipse uero ait, Dico tibi Petre, non canet hodie gallus priusquã ter abneges te nosse me. Hodie, inquit, eo quod instabat nox diei C illius. Scribit autem Matthæus sexagesimoquarto capite quod dixerit illi Iesus: Dico tibi Petre quod in hac nocte priusquam gallus canat, ter me abnegabis: & ibi lege enarrationem. Matt.26

Et dixit illis: Quando misi uos sine loculis & pera, num aliquid defuit uobis? Aiunt illi: Nihil. Atqui tunc de loculis nulla est facta mentio. Verum per aurum & argentum etiam hoc simul innuit. Quum enim illa possidere vetasset, manifestum quod & hoc prohibuerit: vbi nanque non est thesaurus, vtique superfluum est thesauri repositorium. In peram siquidem panem immittebant: in marsupium vero coriaceum, quod φασκώλιον Matt.10

D σκῶλον vocant, æs siue obolos reponebãt: in loculos autem, aurum & argentum.

Dicit autem eis: Sed nunc qui habet loculos †, tollat: similiter & peram. Tunc quidem necessario egestatem eis imposuit, vt ad illam accingerentur: postquam vero hoc actum est, aufert nunc necessitatem, & permittit eis vt loculos habeant & peram, quo virtus eorum appareat, qui nulla cogente necessitate sectantur inopiam: & primum quidem ipse tenebat illos, non sinens vt aliquo egerent, propter eorum imbecillitatem: postmodum vero dimisit ipsos, vt sibiipsis essent auxilio, quasi iam robustiores effectos: nam hoc per loculos ac peram significatur. Quum ergo prohibuit eos habere loculos & peram ac similia, tunc nullo indiguerunt, vt eius potentiam ac gratiam
E agnoscerent: quando vero permisit vt illa haberent, tunc & esurierunt & sitierunt & nuditatem passi sunt, vt ipsorum fortitudo ac tolerãtia cognoscatur. Verum quomodo dixit, Qui habet loculos, quum nullus illorum haberet? Capitur itaque Habet, pro habere potest.

Qui habet loculos, hoc est scientiam, tollat & peram, thesaurum uidelicet uirtutum: nam habenti scientiam, necessariæ sunt & uirtutum diuitiæ: qui ergo non habet utrunque, uendat tunicam suam, id est exponat corpus laboribus uirtutum, & emat gladium, hoc est diuicet aduersus affectiones & dæmones.

Et qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Qui non habet, nunc videlicet. Quod autem sequitur, Vendat tunicam suam, & emat gladium, per emphasim dixit, solum o-
F stendens esse tempus vltionis: venientibus, quantum nunquã alias, persequutionibus: non quod gladiis vim propelli vellet: nam Petrum ita vlcisci volentem postmodum prohibuit. Intelligi autem & alio modo potest, vt dictum primum, sit de Iuda, siquidem solus ille loculos habebat, tanquam ab aua ritia in seruitutem redactus: iubet itaque vt ipse qui loculos habet, tollat similiter & peram, hoc est de seipso curet, quum iam à diuina prouidentia sit abiectus: secundum vero dictũ, sit de cæteris Apostolis: nam ipsis qui non habebant, iubet vt vendant tunicam & emant gladium, id est tradant corpus & mortem recipiant.

Dico enim uobis, quod adhuc hoc quod scriptum est oportet perfici
Isa.53 *in me, Et cũ iniquis reputatus est.* Quod scriptũ est in propheta.

Tanquam

Tanquam iniquum enim & facinorosum in medio ini- A
quorum & facinorosorum latronum crucifixerunt illum.

Et enim ea quæ sunt de me, finem habent. Quæ de me scripta sunt in lege ac prophetis, iam perficiuntur.

At illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hic. Quum non intellexissent quid sibi volebat hoc verbo, Qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium, ostendunt duos gladios quibus vsi fuerant ad immolationem ac diuisionem agni, cupientes eius discere intentionem.

Ipse uero ait illis, Satis est. Hinc adhuc magis patet, quod non gladiis vlcisci se volens, iusserat emere gladios: nam si id voluisset, quomodo nunc dixisset, Satis est: siquidem neque centum gladij sufficissent ad irruentium multitudinem. Itaque quod dixit, Satis est, ostendit quòd nulla erat gladiorum necessitas.

Et egressus ibat quemadmodum solitus erat in montem Oliuarũ: B
sequebantur autem illum & discipuli eius. Quumque esset in loco dixit illis: Orate ne intretis in tentationẽ. Et ipse auulsus est ab eis, quãtum iactus est lapidis, positis q; genibus orabat dicens: Pater si uis trãs ferre poculum hoc à me, ueruntamen nõ mea uoluntas, sed tua fiat. Cætera quidem manifesta sunt: de oratione vero quære. 64. euangelij iuxta Matthæum capite dicti illius enarrationem, Matt.26 Et progressus pusillum procidit in faciem suam, ac cætera quæ sequuntur.

Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum: factusque in agonia protendebat orationem: & factus est sudor eius sicut grumi sanguinis decurrentis in terram. Eodem capite horum omniũ facta est mentio, dataq́ue interpretatio, & ibi lege verbi illius C
declarationem, Et relictis illis abiit iterum, & orauit tertio eundem sermonem dicens.

Et quum ab oratione surrexisset, uenissetque ad discipulos suos, reperit eos dormientes præ mœrore, & ait illis, Vt quid dormitis? surgite & orate, ut non intretis in tentationem. Consequenter dicto capite lege ea quæ sequuntur, & ab illis etiam hæc manifestissime cognosces.

Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & qui dicebatur Iudas unus de duodecim præcedebat illos, & appropinquauit Iesu ut oscularetur eũ: hoc enim signũ dederat illis, Quemcũque osculatus fuero, ipse est. Sexagesimoquinto euangelij secũdum Matthęũ capite de his

exacte

D exacte tractatum est. Præcedebat autem eos, siue antecedebat tanquam ductor.

Iesus autem ait illi: Iuda osculo filium hominis tradis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine percutiemus ne gladio? Et percussit unus quispiam ex eis seruũ principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram. Respondens autem Iesus dixit, Sinite huc usque. Tactaq; illius auricula sanauit eũ. Similiter & in illo lege ea quæ sequuntur, & horum omnium pulchras inuenies ambiguitatum solutiones.

Dixit autem Iesus his qui uenerant ad se principibus sacerdotum ac magistratibus templi & senioribus. Tanquam ad latronem existis cum gladiis ac fustibus? quum quotidie uobiscum fuerim in templo, nõ extendistis manus in me. Etiam de his ibi dictum est, ac dili-

E genter tractatum.

Sed hæc est hora uestra. In qua à deo potestatem in me accepistis.

Et potestas tenebrarum. Tenebras vocat hic diabolum: accepit enim & ipse tunc potestatem aduersus eum. Similiter

in.19. autem & Pilatus cui dixit, Nõ haberes vllam potestatem aduersum me, nisi esset tibi datum è supernis, veluti scripsit Ioannes, Tunc autem simul omnes vim ac potestatem acceperunt ipsum afflictionibus ac morti subiiciendi, vt impleretur dispensatio salutaris incarnationis.

Comprehensum autem eum duxerunt, & induxerunt in domũ principis sacerdotum. Pari modo ibi de his etiam quære.

Petrus uero sequebatur eminus. Quum autem accendissent ignem

F *in medio aulæ, unaque consedissent, sedit & Petrus inter illos.* Præterea & de his: quum enim latius scripserit Matthæus, particulatim in illo omnia manifestata sunt.

Intuita autem illum ancilla quædam sedentem ad lumen. Quod ab igne resplendebat.

Defixis in eum oculis dixit, Et hic cum illo erat. Ipse uero abnegauit dicens: Mulier non noui illum. Et post pusillum alius uidens eum dixit, Et tu ex illis es. Petrus nero ait: Homo, non sum. Et interuallo facto quasi horæ unius, alius quidã affirmabat dicens, Vere & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Ait autem Petrus, Homo nescio quid dicas. Lege etiam quæ de his scripsit Matthæus sexagesimo sexto capite, eorumque solutiones: deinde paululum retrocede, & quære dicti illius enarrationem, Et ingressus intro se-

debat

debat cum ministris, vt videret finem. A

Et protinus adhuc eo loquente, cecinit gallus: cõuersúsque dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus sermonis domini quomodo dixerat ipsi, Priusquam gallus cecinerit, ter abnegabis me. Et egressus foras Petrus fleuit amare. Consequenter dicto capite etiã hæc manifestata sunt.

Et uiri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes: & circumtecto eo percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes: Vaticinare, quis est ille qui te percussit? Et alia multa conuitiantes dicebant in eum. In fine sexagesimiquinti capitis de his scripsit Matthæus. Lege quoq; sexagesimosexto capite ipsius, dicti illius enarrationem quod dicitur, Et egressus foras fleuit amare: in fine.

Atque ut illuxit conuenerunt seniores populi, principesque sacer- B *dotum, & duxerunt illum in concilium suum dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Ait autem illis: Si uobis dixero, non credetis: quod si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque absoluetis. Ex hoc tempore erit filius hominis sedens à dextris uirtutis dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei. Ipse uero ait ad illos: Vos dicitis quod ego sum. At illi dixerunt: Quid amplius nobis opus est testibus? ipsi enim audiuimus ex ore ipsius.* Lege prædicto sexagesimoquinto iuxta Matthæum capite ab eo loco, Et respondens summus sacerdos dixit ei, Adiuro te & cętera, quousque dicatur, Tunc expuerunt in faciem eius: nam in illis declarationibus etiam hæc manifestata sunt.

Et surgens uniuersa multitudo eorum, duxit illum ad Pilatum. Cœ- Cap.23. *perunt autem accusare illum dicentes: Hunc inuenimus peruertentẽ* C *gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, dicentem se Christum regem esse.* Lege sexagesimoseptimo capite euangelij iuxta Matthæum dicti illius interpretationem, Iesus au *Matth.2* tem stetit coram præside.

Pilatus uero interrogauit eum dicens, Tu es rex Iudæorum? At ille respondens dixit ei: Tu dicis. Pilatus autem ait ad principes sacerdotum & turbas: nihil inuenio noxiæ in hoc homine. At illi inualescebant dicentes: Commouet populum docens per uniuersam Iudæã exorsus à Galilæa usque ad hunc locum. Pilatus uero audita Galilæa, interrogauit utrum homo Galilæus esset. Et ut cognouit quod ad Herodis ditionẽ pertineret, remisit illum ad Herodẽ, qui & ipse Ierosolymis erat in illis diebus. Cõsequenter ibi etiã de his inuenies.

Herodes

D Herodes autem uiso Iesu gauisus est ualde: cupiebat enim à multo iam tempore uidere illum, eo quod audiret multa de ipso, & sperabat signum aliquod se uisurum ab eo fieri. Interrogabat ergo eum multis sermonibus. Videlicet cauillatoriis & in modum tentantis.

Ipse uero nihil illi respondit. Vtpote tentanti & responsione indigno. Sciens etiam eum velle signum videre, non vtilitatis causa, sed oblectationis: nec tanquam diuinas virtutes, sed velut aperta prodigia: non fecit apud eum signum.

Stabant autē summi sacerdotes & scribæ acriter accusantes eū. Simul enim & ipsi ad Herodem remissi erant, sicut in progressu inueniemus.

CAPVT LXXIX. DE CONTEMPTV HERODIS.

E Spreuit autem illum Herodes cum exercitibus suis: & quum illusisset, indutum eum ueste splendida, remisit ad Pilatum. Hæc omnia forsan illi fecit tanquam regi Iudæorum.

Et facti sunt amici Pilatus & Herodes inter se mutuo eodem die, quum antea simultas inter eos intercessisset, Pilatus ergo conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus ac plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem tanquam auertentem populum: & ecce ego corā uobis cū inquisissem, nihil inueni criminis in homine isto ex his de quibus accusatis eum. Sed ne Herodes quidem: nam remisi uos ad ipsum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

F Correptum ergo ipsum absoluam. Correptionem hic vocat mediocrem flagellationem ad mitigandum ac deprimendum furorem illorum: vt arbitrati eum superasse, cessarent abylteriori insania: at illi ita nihilominus efferebantur, hoc vnum solum præ oculis immobiliter habentes, vt quam citissime occideretur, quemadmodum etiam prædicto capite dissertum est.

Necesse autem habebat absoluere eis in festo unum. Exclamauerunt autem simul cum uniuersa multitudine, dicentes, Tolle hunc & absolue nobis Barrabam, qui erat propter seditionem quādam factam in ciuitate & homicidium, coniectus in carcerem. Matthæus vero ait dicto capite, In festo autem consueuerat Præses absoluere turbæ vnum vinctum quem voluissent & cætera: lege ergo in-

go interpretationem illorum. A

Rursus ergo Pilatus loquutus est ad illos uolens absoluere Iesum. At illi clamauerūt dicentes, Crucifige, crucifige eum. Ipse autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit hic? nullum crimen morte dignum inueni in eo, correptum ergo ipsum absoluam. At illi instabant uocibus magnis, petentes ut crucifigeret eum, & inualescebant uoces eorum ac summorum sacerdotum. Matthæus & alia quædam scripsit dicto capite.

Pilatus ergo adiudicauit fieri petitionem eorum. Absoluit autem eum qui propter seditionem & homicidium coniectus fuerat in carcerem quem petebant, Iesum uero tradidit uoluntati eorum. Ibi quoque de his dictum est. Voluntas autem eorum erat vt crucifigeretur.

Et quum abducerent eum apprehenderunt Simonem quendam B Cyrenæum uenientem ab agro, & imposuerunt illi crucem, ut ferret post Iesum. Etiam de hoc dictum est ibidem.

CAP. LXXX. DE MVLIERIBVS DOMINVM PLANGENTIBVS.

Sequebatur autem eum magna multitudo populi ac mulierum, quæ etiam plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Ierusalem ne fleueritis super me, sed super uobisipsis flete & super filiis uestris. Ne fleueritis propter me, sed propter vosipsas flete & propter filios vestros.

Quoniam ecce uenient dies in quibus dicent, Beatæ steriles, & uentres qui non genuerunt, ac ubera quæ non lactauerunt. Dies C dicit obsidionis & expugnationis Ierosolymorum: in quibus beatificabuntur ab eis quæ genuerunt illæ quæ non peperunt: vtpote quæ non audirent aut viderent varias filiorum suorum strages. Iosephus de bel. Iu lib. 6. &

Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Incipient hæc dicere Iudæi, non ferentes pericula innumera ac vehementissima.

Si enim in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Si in me qui vitam habeo diuinam, hæc faciunt Romani à Iudæis instigati: in vobis qui mortem vobis ex peccato parastis, quid ab illis fiet?

Ducebantur

D *Ducebantur autem & alii duo scelerati, ut cum eo interficerentur. Quumq; peruenissent in locum qui dicitur Caluaria, ibi crucifixerunt eum & facinorosos, unum quidem à dextris, alterum uero à sinistris.* Matthæus alia quoque scripsit: illa lege & aperte de his etiam inuenies. Nam in euangelio iuxta Matthęum de domini afflictionibus nullo prætermisso suaque serie omnium exacte data est interpretatio.

Iesus autem dicebat, Pater remitte illis. Pro crucifixoribus Iudæis orans tanquam homo, compassionis formam hominibus demonstrauit, quam erga illos habere oportet, qui ipsos iniuria afficerent. Dubitauerunt autem quidam sumpta hinc
oseph° Io occasione. Si enim remissum erat eis peccatum, quomodo
is ꝑdictis postmodũ Romanis ob illud ad internecionem traditi sunt?
E Quibus nos dicimus, quod non pro omnibus precatio facta est, sed pro his duntaxat, qui nihil mali deinceps perpetraturi erant. Qui vero quum sol obscuraretur, & velum scinderetur, terraque commoueretur, ac petræ finderentur, aliaque signa in resurrectione eius fierent, malitiam addiderunt, & fortuita hæc esse cogitantes, diuinæ resurrectioni calumniam maligne struxerunt: non pro his orauit, ideo etiam hi omnino traditi sunt inimicis.

Non enim sciunt quid faciunt. Inuidia videlicet temulenti. Quidam vero dicunt quod non pro Iudæis, sed pro Romanis militibus, qui in crucifixione subministrabant, orationem fecerit: hi enim ignorabant quæ de ipso lex ac prophetæ præ-
Matt.27. dixerant. Considera autem quod dicendo in præcedentibus, Pater mi si non potest hoc poculum transire à me, fiat vo
F luntas tua, videtur cædes filij secũdum patris fieri voluntatẽ: nunc verò cũ dicat, Pater remitte illis, videt contra illius fieri voluntatẽ: neq; enim aliâs iram ipsius mitigaret, quã cõtra homicidas habebat. Quid ergo dicendum est? Quod in se quidem inuoluntaria erat, propter nostram tamen salutem erat voluntaria. Quemadmodum & strennui militis plagas, in se consideratas acerbas ducimus, propter strennuitatem tamen, quam aduersus inimicos ostendit, dicimus esse suaues.

Diuidentes uero uestimenta eius, miserunt sortem. Et stabat populus spectans. Prædicto euangelij iuxta Matthæum capite quære dicti illius interpretationem. Quumque crucifixissent eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes: vbi pulchrę

datæ

datæ sunt solutiões ad quæstiones, quæ respõsionẽ merẽtur. A

Et deridebant eum principes cum eis dicentes: Alios saluos fecit, seipsum saluum faciat, si hic est Christus dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei ac dicentes: Si tu es rex Iudæorum, serua teipsum. Matthæus vero dicit, Qui autem præteribant, conuitia iaciebant in eum & cætera, vbi latius dictum est. Similiter autem & de aceto ac felle vinoque myrrhato, in illo capite ad verbum elucidatum est.

Erat autem & inscriptio scripta super eum literis Græcis & Latinis ac Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. In eo capite etiam de his exacte dissertum est, vbi dicitur: Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptã: Hic est Iesus rex Iudæorũ.

CAPVT. LXXXI. DE LATRONIS POENITENTIA. B

VNus autem maleficorum qui pendebant, conuitia iactabat in eum dicẽs: Si tu es Christus serua teipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neq; tu times deum, quod in eadẽ damnatione es? Et nos quidem iuste, digna enim factis recipimus, hic uero nihil mali gessit. Rursus in illo ait Matthæus: idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo exprobrabant ei: vbi pulchras proposuimus ambiguitatum solutiones. Damnationẽ autem nunc vocat iudicium & crucis condemnationem.

Et dicebat Iesu: Memento mei domine dum ueneris in regnum tuum. Quod supra mundanum est. Nam verisimile est eum C quoque audiuisse de sermone quem ad Pilatum dixerat, Regnum meum non est ex hoc mundo.

Et ait illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Quomodo petente latrone sui memoriam in regno saluatoris assequi, ipse aliud quiddam, quod supra id erat, promisit, conuersationem videlicet in paradiso? Quia latro ignorans quod esset eius regnum, non ad determinatum aliquid & cognitum fecerat petitionẽ sed solum per huiusmodi petitionem precabatur, vt bonum aliquod consequeretur. Christus vero sciens eius intentionem promisit quod illi omniũ optatissimum videbatur. Nouerat enim latro paradisum è doctrina Mosaica: & tunc quidem dedit ei conuersationem in pa-

Q radiso

radiſo tanquam arrhabonẽ regni ſui, quod eſt fruitio ineffabilium ac æternorum bonorum, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Nondũ enim quiſquam iuſtorum accepit promiſſionem, veluti magnus docuit Paulus. Poſtmodũ vero & hoc tradet regnum tempore vniuerſalis retributionis. Sed quomodo dixit, Hodie mecum eris in paradiſo? quia tanquam deus qui replet vniuerſa, vbique ſimul erat, & in ſepulchro, & in inferno, & in paradiſo, & in cœlo.

Erat autem ferme hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram uſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt ſol. De hoc quære prædicto iuxta Matthæum capite.

Et uelum templi ſciſſum eſt medium. Ibi quoque de hoc inuenies.

Et clamans uoce magna Ieſus ait: Pater in manus tuas commendabo ſpiritum meum: & his dictis expirauit. Similiter etiam ibi de his dictum eſt, vbi habetur, Ieſus autem quum iterum clamaſſet voce magna emiſit ſpiritum. Et hoc nobis effecit dominus, ne deinceps iuſtorum animæ deſcenderent in infernum, ſed magis ad deum aſcenderent. Nam per manus dei intelligimus deum ipſum. Ait autem & Apoſtolus: Qui patiuntur ſecundum dei voluntatem fideli creatori commendent animas ſuas. Primum vero ad deum aſcendit anima Ieſu: deinde ad inferos deſcendit, vt animas quæ ibi detinebantur liberaret. Verum quo pacto dixit Mariæ poſt reſurrectionem, Nondum aſcendi ad patrem meum? Quia tunc eorpore nondum aſcenderat.

Videns autem Centurio quod factum erat, glorificauit deum dicens, Vere homo hic iuſtus erat. Et omnes turbæ quæ ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & uiderant quæ contingebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Quære prædicto euangelij iuxta Matthæum capite vbi dicitur, Centurio autem & qui cum eo erant ſeruantes Ieſum & cætera: nam ibi hæc quoq; declarata ſunt.

Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ eum ſecutæ fuerant à Galilæa hæc uidentes. Conſequenter etiam ibi de his dictum eſt.

Caput

CAPVT LXXXII. DE PETITIONE A CORPORIS DOMINI.

Et ecce uir nomine Ioſeph ſenator, uir bonus & iuſtus: hic non cõſenſerat conſilio ac factis eorum, or iundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui expectabat & ipſe regnum dei. Hic acceſſit ad Pilatum, petiitque corpus Ieſu & depoſitũ inuoluit illud ſindone, ac poſuit ipſum in monumento quod erat in lapide exciſum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Etiam de his omnibus ad verbum diſputatum eſt ſexageſimooctauo iuxta Matthæum capite.

Et dies erat paraſceue, & ſabbathum illuceſcebat. Splendeſcebat, oriebatur.

Subſequutæ autẽ mulieres quæ cum eo uenerant de Galilæa, uiderunt monumentum & quomodo poſitum erat corpus eius. Reuerſæ uero parauerunt aromata & unguenta. Ibi quoq; horũ facta eſt mentio in illius loci enarratione quo dicitur, Erat autem ibi Maria Magd. & altera Maria ſedentes ex aduerſo ſepulchri.

Et ſabbatho quidem quieuerunt ſecundum præceptum. ¶ *Vno autem ſabbathorum profundo diluculo uenerunt ad monumentum, ferentes quæ parauerant aromata, & nõnullæ cum ipſis.* Quære apud Matthæum dictum illud: Veſpera autem ſabbathorum quæ luceſcit in vnum ſabbathorum & cætera, & lege illius interpretationem, ac præterea illa quæ ſequuntur, & omnia euangeliſtarum dicta ab hoc loco inuenies conſonantiæ cauſa propoſita ac declarata.

Inuenerunt autem lapidem à monumento reuolutum: & ingreſſæ non inuenerunt corpus domini Ieſu. Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent ſuper hoc, & ecce duo uiri ſteterunt iuxta illas in ueſtibus fulgurantibus: quumq; expauiſſent & declinarent uultũ in terrã, dixerũt ad illas: Quid quæritis uiuentẽ cũ mortuis? Nõ eſt hic, ſed ſurrexit. Memẽtote qũo loquutus ſit uobis, quũ adhuc eſſet in Galilæa, dicens: oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, ac tertio die reſurgere. Et recordatæ ſunt uerborum illius. Ibi etiam hæc vt diximus propoſita ſunt, & data eſt interpretatio, vbi habetur, Ecce dixi vobis.

Et reuerſæ à monumento nunciauerunt hæc omnia ipſis undecim, cæteriſq; omnibus. Erant aũt Maria Magdalene & Ioanna & Maria Iacobi ac cæteræ quæ cũ eis erãt, quæ dicebãt ad Apoſtolos hæc.

D *Et uisa sunt coram illis tanquam deliramentum uerba eorum, nec ere diderunt ipsis.* Similiter & hæc proposita sunt ac declarata, vbi habetur: Illi autem sumptis pecuniis fecerunt sicut edocti erant.

Petrus uero surgens cucurrit ad monumentum. Quum cæteris prudentior esset ac feruentior, non sustinuit.

Quumque prospexisset, uidit linteamina sola posita. Linteamina dicit funeralia, sindonem videlicet.

Et abiit ad seipsum. Ad suum diuersorium. Nam & Ioannes de Petro ac seipso ait. Abierunt ergo rursus ad seipsos discipuli.

Admirans quod factum erat. Intellexit enim nõ esse transpositum, siquidem alioqui fuisset cum linteaminibus transpo
E situm. Apparet ergo, quod tertio venerit Petrus ad monumentum: primum quidem solus: postmodum vero cum Ioanne, prout ipse Ioannes scripsit. Quum autem reuersi essent, rursus coactus est solus currere: neque enim hunc sustinere permisit amoris vehementia intensumque desiderium, quo præceptori primus inter alios discipulos optabat occurrere, & negationis perfectam accipere veniam: quando etiam apparuit illi dominus, veluti in sequentibus inueniemus. Trina ergo vice ad sepulchrum accedens, trinam curauit negationem.

Et ecce duo ex illis ibant eodem die in castellum quod aberat spatio stadiorum sexaginta ab Ierosolymis, cui nomen Emaus. Vlti-
Marc.16. mo capite euangelij secundum Marcum quære vbi ponitur,
F Post hæc autem duobus ex ipsis ambulantibus, apparuit in alia forma euntibus rus & cætera: & lege illorum enarrationem: conducit enim ad proposita Lucæ verba. Dixit autem, Ex illis, hoc est, simpliciter ex omnibus illis.

Et ipsi loquebantur inter se de omnibus quæ contigerant. De cruce signisque horrendis quæ tunc facta erant, de sepulchro & his quæ à mulieribus renunciata fuerant, ac de resurrectione domini.

Et accidit dum confabularentur ac conquirerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Conquisitionem vocat indaginem puta: Quomodo quum talis esset, huiusmodi passus est? & quomodo quum mortuus ac sepultus esset, resurrexit?

Oculi uero illorum tenebantur ne eum agnoscerent. In hoc solum

lum tenebantur, ne eum agnoscerent. A

Dixit autem ad eos, Qui sunt hi sermones quos confertis inter uos ambulantes, & estis tristes? Cõfertis siue obiicitis & inquiritis.

CAPVT OCTVAGESIMVMTERTIVM DE CLEOPA.

RESpondens autem unus cui nomen Cleopas dixit illi, *Tu solus diuersaris in Ierusalem, & non cognouisti quæ in ea facta sunt his diebus?* Cognito ex voce & habitu quod & ipse Iudæus esset, improperant non quòd solus ipse diuersaretur Ierosolymis, sed quod solus ignoraret, quæ omnibus ibi diuersantibus nota erant: & increpando dicunt, Tu solus ex omnibus qui Ierosolymis habitant, diuersaris in Ierusalem ignorans quæ in ea facta sunt his diebus? B

Et ait illis, Quæ? Ignorantiam fingit, vt etiam ex ore illorum audiat, quæ à corde eorum cognoscebat, & ita obiurget ac increpet illos.

At illi dixerunt ei, De Iesu Nazareno qui fuit uir prophetæ, potẽs opere ac sermone, coram deo & omni populo. Virum prophetam illum fuisse opinabantur imperfecta adhuc fide. Per opus itaq; signa intellige: per sermonem vero, doctrinas.

Quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Hoc in loco κρίμα iudicium, capitur pro condemnatione.

Nos autem sperabamus ipsum esse qui redempturus erat Israel. C Sperabamus quòd ipse esset redemptor noster qui à scripturis annunciabatur.

Atqui cum his omnibus tertius dies est hodie ex quo hæc facta sunt. Cum his omnibus, hoc est, factis his omnibus.

Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos nos reddiderunt, quæ diluculo peruenerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius uenerunt, dicentes se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Mulieres quædam ex nobis siue nostræ, aut fideles sicut & nos. Dicit autem illas, quæ cum Maria Magdalene erant, & ipsam Magdalenen. Attonitos, inquit, nos reddiderunt vtpote incredibilia asseuerantes.

Et abierunt quidam ex his qui nobiscum erant ad monumentum.

D Petrus videlicet & Ioannes vt prædiximus.

Et ita inuenerunt quemadmodum dixerant mulieres, ipsum uero non uiderunt. Ita inuenerunt, hoc est, non inuenerunt corpus eius.

Et ipse dixit ad eos: O insensati & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ. Insensatos illos dixit, tacite ad sui cognitionem excitans: Tardos vero corde, vtpote tardos ad credendum ea quæ prophetæ loquuti fuerant de morte & resurrectione ipsius.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Hæc quæ videlicet loquuti fuerant prophetæ. Gloriam suã, quæ videlicet suę erat diuinitatis. Est autem interrogatorius sermo.

E *Quumque incepisset à Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* A Mose, siue à Mosaicis libris.

Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse præse ferebat se longius ire. Simulabat se longius ire, tanquam vulgaris comes fuisset itineris.

Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduespe/rascit & inclinatus est dies. Inclinatus est ad occasum.

Et intrauit ut maneret cum illis. Factumque est dum accumberet cum eis sumpto pane benedixit, & quum fregisset, porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, agnouerunt que eum. Quum vidissent assuetam ac cognitam panis benedictionem: nam tunc permissi sunt vt eum agnoscerent.

F *Et ipse euanuit à conspectu illorum.* Ne amplius tardarent, sed citius ad discipulos reuerterentur: volebat namque eodem die omnibus simul apparere.

Et dixerunt inter se: Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Incendebatur, saliebat, mouebatur ac vibrabat.

Quumque surrexissent eadem hora, reuersi sunt in Ierusalem. Surrexerunt eadem hora, non tamen reuersi sunt eadem hora: nam erat via sexaginta stadiorum. Verisimile est autem, quod declinante sole cucurrerint præ nimio gaudio totum internallum ad noctem vsque, septem videlicet millia & dimidium, quæ in prædictis erant stadiis.

Et inuenerunt congregatos undecim, eosque qui cum illis erant.

Qui

Qui cum illis erant, puta septuaginta, aut simpliciter omnes. A
Sed quomodo dixit quòd inuenerunt congregatos vndecim? Siquidem Iudas Iscariotes iam abiectus erat: & Thomas tunc præsens non erat. Ait enim Ioannes: Thomas autem vnus ex duodecim qui cognominabatur Didymus non erat cum illis quando venit Iesus. Dicendum est ergo, quòd ex quo Mathias aderat qui loco Iscariotis sorte electus est, etiam ipsum iam connumerauit, tanquã cum vndecim Apostolis cooptatum. *Ioan.20.*

Dicentes: Surrexit dominus uerè, & uisus est à Simone. Quære rursus vltimo capite euangelij secundum Marcum vbi dicitur, Post hæc autẽ duobus ex ipsis ambulantibus, apparuit in alia effigie euntibus rus & cętera: ac lege illorum enarrationem, quæ ad præsens dictum plurimum conducit. B

Et ipsi narrabãt quæ gesta erant in uia, & quomodo fuisset ab ipsis cognitus in fractione panis. Hæc autem illis loquentibus, ipse Iesus stetit in medio eorum, & ait illis, Pax uobis. Consequenter ibi etiã de his inuenies. Considera autẽ quòd & discedens pacem illis reliquerit, sicut scripsit Ioannes: rursumq; rediens pacem tribuit: pacem inquam, quæ & rem & nomen dulce habet. *Ioan.14.*

Expauefacti uerò & conterriti existimabãt spiritum se uidere, & ait illis: Quid turbati estis? & quare cogitationes ascendunt in corda uestra? Expauefacti, id est turbati. Cogitationes autem de hoc ascendebant, vtrum videlicet spiritus esset id quòd videbatur siue spectrum. Ostendit ergo quòd cordiũ esset cognitor. Deinde aliud quoque dat signum. C

Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Et quomodo ab his eum cognoscere poterant? Quia clauorum adhuc ferebant foramina.

Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me uidetis habere. Contrectate per tactum.

Et hoc dicto demonstrauit eis manus & pedes. Ioannes verò ait: Ostendit eis manus & latus suum. Primum siquidem ostẽdit eis manus & latus, deinde etiam pedes. Nam vterque euangelistarum ex his quæ dixit, ostẽdit etiam id quòd tacuit, veluti iam cognitum. *Ioan.20.*

Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio & admirantibus. Id enim sæpenumero fieri solet.

Dixit eis, Habetis hic aliquid edulii? At illi obtulerunt ei partem

piscis assi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, ac in conspectu eorũ comedit. Non q; deinceps indigeret, sed ad maiorẽ fidẽ, maioremq; confirmationẽ, ne spectrũ videretur. Sicut autẽ supernaturaliter comedit, ita supernaturaliter quæ comederat digessit. Scire verò oportet, quòd quædam à saluatore dispensatorie facta, non sunt regula ac præscriptio naturæ: nullus siquidem alius post corporis immortalitatem cicatrices habebit, aut cibum sumet.

Dixit autem eis: Hi sunt sermones quos loquutus sum ad uos, quum adhuc essem uobiscũ. Suggerit quoq; illis ea quæ prædixerat de seipso, vt etiam hinc agnoscant quòd ipse sit. Hi sunt inquit sermones quos loquutus sum advos, quum adhuc essem vobiscum. Hi, quales?

Quod oporteret impleri cuncta quæ scripta sunt in lege Mosis & prophetis & psalmis de me. Tũc aperuit mentẽ illorũ, ut intelligerẽt scripturas, & ait illis: Sic oportebat pati Christũ, ac resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiam ac remissionẽ peccatorum in omnes gẽtes, facto ab Ierosolymis initio. In prædicando videlicet.

Vos autem estis testes horũ. Passionis ac resurrectionis, totiusq; meæ dispensationis.

Et ecce ego mitto promissum patris mei super uos. Patris sui promissum vocat spiritus sancti in specie ignitarum linguarum descensionem: nam hanc promisit per prophetam Ioel, qui dixit: Et erit in diebus illis nouissimis, ait dominus omnipotens, Effundo de spiritu meo super omnẽ carnem: præcipue videlicet Apostolicam.

Vos autẽ sedete in ciuitate Ierusalẽ, quoadusq; induamini uirtute ex alto. Cõuersamini simul Ierosolymis, nõ separati, ppter imbecillitatẽ qua adhuc tenemini, & timorẽ vestrũ, quoadusq; induamini in modũ armaturæ, virtute ex alto cœlo, vel alta diuinitate per prædictã spiritus sancti descensionem.

Eduxit autem illos foras usque in Bethaniam. Non tunc, sed quadragesimo die post resurrectionem: nam quæ interim facta sunt prætermittit euangelista.

Et eleuatis manibus suis, benedixit eis: factúmq; est dũ benediceret illis, discessit ab eis, ac ferebatur in cœlũ. Suscipiẽte illũ nube, veluti scripsit præsens euãgelista libro Apostolicarũ actionũ.

Et ipsi adorato eo regressi sunt Ierosolyma cum gaudio magno.

Propter

Propter illius resurrectionẽ, & propter spem dictæ promissionis. In dicto autẽ libro scriptum est, quòd regressi sunt Ierosolyma à mõte qui vocatur oliuarum. Manifestum ergo est, quòd Bethaniæ vnitus sit mons Oliuarum.

Erántque semper in templo laudantes ac benedicentes Deum. Temporibus videlicet quibus congregari solent: erant semper in templo, quando in eo esse licebat. Vtinam autẽ & nos deum semper laudemus ac benedicamus: & ita finem præsentis vitæ iocundum ac beatũ inueniamus per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

SIMILIS ENARRATIO IN EVANGELIVM SECVNDVM Ioannem.

QVis certe fuerit Ioannes euangelista à prioribus euangelistis didicimus, puta quòd frater Iacobi, filius Zebedæi à vico Bethsaida regionis Galilææ, arte piscator. Neq; autem prius, neq; postea literas didicit, sed penitus idiota erat: attamẽ talem eum nouimus, qualem esse decebat illum, qui à Christo edoctus esset. Siquidem quum in cœna super pectus domini recubuisset, talem hausit scientiam, qualem alius nemo sortitus est. Et verè de cœlo tonuit, & de penetralibus exclamauit: non tanquam alte vociferans, sed quasi de rebus altis clamans: & linguã cum spiritu mouẽs. Hic igitur quum in tria aliorũ euangelia, quæ sibi à quibusdam fidelibus allata erant, incidisset: vidisset que hos tres in eo maxime sermone versatos, qui de saluatoris erat humanitate, cæterũ dogmata quæ de diuinitate eius erant prætermisisse, ipsa quidẽ euãgelia admiratus est ac laudauit, & vera eos dixisse ac fide digna testatus est. Ipse autẽ motus à Christo ad præsens opus accessit, & quædã narrat, quæ etiã ab aliis scripta erant, ne videatur euangeliũ suum ab aliorum euangeliis separasse: præcipua tamen illi cura fuit, quæ ab aliis relicta erant addere, ac de diuina saluatoris gratia plura ponere, sicut necessariũ esse ob insurgentes hæreses iudicauit. Alij siquidẽ ob auditorum imbecillitatem illa prætermiserant, nondum cõfirmata prædicatione: hic autem crescente iam fide, ac fidelibus intellectu

D tellectu capacioribus, de hac definiuit, additis etiam quibusdam capitibus, quæ antea silentio fuerant præterita. Præsens autem euangelium multis annis post capta Ierosolyma conscripsit.

Caput primum iuxta Latinorum numerationem.

E

IN *principio erat uerbum.* Nomen ἀρχὴ plura significat: hic autem proprie significat idē quòd Semper. Huic vero ἀρχῇ coniuncta dictio ἦν Erat, ipsum omnino reddidit incognitum. Quo enim reduces mente tua illud Erat, quòd ante omnia & vbiq; præcurrens, non sinit cogitationem tuā inuenire terminū. Et in creaturis quidem, Erat, præteritum tempus manifestat. In triade verò increata, hoc etiam significat dictio Semper. Et in intellectuali sane ac sensibili creatura, de nullo suscipi potest, vt dictum sit, Semper erat: siquidem omnia postmodum facta sunt: sed id soli beatæ trinitati aptatur: nam sola ipsa infecta est siue increata. Similiter quoque nomen λόγος Verbum, multa significat. Nunc autem proprie significat dei filium. Dicitur namque verbum prout dicit Gregorius Theologus, quòd ad patrem ita se habeat, sicut verbum ad mentem: non tantum ob generationem quæ omni affectu caret humano: verum-

F etiam propter cōnexionem & manifestationem. Omnia inquit, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Poterit quoque dicere quispiam, quòd etiam sit quasi definitio ad suum

an.15.

an.14. definitum: nam & hoc significat dictio λόγος: Qui enim vidit filium, inquit, vidit & patrem, hoc est intellexit, vt sit ipse filius tanquam breuis ac facilis finitio naturæ patris. Omne enim quòd genitum est, eius qui genuit tacens verbum est. Quum autem dixerit euangelista, In principio erat verbum, demonstrauit quòd semper erat: nec erat tempus aliquod aut seculum, quo ipsum non erat: ipse enim effector est temporum ac seculorum. Quare autem non dixit, In principio erat filius? Ne quæ irrepat suspitio carnalis aut temporalis generationis. Ob id siquidē quum ipsum nominasset verbum, atque hinc omni tempore, omniq; affectu generationem ip-

nem ipsius supernaturalem carere docuisset, abiectis quoq; A
cæteris indecentibus circa eam suspitionibus, postmodum in sequentibus ipsum etiam libere filium dicit. Volēs quoque ostendere non modo ipsum semper fuisse siue æternū, sed etiam inseparabilem ac coæternum patri, ait:

Et uerbum erat apud deum. Non dixit, quòd erat in loco: non enim in loco continetur, qui circunscribi non potest: neque quòd in deo, ne statim in primordiis, personarū confusionem quis imaginetur, sed quòd apud deum siue apud patrem, vt & quòd proprium est personarū appareat, quòdque inseparabiles sint pater & filius: & omnino manifestum est, quòd etiam spiritus sanctus: siquidem in principio erat trinitas, simulque erat trinitas. B

Et deus erat uerbum. Quum verbi nomine vsus fuisset ad docendum in superna generatione intemporalitatem, affectuumq; carentiam, curat deinceps ac tollit damnum quòd ad hoc nomen subrepit: puta ne quis blasphemet, putans tale verbum esse quale nostrum est, siue internū, siue id quod proferimus: neque enim tale est, sed substantiale, eiusdem cum patre naturæ ac dignitatis.

Hoc uerbum erat in principio apud deum. Quum dixisset q; semper erat, quòdq; à patre inseparabile, & quod deus erat: breui mirandoque modo, theologiam quàm de hoc exposuit, in summam redigit: compendium diuinæ de eo cognitionis nobis præbens. Dicentibus autem, quod omnis filius patre posterior est, respondebimus. Quum dicitis, Omnis fi- C
lius, iam id quod quæritur dissoluistis. Siquidem dei filius nō est talis, qualis est Omnis filius, sed verè supernaturalis. Præterea contentiose asserentibus eum qui ab aliquo est, necesse omnino esse vt sit posterior eo à quo est, respondēdum est, quòd etsi hoc dicant, solis tamen radius quum ab ipso sit, non est eo posterior: nunquam enim sol fine radio apparuit. Quod si in sensibilibus ita est, quidnam dicere quispiam poterit de his quæ maiora sunt, quàm vt dici possint? Ex quo autem deum ipsum esse prædicauit, dat etiam ei diuinitatis insigne: dico sane creandi potentiam: dij enim, inquit, qui cœlum & terram non fecerunt, pereāt. Id autem, ne pu- Ierem.1
tetur patre minor esse.

Omnia

D *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Quum omnia per ipsum facta dixisset: ne putaretur id de sensibilibus tantum dixisse, subdidit: Et sine ipso factum est nihil quod factum est, hoc est nihil eorum quæ facta sunt siue sensibile sit, siue intelligibile. Excluditur autē spiritus sanctus: neque enim factus est vt inter alia comprehendatur, sed infectus aut increatus, sicut & filius & pater. Sola nanque diuina trinitas infecta siue increata est. Quum autem demonstrauerit filium creatorē omnis visibilis atque inuisibilis creaturæ, non excluſit patrem à creandi dignitate, sed docuit tantum filium esse creatorem sicut & patrem: id enim tribus commune est, quum sit diuinitatis insigne, vt

E prædictum est. Ideo quoque in diuina scriptura creandi potentia quandoque de patre dicitur, quandoque de filio, interdum vero de spiritu sancto, tanquam videlicet patre volente, filio autem operante, spiritu sancto vero cooperante.

frā. 5 Dicit siquidem capite etiam septimo, Pater meus ad hoc vsque temporis operatur, & ego operor. Quidam vero deliri partem illam, Per ipsum, filij minorationem intellexerūt, dicentes, id non creationis, sed subministrationis esse significatiuum. Nec viderunt quod id de patre quoque vsurpatur. Ait enim Apostolus, Fidelis deus per quem vocati estis in societatem filij eius. Ne quis autem incredulus sit, ambigens quomodo hæc & similia per ipsum facta sint, dicit:

In ipso uita erat. Qua non solum hæc produxit, verum e-

F tiam conseruat, vt in esse permaneant. Nam quod de patre dictum est, de ipso quoque dici potest: In ipso viuimus, mouemur & sumus. Quum autem audieris quod in ipso vita erat, ne compositum eum suspiceris, sed vitæ fontem: nā protinus etiam totum ipsum vitam nominat, dicens, Et vita erat lux hominum. Alibi quoq; dicit ipse Christus, Ego sum vita. Qui autem Spiritui sancto resistunt, eiusque naturam diminuunt, post id quod dicitur, Sine ipso factum est nihil, distinctionem statuunt: deinde quod sequitur simul legunt, Quod factum est, in ipso vita erat: vt spiritum sanctum factū esse demonstrent: nam de ipso loqui dicunt huiusmodi verbum. Facile autem refelluntur. Primum quia pars illa, Quod factum est, indistincte posita, omne quod factum est indicat. Deinde quia etiam vita dicitur esse lux: subdit enim quod

vita

vita erat lux hominū: post paululū autem de Ioanne loquēs ait: Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de luce. Manifestum est autem, quod Ioannes non de spiritu sancto, sed de filio tulit testimonium, sicut in sequētibus inueniemus. A

Et uita erat lux hominum. Etiam ipse filius erat lux hominum, vtpote mentem ipsorum illuminans, & ab errore deducens ad veritatem. Quod autem ipsum filium lucem nominauit, ipse quoque filius alibi dicit, Ego sum lux mundi. Dicitur itaque & lux & vita: vita quidem tanquam viuificans ac continens vniuersa: lux vero, quasi illuminans, & exhilarans mētem hominum, qui ipsum recipiunt. Quidam autem vitam ac lucem dicunt euangelicam prædicationem, quam B hominibus adduxit, vtpote causam vitæ spiritualis ac cognitionis lucis. *Infrā. 8*

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Lucem quidem vocat prædicationem, propter dictam causam, & propter veritatem: tenebras vero errorem, propter falsitatem. Dicit ergo, Prædicatio in errore lucet, & error eam non comprehendit. Gregorius autem Theologus dictum verbum aliter intelligit sermone quem facit in sancta lumina. Verum potest & hanc & illam recipere interpretationem. Quum ergo hactenus euangelista de filij diuinitate disseruerit, consequenter hinc euangelium aggreditur.

Fuit homo missus à deo cui nomen erat Ioannes. Lucas autem scripsit, Factum est verbum dei super Ioannem Zachariæ filium in deserto. *Lucæ. 3* C

Hic uenit in testimonium ut testimonium perhiberet de luce. Lux intelligitur hoc in loco Christus, propter causam prius redditam, Perhibuit autem Ioannes testimonium de diuinitate ipsius, sicut in sequentibus patebit. Quum autem Christus huius testimonio non egeret, subiungitur etiam causa testimonij: addit enim.

Vt omnes crederent per illum. Quemadmodum enim carne vestitus est, ne nuda diuinitate apposita omnes perderet: ita quoque testimonio vsus est, vt Iudæi cognati Ioannis vocem audientes, per eam crederent facilius in eum de quo testificabatur: Omnia siquidem ad hominum salutem disposuit. Ioannes itaque testimonium perhibuit vt omnes crederent,

derent,non omnes tamen crediderunt: Fides enim non est coacta sed voluntaria.

Non erat ille lux,sed ut testimonium perhiberet de luce. Adhuc missionis causam declarat. Neq; enim venit vt luceret: non erat siquidem ipse lux, sed vt testimonium perhiberet de luce. Simul quoque ne putaret quispiam eum qui testimonium ferebat,maiorem ac fide digniorem eo de quo ferebatur testimonium,vt plerūque solet accidere. Verum quia recens erat Ioannis testimonium, ne similis quædam oriretur suspicio & de eo de quo ferebatur testimonium,ait.

† *Erat lux uera* †, *quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum* †. Semper erat,iuxta suprapositum reconditiorem intellectum: siquidem tanquam deus semper erat: tanquam homo vero,esse incepit. Verum si omnem hominem veniētem in mundum illuminat, quomodo tot relicti sunt nō illuminati? Sane quod ad ipsum attinet, omnes illuminat: qui autem non illuminati manent, à propria hoc patiuntur voluntate: Nam lucis beneficium,quod ad solem attinet,super omnes simpliciter diffunditur. Quod si qui luce frui nolunt, ipsi sibi causa sunt quod non illuminentur. Veram quoque lucem dixit,tanquam incomparabilem ac super omnes, & quæ proprie lux est.

† *Dicitur quoq; uera imago, & uera sapientia, & uera uita: nō ad calumniam aliarū sanctarum imaginum: neq; sapienti e quæ à scripturis diuinis est, neq; uitæ præsentis, ut ne dicā futuræ: sed talis figura sermonis: id quod incōparabile est, per amplitudinem manifestat.*

† *Siue uenientem in uerum mundum uirtutum.*

In mundo erat. Non tanquā loco circunscriptus, sed tanquam omnia replens. Quum autem dixisset,In mundo erat, ne quis suspicaretur mundo cōtemporalem esse, quod accidit Paulo Samosatensi,addidit.

Et mundus per ipsum factus est. Manifestum est autem quod factor ante id quod factum est fuerit.

Et mundus eum non cognouit. Mundum hunc dicit eos,qui mundana sapiunt, qui mundo affixi sunt, qui à sensibilibus rebus abduci nequeunt, nec quicquam supra hæc intelligere possunt. Qui enim tales non sunt, ipsum priusquam etiam in carne aduenisset,cognouerunt. Et hinc est quod ad Apostolos vigesimoquarto iuxta Matthæum capite dixit Christus

Christus,Multi prophetæ & iusti desiderauerunt videre quę videtis,& nō viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quod si ipsum non cognouissent, nō desideraſſent videre, vt dictum est vel audire. Itaque cognouerunt quidem eum,eiusq; in carne mysterium, verum id supernaturaliter: desiderauerunt autem & sensibiliter videre ipsum mirabilia operantē,& audire ipsum docentem:& simpliciter in humana specie. Intelligitur quoque quod indignatus euangelista super eorum cæcitate qui ipsum ignorauerunt,dicit,Et mūdus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit: hoc est,qui facti sunt,factorem non cognouerunt.

In sua uenit, & sui eum non receperunt. Adhuc verbum amplius manifestat. Nam Sua,mūdus est, nempe factura ipsius. Sui quoque sunt homines,vtpote etiam opera ipsius, & tanquam ad ipsius imaginem formati. Venit igitur in eos, siue ad eos tanquam homo: siquidem tanquam deus, in mundo erat. Declaratur autem & alio modo: quod ex quo Christus à Iudæis secundum carnem natus est, Sua, sunt horum conuersationes: Sui vero ipsi sunt, tanquam ipsius cognati, eiusdemq; gentis. Nam & ipse dixit, Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. In sua igitur venit, non ob propriam necessitatē: Deus enim nullius eget,sed propter suorum salutem. Sui autem eum non receperunt,quum venisset vt eis beneficia præstaret, sed more insanientium saluatorē tanquam inimicum abiecerunt. Matthæi 9

Quotquot autem receperunt eum,dedit eis potestatem filios dei fieri,credentibus in nomen eius. Quotquot receperunt eum suscipiendo doctrinam ipsius: dedit eis potestatē filios dei fieri: nō statim fecit eos dei filios, ne per ignauiam perdāt gratiam: sed dedit ipsis potestatē fieri quo diligētiores reddant. Quid ergo,nonne omnes potestatē habent,vt filij dei fiant? Non omnes,sed hi tantū quibus datum est: solum autē datū est credentibus in ipsum. Ideo quoq; manifestans quib⁹ dederit, subdit, Credentibus in nomē eius, hoc est,in ipsum. Itaque ipsius quidē est dare potestatem: illorū vero, vti ea. Aliud est autem per baptismum aliquem à deo adoptari, & aliud per euangelicorum præceptorum obseruātiam filium dei fieri: nam illud principium est, hoc autem finis. & illud sane dei donum est,hoc vero studij facinus egregium.

Qui non

D *Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri sed ex deo nati sunt.* Attenuat quidem humanam generationem tanquam naturalem, eam vero quæ ex deo est extollit tanquam supernaturalem, vt cognita deiectione primæ, & exaltatione secundæ: intellecta quoque beneficij magnitudine: digne gratias agamus, & laboremus ne ipsum nostra ignauia perdamus. Quum autem dixisset, Non ex sanguinibus, subiecit manifestius, Neque ex voluntate carnis. Deinde hoc etiam amplius interpretatur addens, Neque ex voluntate viri. Sanguis enim & caro, vir est. Voluntatem vero, intelligit nunc coitus concupiscentiam.

† *Et uerbum caro factum est* †. Vbi dixisset homines ex deo natos esse, ait filium etiam dei factum esse hominem. Nam hoc indicat quod ait, Verbum caro factum est: vt qui illud admirabatur, magis etiam hoc miretur, vtpote excellentiori modo magis admirandum, quia & hoc illius causa est. Ad hoc siquidem dei filius homo factus est, vt homines filij dei fierẽt. Quum vero audieris, Verbũ caro factum est, ne transmutationem diuinæ essentiæ intelligas. Ipsa etenim immutabilis est ac impatibilis, sed quod verbum permanens quod erat, factum est quod non erat: siue manens deus, factus est homo per carnis assumptionem, animatus videlicet. Tribus autem modis id quod iam est, fieri dicitur: Vno quidem modo natura eius quod est, in id quod fit transmutatur: iuxta quem modum lac efficitur caseus: & lutũ efficitur testa. Altero vero quando manente eius quod erat substantia immutata, aliud per accidens efficitur: iuxta quem modum æs efficitur statua: & homo efficitur iustus vel iniustus, aliaque similia. Tertio vero modo, quãdo salua ac immutata vnius substãtia, alia quoque additur substantia: & hoc modo miles efficitur armatus. Primo ergo modo non est verbum factũ caro: non enim natura mutata est. neque secundo: nõ enim per accidens caro facta est, sed ipsa quoque substantia. Restat igitur vt quod dictũ est, tertio modo intelligatur. Nam more militis, carne vestitus bellum nostrum deuicit. Dixit autem Factum est, vt blasphemiam tolleret nugantium ac dicentium, quod caro imaginatum est verbum. Vsus enim hoc verbo, Factum est, confirmauit quod vere & non phantastice incarnatum est. Verum ne diuinæ substantiæ mutationem

A parte totum. E Nota. F

nem intelligas, dicit. A

† *Non poterat aliter dei erga nos dilectio ita manifestari, sicut facta carnis mentione: & quod propter nos usque ad id quod peius est sese deiecerit: caro siquidem longe uilior est anima.*

Et habitauit in nobis. Habitauit in nostra carne, in ea quæ nobis propinqua est, in ea quæ à nobis assumpta est. Quod si aliud est is qui habitat, & aliud habitatio: verbum secundum substantiã & naturam aliud mansit à carne. Nam secundum coniũctionem & vnionem, vnum est verbum susciens, caroque susceptа, seruatis etiã post vnionem, immutatis atque inconfusis duabus ineffabiliter naturis.

Et uidimus gloriam eius. Gloriam verbi, virtutem diuinitatis, quæ per carnem tanquam per velum illuxit: quæ autem erat illa? Certe nunquam antea visa variaque miracula: perlucida ac supernaturalis transformatio: & tempore passionis solis præter naturã obscuratio, formidabilis veli scissio, horribilis terræ motus, petrarum scissiones, monumentorum apertiones, mortuorum susciationes: quodque omnium caput est, mirabilior quam dici aut cogitari potest domini resurrectio, & post hanc quæcunque gloriosa Apostoli deinceps conspexerunt. B

Gloriam tanquam unigeniti à patre. Gloriam, non qualis est sanctorũ beatorum vel angelorũ, sed gloriam vere vnigeniti. Nam hic dictio ὡς Tanquam, idem significat quod Vere. Vnigeniti autẽ à patre, siue, natura filij dei. Vnigenitũ enim à matre nominari, declarat hunc natura filium virginis: dici vero vnigenitũ à patre, hunc natura dei filium prædicat. C

Plenum gratia & ueritate. Confirmans amplius quod verbum caro factum, nihil ob hoc diminutum sit, ait: Plenum erat gratia diuina & veritate: gratia quidem in admirandis operibus: veritate autem in doctrina. Et præterea gratia, quia cuncta poterat: veritate vero, quia nihil in eo phantasticum erat.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat. Etsi ego inquit quibusdam non satis fide dignus videor, Ioannes ante me testimonium de ipsius diuinitate perhibet: Ioannes inquam ille, cuius nomen magnum ac celebre erat apud omnes Iudæos. Nec solum testificatur, verum etiam clamat, siue cum libertate vociferatur, ac metu omni sepositо præ-

dicat. Audi vero quid testificetur & clamet.

Hic erat de quo dicebam: Post me ueniturus est, qui ante me fuit. Dixit enim hoc, aliaque similia Iudæis de Christo antequã ipse appareret aut manifestaretur tanquam propheta, vt fama eius præoccuparentur: & quum postmodũ appareret, facilius testimonium de illo reciperetur. Siquidem Matthæus Matth.3 scribit eum dixisse: Qui post me venit, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Quid est autem, Post me venturus est qui ante me fuit? hoc est, post paululum ad vos venturus est, qui licet vt homo nondum apparuit, gloria tamen ac maiestate nte præcedit: nam maxime glorificandus & exaltandus est. Quod autem futurum est, more prophetiæ, quasi iam factum sit, dixit. Deinde ponit etiam causam huiusmodi sublimitatis.

Quia prior me erat. Quia me tanquam deus præcedebat.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quum ipsum dixisset plenum gratia & veritate, ac fontem omnis boni perennem & inexhaustum esse demonstrasset, ait: Nos etiam omnes discipuli de tali ipsius plenitudine per participationem accepimus.

Et gratiam pro gratia. Nouum testamentum pro veteri. Quod autem de his loquatur, ex sequentibus manifestum est: interim autem scito quod & hoc & illud Gratiam nominauit, quia vtrunque gratis accipientibus datum est, deo ipsis propria sua misericordia gratificante, non ob præcedentes illorum virtutes rependente. Quemadmodum autem dicuntur lex & lex, testamentum ac testamentum, multaque alia nomina habent communia: ita quoque gratia & gratia nominantur. Hæc autem æquiuoca sunt non synonyma: illa siquidem quæ veteris sunt, rudem expressionem duntaxat significant & imitationem, quæ autem noui, perfectionem: & illa sane omnibus conueniunt, hæc autem solis viris: vel potius illa viris, ista vero angelis. Differentiam consequenter ipsorum ab his qui ea administrauerunt ostendit.

Quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum fuit. Lex quidem, siue vetus testamentum per Mosen mediatorem data est, gratia vero siue nouum testamentum per Iesum Christum nullo altero mediante. Et Moses quidem seruus erat: quodque à deo accepit, hoc dedit: Christus au-

stus autem dominus erat, & ipse tanquam deus nouum condidit testamentum. Quantum est igitur Mosis à Christo discrimen, tantum sane & horum. Superius certe Gratiam & gratiam dixit ob causam ibidem dictam: hic autem nouum duntaxat testamentum Gratiam nominauit, vtpote verius gratiam. Nam solum ipsum peccatorum condonat remissionem, regenerationem, adoptionem, regnum cœlorum tribuit, ac bona quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vbi vero dixisset Gratia, addidit, Et veritas, infallibilem ipsam esse attestans ac perfectam: illa siquidem gratia erat imperfecta. Lex enim, vt ait Apostolus, nihil ad perfectum adduxit: hæc autem perfecta, vtpote perfecte operans. Quanto ergo maiori gratia digni habiti sumus, tanto ad maiorem obligamur virtutem, ne tanto beneficio indigne conuersantes, dignũ tanta ignauia supplicium sustineamus. Hebr.7

Deum nemo uidit unquã: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Qua consequentia venerit ad hoc euangelista, aduerte. Postquam differentiam demonstrauit legis & gratiæ, rationabilem etiam differentiæ causam addit: quod legem quidem attulit Moses, homo qui deum non vidit: etenim deum nemo vidit vnquam, ideoque lex inferior est, vt pote ab homine delata. Gratiam vero siue euangelium vnigenitus filius qui versatur in sinu patris, semperque deum videt, nempe deus ipse, illud enarrauit, ordinauit, ac docuit: ideoque potior est gratia, quippe à deo facta, qui deũ intuetur, & ea quæ dei sunt cognoscit. Sed quomodo dixit, Deum nemo vidit vnquam? Nam & Iesaias deum vidit sedentem super solium excelsum & eleuatum: Iesa.6 Iezeciel autem vidit ipsum sedentem super Cherubim. Iezec.1 Daniel præterea ipsum vidit sedentem antiquum dierum: & alij quoque ipsum viderunt. Daniel.7 Sed id non veluti secundum naturam erat, sed sicut iuxta similitudinem apparebat. Nam si ipsum iuxta suam naturam vidissent, nequaquam variis modis vidissent: simplex enim & sine figura est, & neque sedet, neque stat, neque ambulat: nam hæc corporum sunt. Vnde & dicit: Ego visiones multiplicaui, & in manu prophetarũ assimulatus sum: visiones diuersas ac similitudinẽ significans. Nominatur autẽ vnigenitus filius, qp solus patri natus Osee.12

D sit, soloque patre genitus. Pater quoque solum est pater, nō etiam filius alicuius, vt alij sint patres: filius etiam solum natus est, non pater etiam alicuius, vt plures essent filij. Ad hæc quia vnico ac proprio modo natus est, qui nec dici, nec cogitari potest, non corporum more. Dicitur autem filius, quod eiusdem sit cum patre substantiæ: nec solum hoc, sed quia etiam ab eo est. Sinum vero dixit patris, non quod deus sinum habeat · nam sinus corporum est: sed per hoc quod dicit, Qui est in sinu patris: proprium & consubstantiale filij significauit. Potest quoq; & alio modo dici, quod prioris dicti videlicet, deum nemo vidit vnquā, confirmatio est id quod sequitur, Vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit, hoc est ipse docuit quod deum nemo vidit vnquā.
E Nā de hoc variis locis Christus loquutus est, sicut in sequētibus manifestum erit. Nulla itaq; creatura deum videt, non materialis tantum, sed & immaterialis: siquidem ipsis quoq; immaterialibus virtutibus inuisibilis est deus in sua natura, licet prout sibi conceditur deum videant.

Et hoc est testimonium Ioannis. Hoc inquam de quo nunc in progressu dicturus est.

Quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas, ut interrogarent eum Tu quis es? Testimonium videlicet datum quando miserunt Iudæi, &c. Siquidem pontifices & sacerdotes populi, quum circa Christi partum admiranda audissent: sumpto præterea de sapientia ac prudentia illius experimento, quando duodecim annorum factus immixtus est
F doctoribus, audiēs illos & interrogās, veluti scripsit Lucas: obstupescebant, inuidiaq; agitari cœperunt. Quum autem & Ioānem postea multa ac mirabilia de ipso ad suum baptisma accedentibus dixisse audissent, intellexerunt enim quod talia de illo diceret, magis turbati sunt: missisq; ab Ierosolymis sacerdotibus ac leuitis siue ministris interrogauerunt eum, Tu quis es? non tanquam id ignorantes: nā cunctis nota erant quæ circa natiuitatem eius contigerant: quæq; in eius circuncisione ac nominis impositione, ita vt omnes dicerent, Quis nam puer hic erit? sed præ malitia ignorantiam simulant. Nec dicunt, Quis es, sed Tu quis es? ac si dicerent? Si maior te est quem tu prædicas, tu ergo quis es? erga quem magnopere affecti sumus, & de quo magnificam habemus opinionem,

opinionem, quemque vehementer colimus. Putabant enim A
insipienter, quod licet in cæteris vigilantius excubare videretur, attamen humanū quiddam tanquā homo sentiret, ac gloriæ amore illectus, Christū se esse responderet, & deinceps ipsius Iesu fama extingueretur, ob quā omnes oriebant anxietates. Nā & hac de causa nō vulgares quosuis miserūt, sed sacerdotes & leuitas, idq; ex Ierosolymis vtpote præstātiores atq; astutiores cunctis, qui ex aliis erant ciuitatibus.

Et confessus est & non negauit. Confessus est, veritatem sci licet: nam verax erat ac solidus.

Et confessus est dicens: Non sum ego Christus. Virtutem eius cōfirmans, rursum idem repetit. Neq; enim solum ambitionis omnino nihil passus est, aut dominicam nō arripuit gloriam, sed nec eā quæ à multis dabatur respexit. Et vide prudētiam. Nō dixit quis esset quod postmodū fecit, sed ad mētem eorum accedēs, & quid velint agnoscens, recte id à prin
B cipio abstulit, quod ipsum sperabant responsurum. Dixit enim, Non sum ego Christus.

Et interrogauerunt eū: Quid ergo, Elias es tu? Et dicit: Non sum. Iam conatu frustrati, ad aliud cōuertuntur, intentumque suum adumbrare volentes dicunt: Quid ergo, Elias es tu? vt videantur simpliciter ac sine malitia interrogare: Siquidem expectabant etiam venturum Eliam Scriptum est enim apud Malachiam prophetam: Mittam vobis Eliam Thesbiten, qui cōuertet cor patris ad filium. Rursum ergo rogant, ne suspecti habeantur. Malac. 4

Es tu ille propheta? Et respondit, Non. Non dicunt, Es tu propheta: nam sciebant eum esse prophetam: sed es tu ille C
propheta, de quo scripsit Moses? Scripsit enim eis dicens, Deut. 18
Prophetam suscitabit vobis dominus, ipsum vt me audietis. Ille autem erat Christus.

Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait: Ego uox clamantis in deserto, Dirigite uiam domini sicut dixit Iesaias propheta. Quum ad omnia patienter respondisset, nunc etiā dicit quis sit. Ego inquit, sum illa vox de qua scriptū est, Vox clamātis in deserto: Dirigite viam domini & cætera. Hoc autem verbum pulchre expo Iesu. 40
nitur tertio iuxta Matthæum capite: quære itaque ibi expositionem ipsius. Matth. 3

D *Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis.* Significauit etiã ipsorum sectam, repręsentans obliquam eorum curiositatem.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Quum perficere non potuissent quod intendebant, accusatione nitũtur hunc attrahere, vt vel timore cogeretur dicere, quod non erat. Rursum autem magnam demonstrat æquitatem.

Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem uestrum stetit, quem uos non nostis. Eo enim tempore Christus immixtus erat populo: nam quasi vnus è vulgo veniebat ad baptismum, quod diuina reuelatione Ioanni innotuerat. Id autem quod addit, Quem vos non nostis, de illius diuinitate dictum est.

E *Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me fuit.* De quo videlicet verbum istud dicebam. Est autem superius declaratum.

Cuius ego non sum dignus, ut soluam eius corrigiam calceamenti. Sublimiter id quod est in Christo incomparabile hinc demonstrat, dicens: Neq; inter postremos eius seruos numerari mereor, propter magnitudinẽ consideratæ in eo diuinitatis. Postremis nanq; ministris aptari solent huiusmodi ministeria. Quære autem ad principium euangelij iuxta Marcũ dicti illius expositionẽ quo dicitur, Et prædicabat dicens: Venit is qui me fortior est post me, cuius nõ sum idoneus vt procumbens soluam corrigiam calceamentorum ipsius.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes bap-
F *tizans.* Emendatiora exẽplaria In Bethabara scribunt: nã Bethania nõ est sita trans Iordanem aut in deserto, sed prope Ierosolyma. Demonstrat autem locum, ostendens quod multis præsentibus Ioannes ea quæ de Christo erant prędicabat. Omnia vero quæ interim acciderunt prętermittens: Puta quomodo baptizatus est, quomodo cœlitus accepit testimonium: ieiunium præterea quadraginta dierum in deserto ac tentationes, tanquam ab aliis iam euangelistis narrata, refert deinceps quæ post descensum eius à deserto cõtigerunt, & ab illis relicta sunt.

Postero die uidit Ioannes Iesum uenientem ad se. In crastino post descensum eius à deserto scilicet: adhuc enim circa Iordanẽ permanebat Ioãnes. Quare autẽ venit ad ipsum?

Quia

Quia suspicabantur quidam venisse tanquam peccatorem ad baptismum in pœnitentiã more aliorum. Venit ergo nunc ad Ioannem, vt occasionem illi daret corrigendi perfectiori testimonio huiusmodi suspitionem. A

Et ait: Ecce agnus dei. Agnum ipsum appellauit, ad memoriam eis adducens vmbras veteris testamenti, ac Iesaiæ prophetiam: tanquam diceret, Ecce agnus in lege figuratus, & ab Iesaia annunciatus. Deinde addit etiam id quod prę- Exod.12 cipuum est eius, puta quod à deo missus sit ad immolandum pro salute hominum. Vel dei, hoc est, diuinus, propter suam diuinitatem. Iesaiæ.1

Qui tollit peccatũ mundi. Agnus siquidem qui in lege sacrificabatur, vnius Israelitici populi auferebat peccatum tanquam figura, signum & vmbra veritatis. Agnus autem dei B immolatus, totius mundi aufert peccatum, & tanquam veritas, eos qui in mundo sunt purificat. Ille siquidem irrationalis erat, hic vero rationalis: nec solum hoc, verum etiam diuinus. Peccata autem non tantum animæ dicit maculas, à quibus liberi sunt, qui eius seruant præcepta: verum etiam corporeas infirmitates, à quibus ægrotantes liberat. Dicens autem, Qui tollit peccatũ mundi, soluit prædictam suspitionem. Nam qui aliorum aufert peccata manifestum est, quod ipse non habeat peccata: qui autem peccatis non est obnoxius, alia omnino causa venit ad baptismum, quam ipse Baptista paulò post referet. Rursum alibi dicit, Ante Sup.eod me fuit: &, Prior me erat: seipsum intrepide tanquam seruum deiiciens, illum autem quasi dominum incomparabili- C ter extollens.

Et ego nesciebam eum. Ne putarent quod illum iam olim cognoscens talia de eo ferret testimonia, gratiam illi præstans tanquam cognato, ait: Ego ignorabam eum priusquam ad Iordanem veniret, vtpote semper in deserto versatus. Atqui quum adhuc in matris esset vtero, cognouit eum, & præ gaudio exultauit, quemadmodum scripsit Lucas. Ve- Lucæ.1. rum id non fuit naturaliter, sed supernaturaliter tunc eum cognouit, & quo modo nullus omnino hominum cognouit. Nunc autẽ triplici cognitione cognouit: puta per visum, per auditum, perq; propheticam notitiam, quarũ nulla Christum cognoscebat, priusquam ad Iordanem veniret, deinde autem

D triplici hoc modo cognouit eum. Siquidē prophetice ei reuelata sunt quæ de ipso erant: ideo & dixit: Qui post me venturus est, ante me fuit. Vidit quoque eum: illum namq; prohibebat dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Matth.3. Audiuit præterea vocē de illo dicentem: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est, sicut alij euangelistæ docuerunt.

Sed ut manifestaretur Israeli, propter hoc ueni ego in aqua baptizans. Ecce dixit etiam causam, ob quam venit & ipse vt baptizaret, & Christus vt baptizaretur: Vna siquidē eademq; fuit & huius causa & illius: videlicet vt manifestaretur Christus Israelitis. Nam à deo missus fuerat Ioannes ad Iordanē, vt baptisma pœnitentiæ prædicaret, quo propter baptisma
E multi concurrerent, & adstans Christus in medio multorū, vtpote baptizandus, testimonium acciperet, inferne quidem à Ioanne, superne vero à patre & spiritu sancto: atq; hinc ipsos attrahens, mysteria docere, ac mirabilia operari inciperet: neque enim ita concurrissent omnes, neque ita testimonium audiuissent, nisi hoc factum fuisset.

Et testimonium perhibuit Ioannes dicens, Vidi spiritum descendentem tanquam columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum. sed qui misit me ad baptizandum in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Rursum ait, Nesciebam eum, vt proprium testimonium ab omni suspitione remoueret. Verum quando dixit ei deus, Super quem videris spiritū
F descendentem &c. Quando quæ de Christo erant ipsi reuelauit, illo nondum manifestato: tunc siquidem & hæc, & alia dixit. Postea vero ipsum quoq; demonstrauit ad baptismum accedentem. Præsens itaq; euangelista ea, vt dictum est prætermisit, quæ circa domini baptisma ab aliis euangelistis conscripta sunt. Matthæus vero hæc cæteris latius enarrauit: lege ergo illa ad perfectiorem habendam cognitionem.

Et ego uidi. Spiritum, videlicet descendentem, & manentem super eum.

Et testimoniū perhibui, quod hic sit filius dei. Et vbi hoc perhibuit testimonium? neque enim vsquam scriptum est. Omnino sane hoc testificatus est: relictum est autem ab euangelistis, quemadmodum & alia multa.

Postero

Postero die iterum stabat Ioannes & ex discipulis eius duo: & A
intuitus Iesum ambulantē ait: Ecce agnus dei. Non vulgari modo neque casu hæc de ipso loquitur: sed quia nondum Iudæorum insensibilitatem attigerat: nemo enim quicquam de ipso interrogauerat, rursum hæc de ipso dicere cogitur, mentemq; eorum iteratis vocibus expergefacere quasi dormientem. Et quemadmodum sponsus nihil interim sponsæ Nota.
loquitur, nec eam per seipsum accipit, sed dux sponsæ omnia differit, eamq; illi tradit: vbi vero hanc ipse acceperit, ita eam immutat, vt illa priorū omniū obliuiscatur. Ita & nunc Christus adhuc tacet, Ioannes vero cuncta operatur, ideo etiam amicus sponsi vocatus est, tanq̄ qui nuptiis præest, omniaq; administrat quę ad sponsum pertinent. Vbi vero accepit de-
sponsatam sibi ecclesiā, ita eam sibi copulauit, vt illa conti- B
nuo omnium obliuiscetur. Et sicut spōsa nequaquā ad sponsum accedit, sed hic ad illam, etiam si fuerit ipse regis filius, illa vero omnium abiectissima. Ita & hic accidit: iste quum tantus esset, ad eam quæ despectissima erat accessit, & cōiunctus non permisit vt hic deinceps remaneret, sed susceptam in paternam deduxit domum, hoc est, in cœlum.

Et audierunt eum duo discipuli loquentem, ac sequuti sunt Iesum. Inter multos auditores hi soli audisse dicuntur, auribus videlicet animæ, quum alij vtique audissent auribus corporis. Ex discipulis namq; Ioannis soli hi duo tunc animo præsentes erant, quum tamen alij multi adstarent. Sequuti sunt autem eum, cupientes eius habere notitiam.

Conuersus Iesus quum uidisset ipsos sequentes, ait illis, Quid quæritis? Non tanquam ignorans, qui hominum penetrat cogitationes, sed vt interrogando familiares sibi redderet, ac fidutiam daret. Verisimile est enim quod erubescebant, & quasi ignoti formidabant. C

At illi dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur, si quis interpretetur, Magister, ubi habitas? Quum nondū ab eo quicquam audissent, magistrum siue præceptorem eum appellant: atq; hinc causam cur sequerētur manifestant, videlicet vt quæ forent vtilia audirent, vtque sese in discipulos ingererent. Dicunt autem, Vbi habitas? volentes diutius & in quiete cum eo conuersari.

Dicit eis, Venite & uidete. Non dat habitationis signa, volens vt

D lens vt illi sequerentur, quo maiorem haberent fiduciam.

Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo. Hora autem erat fermè decima. Horam significat, & in his innuens discipulatus desiderium, & in illo humanitatẽ, quod neq; propter tempus auersi sunt, quũ iam sol ad occasum declinaret: neq; tempus, aut aliud quippiã causati sunt. Quod si alibi dicit se non habere vbi caput suum reclinaret, non hoc simpliciter de domo dicit, sed de propria domo: neq; enim propriam habebat, sed alienis vtebatur. Dicit itaq; euangelista mansisse ipsos apud eum die illo: quod aũt instructi sint, tanquam manifestum reliquit intelligendum. Tantum enim vna nocte profecerunt, vt ad aliorum venationem sequenti die procederent. Oportet igitur & nos ob nullũ tergiuer-

E sari tempus ab audiendis his quæ diuina sunt, sed omnia his posteriora ducere. Alia siquidem mundana vniuersa tempus habent: ad hæc vero omne tempus esto conueniens.

Andreas frater Simonis Petri erat unus è duobus qui audierant à Ioanne, & sequuti fuerant eum. Alterius siluit vocabulum, siue quia insignis non erat vel cognitus; siue ipse qui hæc scribit erat, vt quidam dicunt.

† *Reperit hic prior fratrem suum Simonẽ, & ait illi, Inuenimus Messiam †, quod est si interpreteris, Christus.* Sermo est admodum Iætantis: Inuenimus quem quærebamus, quem venturũ sperabamus, quem scripturæ annunciauerunt: nam ab his hunc esse cognouit, à quibus ad sacra introductus est. Considera vero, quod hi etiam quum piscatores essent scripturis animũ aduertebant: nos autem qui de eis colloquimur, in eisq; ver-

F samur, nequaquam tamen adeo animum attendimus.

† † *Mediatorem uidelicet, genus à deo ac hominibus ducentem.*

Et duxit eum ad Iesum. Postquam videlicet dixerat quæ ab eo audierat. Siquidẽ hoc germanæ fraternitatis est, hoc syncere amicitię, vt boni participem assumat & fratrem. Fortassis aũtem non retulit quæ ab eo mysteria audierat, sed tantum vbi dixisset, Inuenimus Messiam, duxit eum ad Iesum, id solum studens, vt ipsum duceret, Christoq; traderet, sciẽs quod ille doceret eum vniuersa.

Intuitus autem illum Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona. Tu vocaberis Cephas †, quod est, si quis interpretetur, Petrus. Quæ diuinitatis sunt deinceps à vaticinio aperire incipit. Siquidẽ non minus

minus alliciunt homines prophetiæ aut futurorũ annuncia- A
tio, q̃ signa. Præterea minus etiam patent inuidiæ: nam signa calumniabantur insipientes. In Beelzebul, inquiunt, eiicit dæmonia. De prophetiis vero nihil tale dixisse leguntur. Et circa Simonem quidem & Nathanael hoc vsus est modo. De Andrea autem & Philippo nihil vaticinatus est. Siquidẽ Andreas Ioannis testimonio attractus est: Philippus vero videns illos qui ipsum sequebantur, ad fidem & ipse adductus est. De Petro quidem prophetauit cuius esset filius, & quo vocandus esset nomine. Quære preterea ad perfectiorem intelligentiam tertio iuxta Matthæum capite dicti illius enarrationem, Ambulans Iesus circa mare Galilææ vidit duos fra- *Matth.4.*
tres Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, *Marci.3.*
mittentes rete in mare. Ad hæc octauo iuxta Marcum capi- B
te verbi illius interpretationem, Et imposuit Simoni nomen Petrus. Sed & loci illius explanationem decimo capite euangelij secundum Lucam, Piscatores autem descenderant ex *Lucæ.5.*
illis, & abluebant retia. Omnia enim cõferunt ad ea quæ hic ponuntur. Hunc itaque nominauit Petrum: sicut Iacobum & Ioannem filios tonitrui: ostendens se eum esse qui in veteri quoq; testamento nomina adaptauerat, Abram vocans Abraham, Saram † vero Sarram, & Iaacob Israel. Nam quibus- †
dam ab ortu nomina imponebat, quibusdam aũtem postmodum. Quorum enim virtus à primo, quod aiunt, capillo fulgebit, his ab initio nomen imponit: quorum autem postea, his etiam postea.

† *Munsterus dicit legẽdum esse* כֵּיפָא *Chepha, quod sonat petrã,* C †
& dictionem esse Chaldaicam.

† *Iuxta Septuaginta translationem quæ prius Sara dicebatur, postea dicta est Sarra literæ uidelicet adiectione, sicut etiam factum* †
est in nomine mariti. In Hebraica autem & Chaldaica litera, Abraham quidem dictus est literæ additione, Sara uero quæ prius Sarai, literæ ꞏ iod ademptione.

Postero die uoluit Iesus exire, & reperit Philippum, ac dicit illi: Sequere me. Erat *autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.* Postero sane die voluit exire, at nõ postero die reperit Philippum, sed postmodum postquam Petrum & Andreã, Iacobum ac Ioannem attraxerat, quemadmodũ ab aliis euangelistis licet colligere. Sed quam ob rem non meminit quo-

modo

D modo eos attraxerit ambulãs circa mare Galilęę? Quia Mat-
Matth.4. thæus & Marcus hoc tradiderunt, sed quia illi prætermise-
Marci.1. rant quæ circa Philippum acciderant, hæc nunc iste mani-
festat. Ait autem illi Iesus, Sequere me. Sciens quidẽ & hũc
iam animo sequutum, quum de eo audissẽt ab his qui seque-
bantur, sed reuerentia detineri, soluit eum metu. Dicit au-
tem euangelista qua sit Philippus ciuitate oriundus, puta à
1.Corin.1. Bethsaida vili ac ignobili: vt scias quòd ignobilia mundi ele
gerit deus.

Reperit Philippus Nathanael. Postquàm videlicet Christũ sequutus erat.

Et ait illi, Quem scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus.

E Sumpto de ipso experimento, statim prædicator efficitur: sciensque Nathanael in legis ac prophetarum scripturis diligentissimum: siquidem erat in eis maxime versatus, quem admodum & ipse Christus attestatur, & res ipsa demonstrauit: ad Mosen ac prophetas eum remittit, confirmans inde suum de Christo testimonium esse fide dignum.

Iesum filiũ Ioseph. Adhuc enim filius eius esse putabatur.

A Nazaret. A Nazaret ideo dicebatur, quòd ibi nutritus esset.

Et dixit ei Nathanael: A Nazaret potest aliquid boni esse?

Mich.5. Quum prophetam audiret dicentem, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es inter principatus Iuda: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel, è Beth-
F lehem Christum expectabat: nunc autem audiens eum Nazarenum esse, turbatus est & admirabatur, non inueniens Philippi verbum conuenire prophetiæ, ideoque opinatus hunc circa locum esse lapsum, benignam fingit obiectionẽ, innuens non ita ipsum inuentum esse, sed eum esse à Nazaret, plane quodammodo per modum interrogationis repellit, suam ostendens circa scripturas diligentiam, & infallibilitatem figurarum. Est autem simile ac si diceret, Vtrum fieri potest, vt à Nazaret adeo exigua & abiecta sit quippiam boni? Nam Galilæa à Iudæis male audiebat: porro Nazaret Galilææ ciuitas erat. Dicebat autẽ hoc certissimus quòd nõ à Nazaret, sed à Bethlehem expectaretur Christus.

Dicit ei Philippus, Veni & uide. Modum quo hoc dixerat ignorans, putansque illum simpliciter ciuitati Nazaret detrahere

trahere, ducit ipsum ad Christum tanquam statim creditu- A
rum, si modo doctrinam ac conuersationem eius gustasset.

Vidit Iesus Nathanael uenientem ad se, & dicit de eo, Ecce uere Israelita. Laudauit ipsum quasi intelligentem quæ legerat: id enim est vere Israelitæ. Nam pontifices & scribæ quique illos contingebant, non attendentes ea quæ legebant, falso nomine Israelitæ dicebantur.

In quo dolus non est. Dolum vocat, veritatis contectionem vel obscurationem à malitia.

Dicit ei Nathanael, Vnde me nosti? Non est laudibus inflatus, sed rogat vnde eum talem esse cognosceret qualem dicebat.

Respõdit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus uocaret, quum B
esses sub ficu uidebam te. Ille quidem tanquam hominem adhuc rogabat, ipse vero quasi deus illi respondet: nam se vidisse dicit quod nullus vidit. Priusquam autem occurrisset ei Philippus, fuerat sub ficu, nullo præsente aut ipsum vidente. Dedit itaque signum quod cognosceret ac videret quæ hominibus visa non forent: ideoque & tempus dixit & locũ ac arborem. Simul etiam indicauit se omnino audisse quæ dixisset, Vtrum à Nazaret posset quippiã esse boni: & ex hoc magis intellexit ipsum esse Christum. Cogitabat enim quod aliter non eum laudasset, sed potius repulisset. Cæterum & à prophetia, & à laude ipsum esse credidit. Prophetia vero non de futuris tantum est, verum etiam de præteritis: sicut C
Moses de mundi constitutione: & de præsentibus, vt quum Genes.1.
dixit Christus quæ sint in corde hominum.

Respondit Nathanael, & ait illi: Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel. Vides animam præ nimia lætitia exultantem, hisque verbis ipsum amplectentem: Tu inquit, ille ipse es qui expectabatur. Sed quare Petrus qui post tanta miracula tantamque doctrinam confessus est ipsum esse dei filium, beatus dictus est: Nathanael vero qui & ante miracula, & ante doctrinam hoc ipsum fecit, nõ est dictus beatus? Quia licet hoc ipsum loquutus est, non tamen eadem mente. Nam Petrus eum natura Dei filium esse confessus est: Nathanael vero, dei filium adoptione: & ille quidem proprie deum, hic autem per gratiam, quod manifestum est ex eo quod subditur, Tu es rex Israel. Qui enim natura dei filius est, non Israelitarum

Darum solum, sed & omnium rex est. Neque hinc solum manifestum est, verum etiam ab his quæ respondit Christus, ad perfectiorem confessionem hunc inducens ac docens, ne sibi quasi puro homini auscultaret.

Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, Videbam te sub ficu, credis? maiora his uidebis. Vt perfectius credas. Nam quum parua adhuc audisset, parum credebat.

Et dixit ei: Amen amen dico uobis: posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes † super filium hominis. Siquidem tanquam super legitimum dei filium ascendebant & descendebant angeli dei ad eum, ministrantes illi: hoc quidem circa tempus passionis, illud autem tempore resurrectionis & assumptionis. Cui autem in modum seruorum ministrant angeli, hic non simpliciter homo est, sed & deus ac dominus. Amen amen dico vobis fidelibus, Posthac videbitis, post ingenuam veramque fidem. Hæc autem sunt maiora illa de quibus dixerat, Maiora his videbis. Visionem vero intellige etiam cognitionem. Hæc enim omnes discipuli cognouerunt: hi quidem videntes, illi autem ab his qui viderant audientes. Quod ergo in aliis, hoc etiam nunc facit. Siquidem duo vaticinia protulit: vnum certum dicens, Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, videbam te: aliud vero ambiguum, puta quod visuri essent cœlos apertos & cætera, & à certo confirmat ambiguum. Ideo etiam Nathanael tacuit, Christus vero subtitit, ac siluit, expectans verbum eius, sinens vt dicta apud se reuolueret. Vbi enim semē in terram bonam seminasset, reliquit: vt per ociū postmodum nasceretur.

† *Primum dixit Ascendentes, significans quòd usque tunc cum eo præsentes fuerant, eique ministrauerant.*

CAPVT PRIMVM DE NVPTIIS IN CANA.

Cap.2. *Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Tertio post Christi à deserto descensum.

Et erat mater Iesu ibi. Vocata tanquam familiaris ab his qui nuptias celebrabant.

Vocatus est autē & Iesus ac discipuli eius ad nuptias. Et ipsi

Et ipsi quasi familiares. Accessit autem Saluator non habito respectu ad suam dignitatem, sed ad hominum vtilitatē. Siquidem qui nuptias condiderat, venit vt eas honoraret, suaque præsentia sanctificaret: & quum serui formam assumpsisset, non dedignatur seruorum interesse nuptiis, licet qui eum vocauerant non haberent congruentem de eo opinionem. Simpliciter enim tanquam notum, vnumque è pluribus illum vocauerant.

Et deficiente uino dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Quum careret vino, hoc est quum opus esset vino, siue quum iam vinum defecisset. (Nam habet Græca litera ὑστερήσαντος οἴνου) Neq; enim ad id vsq; temporis vllum fecerat miraculum. Quum ergo cognouisset mater quæ circa ipsum erant, quodque Ioannes propter eum venerat, ac de illius diuinitate testimonium tulerat, & quod cœlitus de eo testimonium acceperat. Simul etiam videns quod discipulos acceperat: intellexit quod reuelari ex eo tempore inciperet. Sumpta igitur fiducia deprecata est eum pro deficientis vini miraculo: & his qui vocauerant gratiam volens rependere, & suam gloriam volens per filij potentiam demonstrare. Ideoque eam corripit, non quasi vilipendens, sed corrigens tanquam intempestiue precantem. Nam quod eam plurimū honoraret, & ex aliis multis manifestum est, & ex eo quod ipsius compleuit exhortationē. Corripuit itaq; eam docens nondum talia esse querenda, quanquā miracula verbo posset operari. Obediuit autem, eam tanquàm matrem honorans.

Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Quid ad nos attinet id pro quo deprecaris? quid ita nos vrget? Potest præterea & alio modo intelligi. Quid mihi tecum cōmune est? ego siquidem vtpote deus noui quæ tempora edendis miraculis sint congrua: tu vero illa ignoras quasi homo. Non dixit autem mater, sed mulier tanquam deus.

Nondum uenit hora mea. Nondum adest tempus meum ad edendum quod quæris miraculum: tunc autem aderit quum hi quibus opus est miraculo, cognouerint quod talia possim operari, & ipsi me fuerint deprecati. Nunc autem matre adhortante non solum intempestiuum esset, verum etiam suspectum, & querulosis facillime pateret calumniæ. Hæc autem, Nondum venit hora mea: Non potuerunt eum apprehendere

Infra. 7. & 17.

D prehendere, quia nondum venerat hora eius: Nullus iniecit in eum manus, quia nondum venerat hora eius: Pater venit hora, aliaque similia, non ostendunt quod necessariis temporum horarumque obseruationibus subiaceat: nam quo id pacto fieret, quum horum effector sit? sed hæc de contingentibus opportunitatibus dicta sunt: demonstrantia, quod omnia ratione ac ordine fieri oporteat. Quum ergo dixisset, Nondum venit hora mea, miraculum tamen operatus est: & matrem vt dictum est honorans, & ostendens, quod temporibus non seruiat aut subiaceat, sed eis dominetur.

Dicit mater eius ministris, Quicquid dixerit uobis facite. Quum
E verbi scopum ac rationem intelligeret: quodque non impotentiæ excusatio erat, sed ne videretur sese miraculis ingerere, & spectaculo exponere, matris autem exhortationem non despiceret: mensæ ministros admonet vt sibi adsint, & ipsi quoque alio modo cum ea deprecentur.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum capientes singulæ metretas binas uel ternas. Hydriæ vasa sunt aquæ: Metretæ vero mensuræ. Erant autē positæ secundum purificationem Iudæorum: id est paratæ ad eorum purificationem, vt si qui forte immundi redderentur, non longe eundum esset ad fontes.

Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Mensæ ministros, facit etiam ministros miraculi, vt ipsi testes rei essent. Non iussit autem vt vasa vinaria
F implerentur, sed aquales siue hydriæ, ne qui suspicarentur quod relictis fecibus mixtio aquæ facta esset. Quare autem non ipsemet solo verbo etiam hydrias impleuit, sed ministris hoc imperauit? Ne phantasma esse videretur: sed si quis miraculum calumniaretur, vt qui aquam hauserant, silentiū illis imponerent.

Et ait illis: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam factam uinum, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: uocat sponsum architriclinus & dicit ei, Omnis homo primum ponit bonum uinum, quumque inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, tu seruasti bonum uinum usque modo. Architriclinum dicit conuiuij præfectum, qui conuiuium procurat. Triclinia enim vocabantur aulę conuiuiorum. Non ergo simpliciter aquam conuertit in

tit in vinum, sed in bonum vinum, sicut architriclinus ipse A
testatus est. Nam huiusmodi admiranda Christi opera longe erant naturalibus præstantiora. Quòd igitur aqua versa sit in vinum, ministri testes fuerunt: quod autem in bonum etiam vinum, architriclinus ac sponsus: vt deinceps miraculum latere non posset, quod testimoniis adeo manifestis probaretur. Verisimile est autem & sponsum dixisse, Quid nam est hoc? veruntamen id prætermisit euangelista vtpote non necessarium. Vtinam autem & ego qui frigidus sum, laxus & effusus, nihil in hoc ab aqua differens, in calorem conuerterer spiritualem, virtutis constrictionem, ac morum firmitatē, vt & alios lætificare possem.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ. Non solū B
scripto prodidit miraculum, sed etiam docuit principiū hoc fuisse signorum. Nam quia id scitu dignum erat, & ab aliis præteritum, scripsit illud, vtpote ad hoc vtile, ne fides adhibeatur his quæ dicuntur pueri Christi miracula: hoc enim fuit initium signorum: illa verò sunt opus viri qui à veritate aberrauit. Nam si puer mirabilia operatus fuisset, id statim omnibus innotuisset, neque Israelitis fuisset opus Ioanne vt eum manifestaret. Siquidem Ioannes ipse dixit, Vt manifestaretur Israeli, propter hoc veni ego in aqua baptizans. *Supra 1.*
Merito ergo expectauit decentem viros ætatem, ne phantasmata esse putarent ea quæ fierent. Nam si plurimi id suspicabantur quum in legitima ac perfecta ætate mirabilia operaretur, multo magis in imperfecta, & priusquam tem- C
pus conueniens aduenisset, quum inuidia tabescerent, in Saluatorem insurrexissent: & ita non solum increduli fuissent dispensationi incarnationis, sed etiam euangelium impedissent. Quære etiam tertio iuxta Matthæum capite, quam ob *Matth. 3.*
causam post trigesimum annum venerit Christus ad baptisma, vbi dicitur, In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & causas inuenies aptissimas, ac rationi maxime consonas.

Et manifestauit gloriam suam. Potentiam & virtutem suam, magnitudinem diuinitatis suæ. Verum quomodo aut quo pacto hoc fuit, quum pauci ad id quòd factum erat aduertissent, soli videlicet ministri & architriclinus ac sponsus cum discipulis eius? Quod in se erat, manifestauit eam per huius-

D modi miraculum: quanquam enim pauci tunc aduertebant: postea tamen diuulgatum est miraculum, multosque attraxit. Quod autem die illo nullus aliorū crediderit, ex sequētibus manifestum est, Nam subiunxit:

Et crediderunt in eum discipuli eius. Qui etiam antea ipsum admirabantur. Vides quod tunc oporteat fieri signa, quum futurum est, vt spectatores beneuoli sint & animum aduertant.

Post hæc descendit Capernaum ipse & mater sua & fratres sui, manseruntque in ea non multis diebus. Descendit Capernaum, vt quiscere faceret ibi matrem. Fratres sui autem, lege, non natura, filij videlicet Ioseph, qui lege & non natura pater il-
E lius erat.

CAPVT SECVNDVM DE EIECTIS E TEMPLO.

ET prope erat pascha Iudæorum, ascendit ex Iesus Ierosolyma, & repperit in templo uendentes boues & oues ac columbas, & numularios sedentes. Quumque fecisset flagellum è funiculis, eiecit omnes de templo, oues simul ac boues, & numulariorū effudit æs, mensasq; subuertit. Similia quoq; scripsit Matthæus in fine quadragesimiquinti capitis: & illorum lege enarrationem, plurimum ad hęc cōferentem, κερματισταὶ autem proprie dicuntur permutato-
Matth. 21 res, quos Matthæus κολλυβιστὰς nominauit, hoc est numula-
F rios. Et sicut κόλλυβος obolus est, qui pro permutatione monetæ datur, id est (vt vulgo dicitur) cambium: sic & κέρμα cōgeries est obolorum, aut minutorum numorum quibus fit permutatio. Præterea φραγέλλιον genus est flagelli: erat autem contextum: nam & eorum qui eiecti sunt, conuersatio contexta erat absurdis verbis ac operibus: & rursum eiiciētis conuersatio contexta erat ex supernaturalibus verbis ac operibus, siue rebus diuinis & humanis. Opus itaque operatus est multa plenum autoritate. Nam quia sabbatho curatu rus erat, multaq; similia facturus, quæ Iudæis legis trāsgressio videbantur: ne hęc tanquam deo contrarius facere videretur, hinc primum huiusmodi aufert suspicionē. Qui enim tantum zelum erga domum dei demonstrauit, tantaq; vehementia

mentia ac indignatione propter hanc vsus est, vt nulli omnino parceret, sed seipsum in periculum cōiiceret, & tum caupones illos, tum Iudæos id ipsis permittentes in se exacuit, omnia sustinere paratus pro honore templi, nequaquam posset templi domino esse contrarius. A

Et his qui uendebāt columbas dixit: Auferte ista hinc, & ne facia-tis domum patris mei domum negotiationis. Non factis solū, sed & verbis ostendit deo se non esse contrarium. Sed ipse quidem deum natura patrem suum vocauit: Iudæi autem adoptione patrem ipsum nominasse putantes, non sunt hoc verbo turbati. Sed neq; his quæ fecit exasperati sunt: siquidem arguebat illos conscientia ac confundebat, ostendens quòd iuste hæc & fecisset & dixisset. Domum autem negotiationis, hoc est cauponam aut tabernam. Prædicto vero Matthæi capite dixit, Speluncam latronum. Ex quo adnotare possumus, quod zelum ac libertatem arguendi bis demonstrauerit aduersus eos qui in templo cauponabantur, & in principio euangelij & circa finem. Quæ ergo in principio euangelij contigerunt, Ioannes hoc loco conscripsit: quæ vero circa finem, Matthæus. B

Recordati sunt autē discipuli quod scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. Nam id scriptū est in libro Psalmorum. Zelum autē dicit nunc iustam indignationē. Comedit, hoc est valde amplectitur & inflammat me. Scire autem oportet, quod homines facto flagello non verberauit, sed ipsos quidē exterruit ac expulit: oues vero ac boues verberauit & eiecit. Psal. 68. C

Respondērunt ergo Iudæi & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quod hæc facias? Scientes sese cōdemnatos, ipsum quidem reprehendere ausi nō sunt, sed dixerunt ei: Quum hæc facias, siue quum dominium tibi vindices, quod signum ostendis nobis tuæ autoritatis? O ingentem demētiam: quum beneuolos esse oporteret, ipsumq; laudare, qui domum dei tanta purgaret ignominia, autoritatis signum quærunt, inuidia tabescētes, & signum carpere volentes. Nam alibi quoq; dixerunt, In qua potestate hæc facis?

Respondit Iesus & dixit eis, Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam ipsum. Potentiæ suæ autoritatis signum dat eis, puta tertij diei resurrectionē. Nam templū dicit corpus suū: ipsum enim domus est & templū nō animæ solum, verū

D etiam diuinitatis. Soluite autem dixit, non adhortans eos ad
sui interfectionẽ, sed quia cognouit quod facturi erant, figu-
ratiuo sermone prædixit. Soluite ergo, siue in terrã subuer-
tite, ab anima separate, & coniunctionem quæ cum illa est
dissoluite.

Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, & tu in tribus diebus illud eriges? Ipse autem dicebat de templo corporis sui. Prior quidem structura viginti an-
3. Reg. 6. & 7. nis à Solomone absoluta est, altera verò per quadraginta &
sex à Zorobabel. Priori nanque à Babyloniis destructa, cœ-
1. Esdr. 4. pta est posterior circa annum primum regis Cyri: deinde
6. inuidia & calumnia circummorantium Samaritanorum im-
E pedita, ita quadraginta annis permansit. Circa secundũ ve-
1. Esdr. 7. ro annum Darij Hystaspis missus Zorobabel in sex annis ip-
sam perfecit: & ita annis quadraginta & sex ædificatum est
templum, qui numerantur ab initio ædificationis vsque ad
consummationem.

Quando ergo surrexit à mortuis, recordati sunt discipuli eius quòd hoc dixerit, & crediderunt scripturæ eius. Quum autem hoc di-
ceret hæsitabant quid nam diceret, nec credebant. Multa
quoque talia loquitur, primum quidem audientibus incer-
ta, postmodũ verò manifesta, vt ostendatur præuidisse quæ
dicebat. Et quare ænigma non dissoluit dicens quod tem-
plum intelligeret corpus suum? Quia tunc ei fides habenda
F non erat. Siquidem duo tunc obstabant: vnũ quidem resur-
rectionis opus, alterum vero quòd deus esset, qui tale tem-
plum inhabitaret.

Quum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ faciebat. Crediderũt
in eum non tamen firmiter: nam illi firmius credebant, qui
non propter signa tantum, verum etiam propter doctrinam
eius credebant: nam signa crassiores attrahebant, doctrina
verò ac prophetiæ mente subtiliores. Ideo quoq; constan-
Lucæ. 11. tiores sunt hi, quibus etiam aptatur id quod dicitur: Beati
qui non viderunt & crediderunt.

Ipse autem Iesus non credebat seipsum eis. Neque credebat,
neq; tanquam legitimis discipulis confidebat: quare?

Eo quòd ipse nosset omnia. Omnem hominem siue constans
† esset siue inconstans. Vel, omnia quæ in omnibus sunt. †

Hæc di-

† *Hæc diuersa oritur interpretatio, quòd πάντα pro quo in uulgari translatione legitur Omnes, Græcis accusatiuus est masculinus singularis, aut neutrius generis pluralis, & ita uerti potest in Omnẽ aut omnia. Plurima tamen exemplaria Græca habẽt πάντας, hoc est Omnes, & ita legisse uidetur qui uulgarem ædidit translationem.* †

Et non erat opus ei, ut quis testimonium ferret de homine. De
qualicunque homine.

Ipse enim sciebat quid esset in homine. In quocunq; homine,
vtpote cordium cognitor deus.

CAPVT TERTIVM DE NICODEMO.

B

Erat autem homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte. Timebat Cap. 3.
enim palam accedere propter Iudæorum suspi-
tionem, qui auersuri erant accedentes ad eum.

Et dixit ei, Rabbi scimus quòd à deo ueneris in magistrum. Putabat enim quod propheta esset missus à deo ad
docendum.

Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi deus fuerit cum eo. Quum prophetam eum putaret, merito arbitraba-
tur hæc eum nõ propria facere potestate, sed esse à deo pre-
cibus obtenta.

Respondit Iesus & dixit ei, Amen amen dico tibi, Nisi quis superne natus fuerit, non potest uidere regnum dei. Existimabat Ni- C
codemus se nosse deum, ac de eo recte sentire. Ostendens
autẽ Christus quod longe à veritate aberraret, ait. Nisi quis
regeneratus fuerit per regenerationem diuini baptismatis,
non potest scire siue cognoscere eius dignitatem ac magni-
tudinem. Nunc enim seipsum dicit deum, id tamen obscure,
quo insolentiam deuitet. Diuina siquidem gratia quę per sa-
crum datur baptisma, & mentem roborat, & recte videre tri-
buit, dissipata imbecillitate, quæ obtenebrabat.

Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci quum sit senex? num potest in uentrem matris suæ iterum introire & nasci?
Quid hoc Nicodeme: Rabbi ipsum vocas, & à deo venisse
dicis, nec tamen credis quæ dicit? O Iudaicam crassitudinẽ.
Audiuit regenerationem, sed spiritualem: non potuit hanc

D concipere, sed carnalem intellígit, & merito dubitat, modumque sciscitatur.

Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest intrare in regnum dei. Modum manifestat dicens, quòd ex aqua & spiritu, videlicet sancto: non tamen clare hoc dicit, quo attentius interrogaret. Sæpius enim occulte mentem excitat, vt diligentiorem ac curiosiorē reddat auditorem. Nicodemus siquidem impossibilem dicebat regenerationem, Christus vero omnino possibilem: nec id solum, sed & necessariā: adeo vt sine ea regnū dei nullus possit intrare, hoc est, eius dignitatem ac magnitudinem cognoscere, aut diuinā attingere fruitionē. Intelligitur autem
E verbū de his qui post Christū baptizatū fuerunt. Reliquum est igitur, vt & Apostoli regenerati sint per aquā sane à Ioanne, per spiritū vero, quia ad eos in specie ignitarum aduenit linguarum. Scribunt autem quidā, Apostolorū temporibus proximi, quod Christus Petrum ac virginem matrem baptizauerit: Petrus vero reliquos omnes Apostolos.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Nō carnalis inquit generatio est, sed spiritualis: nam quod ex carne natum est, carnalis est progenies: quod autem natum est ex spiritu, spiritualis generatio est. Carnalis itaq; natiuitas est sensibilis, spiritualis vero, intellectualis: nec oportet quod intellectuale est sensibiliter indagare:
F neque humano modo, opus quod diuinum est. Siquidem ex quo prior generatio facta est inutilis, data est secunda regeneratio excelsior & honorabilior. Dei opus est prior, dei op* est & posterior, Deus enim spiritus est. Quum igitur audieris quod spiritus regenerat, ne modum quæras. Nam si incomprehensibilis est in vtero formatio, longe incomprehensibilior est quæ in aqua fit: quod si de illa non ambigimus, omnipotenti dei sapientiæ credentes, de hac multo magis credere oportet. Sicut autē in prima hominis formatione subseruiuit terræ elementum, quum vniuersa in manu essent creatoris, ita & nunc subseruit aquæ elementum, quum vniuersa sint in voluntate spiritus. Quòd si me interroges, quare nunc aqua: ediuersō te interrogabo, quare tunc terra. Poterat siquidē sine terra fieri homo. Nā & quod sine verbo nihil faciat deus cōfiteor: & quod solus omniū verba exacte

exacte nouit, & dico & credendum suadeo. Quod autem in A
carnali generatione est vterus, hoc in spirituali est aqua: sed ibi quidem ad generationem opus est tempore, hic autē non ita: quia carnalia in tempore perfectionem assumunt, spiritualia vero statim perfecta creantur. Perfectū itaque verbum per aquæ ministerium soli deo manifestum est: hoc autem à sanctis patribus vtcunque comprehensum est: quia diuina in eo signa adimplentur, sepultura videlicet ac resurrectio. In eo nanque tāquam in quodam sepulchro, capite mergimur, vetusque homo sepelitur ac demergitur: deinde quum exilimus, nouus resurgit & ostenditur. Quemadmodum enim nobis facile est demergi & exilire: ita deo facile est veterem hominem sepelire, nouumque excitare. Hoc autem tertium fit, vt scias potentiam patris & filij ac spiritus sancti omnia efficere. Dubitant autem quidam. Nam si quod B
natum est ex spiritu, spiritus est, Christi certe caro spiritus
Matth. 1 erit. De virgine enim dicit angelus, Quod in ea natum est, à spiritu sancto est. Quibus nos dicimus, quod hoc dixerit docens quòd à viro non esset, non quin esset à muliere. Dicit enim Apostolus, Factum ex muliere, caro videlicet de carne.
Galat. 4 Natus est ergo à carne virginea, ne ab humana natura esset alienus. Nam si & hoc facto quidam non credunt incarnatum, quomodo in impietatem non cecidissent, si ita factum non esset? In virgine ergo natus est à spiritu sancto, siue supernaturaliter, quia non à viro. Nam hoc significat quod dicitur, A spiritu sancto.

Non mireris quod dixerim tibi, Oportet uos nasci superne. Videns eum nondum à crassitudine diuelli sed turbari, primū C
reprimit: deinde facili conatu hunc ad exemplum ducit sensibile, propter illius imbecillitatem, & medium inter corpoream crassitudinem & incorpoream subtilitatem: vt hinc mentem eius reducat. Dicit ergo.

Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Spiritum dicit nunc ventum. Est autem intentio eius. Sicut ventus vbi vult spirat, hoc est vbi motus fuerit: voluntas enim venti, motio est, & vocem eius audis siue sonum aut stridorem: nō cognoscis autem vnde venit aut quo abit. Sic est omnis qui natus est ex spiritu: incōprehensibilis est videlicet quo ad huiusmodi

D iusmodi generationem. Quod si sensibilis spiritus impetum ac viam non potes cõprehendere, cuius sensum recipis, tum quia somũ eius audis, tum quod te calefaciat aut frigefaciat: multo magis intelligibilis. Si ergo vim illius corporei spiritus licet non cõprehendas, credis tamen: quomodo hunc incorporeum propterea non credis, quod non cõprehendas?

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Adhuc Nicodemus in Iudaica manet imperfectione, nihil valens supra sensum intelligere, etiam manifesto huiusmodi exemplo proposito. Dicit ergo: Quomodo possunt hæc fieri, quæ de prædicta regeneratione dixisti? Vnde & Christus iam obiurgantis more cum eo disserit.

E *Respõdit Iesus & dixit ei: Tu es præceptor Israelis & hæc ignoras?* Nequaquã malitiæ condẽnat eum Christus, sed ignauiæ ac ruditatis. Oportebat enim eum qui præceptor erat, hæc à scripturis cognoscere. Signa siquidem regenerationis spiritualis continent libri Iudæorum, puta quæ de rubro mari scribũtur, in quibus aquæ typus erat mare, nubes vero spiritus. Et quæ de leproso Naaman, quando in Iordane lotus est, & reuersa est caro sua ad ipsum sicut caro pueri paruuli. Aliaq; plurima similia. Habebant insuper & prophetias. Dixit enim Dauid, Et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit dominus. &: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, &: Renouabitur F sicut aquilæ iuuentus tua. Aliorum siquidem prophetiæ prę multitudine in præsentia relinquantur.

Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur. Vel de seipso & patre hoc dicit, vel de seipso solo. Quanquam tu non credas, nos tamen quod probe nouimus, hoc loquimur.

Et quod uidimus testamur. Idem confirmationis causa repetit, quod scimus testamur: neque enim sensibilem aspectum intelligas, quum nondum factum esset.

Et testimonium nostrum non accipitis. Hoc non indigne ferẽs dixit, sed leniter quod fiebat enarrans, & modeste quod futurum erat prædicens, & quasi protestans ac docens nos, ne quum erga aliquos disputamus, indigne feramus, clamemus, aũt exasperemur, si non persuadeamus: nam iræ materia ac principium clamor est: patienter vero respondere, est conari vt credibile facias quod dixeris.

Si terrena

Si terrena dixi uobis & non creditis, quomodo si dixero uobis cœ- A
lestia credetis? Frequenter quum verba facturus est, quę suæ congruant maiestati, his propter auditorum crassitudinem ac imbecillitatem relictis, humiliora dispensatorio modo cõdescendendo præfert: quod sane etiam nunc fecit. Nam ex quo de spirituali generatione loquutus est, de sua ipsius etiã generatione quæ fuit ante secula, quæq; omnem & mentem & sermonem excedit, dicere volebat. Videns autem Nicodemum neq; spiritualem posse intelligere, nihil de illa dicit, sed causam talis silentij docet, quod sit videlicet propter auditorum incredulitatem. Horum ergo incredulitati aut imbecillitati tribuendũ est, quod sæpius mediocria aut humilia loquatur. Terrena autem intelligunt hic quidam de vento dictũ esse, ac si diceret: Si terrenum proposui exemplum, & B nõ creditis, quomodo si cœleste aliquid aut sublimius dixero, credetis? Alij vero, Terrena, de regeneratione dictum astruunt: interpretantes quod terrenam hanc dixerit, etsi cœlestis sit ac diuina, tanquam super terram impleta, & comparando ad suam ineffabilem generationem. Nam ad illius celsitudinem hæc terrena est & humilis.

Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo. Quia superius dixit Nicodemus, Scimus quod à deo veneris in magistrum: hoc ipsum nunc corrigit, ac si dicat: Nec me talem existimes præceptorem, quasi vnum aliquem ex prophetis, Nullus siquidem illorum ascendit in cœlum, siue ingressus est in cœlũ, nisi ego qui è cœlo descendi, ideoque sublimiora defero dogmata. Alio præterea modo dixit, Qui descendit de cœlo: quia in veteri testamento diuersimode, variaque C dispensatione dicitur deus ascendere ac descendere, velut Gene.1 est illud, Descendens videbo si iuxta clamorem illorum operati sunt. &, Ascendit deus ab Abraham vt cessauit loqui ad eum: multaque similia.

Filius hominis. Qui secundum humanitatem filius est hominis. Scire autem oportet, quod à diuinitate seipsum frequenter nominat, & etiam sæpius ab humanitate.

Qui est in cœlo. Qui iuxta diuinitatẽ in cœlo est siue cœlestis. Vide autem quomodo, etsi sublimia videanturverba, non tamen maiestati suæ conformia sunt. Nam & quum in cœlo est, terram non relinquit: & de cœlo descendẽs, non

abest

Dabest à cœlo, sed vbique est, quum diuinitas circunscribi nõ possit. Talia tamen loquitur, parcens auditoris imbecillitati, & paulatim ipsius mentem eleuare volens.

Num.21 *Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.* Quum maximum retulisset beneficiũ, quod hominibus per baptismum confertur, narrat & aliud nõ minus, quod per baptismum datur. Quæ duo Paulus quoq; simul posuit scribens ad Corinthios: Num pro vobis crucifixus est Paulus, aut in nomine Pauli baptizati estis? Nam hęc duo ineffabilem eius ostendunt dilectionem, quod & regenerationem contribuit, vt mundaret nos à peccatis nostris, & crucifixus est, vt in æternum viuamus. Innuit itaque crucifixionem suã, ostendens quod eam præcognouerit, & ex consequenti voluntarie ad eam propter hominum salutem accedat. Non tamen de ea directe loquutus est, sed exaltati à Mose serpentis sumpsit exemplum, docens quod vetera nouis cognata sint, eorumque figuræ. Est autem de serpente historia talis: In eremo olim serpentes morsu necabant Israelitas, Iussit ergo deus Mosi, vt factum serpentem æneum exaltaret in ligno, ad quem intenderent qui morsi erant ac sanarentur. Eratq; serpens æneus durus, figura corporis Christi, duri ac seueri contra peccatũ: ille absque veneno, & hic sine veneno peccati: ille in ligno eleuatus, & hic in ligno crucis exaltatus: ille morsis à serpente & in se intendentibus vitam præbens, hic morsis à serpentibus spiritualibus vitã tribuens sempiternam, si fide in ipsum intendant. Propter hoc ergo per similitudinem dixit, *Sicut Moses exaltauit serpentem* & cætera. Deinde causam addit talis exaltationis. *Sicut* enim eleuauit ille serpentem, vt in eum intendentes vitam haberent: ita & hic exaltatus est, vt in eum intendentes siue credentes, vitam habeant sempiternam. Sed ibi sane serpens propter serpentes mordentes, hic autem homo propter homines morsos. Ibi quia propter serpentes prouenerat nocumentum, per serpentem erat & cura: hic vero, quoniam per hominem intrauit mors in mundum, datur & vita per hominem: eumque mortuum, vt is qui mortem induxerat moreretur. Dicẽs autem, Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, omnino se deum esse ostendit, cuius

cuius mors præstat aliis vitam æternam: moritur siquidem tanquam homo, præstat autem vitam æternam tanquam deus: & qui aliorum prohibet perditionem, ipse nequaquam perire potest. Crux ergo vitæ æternæ fons est. Vnde quod cogitatio non facile recipit, fides recipit, quæ cogitationis imbecillitati neruos addit. Patet ergo fidei vtilitas.

Nam deus sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam æternam. Deus sic dilexit mundum: siue adeo homines amat, vt pro hominibus filium suum dilectum in mortem tradiderit: vt omnis qui credit in eum, viuat perẽniter vita beata, quę sanctis congruit. Ostendit ergo quod de mente sua sicut & patris fuerit crucifixio: Vna siquidem eademque voluntas est patris & filij ac spiritus sancti. Rursum quod additur, Vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitam æternam, confirmatio verbi est. Sed quam ob causam dilexit deus mũdum? Plane ob aliud nihil, quàm propter immẽsam bonitatem suam. Erubescamus igitur intuentes eius dilectionem: Nam ipse neque filio suo vnigenito pepercit propter nos, at nos etiam pecuniis parcimus, ne eas propter ipsum expẽdamus: quod certe omnem excedit ingratitudinem, vt opus eius immẽsæ sit bonitatis, nostrum vero immensæ ingratitudinis. Erga filium quoq; simili vtimur perfidia. Homini nãque qui se pro nobis exposuit periculo, prompte omnem tradimus substantiam: Christo vero qui pro nobis mortuus est, neque hanc beneuolentiæ mensuram exhibemus: sed fratres eius minimos despicimus esurientes, aliaque plurima sustinentes: magis autem ipsum, qui mala illorum per compassionem pro suis ducit.

Non enim misit deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per eum. Aliam quoq; dei ostẽdit humanitatẽ ac ineffabilẽ quam erga nos gerit curam. Neq; enim solum dedit filium suũ vnigenitum, sed & iudiciũ reiecit, ac in secundum eius distulit aduẽtum. Duo siquidẽ Christi sunt aduentus: qui iam factus est, & qui futurus est. Non sunt autem hi duo ad eosdẽ fines: Est enim primus non vt inquirat, sed vt remittat quæ ab hominibus pepetrata sunt: Secundus vero non vt remittat, sed vt inquirat. Hic ergo de primo loquitur. Atqui etiam primus condemnationis erat, si quod

D si quod verum est fateri volumus: nam ante hunc lex naturalis erat, & lex scripta ac prophetæ: doctrinæ & signorum exhibitiones, aliaque multa quæ vitæ instituta corrigerent: & consequens erat vt omnium transgressiones punirentur. Sed quum admodum humanus esset, non statim de malis inquirebat, sed ignoscebat: nam si inquisisset, omnes simul abrepti essent: omnes siquidem peccauerant. Nunc ergo venit vt de præteritis veniam tribuat, & de futuris securos reddat. Postmodum autem veniet vt condemnet, & de his qui non
ian.15. crediderunt vltionem sumat. Si non venissem, inquit, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Qui credit in eum non condemnatur. Qui legitime credit.
E Vel qui seruat etiam eius præcepta. Nam de his qui tales nó
itum.1. sunt ait Apostolus, Confitentur se scire deum, factis autem negant.

Qui autem non credit, iam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti filii dei. Nam sicut illum fides exemit condemnationi, ita hunc incredulitas ante iudicium condemnauit. homicida enim, & quicunq; delinquit, ex natura peccati statim condemnatus est, sed postmodum sententia principis. Alio quoque modo. Quia iudicium non erat præsens, sed futurum, condemnationis timorem prope adduxit. In nomen autem, hoc est, in ipsum: nam & hoc idioma est scripturæ Hebraicæ, vbi de deo loquuntur, capere nomen eius pro ipso, religionis gratia.

F *Hæc est autem condemnatio, quia uenit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hæc est infidelium condemnatio: propter hoc condemnantur quia veniente ad eos luce scientiæ ac veritatis (dicit autem hoc de seipso) dilexerunt magis tenebras ignorantiæ ac mendacij, quàm lucem. Nam qui absente luce manet in tenebris, excusationem fortassis aliquam habebit: quanquam & hunc oportuit non ita se habere, sed lucē quærere: qui vero veniente ad se luce adhuc in tenebris residet, omni priuatur excusatione: auersum enim animū ad lucem claudit, & volūtariè tenebris offunditur: nec solū ad lucem nō venit, sed ediuerso quū magis lux ad se veniat, fugit, & à sua auertitur salute. Deinde etiam causam ponit propter quam dilexerunt tenebras.

Erant

Erant enim mala eorum opera. Ideo ergo lucem fugerunt, A
ne ea manifestaret. Atqui non venit vt inquirat, sed potius vt ignoscat: & ideo accurrere magis oportebat.

Nam omnis qui male agit, odit lucem. Quandiu mala operatus fuerit, quandiu in his permanserit.

Et nō uenit ad lucē, ne manifestētur opera eius. Timēs videlicet.

Qui aūt operatur ueritatē, uenit ad lucē. Qui operatur quod rectum est, qui recte conuersatur, venit ad lucem, amat lucē.

Vt manifestentur opera eius. A luce: neque enim erubescit, aut veretur ea.

Quod per deum sint facta. Quod secundum deum sint, quod deo placentia. Quod autem dictum est, Vt manifestentur, non est intelligendum quasi hoc in facto suo quærat, sed tan Infra.4.
quam rei consequentia hoc faciente: solet nanque lux mani- B
festare quæ proxima sunt.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & ibi morabatur cum eis, ac baptizabant. Ipsi baptizabant non ille. Dicit enim in sequentibus euangelista, quod ipse Iesus non ba- Supra.3.
ptizabat, sed discipuli eius. Siquidem vt eos qui crediturі erant nec concurrebant, hoc modo congregarent, (quod in Simone fecit Andreas, & in Nathanael Philippus) baptizare iussi sunt, vt multos simul coadunare possent: quos etiam ea quę de Christo erant edocentes, Saluatori qui prope aderat offerebant. Quædam autem exemplaria habent, Et baptizabat, quod etiam ipsum, intelligitur, quod non per seipsum sed per discipulos suos hoc faceret.

Erat autē & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ C
multæ erant ibi: & ueniebant ac baptizabantur. Nondum enim coniectus erat Ioannes in carcerem. Aenon & Salim, loca quædā erant ita nominata. Præterea Ioannes baptizabat donec in carcerem cōiiceretur, vt continue posset docere de Christo & baptizatos ad eum transmittere. Et ne zelo aut ira cessasse videretur, sed potius de eo crederetur quod Christi discipulis cooperaretur, baptizatosque ad eum adduceret. Et tertio, ne discipulos suos ad maiorem æmulationem accenderet. Nam si millies clamans, semperque primas Christo concedens, & tantum sese deiiciens, non persuasit eis quod illius præcursor esset, si deinceps baptizare cessasset, proculdubio omni postposito pudore sub prætextu honorandi magistri,

eumq;

D eumque præponendi, contra Christum & Apostolos multa deblateraſſent. Quod etiam ſciens Chriſtus tunc præcipue cœpit prædicare, quum Ioannes è medio ſublatus eſt. Vnde & Chryſoſtomus, Propterea, inquit, opinor præproperam illi conceſſam eſſe mortem, vt omnis affectus multitudinis in Chriſtum transfunderetur: nec deinceps diuiderentur variis de vtroq; ſententiis. Quod ſi quis requirat quid amplius habebat baptiſmus diſcipulorũ ſupra baptiſmum Ioannis: Reſpondemus quod nihil: vterq; enim ſimiliter gratiæ ſpiritus expers erat, & vtriſq; vna erat cauſa, vt videlicet baptizatos Chriſto adducerent.

CAPVT QVARTVM DE PVRIFICATIONE.

E

Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioãnis cum Iudæis de purificatione. Facta eſt diſputatio ex diſcipulis Ioannis aduerſus quendam Iudæum à Chriſti diſcipulis baptizatum. Quæſtio autem erat de purificatione ſiue baptiſmate, tanquam baptiſma eorum amplius quiddam haberet ſuper baptiſma diſcipulorum Chriſti, æmulatione ſiquidẽ accenſi, id perſuadere conabantur.

Et uenerunt ad Ioannẽ ac dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti: ecce is baptizat. Quum Iudæum vincere non poſſent, venerunt ad magiſtrum ſuum ac dixerũt: Ille de quo tanta ac talia teſtificatus es, quem tuo
F teſtimonio glorificaſti: hic tuum munus contra te exercet, tuamque rapit gloriam. Et inſuper exaſperare illum cupientes, addiderunt.

Et omnes ueniunt ad eum. Te relicto.

Reſpondit Ioannes & dixit: Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Non poteſt homo à ſeipſo tale quippiam accipere, vtpote cœleſte ac diuinum: nam terrenũ ac humanum ſæpius etiam à ſeipſis accipiunt. Hoc autem dicens, occulte quidem oſtendit Chriſtum non ſimpliciter hominem eſſe, ſed etiam deum: manifeſte vero demonſtrauit quod à deo acceperat vt glorificaretur, omnesq; attraheret. Deinde quia Ioannis teſtimonium ad Chriſti imminutionem aſſumpſerant, retorquet ipſum contra eos, & ab eo magis oſtendit

ſtendit illum ſibi præpoſitum. Ait enim. A

Ipſi uos teſtes eſtis quod dixerim. Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illum. Miſſus ſum ante illum, ſiue miniſter ac ſeruus eius. Si ergo meum producitis teſtimonium, illud maiorem hunc eſſe teſtificatum eſt.

Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Ipſe qui ſponſam habet, ſponſus eſt vel dominus. Sponſa ſiquidem populus eſt fideliũ, ſiue eccleſia myſtice per fidem coadunata: ſponſus vero Chriſtus, hanc ineffabiliter ſibi coadunans & approprians ac eligens. Vnde & ſaluator rem hanc nuptias alibi appellauit. Mat. 9. 2.

Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Superius quidem ſeipſum ſeruum ac miniſtrum, hic autem amicum illius vocat: non ſeipſum extollens aut iactans, ſed in hoc negotio gaudiũ demonſtrans per amici appellationẽ. B
Neq; enim ita gaudent ſerui in nuptiis dominorũ ſicut amici. Quod ergo dicit, tantundem eſt ac ſi diceret, Ille quidẽ ſponſus eſt ac dominus: ego vero amicus ac ſponſæ doctor, qui ſtans iam & nuptiis intendens perficiendis, quodq; mihi iuſſum eſt adimplens, & exinde audiens ipſum eũ ſponſa colloquentẽ, illãq; cõponentẽ ac inſtruentẽ, gaudeo, ppter hãc ei⁹ vocẽ, quę adeo dulcis eſt, adeo efficax, adeo ſalutaris.

Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Quum illi ſponſam tradiderim, ac commiſſum mihi miniſterium, vt dictum eſt, impleuerim. Illi ergo putabant præceptorem ſuum exaſperandum, & ad æmulationẽ iritandum: ipſe vero quum prædicta diceret, oſtendit q̃ non ſolum nõ æmularetur eum qui gloria ſuperaret, ſed gauderet potius, vt qui hoc procuraſſet. C
Deinde etiam de futuro prophetat.

Illum oportet creſcere, me autem minui. Minui: quemadmodum lucifer orto ſole. Vides quo pacto paulatim ac ingenioſe illorum inuidiam cohibeat, ac impoſſibilia tentantes oſtendat? Ideo enim adhuc eo viuente & baptizante diſpoſitũ eſt vt ita fieret, quo ipſum excellentiæ Chriſti teſtem haberent fide dignum & in nullo contradicere poſſent: vnde nec à ſeipſo hæc dixit, ſed illis impellentibus.

Qui de ſupernis uenit, ſuper omnes eſt. Qui cœleſtis eſt, maior omnibus eſt: & ideo ego quoque minor ſum. Vel aliter. Qui cœleſtis eſt nullo eget, & ita nec meo eget teſtimonio, ipſe ſibi ſufficiens.

D *Qui è terra profectus est, terrenus est.* Sicut illud de illo, ita & istud de isto dicit: nam qui è terra profectus est, terrenus est siue inferior illo: siquidem cœlum supernum est & excelsum: terra vero inferna & humilis.

Et de terra loquitur. Atqui diuina loquebatur. Sed quemadmodum Christus in præcedentibus dixit, Si terrena dixi vobis & non creditis, terrenum vocans diuinam regenerationem: non quod terrena esset, sed in comparatione æternæ generationis suæ, quæ omnem sensum, omnemque excedit intellectum: Ita & nunc Ioannes de terra se loqui dicit, in comparatione supernaturalium Christi sermonum: ostendens sua esse parua ac vilia, si ad ea quæ illius erant conferantur. Nam sicut per cœlum significat excelsum, ita per terrã
E depressum ac humile.

Qui de cœlo uenit, super omnes est. Idem rursum dicit, sermonem confirmans.

Et quod uidit, quodq; audiuit, hoc attestatur. Metaphoricus sermo est ab his qui ea quæ testificantur, visu & auditu acceperunt. Neque enim ipsi opus erat cognitione quæ à visu vel auditu procederet, quum natura sciret omnia, vtpote perfectus deus qui nullo indiget. Sed quia perfecta in nobis cognitio ab his producitur, atque illum iudicamus fide dignũ, qui ea de quibus testificatur, visu accepit vel auditu: ab his quæ apud nos sunt, comprobat etiam quę sunt illius. Dicens ergo, Quod vidit, quodque audiuit, hoc attestatur: humili
F modo propter auditorum imbecillitatem loquutus est, verum nihil aliud innuit, quam si dixisset, Vera testificatur. Siquidem volentes de aliquo affirmare quod vera dicat, asserimus eum id testificari quod vidit & audiuit. Quando igi-
1.5.7.8 tur ipsum audieris dicentem, Sicut audio iudico. & rursum, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. & iterum, Quæ audiui ab eo hæc loquor in mundum: & quæcunque sunt similia: scito talia dispensatorie dixisse, solum vt videatur vera dicere, eo quod congruam de eo opinionem nondum haberent auditores.

Et testimonium eius nemo accipit. Nullus infidelium. Hoc autem de insensatis Iudæis dixit Ioannes, præsertim autem de discipulis suis, qui eum in ambitionem & inuidiam impellere conabantur.

Qui ac-

Qui accepit eius testimonium, is obsignauit quod deus uerax sit. A
Obsignauit siue confirmauit, demonstrauit quod pater verax sit. Deinde quod dictum est probat.

Is enim quem deus misit, uerba dei loquitur. Siquidem ex quo is qui missus est, verba dei loquitur, consequens est, vt qui testimonium eius sumpserit eiq; crediderit, cõfirmet ac demonstret q̃ deus verax sit, qui ipsum misit, & cuius sunt ea quę loquitur verba. Qui autem non suscipit eum, nec credit ei, contrarium facit: nec aliud agit, q̃ manifeste contra deũ pugnat. Vide quomodo hinc eos terreat, quum discant, quod qui illi inobediens est, deo inobediens est qui misit ipsum. Postquam ergo demonstrauit eius doctrinam esse fide dignam, idque à patre: demonstrat nunc idem & à spiritu sancto.

Non enim huic ad mensuram dat deus spiritum. Non mensu- B
ratã dat ipsi pater spiritus virtutẽ, sicut aliis sanctis: sed hanc sine mensura habet ac totam, tanquam eiusdem naturæ. Spiritum enim nunc dicit spiritus efficaciam ac virtutem. Siquidem mensurari non potest spiritus: virtus autem ipsius mensuratur ac diuiditur, iuxta eorum qui illam participant dignitatem. Demonstrauit ergo doctrinam illius esse fide dignam, à patre & spiritu sancto: non quasi illinc egeat testium approbatione, qui soli sibi sufficiens est, eiusdem cum eis dignitatis & naturæ: sed quia patrem cognoscebant, & quod spiritus esset credebant, filium autem ignorabant, opinionẽ quam de hoc esse oportebat ab illis confirmat: talia dispensatorie loquens, & paulatim eos ducere tentans. Oportet ergo quæ in scripturis posita sunt, non simpliciter percurrere: sed C
& dicentis intentionẽ inquirere & auditorum imbecillitatẽ. Siquidem neq; præceptores omnia dicunt vt volunt: Non 1. Corin.
potui, inquit, loqui vobis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus lac vobis potum dedi non solidum cibum. Non potuit autem, propter illorum impotentiam.

Pater diligit filium. Quia prius dixerat, Quem deus misit: ne ex hoc putarent alterius eum esse naturæ subseruientis ac subiectæ: curat id quod dictum est, & hunc prædicat filiũ eius esse qui misit eum. quod si filius, certe & eiusdem substantiæ: etsi dilectus, vtique omnis qui ei resistit, patri eius resistit.

Et omnia dedit illi in manum. Tanquam deus omnia habe-

supra.1. bat: Omnia siquidem per ipsum facta sunt: hæc tamen etiam
D dedit ei tanquam homini. Cõuenienti autem modo dictum est, diligit, & dedit, sicut inter homines dicitur. Solent nanq; patres diligere filios, eisq; tradere quæ sua sunt.

Qui credit in filium, habet uitam æternam. Credendo in doctrinam filij, eiq; obediendo.

Qui uero non credit ei, non uidebit uitam. Diximus superius quod vita æterna sit & dicatur vita beata quæ sanctis conuenit.

Sed ira dei manet super eum. Non dixit ira filij, quanquam filius sit iudicaturus: sed patris iram comminatur, magis eos timere volens. Quod autem addit, Manet super eum, tantundem est ac si diceret, Nequaquam ipsum effugiet, semper
E eum puniet.

ap.4. *Vt ergo cognouit dominus audisse pharisæos, quod Iesus plures discipulos faceret & baptizaret quàm Ioannes: quanquã Iesus ipse non baptizaret sed discipuli eius: reliquit Iudæam, & abiit in Galilæam.* Reliquit Iudæam, amputans ipsorum inuidiam.

† *Oportebat autem eum transire per Samariam.* † Ostendit euangelista fecisse eum rem quandã non quasi ex proposito, sed tanquam occasione viæ: in his videlicet quæ cum Samaritide acta sunt, propter Iudæorũ aduersus Samaritanos contemptum. Erat autem Samaria regio quædam varias habens
reg.17 ciuitates & pagos. In hac autem olim Israelitæ habitabant: deinde post diuersa bella rex Assyriorum eam deuastauit, &
F captos duxit in Babylonem, ac è Babyloniis Medis & Chaldæis mixtos homines congregans in ea habitare fecit. Volens autem deus ostendere quod non propter impotentiam, sed peccatis exigentib⁹ traditi essent Babyloniis, leones barbaris eam inhabitantibus immisit: quod rex audiens & intelligens, mittit ad eos sacerdotẽ Israelitarum qui traderet etiã illis dei legem, vt à peste leonũ liberarentur. Ex eo ergo tempore partim ab impietate recesserunt: postmodum vero perfecte idola reliquerunt. Veruntamen aliquantulum adhuc erat ipsis discrimen à Iudæis. Nam solis Mosi libris susceptis, cæterorum non magnam habebant rationem.

† † *Dicendum est unde Samaritani sint appellati.* Samaria mons
saiæ.7. erat sicut etiam dicit Iesaias, Caput Ephraim Samaria. Qui autem in
.Reg.15 habitabant non Samaritani sed Israelitæ dicebantur. Temporis autem pro-

tem progressu quum iritassent dominum, & regnaret Phaccee, ascen A
dens Theglatphalasar multas tulit ciuitates, & in Elam irruit, ipsosque interfecto, Osee regnum tradidit. Postmodum uero ascendens 4.reg.
Salmanasar reliquas tulit ciuitates, fecitque tributarias: hic autem ad Aethiopum confugit auxilium: quod audiens Assyrius parato exercitu ipsum interemit, neque gentem diutius ibi manere permisit: sed hos duxit in Babyloniam, & inde uariis gentibus eductis, in Samariã habitare fecit, ut propriis subditis locum possidentibus, firmum sibi relinqueret principatum. Volens autem deus suam ostendere potentiam, quodque non propter impotentiam tradiderit Iudæos, sed propter eorum peccata, Barbaris leones immisit: temporis autem progressu idola cum suis impietatibus abiecerunt.

CAPVT QVINTVN DE SAMARITANA. B

VEnit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicebatur Sichar iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Prædium illud erat, quod extra sortem dedit Ia- Genc.4
cob Ioseph, & dicebatur Sikima.

Erat autem ibi fons Iacob. Puteum vocat fontem, quia è subterraneo loco manabat: dicebatur autem ipsius Iacob, eo q̃ ipsum fodisset.

Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Hora erat ferme sexta. Fatigatus iuxta humanitatis proprietatem. Quum enim pedes incederet, adeo vehementer ambulabat, vt etiam fatigaretur. Quid est aũt quod additur, Sedebat sic? C
Simpliciter videlicet prout sese locus offerebat: vel, humi. Demonstrat siquidem sermo, quod omni fastu careret. Sedebat autem corpus refocillans, & iuxta fontem recreans. erat enim meridies quando sol vehemẽtius humana attingit corpora. Simul etiam discipulos expectabat, qui abierant vt cibos emerent. Vide autẽ euangelistæ diligentiã: neq; enim dixit, Hora erat sexta, sed ferme sexta, instruens nos, ne etiã minima paruipendamus, sed in his quæ sese offerunt veritatem sectemur. Siquidem ne affirmando erraret, dictionem correxit, & coniecturaliter loquutus est.

Venit mulier à Samaria ut aquã hauriret. Inde enim hauriebant aquam ac bibebant, qui dictam ciuitatem inhabitabant,

D eo quod pauci iuxta locum essent putei.

Dicit ei Iesus, Da mihi ut bibam. Quemadmodum in ficu quæ exaruit, ficus requirebat non propter esuriem, sed dispensatorie agens, vt accepta occasione ad miraculum perueniret: ita & nunc de fonte, aquam postulat non sitis causa, sed dispensatorie, quo nactus occasionem cum muliere colloqueretur: præsciebat enim ipsam crediturum, multorumque fidei causam futuram: ideoque exorta colloquutione aquam reliquit.

Discipuli autem eius abierant in ciuitatem ut cibos emerent. Siquidem viaticum non contulerant, edocti ventrem despicere, nec anxius ipsius gerere obsequium, sed tunc solum ipsius habere curam, quum ad hoc natura cogeret. Cur autem E tunc miraculum operatus non est circa cibos discipulorum? Quia si omnia tanquam deus mirabiliter operatus fuisset, nequaquam homo esse creditus fuisset: quemadmodum ediuerso, si omnia tanquam homo fecisset, deum esse nullo modo credidissent. Ideo quandoque vt homo operatur, ostendens quod homo sit: interdū vero quasi deus mirabilia operatur. Solus autem sedebat circa fontem, ex hoc etiam ostendens, quàm esset à fastu alienus.

Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus quum sis potum à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim commerciũm habent Iudæi cum Samaritanis. Non commerciū habent siue non communicant, ipsos abominantes, tanquam solū in parte Iudaizantes. Sed vnde Iudæum esse cognouit? Ab haF bitu aut etiam à loquela. Nam Christus quidem tanquã non vulgariter Iudæus, sed etiam deus, cõtempta huiusmodi obseruantia, captabat non Samaritanorum tantum familiaritatem, sed & cunctarum vbiq; gentium. Samaritana vero existimans eum peccare, corripientis more ad memoriam reducit obseruationem.

Respondit Iesus & dixit ei: Si scires donum dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi ut bibam, petisses utique ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Hinc plane manifestum est quod sitim simulauerit, vt ad se errantem attraheret, ac loquutionis reti venaretur. Sitiebat certe, sed errantium conuersionem, quam etiam in processu suum vocat cibum, dicens: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me: nunc vero ait: Si scires donum dei,

dei, si cognosceres quidnam sit quod donat deus. Dicebat A autem hoc de ipso, paulatim se illi manifestans, vt quæ tali doctrina digna esset, eo quòd ad conuersionem apta esset. Aquam viuam autem, appellauit doctrinæ suæ fluenta: aquam quidem, quia in modum aquæ sordes abluit, flammasque affectionum extinguit, & incredulitatis siccitatem ac infructuositatem curat: Viuam vero quasi perennem semperque motam. Aquæ enim vita fluere est ac moueri. Dicit Nota. autem Chrysostomus aquam viuam, diuini spiritus gratiam: siquidem variis modis hunc ait appellari, iuxta diuersas ipsius operationes, nunc aquam, nunc ignem: aquam quidem, quia sicut aqua de cœlo descendens nutrit ac viuificat, quumque vnius sit speciei, vario modo operatur: dealbans in lilio, denigrans in narcisso, rubricans in rosa, purpurisB sans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absinthio: ita diuinus quoque spiritus de cœlo descendens, nutrit ac viuificat animam: quumque vnus sit, variis operationibus gratiam diuidit ac virtutem. Ignis quoque dicitur: quia sicut ignis quum vnius sit speciei, varios habet effectus, calefaciens, inflammans, illuminans & purificans: ita sane & diuinus spiritus.

Dicit ei mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est, unde ergo habes aquam uiuam? Quum id quod dictũ erat non posset intelligere, suspicabatur quod aquam viuam diceret, hausta ab eodem puteo qui aquam emittebat ac scaturire faciebat: & opinabatur dictum esse verbum illud, quasi posset ipse citius haurire, eo quod fortior esset ma C gisque idoneus. Interim autem dominum vocat eum, putans magnum aliquem esse. Audierat nanque dicentem, Si scires quis sit qui dicit tibi, Da mihi vt bibam & cætera: ideo statim tali ipsum honorat appellatione, & cum omni mansuetudine reliqua proloquitur.

Num tu maior es patre nostro Iacob qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius? Samaritani etiam quum iam Samariam in patriam possiderent, Iacob quoque patrem suum appellabant, tanquam iam olim possessorem ac patrem huius ipsorum patriæ: & hinc sese intrudebant in generosam Iudæorum generationem. Quidam autem dicunt hanc mulierem, aliosque plurimos Samariam incolen-

D tium à Iaacob descendisse: olim autem progenitoribus captis, ac Babyloniam in seruitutem ductis, hos Samaritanis commixtos, & cum eis versatos, longo tempore, variisque calamitatibus ad eorum mores transmutatos. Aut vocabant patrem Iaacob, eo quod & hic à Chaldæis genus traxerat. Dicit ergo nunc Samaritana: Quod si de hac non loqueris aqua: num tu maior es patre nostro Iaacob, qui dedit nobis puteum hunc tam celebrem, vt meliorem possis dare aquam? Quod autem additur, Et ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius, ad ipsius putei laudē dictum est. Nam si meliorem alium habuisset, nequaquam cum tota familia ex hoc bibisset. Reliquū est igitur, vt si possis dare meliorem, maior
E sis Iaacob. Hæc itaq; Samaritana de Iaacob cū eo loqui perseuerat, optans quod quærit inuenire: Iudæi vero etiam lapidare eum tentabant, dum Abraham faceret mentionem. Quomodo ergo æquum esset, vt huiusmodi repelleret mulierem studiosam, discendi auidam, ac iuuari cupientem.

Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum. Siti aquæ,

Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Nequaquam sitiet vnquam incredulitatis siti.

Sed aqua quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ. Per fontem significauit perpetuitatem ac integritatem huiusmodi aquæ.

Salientis in uitam æternam. Scaturientis ad vitam æternā, eo quòd vitam præbeat æternam. Vide autem quod quum mulier dixisset, Num tu maior es patre nostro Iaacob, non
F dixit, Vtique maior sum: videretur enim seipsum iactare: sed ab his quæ dixit, hoc intulit. Nam differentia aquarum differentiam infert præbentium illas, quum naturaliter aqua illa consumatur, hæc autem perpetuo maneat.

Dicit ad eum mulier, Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque ueniam huc ad hauriendum. Paulatim ad dogmatum celsitudinem prouehitur. Ab aquæ enim quam tribuit præstantia, hunc esse maiorem Iaacob credit, quodq; excellentioris naturæ aquam tribuat, intelligit: nondum autē perfecte cognoscit, aut quis sit qui hanc donet, aut quid illa sit aqua, percipit: suspicatur tamen id quod datur tale quippiā esse, quod sitim hanc sensibilem perimat. Non est ergo leuis hæc mulier: neq; enim vtcunq; susceptit ea quæ dicebantur, sed post longam

longā interrogationē: neq; rursum incredula ac cōtentiosa. A
Nam quum majorem eum inuenisset quàm Iaacob, nō permansit in presumpta opinione. Atqui Iudæis dixit Christus, Qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me non sitiet *Infra. 6.* in æternum: illi autem non solum non crediderunt, sed & offendiculum ex eo passi sunt.

Dixit ei Iesus: Abi uoca uirum tuum, & ueni huc. Quum instaret & apprehendere vellet, ait: Abi voca virum tuum & veni huc, simulans quòd etiam illum cum ea communicare oporteret in dono. Atqui nouerat eam virum legitimum non habere, vtpote omnia sciens: id tamen volebat ipsam dicere, vt apprehensa occasione, quæ circa eam acciderant prophetaret, ipsamq; corrigeret. Vult enim vaticiniorum ac miracu- B
lorum occasiones ab his quæ contingunt accipere: vt & vanę glorię suspitionē deuitet, & eos sibi familiariores reddat. Siquidem alio modo dicere, Frequenter nupta fuisti, & nūc viro iuncta es illegitimo, intempestiuum videbatur atque superfluum: accepta verò ab ea causa, tempestiuum erat atque consequens.

Respondit mulier & dixit ei: Non habeo uirum. Putans simpliciter cum homine loqui, occultata rei turpitudine, fallere eum conabatur.

Respondit ei Iesus: Bene dixisti, Non habeo uirum. Quinque enim uiros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus uir: Hoc uere dixisti. Accepta vt dictum est occasione prophetat, eamque arguit, ad amussim omnino manifestos ac legitimos eius viros enu- C
merans, & eum qui nunc occultus erat ac illegitimus manifestans. Nam quinque viros palam & successiue habuerat, siquidem hoc permissum erat: quinto autem mortuo, nullus eam manifeste in vxorem accipere voluit: ipsa verò non ferens concupiscentiam, sibi occulte coniunctum habebat. Quinque ergo viri fuerant ipsius, quia manifeste coniuncti: is autem cui nunc commiscebatur suus non erat, eo quòd occultus esset.

Dicit ei mulier: Domine uideo quod propheta es tu. Non indigne tulit quòd manifeste argueretur, neque pro iniuria duxit increpationem, sed admirata perfectam eius cognitionē, vere prophetam eum esse deprehendit: Video inquit siue intelligo. Et exinde nihil mūdanum aut temporale eum in-

D terrogat, sed statim de dogmatibus. Ait enim.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & uos dicitis, quòd Ierosolymis est locus ubi oporteat adorare. Patres dixit Abraham & Isaac. Vetus siquidem historia tradit Abraham in illo mõte obtulisse Isaac deo in holocaustum. Aut patres dixit Iacob & filios eius. Nam Iacob ibi constituit altare & adoratuit deum. Mulier itaque quæstionem proposuit putans Samaritanorum dogma melius esse quàm Iudæorum, & honoratiorem locum esse montis illius, quàm Ierosolyma. Christus verò primum eleuat vtriusque loci dignitatem, eo quòd breui futurum esset, vt cultus diuinus in vtroque cessaret: deinde Iudæos præponit, & postmodum diuini cultus dogE ma manifestat.

Ait illi Iesus: Mulier crede mihi, uenit tempus quando neq; in mõte hoc, neq; Ierosolymis adorabitis patrem. Ex hoc prædicit dissolutionem Samaritici simul & Iudaici cultus, quã passi sunt, exterminati post Christi passionem à Romanis.

Vos adoratis quòd nescitis, nos adoramus quod scimus. Quanquam enim eundem deum colebant Samaritani & Iudæi: tamen Samaritani ignorabant quòd omnium gentiũ esset dominus: opinabantur siquidem quod solis Samaritanis atque Iudæis dominaretur: Iudæi verò cognoscebant, quòd omnium gentium esset dominus omnipotens. Ideo dixit ad illam, Vos adoratis quòd nescitis, hoc est cuius potestatem F non cognoscitis: & seipsum Iudæis connumerauit, dicens, Nos adoramus quod scimus, quia & ex Iudæis erat progenitus, & Samaritanæ Iudæus videbatur. Deinde etiam inducit quod maius est.

Quia salus ex Iudæis est. Samaritanorum salus ex Iudæis est: nam ab illis didicerunt deum cognoscere, & idola respuere. Aut alio modo: Salus mundi ex Iudæis est, quum ab eis Christus sit incarnatus.

Sed uenit tempus & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Vbi Iudæos Samaritanis præposuisset, rursum nunc Iudæis præponit Christianos: vt suspitione careat prælatio, & non appareat Iudæis gratificari tanquam Iudæus. Vbi autem dixit, Venit tempus: ne putaret illud differendum, subiunxit, Et nunc est: siue iam imminet, instat. Veros item adoratores dicit eos, qui in se credunt, qui

dunt, qui de ecclesia sunt, tanquam vere colentes, & non in A vmbris seruientes, sicut Iudæi & Samaritani: nam omnis horum seruitus vmbra erat & figura veritatis. Veri ergo adoratores adorabunt patrẽ non in corpore, sed in spiritu, hoc est non per corporales victimas, sed per spirituales: nec in vmbris & figuris, sed in veritate: nec cultum loco circunscribẽtes, veluti Iudæi & Samaritani, sed in omni loco dominatio- Psal. 101 nis eius benedicentes dominum. De solo autem patre facit nunc mentionem propter mulieris imbecillitatẽ: neq; enim repentinum dogma proponere ei oportebat.

Nam & pater tales quærit qui ipsum adorent. Puta non figuratiuos sed veros: non corporaliter sed spiritualiter immolantes. Dicens autem Quærit, ostendit quod legalis immo- B latio displiceret, & sane olim condescendendo statuerat illam, & vsque ad id tempus sustinuerat, propter Hebræorũ imbecillitatem & crassitudinem.

Spiritus est deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Spiritus, hoc est incorporeus: ideo etiam colentes eum, spiritualiter colere oportet, non in vmbra, sed in veritate: hæc enim conueniens est, ac deum decet. Spiri- Psal. 50. tualis autem cultus siue latria est animi modestia, Sacrificiũ Psal. 45 inquit deo spiritus contritus: & oratio, Sacrifica, ait, deo sacrificium laudis: Et vt vno verbo dicã omnis virtus spiritua- Psal. 50 lis, Tunc acceptabis, inquit, sacrificiũ iustitiæ: vbi dictio Iustitię, p omni virtute accipitur, per quã homo iust⁹ efficitur. C

Ait illi mulier, Scio quòd Messias uenturus sit qui dicitur Christus: ubi ille uenerit, annuntiabit nobis omnia. Inhiabat ad eorũ quæ dicta sunt sublimitatem, sed modo desperat posse de illis audire. Sed vnde Samaritanis expectatio aduentus Christi? A Mosaicis scripturis. Scripsit enim Moses, Prophetam su- Deute. scitabit vobis deus de fratribus vestris: tanquam me illum audietis.

Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum. Iudæis instantibus ac dicentibus, Quoadusque animam nostram suspensam tenes, dic nobis an tu sis Christus, non respondit hoc manifeste: huic autem protinus seipsum manifestauit: nam hæc æquior illis erat. Siquidem ipsi non vt crederent discere quærebant, sed vt reprehenderent: ipsa vero statim postquã didicit credidit. Infra. 1

Et in hoc

D *Et in hoc uenerunt discipuli eius.* In hoc, id est his dictis.

Ac mirabantur quod cum muliere loqueretur. Quodquum talis esset, cum vili muliere disputaret.

Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut cur loqueris cum illa? Tacuerunt honorem ipsi deferentes: siquidē instructi erant ne omnia magistri facta curiose inquirerent: simul etiā sciebant quòd spiritualibus illius vulneribus pharmacū apponeret.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, abiitq; in ciuitatem, & ait hominibus: Venite, uidete hominē qui dixit mihi quæcunque feci, num hic est Christus? Venerat ad sensibilem fontem, & inuenit intellectualem: atque accensa est igne spiritualium vndarū, adeo vt & hydriam relinqueret & necessitatem propter quā
E accesserat, curreretq; in ciuitatem, ac populum omnē ad Iesum attraheret: docens nos, quum spiritualia nacti fuerimus, temporalia cuncta despicere. Et videte mulieris sapientiam. Non dixit, Venite, videte Christum, quum tamen crederet esse Christū: ne de huiusmodi re à seipsa iudicare videretur: maximum enim videbatur cognoscere eum qui expectabatur, sed alios vocat iudices. Vtq; illos magis attrahat, offert eis veluti quandā escam, suorū videlicet peccatorum detectionem. Sciebat enim, quòd si sermones illius vel solum gustarent, protinus & ipsi irretirentur? Num hic est Christus? hoc est Num fortassis hic est? Nam hæsitando loquitur tanquam addubitans, vt ab illis detur sententia.

Exierunt ergo de ciuitate, ueneruntque ad illum. Interea rogabant eum discipuli eius dicentes, Rabbi, comede.
F Vidētes eum ab itinere defessum, & ab imminēte solari ardore, rogabant eū. Nam hoc in loco ἠρώτων idem significat quòd deprecabantur: id autem vehementis est amoris non temeritatis.

At ille dixit eis, Ego cibum habeo ut comedam quem uos nescitis. Dicebant ergo discipuli inter se, Num quis attulit ei quod ederet? Ipse quidem cibum dicebat hominum salutē: discipuli verò de cibo sensibili intelligentes, hæsitant inter se: nam illū interrogare verebantur. Tunc ergo verbum interpretatur.

Dicit eis Iesus, Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, & perficiam opus illius. Voluntas patris qui ipsum miserat, & opus illius Christo iniunctum, salus est hominū: hanc autem vocat cibum suum, ostendēs per hanc vocem desiderium, quòd de hominum habebat salute. Nam sicut qui edit,

cibum

cibum concupiscit: ita & ipse hominum salutem. Dicit autē A
se à patre missum, vel tanquam homo, vel sicut verbū quod à patre generatur, vel patri honorem deferendo.

Nonne uos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis: attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem. Discipuli quidem de sensibili messe dicebant, ipse verò de intellectuali nunc loquitur, & hanc ostendit instare. Regiones appellans multitudinem venientium ad se Samaritanorum: albas autem dicit eas, tanquam ad fidem paratos illos. Nam & fides messis est, quæ ab infidelitate metitur vel separatur, & confertur ad Christum. Quemadmodum enim albæ segetes paratæ sunt ad messem, ita & illi ad fidem. B

Et qui metit mercedem accipit. Et qui tales metit regiones, retributionem à deo sumit: vniuersalius namq; loquitur hic de omnibus Samaritanis ac Iudæis qui erant crediturī.

Et congregat fructum ad uitam æternam. Qui sensibilē metit agrum, congregat fructum ad vitam temporalem, hic autem ad vitam æternam.

Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Vt congregato ibi tali fructu, & qui seminauit simul gaudeat, & qui messuit, videntes scilicet eum ibi cōgregatum, ac mercedem ex eo referentes: ille quidem tanquam qui seminauit, iste vero sicut qui messuit. Seminantes itaque sunt prophetæ, Moses & qui post illum fuerunt, vt qui vaticinia de Christo seminauerunt: metentes autem Apostoli, qui messuerunt homines ab infidelitate, ac retulerunt ad horrea æternorum ta- C
bernaculorum.

In hoc enim est sermo uerus, quod alius est qui seminat, & alius qui metit. Verus est sermo prouerbij.

Ego misi uos ad metendum, quod uos non laborastis. Id est, ad quod vos non laborastis.

Alii laborauerunt, & uos in laborem eorum introistis. Hæc dicit ostendens, quòd opus illis commissum facile & in promptu est, ac confidentiam eis inde immittens: vtpote perfecto eo quod laboriosius est: Seminare namque, cum labore fit & tarditate, metere verò cum requie & velocitate: & sementis fructus est messis. Frequenter autem vsus est in euangelio figuratiuis ac metaphoricis dictionibus, efficaciorem reddens

doctrinam,

ap. 4.

D doctrinam,& memoriam eorum quæ dicuntur ſtabiliorem, per notas ſimilitudines & exempla: tum quòd iucundius id in aures ingreditur, tum quòd profundius cordi imprimitur: & ſermones quidem ſunt ſenſibiles: intellectus vero ſpirituales.

Ex ciuitate autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter ſermonem mulieris quæ teſtificabatur dicens, Dixit mihi quæcunque feci. Quæcunque: intellige de viris,& de eo qui non erat vir eius. Aut etiam alia fortaſſis multa dixit ei,quæ erant occulta.

Quum ergo uenissent ad eum Samaritani, orabant illum ut maneret apud ſe. Et manſit ibi duos dies: ac multo plures crediderũt propter ſermonem ipſius. Hic rurſum ἠρώτων, idem ſignificat quod Obſecrabant. Sermonem autem ipſius,hoc eſt doctri-
E nam illius.

Et mulieri dicebant: Iam non propter uerba tua credimus: ipſi enim audiuimus & cognouimus,quod hic uere ſit ſaluator mundi Chriſtus. Ex his quæ eum docentem audiuerant, cognouerunt quod hic vere eſſet ſaluator mũdi Chriſtus, quòd orbe perditoveniſſet hic vt ipſum ſaluaret. Fuerunt autem Samaritani multo æquiores Iudæis: illi enim exiuerunt ad eum & orabant illum,vt veniret ad ſe,quumque nullum vidiſſent ſignum,crediderunt in eum,Iudæi vero ad ſe magis venientẽ perſequebantur,& apud ſe manere volentem,grauiter ferebant,quumque multa vidiſſent ſigna,non credebant. Quomodo ergo æquum erat vt hos præteriret? aut qua iuſtitia
F fieri poterat,vt illis qui ſe odio habebant adeſſet, hos autem qui amabant deſereret? Alio autem tempore Samaritani nõ exceperunt eum,vtpote amicum Iudæorum,qui aduerſus ſe
Lucæ.9 inimicitias exercebant. Nam hoc ſcripſit Lucas trigeſimo-ſecundo capite. Sed illi erant alij ab iſtis: illi ſiquidem vicũ quendam Samariæ inhabitabant,iſti vero ciuitatem.

Poſt duos uero dies exiit inde,& abiit in Galilæam: ipſe enim Ieſus teſtatus eſt,quod propheta in patria ſua honorem non haberet. Cur non abierit tunc recta Capernaum,quę patria ipſius habebatur,cauſam reddit: quia videlicet hi qui in ea morabantur animum non applicabant,nec obtemperabant illi, vtpote familiares: ſiquidem familiaritas facile cauſat deſpectum. Quomodo autem teſtatus ſit Ieſus quòd propheta in patria ſua

ſua honorem non habeat,quære in fine vigeſimiquarti capitis euangelij iuxta Matthæum & inuenies. Nazaret quidem A
Matth.13 patria eius erat,patria videlicet matris ipſius,in quo etiã nutritus fuerat. Capernaum vero habebatur patria illius, quod in ea habitaret. Ait enim Matth. quod relicta Nazaret, ve-
Matth.4 niens habitauit Capernaum.

Quum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, uiſis omnibus quæ fecerat Ieroſolymis in die feſto. Galilæam intelli-ge reliquas Galilææ ciuitates ac vicos, præter eam quę proprie ciuitas eius dicebatur. Feſtumvero paſcha,veluti ſecundo capite ſignificatum eſt.

Nam & ipſi uenerant ad feſtum. Nam omnes ſimul Iudæi Ieroſolymam vndiq; concurrentes feſtum celebrabant.

Venit ergo rurſũ Ieſus in Cana Galilææ ubi fecerat ex aqua uinũ. In Galilæam quidem venit propter eorum inuidiam qui Iudæam inhabitabant: in patriam autem ſuam non abiit, quia B
ei non auſcultabant: & ne maior eis accederet condemnatio. In Cana venit: primum quidem inuitatus ad nuptias, nunc vero vt fidem quæ ex facto prius miraculo acceſſerat, ſua præſentia confirmaret: imò potius eos attraheret, veniẽs non vocatus,ac patriæ ſuæ eos præponens.

CAPVT VI. DE REGIO.

ET erat quidam Regius cuius filius infirmabatur Capernaum. Regius dicebatur, vel quod regio eſſet genere,vel quod dignitatem nactus erat, à qua Regius cognominabatur, vel quod miniſter eſ- C
ſet regius. Quidam itaque dicunt hunc fuiſſe Centurionem de quo apud Mattheum & Lucam facta eſt mentio. Non eſt autem ita. Siquidem vt alias eorum differentias omittamus,ille Centurio erat,hic Regius: illius ſeruus ægrotabat,huius filius: & ibi morbus erat paralyſis, hic autem febris.

Hic audito quod Ieſus ueniret à Iudæa in Galilæam,abiit ad eum, & rogabat illum ut deſcẽderet ac ſanaret filium eius,erat enim iam iámque moriturus. Rurſum ἠρώτα, ſignificat, Deprecabatur.

Ait ergo Ieſus ad eum, Niſi ſigna & prodigia uideritis,nequaquam

D *quam credetis.* Non interrogatiue, sed affirmatiue legendū. Nam hoc dixit generaliter quidem deprimēdo Iudæos cum Samaritanis collatos: quod illi absque signis & prodigiis crediderint: particularius autem Regium obiurgando: etsi enim fidei erat quòd abiisset & deprecatus esset, ac vrgeret eum. Siquidem euangelista quoque ait, quod quum dixisset Iesus, Vade filius tuus viuit, credidit homo sermoni quem dixerat ei: nondum tamen recte credebat: & hoc manifestum est, eo quod interrogauerit quando ægrotantem reliquisset febris: volebat nanque discere vtrum casu, an Christi iussu hoc factum esset.

Dicit ad eum Regius, Domine descende priusquam moriatur filius meus. Ait illi Iesus, Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni
E *quem dixerat ei Iesus, & ibat.* Descende, inquit, priusquam moriatur: existimabat enim quod post mortem eum resuscitare non posset.

Iam autē eo descēdente, serui occurrerunt ei, ac nuntiauerunt dicentes, Filius tuus viuit. Sciscitatus est ergo ab eis horam in qua melius habuisset. Quanquam κόμψος dicatur scitus, industrius, aut eloquens: hic tamen comparatiuum κομψότερον significat facilius, leuius, tolerabilius.

Et dixerunt ei, Heri hora septima reliquit eum febris. Nam procul à Cana erat Capernaum: itaque non potuerunt eodē die perferre nuntium de salute filij eius.

Cognouit ergo pater, quod in illa hora in qua dixerat ei Iesus, Fi
F *lius tuus viuit.* Quod in illa hora, puta reliquerat eum febris.

Et credidit ipse & domus eius tota. Nunc perfectè credidit vbi sanatus est filius ipsius. Merito ergo obiurgauit eum Christus, qui cor illius nouerat dicens: Nisi signa & prodigia videritis, nequaquam credetis. Signa quidem proprie sunt, quæ secundum naturam fiunt, vt sanare ægrotum: prodigia vero, quæ supra naturam, vt viuificare mortuos, visum præstare cæcis, quanquam abusiue etiam dicantur ediuerso.

Hoc iterum secundum signum ædidit Iesus quum uenisset à Iudæa in Galilæam. Et prius quum dixisset, Venit rursum Iesus in Cana Galilææ vbi fecerat ex aqua vinum, non frustra miraculi fecit mentionem: sed vt ostenderet, quod etiam facto illo signo Samaritanis inferiores in fide inuenti sunt. Et nunc quoque

quòque dicens, Hoc iterum secundum signum edidit Iesus, A
similiter carpit illos, quia etiam secundo signo viso, non potuerunt ad mensuram peruenire fidei Samaritanorum, qui nullum viderant. Hoc autem dixit Secundum, nō quod post primum nullum aliud ediderit in tota Palęstina, sed quod post primum, hoc secundum in Cana factum sit.

Post hoc erat festum Iudæorum. Pentecoste. Cap. 5.

Et ascendit Iesus Ierosolyma. Continue in festis ad hanc ciuitatem ventitabat: partim quidē vt cum cæteris festum celebraret secundum legem: partim vero vt simplicium multitudinem attraheret. Nam in festis ex omni plebe confluebant.

Est autem Ierosolymis in Probatica, piscina quæ dicitur Hebraice
B *Bethesda* †. Est Ierosolymis piscina in loci situ, qui dicitur Probatica: aut simpliciter ita dicto iuxta veterum traditionem, aut vt quidam dicunt, quod oues (quæ Græcis προβάτα appellantur) olim illuc congregarentur, quæ in festis erant immolandæ: & harum intestina in aqua illa purgarentur.

† *Imò potius legendum* בית חסדא *Bethsaida, hoc est, domus piscationis: & est loquutio ac phrasis Chaldaica. Sic etiam dicunt, domus feminis, agrum: domum iumenti stabulum: & sic de aliis.*

Quinque porticus habens. Fornices aut testudines: has autem in circuitu habebat. Sicut ergo diuina prouidentia quæ ibi operabatur, piscina fabricata erat, ita & porticus propter ægrotantes.

In his decumbebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus nanque statuto
C *tempore descendebat in piscinam, & turbabatur aqua: qui ergo primus introisset in piscinam post turbationem aquæ, sanus fiebat à quocunque detentus fuisset morbo.* Per enumeratos morbos alij quoque significati sunt. Dicens autem, Statuto tempore descendebat, docuit quod non semper fiebat miraculum, sed certis temporibus: hominibus quidem incognitis, verum frequenter vt opinor in anno: propter hoc siquidem in porticibus decumbebat multitudo magna languentium. Verum cæteri sane vtpote claudi & aridi poterant tempus obseruare: nam videbant turbari aquam: cæci autem quomodo factam aquæ turbationem cognoscebant? Habebant certe ministros qui id obseruarent. Illa vero piscina figura erat piscinæ sacri

Dnæ sacri baptismi: sicut enim illa morbos sanabat, ita & ista: sed illa quidem corporales, hæc vero spirituales: illa statuto tempore, hæc autem semper: illa descendente angelo, hæc adueniente spiritu sancto: nam maiora sunt noua veteribus.

CAPVT VII. DE EO QVI TRIGINTA ET OCTO ANNOS MORbo tenebatur.

Erat autem ibi homo quidam, qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Morbus vero erat paralysis. Alius tamen erat hic à paralytico, de quo apud Matthæum fit mentio, sicut in enarratione decimitertij capitis illius euangelij apertissime significatum est. Matth.9. E

Quum hunc uidisset Iesus decumbentem, & cognouisset quod multo iam tempore ægrotaret, ait illi, Vis sanus fieri? Eum qui multo tempore assiduus fuerat ac tolerantissimus, cæteris præponit: tum quod miseratione dignior esset, tum etiam docens quod inter eos qui superno egent medicamine, deum magis flectunt qui sunt cõstantissimi. Non dixit autem, Vis vt te curẽ: quia erat ab arrogantia alienus, & quia is qui morbo tenebatur ipsum nequaquam cognoscebat: ideo etiam nec fidem ab eo requisiuit. Interrogat autem, non vt disceret: superuacaneum enim erat de re manifesta discere: sed vt per responsionem omnibus ostendatur eius cõstantia: vide enim quid respondeat.

F *Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut quũ turbata fuerit aqua mittat me in piscinam: sed interim dum uenio ego, alius ante me descendit.* Suspicabatur quod hoc propterea ipsum interrogabat, vt argueret quod præ segnitie frustraretur sanitate: aut quod in hoc prodesse sibi vellet, vt eum in piscinam immitteret: ideo etiam respondet, quod ob id salutem non consequeretur, quia hominem non haberet. Dicens autem, Dum venio ego alius ante me descendit, suam ostendit perseuerantiam, qua tot annis frustratus, adhuc tamen perseuerabat & non desperabat, idó; non segnis, sed detrusus & offensus, nec sic negligentior efficiebatur. Nos autem breui aliquo tempore diligenter deo adstantes, si non

assequimur

assequimur quod optamus, statim omittimus ac recedimus, A
pigrioresque reddimur. At laboriosum est, inquies, continue orare. Et quæ virtus non est laboriosa? Verum si laborem habet, ita & lucrum adfert.

Ait illi Iesus Surge tolle grabbatum tuum & ambula. Nõ solum erigit, sed & grabbatum tollere iubet, vt miraculum esse credatur, & non appareat phantasia aliqua. Nisi enim mẽbra firmiter compacta forent, nequaquam grabbatum ferre possent. Hoc autem pluries fecit, eorum qui impudentes esse vellent ora obstruens. Nã & in paralytico de quo apud Matthæum similiter fecit: & in panibus eadem de causa, vt plurima fragmenta relinquerentur, ordinauit: & ei qui à lepra mundatus est, iussit vt se sacerdoti ostenderet: & quum ex aqua vinum fecisset, præcepit vt haurirent, ferrentque architriclino: & quum mortuam suscitasset, præcepit vt darẽt illi quod ederet: insensatis suadens per omnia huiusmodi se non esse impostorem, sed verum saluatorem communis hominum naturæ. Matth.9 14.&.8 B Suprà.2 Lucæ.8.

Et confestim sanus effectus est homo, tulitq; grabbatum suum & ambulabat. Simul & audiuit, & sanitatem sentiens erectus est: itaque nullius habita ratione, tulit lectum suum & ambulabat.

Erat autem sabbathum die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ipse mihi dixit, Tolle grabbatum tuum & ambula. Vide libertatem: neque enim solum non obediuit C
illis, sed & beneficij autorem prædicauit, ac omnibus præstantiorem demonstrauit dicens: Ipse mihi dixit, ipsi obediui: siquidem eum qui me sanum fecit maiorem cunctis ducere decreui.

Interrogauerunt ergo eũ: Quis est homo qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum & ambula? Is autem qui sanatus erat nesciebat quis esset: Iesus enim subduxerat se, quum turba esset eo in loco. Simul vt hominem sanauerat, subduxerat se propter turbam: partim quidem fugitans laudem æquorum, partim vero inuidiã amputans iniquorũ. Solet enim frequenter solus eius cõspectus cui quis inuidet, multam infundere flammam iræ.

Post hæc reperit eum Iesus in templo, & ait illi, Ecce sanus factus es, nõ pecces deinceps, ne quid deterius tibi contingat. Quũ iam

V & mira-

D & miraculi rumor defeciſſet & tumor Iudæorum, occurrit ei qui ſanatus fuerat, volens animam quoque illius meliorē reddere, reperit eum nō in ocio & ſegnitie, ſed in tēplo, orātem vt opinor, ac deo gratias agentem: & admonet illum ne deinceps peccet, oſtendens q̄ propter peccata ægrotabat. Minatur autē grauius puniendū, ſi peccauerit: docēs eos qui poſt pœnā peccati rurſus delinquunt, atrocius puniēdos tāquam inſenſatos ac cōtemptores, ſiue in præſenti vita, ſiue in futura, ſiue in vtraq̄. Quod ſi peccatorū ſupplicium durauit hic triginta & octo annos, quidnā poterit quiſpiā dicere de futuro ſupplicio: vtiq̄ quòd æternū erit ac fine carens. Neque tamē omnes morbi à peccatis oriuntur, neq̄ omnes peccatores ægrotant. Paralyticus quoq̄, de quo apud Matth. fit
Matth. 9. E mentio, propter peccatū ægrotabat: ideo etiā dixit illi, Remiſſa ſunt tibi peccata tua. Per tales autem admonet omnes: eos quidem qui nondū ægrotauerunt, vt timeant ne morbo corripiantur, & ita corrigātur: eos vero qui iam morbo ſubiacuerunt, vt timeant ne deterius ęgrotent, & deinceps cautius viuant. Quiſq̄ ergo noſtrum, ſi iā ægrotauit, dicat apud ſeſe, Ecce ſanus factus es, nō pecces deinceps, ne quid deterius tibi cōtingat. Quod ſi nondū morbo detentus eſt, apoſtolicū oraculum apud ſe decātet, Bonitas dei ad pœnitētiā te inuitat, ſed iuxta duritiam tuā & cor impœnites, iram tibi recondis. Nō ſolum autem corporis mēbra adſtringens ſuā oſtendit diuinitatem: ſed etiā dicens, Non pecces deinceps: ſiquidē omnia ſe noſſe ſignificauit, quantūuis etiā arcana.

Rom. 2

F *Abiit homo & nuntiauit Iudæis, quod Ieſus eſſet, qui ſe ſanaſſet.* Abiit & nūtiauit: nō tanquā iniquus vt proderet, ſed tanquā gratus, vt benefactorē diuulgaret: nam beneficium ac minæ ſufficiebant, vt eū in officio cōtinerent: nec his tantū alligatus erat, verū etiam timebat ne quid deterius pateretur. Præſertim quòd ſi eum prodere voluiſſet, nequaquā dixiſſet, q̄ Ieſus eſſet qui ſe ſanaſſet: ſed quod Ieſus eſſet, qui dixiſſet ei, Tolle grabbatum tuum & ambula. Ipſe ergo quia crimen incurrere ſe putabat ſi tacuiſſet, beneficium prædicauit. Grātus itaque ac libere loquens cenſendus eſt hic homo, omniq̄ue carens accuſatione.

Ac propterea perſequebantur Ieſum Iudæi, volebántque eum occidere, quod iſta faceret in ſabbato. Quantum ad id quod apparebat,

parebat, propter hoc: quantum vero ad id quod occultum A
erat, propter inuidiam.

Ieſus autem reſpondit illis, Pater meus ad hoc uſque tēporis operatur, & ego operor. Vtrinque ſeipſum deo æqualem eſſe oſtendit: & dicēs deum patrem ſuum, & dicens ſe operari ſicut illum: ne deinceps tanquam puro homini auſcultarent ei, ſed tanquam deo. Itaq̄ quod dicitur, Ad hoc vſq̄ temporis, cōtinuitatē operationis ſignificat. Quum autem duplex intelligatur dei operatio: vna ſiquidem ſignificat naturarum ab exordio creationem, altera autem poſt illam, gubernationem ac prouidentiam, earumq̄ conſeruationem. Primo quidem ſignificato, ceſſauit die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis: ſecundo vero ſemper operatur, creaturam gubernans, B
prouidens, ac conſeruans illam. Nec vetat vlla lex legiſlatorem ſemper operari creaturarum ſuarum ſalutem. Obſerua autem quod de ſabbati ſolutiōe variis locis accuſatus, interdum quidem tanquam deus reſpondet, prout nunc: quādoque vero tanquam homo: volebat nanque vt crederetur vtrunque, puta & ſua diuinitas, & incarnatio.

Propter hoc ergo magis quærebant eum Iudæi occidere, quod non modo ſabbatum ſolueret, ſed & patrem ſuum diceret deum, æqualem ſeſe deo faciens. Dicens enim, pater meus, legitimum ſe oſtēdebat: legitimus autem filius ęqualis eſt patri quoad ſubſtantiam & naturam.

Reſpondit ergo Ieſus & ait illis: Amen amen dico uobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quid uiderit patrem facientem. Quia ſublimia de ſeipſo dicens perſequutionem ſuſtinebat, quod illi ad eorum quæ dicebantur celſitudinem peruenire C
non poſſent, ſed tanquam deo contrarium eum perſequerētur, condeſcendit imbecillitati mentis illorum, & humilia diſpenſatiue de ſe loquitur, vt per hæc facile ſuſpicerentur: deinde rurſus ad ſublimia ſermonem reducit, & iterū hunc ad humilia demittit: rurſumque ad id quod ſublimius eſt, denuo ad id quod humilius: & ita per ſublimia ſimul & humilia verba, tum æqualitatem demonſtrantia, tum minoritatem demonſtrare apparentia, ſuum texit ſermonem, atque hunc iudicio diſpenſat, vt & qui mente ſunt acutiores ac be- Pſal. 111
nigni, ſumant à ſublimibus intellectum conuenientem etiā de humilibus: & qui obtuſiores ſunt aut inſulſi, ab humili-

bus consolationem accipiant, & quasi de homine hæc intel
ligentes, non turbentur. Veruntamen quanquam verba sint
humilia, hoc etiam modo sub his excelsę occultantur sen-
tentiæ: & verbis quidem causam tradere videtur aduersa-
riis, sensibus vero nequaquam. Quid ergo nunc dicit? Nō
potest filius à se facere quicquam, nisi quid viderit patrem
facientem: his quidem qui sunt intellectu crassiores, poten-
tiæ minorationem præ se fert hic sermo, propter dictam di-
spensationem: subtilibus autem æqualitatem potius & iden-
titatem, propter veritatem. Non potest enim non ob poten-
tiæ defectum, sed propter inseparabilitatem: nam impossi-
bile est filium quicquam facere, quod non facit pater: quia
non est alia filio potentia ab ea quæ patris est, sed eadem:
quod si eadem est, æqualis certe filius est patri. Ait autem
Gregorius Theologus, quod earundem rerum formas intel
ligendas præbet pater, filius vero perficit, non tanquam ser-
uus aut insipiens, sed tanquam dominus ac prudens, & vt ma
gis proprie dicatur, modo paterno, siue iuxta patris domi-
nium ac scientiam. Propter prædicta ergo dictum est, Non
potest filius à se facere quicquam, nisi quid viderit patrem
facientem. Quod si non propter hæc, quomodo potentia
non potest? aut quomodo sapientiæ est opus præceptore?
quomodo etiam omnia per ipsum facta sunt? siue quo pacto
etiam hominibus non erit imbecillior, qui multa à seipsis fa
ciunt? Nam & virtutem à nobisipsis eligimus & vitium.
Multa quoque variis ex locis consequentur absurda. De prę-
dicto sane verbo subtilius disputauit Gregorius Theologus
sexto secundi libri capite.

Quæcunq; enim ille fecerit, hæc quoq; filius similiter facit. Rur-
sum ab humilibus transit ad sublimia, vt prędictum est: nam
si quæcunq; ille fecerit, hæc filius similiter facit, vtique hic
æqualis est illi. Præponitur autem non vulgari modo dictio
Similiter, sed vt discamus quod cum æquali scientia & do-
minio facit, vt prædictum est.

Pater nanq; diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit.
Iterum à sublimibus ad humilia descendit. Diligit autē filiū,
nō solum tanquā vnigenitum, sed etiā tanquam eadē facien-
tem, & nihil quod pater nolit operantē. Neq; vero superius
dictionem Viderit, de filio: neq; hoc in loco dictionem De-
monstrat,

monstrat, de patre, humano modo intelligere oportet, sed A
diuino & supernaturali. Neque enim filius videt sicut disci-
pulus, neque pater demonstrat sicut præceptor: sed hic qui-
dem demonstrat sicut mens quæ formas earundem rerum
intelligendas præbet: ille autē videt, sicut sermo qui ea quæ
ad intelligendum data sunt, perficit: & ita eis cōmunes sunt
omnes diuinæ res & causæ.

Et maiora his demonstrabit ei opera, ut uos admiremini. Nam
quia paralytici membra confirmauerat, magnum quidem e-
rat quod factum erat: sed etiam mortuū excitaturus erat, &
ideo ait quod etiam maiora his demonstrabit ei opera, vt vos
amplius admiremini, & ad credendum adducamini.

Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos
uult uiuificat. Ab humilibus rursus ascendit ad sublimia. Nā
si vt ille, ita & hic quos vult viuificat, æqualis vtique poten- B
tiæ filius est cum patre. Viuificare itaque sicut pater, poten-
tiæ docet æqualitatem: quod autem additur, Quos vult, au-
toritatis immutabilitatem. Verum si & potest, & autorita-
tem habet, quomodo non potest filius à se facere quicquam?
Non potest ergo sine patre, quia vna & eadem est ipsis po-
tentia & voluntas.

Siquidem neque pater iudicat quenquam, sed iudicium omne de-
dit filio, ut omnes honorent filiū, sicut honorant patrem. A sub-
limibus iterum descendit ad humilia. Et hic ergo verbum de-
dit, intelligendū est prout deum decet: talia enim vt dixim⁹
dispensatiue dicit: nō solum curans ex hoc imbecillitatē Iu-
dæorum: verū etiam vt causam videam⁹, & ne naturalem nō
esse filium suspicemur, neq; in Sabellij morbū decidamus, C
qui eundem esse patrem & filium ac spiritū sanctū intelligit,
& vnicam esse sanctæ trinitatis personam insane prædicat,
Quando vero dedit iudicium filio? De hoc quando id fue- Nota o
rit, res est admodum occulta: & quanquam audenter re- quæ se
spondere oporteat quod simul vt hic genitus est: attamen quuntu
quando hic genitus est? Quando pater genitus non est.
Non potest siquidem, nō potest inquā inueniri temporis aut
seculi alicuius intelligentia qua ad extremum aliquod per-
uenire possimus, etiā si maxime vrgeamus. Iudicium autem
omne dedit filio, vt timentes propter hoc, honorent eū sicut
honorant patrē. Et quū Omne dixit, significauit & iudicium

D puniendi & iudicium honorandi quos voluerit. Nec tamen patrem iudicandi autoritate priuauit. Nam si omnia quę habet pater, filij sunt, præterquam genitum nō esse, manifestū est, quod etiam omnia quæ habet filius, patris sunt, præterquā esse genitum. Iudicat ergo filius, approbante quidem patre, cooperante autem & spiritu sancto, veluti sane intelligimus in omnibus eius operibus. Verum scire oportet, quod dictiones Sic Sicut & similes, in increata quidem trinitate æqualitatem significant, in creatis vero sæpius etiam similitudinē, ac partialem quandam assimilationem. Quare autem dedit iudicium filio? Quia hic hominem formauit, perditumq; reformauit, ac salutaria dedit præcepta: & vt qui homo factus
E est, homines iudicaret: non solum tanquam deus qui hominum nouit naturam, verūetiam vt homo qui in ea forma tētatus est. Et quare filius formauit hominem? Quia ipse est sapientia, verbum, & potentia patris. Et quare filius & non pater nec spiritus sanctus humanitatem assumpsit? Quia oportebat, vt qui in supernis filius erat, maneret etiam in infernis filius, ne duo essent filij: & quia oportebat etiam creatorem renouare confractam suam creaturam: & quia opus erat vt rationale per ratiōnem siue verbum liberaretur ab irrationalitatis affectionibus: & quia decebat per immutabilem patris imaginem, eum qui ad dei imaginem factus fuerat, eamque mutauerat, ad pristinam reparari dignitatem,
F vt ita conuenienti modo omnia fierent. Verum si eum honorauerimus sicut honoramus & patrem, omnino etiam patrem hunc appellabimus? Nequaquam, sed filium eum scientes, patrem non appellabimus, ne proprietates confundamus: honorabimus tamen sicut patrem: nam de honore sermo est, nō de appellatione. Abusiue vero & hunc patrem vocamus, tanquam creatorem & procuratorem ac magistrum nostrum. Vidisti sapientissimam & admirabilem cōtexturam sublimium humiliumq; verborum: vt & de his quæ tunc facta sunt sermo facile susciptiatur, & his nullo sint impedimēto ea quæ postmodū fient. Nisi enim sese demittens humilia dixisset, quare etiam sublimia attexuisset. Nam qui de se magna dicere debet, quum parua loquutus fuerit, pro excusatione habet dispensationem: siquidem dispensatorie hoc facit. Quem vero parua dicere cōuenit, quā ob causam magna

loquitur?

loquitur? nō enim dispensationis, hoc est, sed extremæ arro- A
gantiæ. Quod si etiam minor erat filius, sicut Ariani nugabantur, quare æqualem patri honorem expetebat? nec tantū expetebat, verum etiam terrorem incutiebat, dicens.

Qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit illum. Qui non honorat, modo quo superius dixit: hoc est, sicut patrem. Addidit autem, Qui misit illum, non sui minorationem significans, sed ora Iudæorum obturans. Propter hoc etiam continue ad patrem refugit, ponens interim & suæ naturæ nobilitatem. Siue enim omnia secundum sui dignitatem loquutus fuisset, nequaquā susceptissent, existimantes eum deo esse contrarium, quum etiam ob pauca huiusmodi verba illum persequerentur, vellentque lapidare: siue omnia sese demittendo loquutus fuisset habito illorum respectu, multi sa- B
ne detrimentum inde susceptissent. Ideo vt diximus, miscet ac temperat doctrinam: vt enim facile reciperetur, non tantum excelsa loquebatur, quantum humilibus permiscebat. Itaque quum voces humiles reperimus, dispensatorias eas existimemus, vel etiam eius humanitati adaptemus, sicut & excelsas diuinitati.

Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Rursum dispensatorie loquitur: Neque enim dixit, Et credit mihi, ne gloriari videretur. Non solum autem hic, sed in sequentibus quoque frequenter inueniemus, quo pacto & metu & promissione, vt sibi credatur admoneat.

Et in condemnationem non uenit, sed transibit à morte in uitam. C
Non condemnabitur in iudicio nec punietur. Non negat autem quin morituri sint credētes, sed de morte loquitur perpetua, similiter & de vita æterna.

Amen amen dico uobis quod uenit tempus, & nunc est, quando mortui audient uocē filii dei, & qui audierint uiuent. Promittit nunc quod non longo post tempore viuificaturus sit mortuos, sermonemq; opere comprobaturus. Ad Samaritanam quoque dicens similiter, Venit tempus siue hora, pari modo addidit, Et nunc est, significans futuræ rei propinquitatem. Mortui autem auditurī sunt vocē eius: quomodo? Simulac ipse voluerit, conuersa cuiusq; anima ad proprium corpus, mortui qui audierint, vita rursus in mundo viuent. Hic ergo vbi dixit

D excelsa, seipsum dei filium vocando, rursum sermonem obscurat attexens humilia.

Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio ut uitam haberet in semetipso. Verbum dedit, humile est & dispensatorium. Habet autem vitam in semetipso, hoc est, admodū fontis scaturire facit vitam.

Et potestatem dedit ei iudicium faciendi. Iudicium eorum quæ ab vnoquoque in vita peracta sunt. Frequenter autem repetit iudicium, magis eos exterrens, vt paulatim iudicem hunc esse credentes, ad eum accurrant, mansuetum sibi iudicem inde parantes.

Quia filius hominis est, nolite mirari hoc. Quia homo est, qui iudicium sumpsit hominum, & prædicta de seipso docuit, quę
E magna & non tantum supra hominem sunt, sed supra angelos quoq;, & ad solum deum pertinent, nolite mirari: prædictum est enim ꝙ etiam filius dei sit: Non ergo offendi oportet: nā quę odiosa apparēt propter humanæ naturæ humilitatem, ea appareāt tolerabilia propter diuinæ naturæ celsitudinem. Deinde aliam quoque de seipso proponit tremendam & arcanam potestatem.

Quia ueniet tempus in quo omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius: & prodibunt qui bona egerunt in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt in resurrectionem condemnationis. Tempus dicit consummationis seculi & vniuersalis iudicij: eos autem qui sunt in monumentis dicit mortuos, quos simul omnes repente ac virtute arcana coaptabit, animabit, ac excitabit
F voce sua siue iussu, quo tunc per archangelum clamabit, In iussu, inquit, in voce archangeli, & in tuba dei. Atqui
1 Thess. 4. non omnes sunt in monumentis, sed ab his qui sunt in monumentis, etiam eos significauit qui non sunt in monumentis, ab his videlicet qui naturaliter sepulti sunt, eos etiam qui naturaliter sepulti non sunt. Ex monumentis autem prodibunt hi quidem in resurrectionem vitæ æternę, illi vero in resurrectionem condemnationis: isti ad fruitionem sem
Matth. 25 piternam, illi ad supplicium perpetuum. Alibi autē dixit, Et abibunt hi in supplicium æternum, iusti vero in vitam æternam.

Non possum ego à meipso facere quicquam. sicut audio, iudico. Quemadmodum superius de operando dicebat, Non potest filius

filius à se facere quicquam, nisi quid viderit patrem faciem- A
tem: ita & nunc de iudicando ait, Non possum ego à meipso facere quicquā, sicut audio iudico: hoc est, non iudico à meipso, sed sicut audio à patre, vel sicut pater: quod etiam ęqualitatem ad patrem ac indifferentiam innuit. Sicut enim in superioribus videre, ita & hic audire, intelligendum est dispensatorie, & vt deo conueniat. Siquidem neque videre ei opus est neque audire: quum deus nulla re indigeat.

Et iudicium meum uerum est, quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Iuste, inquit, iudico, quia non Mat. 9. 2
iudico secundum voluntatem meam, neque ego propriam habeo voluntatem, sed secundum patris voluntatem: nam illa etiam mea est: vna siquidem & eadem est patris & filij vo- B
luntas: si ergo pater iustus est iudex, & filius vtique iustus est iudex. Oportet itaque in huiusmodi verbis quæ demissionem ac dispensationem significant, non ad ipsa tantum respicere, sed etiam ad causam ipsorum: in his enim causa est imbecillitas mentis audientium, & ne deo contrarius videretur, sicut variis in locis diximus.

Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum nō est uerum. Oportet eos qui sacras legunt scripturas intentio- Nota.
nem loquentis habitumque audientis exquirere, tempora quoque ac loca aduertere, insuper idiomata obseruare: nec simpliciter & vno modo cuncta aggredi, si legitimos sensus velint deprehendere, & non in nudis manere verbis, ac falli circa electiones. Siquidem propositus statim campus thesaurum habet copiosum: habet autem hunc multa obrutum ob- C
scuritate. Quis enim repente turbari nō posset audiens Christum dicentem, Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum? Siquidem ipse dixit, Ego Infra. 14
sum veritas: quod si veritas verum non loquitur, quisnam erit qui vera loquatur? Si quæ de seipso testificatus est, vera non sunt nobis omnino perit prædicationis summa. Nam vt cætera sinamus, quæ sunt innumera & fidem contingentia: vbi nam ponemus ea quę paulò ante de seipso testificatus est quod filius sit dei, quod æqualis illi natura, potentia & voluntate: quod creator, quod viuificator, quod iudex aliaque similia? Quid ergo dicendum est? Quod quia talia de seipso testificatus fuerat, cognouit Iudæos habere in animo

opponere

D opponere se ei ac dicere, Si tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum. Nemo siquidem qui de seipso fert testimonium, fide dignus est apud homines, propter suspitionem de nimio suiipsius amore, ideo præuenit ac dixit, quod illi dicturi erant, dicens, Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum, vt vobis apparet. Itaque testes adducit, etiam in hoc se demittens ad imbecillitatem illorum, & ex abundanti cautione silentium illis imponens. Quod ergo ait, Testimonium meum non est verum, non quasi affirmando dixit, sed quod illi hoc dicere pararent. Quod autem hæc ita se habeant, inde manifestum est. Quum enim in sequentibus loquutus fuisset dicens, Ego sum lux mundi: dicentibus pha- *infra.8.*
E risæis, Tu de teipso testimonium perhibes, testimoniũ tuum non est verum, contradixit dicens, Et si ego testimoniũ perhibeo de meipso, testimoniũ meum verum est. Manifestum ergo est quod illud, oppositionis illorum erat, hoc autem intellectus eius. Siquidem illi putabant eum non esse fide dignum, qui de seipso ferret testimonium, vtpote hominem: ipse vero ediuerso sese fide dignum dixit, tanquam deum. Primum itaq; dissoluit excogitatam ipsorum oppositionem, dicens id quod ipsi dicere parabant, & ostendens quod cogitationes eorum cognosceret. Deinde etiam testes adducit manifestos, & quibus contradici nequeat: Ioannem opera propria, ac patrem. Primum autem ponit debilius testimonium puta Ioannis.

F *Alius est qui testimoniu perhibet de me, & scio quod uerum sit testimonium quod testificatur de me.* Scio hunc, inquit, quod apud omnes sit fide dignus, nempe propheta dei, & à deo accipiens quæ loquitur. Deinde ne quis opponat dicens, Quid si ad gratiam testimonium perhibuit? hanc etiam tollit obiectionem dicens.

Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium perhibuit ueritati. In primordiis euangelij sui post sermonem de deo habitum, *supra.1.* dixit euangelista, Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas, vt interrogarent eum, Tu quis es & cætera. Tunc ergo multa & magna testificatus est de Christo. Ideo nunc dicit, Vos misistis ad Ioannem interrogantes eum: non autem misissetis, nisi eum fide dignum cognouissetis: testimonium

nium ergo eius refellere non potestis. A

Ego autem non ab homine testimonium accipio. Hoc est, humano testimonio non indigeo, quum sim deus. Et quomodo in testimonium adduxit Ioannem qui homo erat? Primum quidem quia testimonium, eius non erat ipsius, sed dei. Ait enim, Qui misit me ad baptizandum in aqua ipse mihi dixit. Deinde & aliam ponit causam. Vide enim.

Sed hæc dico ut uos salui sitis. Non quod humano, inquit, egeam testimonio, sed de Ioannis testimonio dispensatorie loquor: vt ei credẽtes qui & est, & vobis apparet fide dignus, salui sitis.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Lucerna accensa à diuino spiritu, & lucens his qui in tenebris erant peccati. Lucernam autẽ eum vocauit, tanquam obscuratũ excellenti lumine B
solis iustitiæ. Ipse siquidem de Christo dicebat, Illũ opor *Supra.3.*
tet crescere, me autem minui. Aliam quoq; ob causam appellauit eum lucernam, quia videlicet non ex se doctrinæ lucẽ habebat, sed ex gratia sancti spiritus. De hoc autem vt opinor prædixit per os Dauid, Paraui lucernam Christo meo. *Psalm.131.*

Vos autem uoluistis ad tempus exultare in luce eius. Obiurgat hos quod non vsq; ad finem studiose illum obseruauerint: voluistis, inquit, quodam tempore exultare in luce doctrinæ illius, quando omnes vndiq; ad eum concurrebatis, & postmodum refrixistis, quanquam hactenus illum admiramini: nisi enim refrixissetis, testimonio vtiq; illius credidissetis. Digni igitur estis qui redarguamini, quod licet hunc fide dignum confiteamini, eius tamen testimonio non credideritis.

Ego uero testimoniũ habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim C
quæ dedit mihi pater ut perficiã ea ipsa inquam opera quæ ego facio, testificantur de me, quod pater miserit me. Siquidem Ioannis testimoniũ poterat quispiam calumniari tanq̃ ad gratiam factum: quanquã hoc vere dici non poterat aduersus virum qui omni cum diligentia suo fungebatur munere, & apud omnes vehementi in admiratione habebatur: Verũ opera omni suspitione libera, cunctorũ ora contentiosa obturabant, puta paralytici confirmatio, cæteraq; miracula: quũ apud eos essent qui curati erant, & plenam eis fidẽ faciebant. Opera, inquit, quæ ego facio testificãtur de me, quod pater miserit me. Nõ dixit autem, Testificantur quod æqualis sim patri, sed quod

pater

D pater miserit me. Atqui & hoc & illud testificabantur. Verum etsi maius erat vt crederetur æqualis esse patri: minus tamen posuit, nempe id quòd tunc maxime intendebatur. Volebat namque primo credi, quod se deus misisset: hoc enim credito, reliquum facilius erat ad credendum. Sed quomodo opera testificabantur, quod deus eum misisset? Testificabantur id tanquam opera solius diuinæ virtutis. Siquidé qui deo contrarius esset, huiusmodi facere non poterat: nam licet miraculis contradicere impudenter attentabant, sicut Matth. 12 vigesimosecundo iuxta Matthæum capite scriptum est, dicentes, Hic non eiicit dæmonia nisi per Beelzebul principem dæmoniorum: sed ibi citius os illis obstruitur, & vane
E nugari conuincuntur.

Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me. Vbi de ipso testimonium perhibuit? In sequentibus significabit quòd in scripturis: quanquàm etiam dum baptizaretur testimonium de eo perhibuit dicens, Hic est filius meus dile- Matth. 3. & 17. ctus in quo mihi complacitum est. Et rursus quum transformaretur. Sed quum baptizaretur licet audierunt, dubitabāt: quum autem transformaretur, ne audierunt quidem ipsi. Idcirco prætermissis huiusmodi testimoniis, ad scripturas eos tranimittit, quas semper in manibus habebāt, nec fas erat illis contradicere: sed hoc in progressu facit: nunc autem ne expectant dei testimonium à propria voce, & à propria per-
F sona dicentes, Neq; vocem eius audiuimus vnquā, neq; speciem eius vidimus: confitetur quòd illi dicturi erant, confitendo verò, ad rectam eos doctrinā reducit: dans intelligendum quòd neque vox sit apud deum neq; species: siquidem hæc corporum sunt, Deus autem incorporeæ est naturæ, aut potius supra corpus & supra naturam.

Neq; uocem eius audistis unquam, neq; speciem eius uidistis. Atqui multi vocem eius frequenter audiuerunt, & speciem eius viderunt, sicut in scripturis de diuersis scriptum est variis in locis. Sed vox illa & species fuit non secundū dei naturam, sed in hominis similitudine.

Et sermonem eius non habetis manentem in uobis. Et quid, inquit, dico de voce quæ propria ipsius vox esset, aut specie propriæ ipsius personæ, quum neque sermonem eius habeatis manētem in vobis, quem per legem ac prophetas loquutus est, &

tus est, & putatis hunc vos habere manentem in vobis, & de A
ipso gloriamini. Deinde confirmat quòd dixit, hoc modo illud ostendens.

Quem enim ille misit, huic uos non creditis. Nam quum sermo qui per legem datus est ac prophetas clamet, quòd pater filium suum miserit ad salutem vestram, & quòd vos illi credere oporteat, vos autem huic quem ille misit non creditis, omnino non oscultatis prædicto eius sermoni: quum autem illi non auscultetis, non habetis eum siue donum ipsius: auolauit enim à vobis. Verum ne dicant, Si ergo vocem eius nō audiuimus, quomodo ille testificatus est de te, ait:

Scrutamini scripturas. Legales ac propheticas: inde enim est testimonium à patre. Vide autem quòd non dixerit, Le- B
gite, sed Scrutamini: illi siquidem legebant, at non scrutabantur, idcirco eos scrutari iubet: nam quum ea quæ de eo sunt, obscure scripta sint vtiliter & dispēsatoriè propter imbecillitatem progenitorum ipsorum, ne exciderent ad deorum multitudinem, iubet nunc eos fodere, vt ea quæ alte in modum thesauri recondita sunt, possint inuenire.

Quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere. Putatis habere, verum non habetis: quia superficietenus solum eas legētes, non inuenitis illum certum vitæ æternæ fontem qui est Christus. Quia ergo putatis in scripturis vitam æternam habere, & propter dictam causam non habetis: scrutamini profunde vt inuentam habeatis.

Et illæ sunt quæ testificantur de me. Testificantur inquit de C
me in persona patris, vtpote arcano modo à patre inspiratæ his qui eas scripserunt. Coniunctio Et, abundat, quod in Hebraico idiomate frequens est.

Et non uultis uenire ad me ut uitam habeatis. Vitam videlicet sempiternam. Deinde ne suspicarentur quod amore gloriæ talia diceret, ait:

Gloriam ab hominibus non accipio. Non amans eam, aut ea indigens: neque enim sol lucernæ lumine indiget. Verum quam ob causam hæc dicebat? Vt omni modo ad fidem eos attraheret, per quam habituri essent vitam æternam.

Sed cognoui uos quod dilectionem dei non habeatis in uobis. Vos inquit, tanquam deum diligentes me repellitis, quod meipsum faciam deo æqualem: Sed mēdacij arguimini: ego enim

D enim noui vos quòd deum non diligatis. Quomodo? Quia de quo ille testimonium perhibet, & per Ioannem, & per opera, & per scripturas, hũc vos non recipitis. Quemadmodum ergo primum arbitrati quod essem deo contrarius, me repellebatis: ita nunc demonstrata à dictis testibus veritate debuissetis accurrere. Sed frustra iactatis quod dei zelo me auersamini. Nam quum id inuidia faciatis, hoc modo istam occultare nitimini.

Ego ueni nomine patris mei, & non recipitis me. Nomine patris mei, siue missus à patre meo, sicut ipse testatur & ego cõfiteor, & non suscipitis me.

Si alius uenerit nomine proprio, illum recipietis. De Antichri-
E sto hoc dicit, qui veniet nomine proprio, siue à seipso, tanquam ipse deus esset qui super omnes est. Taxat ergo impudentiam Iudæorum, quòd eum repellerent, quum se diceret nosse deum, & ab eo missum esse, nec cõuinceretur deo esse contrarius: illum vero qui se diceret non nosse deum, & à seipso venire se iactaret, ac manifestissime dinosceretur esse deo contrarius, reciperent. Deinde ponit & causam infidelitatis eorum, quod propter gloriæ amorem non crederent: nolentes enim Christum supra se honorari à multitudine, obsurdescebant, & aures vltro claudebant ad veritatem: omniaque faciebant, ne à gloria quam habebant apud multitudinem exciderent.

Quomodo uos potestis credere, qui gloriã à uobis mutuo accipitis?
F Nam ipsa impedimento est.

Et gloriam quæ à solo deo est non quæritis. Quam solam quærere oportet, ea quæ est ab hominibus posthabita, etsi vos contrarium faciatis. Postquam ergo vndique silentium illis imposuit, omnique venia indignos esse demonstrauit, accusatorem deinceps illis adhibet, puta ipsum Mosen legislatorem eorum.

Num putatis quod ego uos accusaturus sim apud patrem? Iuxta vsitatam ac consuetam interrogationem est hic sermo, acsi dicat, Etsi me id oportebat facere, non tamen faciam, quia clemens sum.

Est Moses qui accusat uos. Vtpote nõ credentes his quæ de me scripsit: & ita nec illi credentes.

In quem uos speratis. Tanquam in ductorem populi, tutorem ac

rem ac mediatorem in his quæ ad deum sunt. Sicut autẽ de A
scripturis dicebat, Putatis in ipsis vitam æternam habere: ita quoque nunc de Mose ait, In quem vos speratis. Nam ab his quæ ipsi sua ducebant, illos aggrediebatur.

Si enim crederetis Mosi, crederetis utique mihi: nam ille de me scripsit. Si fide dignum eum duceretis, crederetis vtiq; mihi: vobis enim præcepit ille, vt me audiretis.

Si autem scriptis eius non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Si illius scriptis increduli estis, quem vehementer vos honorare ac laudare iactatis: quomodo meis verbis credetis, quẽ vehementer inhonoratis & contumeliis appetitis? Sicut ergo prius de Ioanne quem admirari videbantur, cõuicti sunt quòd eum despicerent: ita & nunc de Mose cui credere sibi B
videbantur, ostendit quod ei essent increduli: & sagaciter semper in caput illorum torquet, quæcunque pro ipsis facere videntur. Quis ergo transgressor est, isne qui coaccusatorem habet ipsum legislatorem, an ij qui illum habent contra se accusatorem?

Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ quod est Tiberiadis. Cap. 6.
Mare Galilææ siue Tiberiadis. Nam stagnum Tiberiadis vocat mare Galilææ, sicut in euangelio iuxta Matthæum dictum est. Abiit autem illuc cedens furori principum populi, Matth. 7.
accenso ob prædicta verba.

Et sequebatur eum turba magna, quia uidebant signa quæ ædebat in his qui infirmabantur. Quare signa particularius non enumerat? Quia hic euangelista circa doctrinas & cõciones C
ac dogmata magis versatur. Propter signa autẽ non propter dogmata turba hæc sequebatur, crassius affecta: illa vero de qua apud Matthæum, obstupescebat in doctrina eius.

Ascendit autem in montẽ Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. mg. 7. 15
Ascendit in montem, docens nos requiescere à tumultu ac turbatione quæ in medio populi est. Nam ad philosophiam sacram apta est solitudo. Frequenter quoque solus ipse mõtem petit, & pernoctans orat, docens nos quòd eum qui maxime ad deũ accedit, oporteat ab omni liberum esse turbatione, & locum inquirere liberum à tumultu & turbatione.

Instabat autem pascha dies festus Iudæorum. Et quomodo non ascendit & ipse ad diem festum, sed quum omnes Ierosolyma proficiscerentur, ipse vadit in Galilæam, nec solus ipse, sed

D ipse, sed & discipulos adducit? Quia figuratiuam legem tacite iam dissoluebat, occasione sumpta ab inuidia Iudæorũ. Non post longum enim tempus finem erat impositurus figuratiuo paschæ, vero deinceps tradito.

Quum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset quod turba multa ueniret ad se, ait ad Philippum: Vnde ememus panes ut isti comedant? Dictum est de his, in fine vigesimiquinti capitis euãgelij iuxta Matthæum vbi habetur, Iesus autem dixit eis: Non est illis necesse egredi, date vos illis quod edant. Matth. 14

Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Ibi quoque de hoc disputatum est. Quod autem ait, Tentans eum, humano quidem modo intelligitur iuxta da-
E tam ibi enarrationem: diuino autem modo, vt tantundem sit ac si dicatur, In desperationem de remedio eum coniiciens: vt desperationem fassus, diligentius cognosceret fuisse miraculum quòd ipse facturus erat: nam si vtcunque factum esset, nequaquam tale apparuisset. Siquidem tanquam deus noverat quid responsurus esset Philippus. Aiunt autem quidã, quod deus aliquem tentare dicitur duobus modis: velvt imbecillitatem eius arguat, sicut nunc in Philippo: vel vt illius
Gene. 22. fortitudinem ostendat, quemadmodum olim in Abraham: scriptum est enim quòd etiam tentauerit deus Abraham, quando offerre ei filium suum in holocaustum præcepit.

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque eorum pusillum quippiam accipiat. Vide
F imbecillitatem mentis Philippi, qui virtutem diuinitatis eius intelligere non poterat.

CAPVT OCTAVVM DE QVINQVE PANIBVS.

Dicit ei unus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, Est puerulus hic unus qui habet quinq; panes ordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tam multos? Vigesimosexto capite euangelij iuxta Matthæum etiam de hoc disputatum est. Excelsiorẽ itaque mentem habebat Andreas quàm Philippus: ad id tamen quòd perfectum erat non attingebat. Cogitabat enim quod ex paucioribus pauciora faceret, ex pluribus autẽ plura. Ideo

ra. Ideo etiam addebat, Sed hæc quid sunt inter tam multos? A

Dixit autem Iesus, Facite ut homines accumbant. Erat itaque gramen multum in loco illo. Accubuerunt ergo uiri numero ferme quinquies mille. Prædicto capite latius de his dictum est. Non sunt autem turbati discipuli, sed protinus cognito quòd miraculum operaturus esset, absq; vlla hæsitantia obediuerũt.

Accepit ergo Iesus panes, quumque gratias egisset dedit discipulis, discipuli uero accumbentibus: similiter & ex piscibus quantũ uolebant. In eo capite etiam de his inuenies.

Vt autem impleti sunt, ait discipulis suis, Colligite quæ superfuerunt fragmenta ne quod pereat. Collegerunt itaque & impleuerunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant. Similiter & de his. Iussit autem colligi quæ superfuerant, non ostentationis gratia, sed B
ne phantasia appareret quod factum erat. Ex subiecta autem materia & panes multiplicauit & pisces: non quod materia indigeret: sicut neq; post resurrectionem opus illi fuit materia, sed vt ora Marcionistarum obstrueret, qui creaturam calumniantur delirantes, asserendo non esse à deo factam. Infra. 21.

Illi ergo homines quum uidissent quod fecerat Iesus signum, dicebant, Hic est uere propheta ille qui uenturus erat in mundum. O manifestam gulositatem: quum innumera prius vidissent quæ hoc erant mirabiliora, nihil tale confessi sunt: quum autem impleti sunt, tunc hunc esse prophetam dixerũt, qui ex Mosis promissione ab eis expectabatur. Deute. 18

Iesus ergo quum cognouisset quod uenturi essent, seque rapturi, ut C
crearent ipsum regem, rursum secessit in montem ipse solus. Papę quanta est gulæ tyrannis, quanta est mentis istorum leuitas ac mutabilitas: repleto enim ventre omnia illis erãt, & propheta, & regno dignus. Christus vero fugit: ostendens fugiendas esse dignitates humanas, ac terrenos honores, & despiciendos esse qui hic clari sunt. Atqui propheta dixit, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Sed regnum dixit cœ- Zacha. 9.
leste de quo ipse quoque Christus ait, Regnum meum non Ioan. 18.
est ex hoc mundo.

At ubi iam uespera esset, descenderunt discipuli eius ad mare, & conscendentes nauem uenerunt traiecto mari Capernaum. Descenderunt non sponte sua, sed ab eo coacti. Dixit enim Matthæus prædicto. 26. capite, Statimque compulit Iesus

D discipulos vt conscenderent nauigium,& se præcederent in vlteriorem ripam donec dimisisset turbas : quumque dimisisset turbas ascendit in montem seorsim ad orandum. Facta autem vespera solus erat illic. Horum omnium causas ibi significauimus,& illas lege:in quibus tamē omissum est,quòd postquam turbas dimisisset, cum stupore signum admirati sunt,vbi ad se mente rediissent,& reuerti decreuerunt ac rapere eum,vt crearent ipsum regem.

CAPVT. IX. DE AMBVLATIONE IN MARI.

E ET iam tenebræ erant,nec uenerat ad eos Iesus:mare autem uento magno flante intumescebat. Quum ergo remigassent ferme stadia uiginti quinque aut triginta,uident Iesum ambulantem super mare & appropinquantem naui,ac timuerunt. At ipse ait illis,Ego sum,nolite timere. Voluerāt ergo sumere eum in naui,& ilico appulit nauis terræ ad quam ibant. Non venerat ad eos : hoc est non apparuerat eis, sicut postmodum fecit , sed permisit eos tentari. In fine autem præmemorati vigesimi sexti capitis euangelij secundum Matthæum, & vigesimoseptimo de his omnibus inuenies. Quæ vero sequuntur prætermisit Ioannes , vtpote ab aliis conscripta. Itaq; ea scribit quæ ab aliis omissa erat. Nos ergo alios enarratores sequuti,ostendimus hāc fuisse deambulationem super mare quam Matthæus & Marcus scripse-
F runt. Chrysostomus verò coniectans ait hanc aliam fuisse ab illa:verisimile enim esse,quod illa prius fuerit. Deinde post aliquot dies turbæ decreuerunt vt raperent eum , veluti dictum est : quo cognito rursus Christus in montem discessit cum discipulis,ibique solus secessit siue in quiete fuit: discipuli vero inde descenderunt ad mare , de hoc admoniti : & conscensa naui venerunt Capernaum , putantes eum pedestri itinere venturum: sed rursum non multo post in mari ad illos venit: & propter hoc,inquit,euangelista ait, Et iam tenebræ erant,nec venerat ad eos Iesus: ac deinceps accidisse dicit reliqua, sicut hic scripsit : & in illa quidem deambulatione exterritos discipulos exclamasse,in hac vero solum timuisse,quòd timor iam assuetudine minor fuerit. Et ibi quū dixisset,

dixisset , Ego sum , nolite timere , nondum certiores factos A
fuisse, ideoque Petrus dicebat: Domine si tu es, iube vt ego veniam ad te super aquas : hic autem protinus certiores factos esse,quod iam assueti essent. Et tunc non quieuit ventus donec ingressus esset in nauim : nunc vero vbi tantum loquutus est,facta est tranquillitas:& ne nauim quidem ingressus est, sed quum vellent eum in nauim accipere, repēte nauis peruenit ad terram,& ipse post illam.

Sequenti die turba quæ stabat ad mare, quum uidisset quod nauicula alia non fuisset ibi nisi una illa in quam ingressi erant discipuli eius, & quod non introisset cum discipulis suis Iesus in nauiculam, sed soli discipuli eius abiissent:aliæ uero superuenerant nauiculæ à Tiberiade iuxta locum ubi comederant panem , postquam gratias egerat B
dominus. Vbi ergo uidit turba quòd Iesus non esset ibi neq; discipuli eius,ascenderunt & ipsi in nauiculas & uenerunt Capernaum quærentes Iesum. Turbam quæ stabat ad mare dicit eos qui venerant vt raptum ipsum crearent regem:nam quum illū non inuenissent , stabant in littore cogitantes quid actum esset. Videtur ergo mancus esse hic sermo: nam quum illum nondum quiescere fecerit euangelista, rursus aliunde incepit dicens: Vbi ergo vidit turba quod Iesus nō esset ibi &c. Est autem forma hæc abbreuiationis. Quod autem sequitur, Aliæ vero superuenerant nauiculæ à Tiberiade iuxta locum vbi comederāt panem postquam gratias egerat dominus, interloquutio est ad significandum,quod postmodum illæ venerint:tandem enim desperantes suspicati sunt, quòd pedestri C
itinere circa mare abiisset:ideo & ipsi venerunt Capernaum quærentes eum:nam ibi plurimum diuersari solet.

Quumque inuenissent eum trans mare,aiunt illi,Rabbi quando huc uenisti? Non interrogauerūt eum quo modo venisset vt tātum signum discerent, neque de regno dixerunt, sed his relictis cœperunt assentari dicentes,Quando huc venisti,ignorans quod nos à te penderemus? Assentabantur autem vt mensam iterum eis apponeret:nam semel satiati , & liguriētes,cæteris omnibus iam consumptis, de secundariis cogitabant:quanquam non omnes in similibus deliquerant. πέραν vero(sicut & trās latine) dicitur de vtroq; terminorum maris directe oppositorum , significante huiusmodi vocabulo nunc hoc littus,nunc vero illud.

Cap. 6.

D *Respondit eis Iesus & ait, Amen amen dico nobis, quæritis me, nõ quod signa uideritis, sed quia comedistis de panibus & saturati estis.* Non expedit vbique mansuetum esse ac lenem, sed quum discipulus crassus ac segnis fuerit, tunc præceptori opus est stimulo ac sermone obiurgatorio ad tangendum & excitandũ illum, quod hic fecit Iesus: simul quidem increpans eos tanquam assentatores, simul etiam mentem eorum detegens, & vtrinque illos corrigens. Ait enim, Quæritis me non quod signa vobis ostenderim, sed quod vos pauerim ac saturauerim: non vt visis signis credatis, sed vt cibos edentes saturemini, quod est mancipiorum ventris ac gulosorum. Leniter autem & parce illos arguit, nec in reprehensione instat, sed

E statim doctrinam adiungit.

Operemini non cibum qui perit, sed qui manet in uitam æternam. Curam habete non cibi corruptibilis sed incorruptibilis: nõ qui carnem pascat, sed animam nutriat: hic autem est fides, vt in progressu dicturus est. Operationem vero pereũtis cibi, hoc in loco appellat eam quæ necessaria non est, sed superflua, siue permanentem & continuam solicitudinem cibi sensibilis, nam quæ necessaria est, non prohibetur. Ideo etiã Paulus in multis epistolarum locis, non solum permisit pro-

E priis operari manibus, verum etiam præcepit dicens, Si quis 2. Thess. 3. non vult operari, is nec edat. Sicut ergo de Martha dicens Christ⁹, Martha Martha solicita es ac tumultuaris circa multa, atqui vnum est necessarium, non prohibuit hospitalitaté, sed præposuit diuinorum sermonum auditionem: ita & nunc dicens, Operemini non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam, non præcipit tantum operari cibum animæ, quanquam sit magis necessarius, sed admonuit corporalem cibum obiter curare, animæ vero, toto studio. Operemini inquit toto animo, omni cura, continue: non iam hoc, iam illud, sed hoc amplius, illud vero minus.

Quem filius hominis dabit uobis. Quem ego dabo vobis ad operandum, quem ipse demonstrabo acquirendum. Ne autẽ iactare se videatur, rursum ad patrem recurrit dicens.

Hunc enim pater consignauit deus. Consignauit, siue in hoc apposuit, vt hunc cibum daret vobis. Vel, demonstrauit, suoq; testimonio manifestauit. Nã & ostẽdere quoq; dicitur signare, acsi videlicet suo testimonio signauerit verũ esse deũ.

Dixerunt

Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera dei? Opera dei vocant quæ deo accepta sunt. Interrogant autem non vt ea operentur, sed vt etiam ipsi videantur discipuli, & ita ad cibi suppeditationem attrahant. A

Respondit Iesus & ait illis, Hoc est opus dei, ut in eum credatis quem ille misit. Nam prius variis in locis docuit quod à deo missus esset.

Dixerunt itaq; illi, Quod ergo tu facis signum ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Considera magnã dementiam: paulo ante cibo saturauit illos, & protinus obliti tanti miraculi signũ requirunt: deinde genus etiã requisiti signi addunt.

Patres nostri manna comederunt in deserto, sicut scriptum est, Panem de cœlo dedit eis ad edendum. Scriptum est in libro Psalmorum. Quum autem multa signa coram patribus ipsorum facta essent, huius maxime meminerunt propter ventris tyrannidem, existimantes fore, vt ipsum quoque ad simile signum faciendum irretirent, puta vt & se cibo satiaret. Sed ô obliuiosi ac ingrati, nónne paulo ante panes & pisces ad satietatem in loco deserto edistis? Simul quoque mihi hic obserua & adulationem ipsorum & inuidam malitiam. Neque enim dixerunt quòd Moses illud fecisset signum, ne hunc deprimere viderentur si Mosen ei compararent: neq; quòd deus ipsum edidisset, ne hunc deo æquarent: sed absolute dixerunt, Patres nostri comederunt manna in deserto. Quid ergo is qui disponit sermones suos in iudicio? Non arguit eos, sed blande respondet: Oportet enim vt prædictum est, interdum quidem arguere, interdum verò dispensatiue clementem esse. Psal. 77. B Psal. 111. C

Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico uobis: Non Moses dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo. Quia putabant manna esse panem ab eo quòd proprie cœlum appellatur, eo quod scriptum esset, Panem de cœlo dedit eis: corrigit erroneam eorum opinionem. Nam ibi scriptura aerem improprie vocauit cœlum: quemadmodum etiam dicũtur volucres cœli, Et rursum, Intonuit de cœlo dominus. Ait ergo, Non Moses dedit tunc nationi vestræ panem qui proprie de cœlo sit, sed pater meus nunc dat vobis panẽ ab eo quòd proprie cœlum appellatur. Nam sicut pater proprie dicitur cœlestis, ita & filius cœlestis, & proprie panis, De pane & mãna Psal. 8. 17

D vtpote cor hominis confirmans.

Eum qui uerus est. Siquidem ille panis figuratiuus erat, me inquit, præfigurans qui sum ipsa veritas. Quemadmodum enim ille de super descendens, eos qui participabant pascebat ac roborabat, ita & ego: sed ille ab aere, ego autem à vero cœlo: ille quidem corpora pascebat ac roborabat, ego vero animas. In sequentibus autem ponit generaliorem differentiam inter figuratiuum panem, & eum qui verus est.

Panis enim dei est qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Propriè panis dei, siue diuinus est, qui vere de cœlo descendit, & vitam æternam dat mundo credenti: quum ille vitam ad tempus daret, non mundo, sed solis Hebræis. Vitam au-
E tem æternam intellige non simpliciter, qua viuent communiter omnes homines, sed beatam quæ erit in continua requie.

Dixerunt ergo ad eum, Domine semper da nobis panem istum. Adhuc sensibilem intelligentes huiusmodi panem, præ vētris ingluuie hunc petebant, nō semel, sed semper accipere.

Ait illis Iesus, Ego sum panis uitæ. Panis viuificans, & qui vt dictum est dat vitam æternam: nam ea proprie dicitur vita, quæ æterna est: quæ enim ad tempus durat non vita est, sed vitæ imago. Panem autem vitæ, suam vocat diuinitatem: siquidem ipsa panis est qui de cœlo descendit. Tandem verò etiam corpus suum vocat panem.

Qui uenit ad me non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquā.
F Venit quispiam ad eum per fidem: ipsa enim est via ad illum. Non esuriet inquit, fame quæ ab infidelitate procedit, & nō sitiet vnquam, siti quæ ab incredulitate nascitur, sed gratia diuina repletus, & ipse deinceps nullius indigebit, sed aliis potius necessaria subministrabit, docens ac erudiens illos.

Sed dixi uobis, quod & uidistis me, & non credidistis. Vidistis me, siue cognouistis quis ego sim, & à testimonio Ioannis, & à signis quæ edidi, & à testimonio scripturarum quas vobis aperui, sed voluntarie malum operantes non creditis. Quādo autem hoc illis dixit? Verisimile quidem est hoc dictum esse, etsi scriptum non sit.

Omne quod dat mihi pater ad me ueniet. Hoc sermone demōstrat q̄ pater adducit ei credentes. Siquidem dicit & Paulus,

Per quem

Per quem vocati estis in societatem filij eius. Ait ergo, Omne illud ad me veniet, quod dat mihi pater: hoc est, Omnis A
1. Cor. 1
qui datus fuerit mihi à patre, omnis qui deductus ab eo fuerit, hic veniet ad me, hic credet in me, & non quilibet simpliciter. Inde autem confirmat quod vult pater vt credant in eum. Itaque qui in eum non credit, aduersatur dei voluntati. Dat autem & pater filio ducens eos ad fidem eius: & filius patri, adducens eos ad illum per fidem. Verum si venit is ad filium qui datur à patre, culpa ergo carebit qui non venit, vtpote non datus à patre. Sed pater illos dat, in quibus præcedit bona voluntas: neque enim hæc per se facere potest vt credant, absente dei adminiculo, neque illud auxilium, nisi præsens sit & bona voluntas.

Et eum qui uenit ad me, non eiiciam foras. Neque hic, à mea B
familiaritate, neque ibi à regno cœlorum: eum, qui non vtcunque, sed recto animo ad me venit.

Quia descendi de cœlo, nō ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Non vt faciā volūtatem quæ mea est, siue propriam, neq; enim habeo propriam, sed voluntatē eius qui misit me, hoc est cōmunem, quæ & mea est & illius, quorum sicut est vna diuinitas, ita est & vna voluntas. Descēdit autem de cœlo, secundum diuinitatem.

Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi sed resuscitem illa in nouissimo die. Atqui omnes tūc resuscitabit, & qui salui erunt, & qui peribūt, tam fideles, quàm infideles. Sed resurrectionem hoc in loco appellat eam quæ erit ad requiem, non quæ ad supplicium. C
Et ex his ostendit communem esse patris & filij voluntatē, vt omnes salui fiant: ob id nanque & ille misit, & hic aduenit: ille dat credentes, & hic seruat acceptos.

Hæc est autem uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filiū, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitem illum in nouissimo die. Eundem declarat sermonem, frequentius eum inducens, ne facile reiiciatur, & vt firmius discāt futuram es se resurrectionem, ac fidei quæ in ipsum est repēsionem, spiritualiumque certaminum quæ hic tolerantur retributionē, qua si non sunt fruituri in præsenti vita, at saltem in futura. Omnis autem qui videt filium, oculis videlicet fidei, hoc est qui credit in eum.

D *Murmurabant ergo Iudæi de eo quod dixisset, Ego sum panis qui de cœlo descendi: & dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos patrem nouimus & matrem? quomodo ergo iste ait, De cœlo descendi?* Quando panem dedit eis, impleuitque ventrem, & prophetam esse dicebant, & regem creare volebant: vbi vero de cœlesti pane & spirituali cibo, vitaque æterna disseruit, turbabantur, ac genus ipsius attenuabant, de quibus bene dixit Paulus: Quorum deus venter est. Nam fingebant se indignari quod dixisset, De cœlo descendi: quum verius indignarentur quod rursum eos non pauisset sicut sperauerant. Si enim ob illud indignati fuissent, interrogassent vtique quomodo panis esset, quomodo de cœlo descendisset? Christus autem non dixit, Non sum filius Ioseph, neque E quicquam de genere suo docuit, sciens quod illi nondum audire poterant admirandum sui partum, & multo minus æternam sui generationem ac natiuitatem: ideo dispensatorie de his rebus sermonem prætermisit, ne vno offendiculo sublato aliud excitaret.

Respondit ergo Iesus & ait illis, Ne murmuraueritis inter uos. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.

Accessum ad se dicit non qualemcunque: siquidem & illi, & multi alij ad ipsum veniebant: sed cum qui ex fide est. Quod autē dixit, hoc est: Merito nō creditis mihi, neq; enim attracti estis à patre, vtpote indigni: nemo enim potest venire ad me, siue credere in me, nisi pater qui misit me traxerit eū. Nam & superius dixit: Omne quod dat mihi pater ad me veniet: & illius dicti lege enarrationem, quum etiam ad F propositum verbum conferat.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Eum videlicet qui ad me venerit, vel in me crediderit. Rursum ergo repetens, Et ego resuscitabo eum, propriam demonstrat dignitatem, & per talium sermonum frequentiam, carpit illorum insensibilitatem.

Scriptum est in prophetis: Et erunt omnes edocti à deo. Addidit hoc confirmans, quod pater illos attrahat qui ad se veniunt. Omnes, inquit, puta ad eum venientes, & in eum credētes ac volentes: siquidem nullum attrahit nolentem.

Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Qui audiuit intellectuali modo. Ne enim suspicarentur ipsi rudes & crassi

& crassi quòd sensuali modo audiat quisquam à patre, vidēs A eum humano modo, ait:

Non quod patrem quispiam uiderit. Vt sensibiliter ab eo audire possit: Deum enim nemo vidit vnquam. Suprà. 1

Nisi is qui est à deo. Nisi is qui natus est à deo. Hoc enim nunc significat Esse à deo. Et quare id non posuit manifestius? Propter illorum insensibilitatem: si enim quum dixisset, De cœlo descendi, offendiculum passi sunt, quidnam illis accidisset, si id etiam planius dixisset?

Hic uidit patrem. Vtpote eiusdem naturæ, substantiæ, & scientiæ, & qui est in sinu patris. Atqui etiam spiritus sanctus videt eum, tanquam & ipse eiusdem naturæ, substantiæ & B scientiæ, & qui est in patre: sed nondum tempus erat, vt de spiritu sancto doceret: nam qui de filio adhuc non crediderant, nequaquam de spiritu sancto credidissent.

Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Sup. eod Hoc etiam superius dixit, quum ait, Vt omnis qui videt filiū & credit in eum, habeat vitam æternam.

Ego sum panis uitæ. Præterea & hoc in superioribus dixit. Est autem panis vitę tanquam doctrina nutriens animas, vitámque conseruans, & hanc æternam. Paulatim autem hos adducit, ac leniter quæ ad diuinitatem suam spectant, aperit.

Patres uestri comederunt manna in deserto & mortui sunt. Quia in superioribus dixerant, Patres nostri manna comederunt in deserto, nunc comparationem facit inter illud C manna & hunc panem, qui videlicet de cœlo descendit, & est panis vitæ.

Hic est panis qui de cœlo descendit, ut ex ipso edat aliquis & non moriatur. Qui de cœlo descendit, vt nutriat, ac immortales reddat. Deinde sermonem explanat, & docet quis sit panis quem dicit.

Ego sum panis uitæ. Semper viuens ac vitam præbens.

Qui de cœlo descendit. Quo ad diuinitatem. Superius quoque idem de seipso variis in locis dixit, iteratione excitans eos, vt interrogarent, quomodo esset panis viuus seu viuificans, & quonam modo de cœlo descendisset. Verum illi solam ventris curam spectantes, cætera omnia superflua ducebant, quemadmodum prædiximus.

Si quis

D *Si quis comederit ex hoc pane, uiuet in æternum.* Si quis doctrinæ illius particeps fuerit. Nam qui eam participat, ex eo comedit: siquidem & ipsa cibus est animam nutriens. Viuet in æternũ, siue semper, vtpote nunquam moriturus morte animæ: mors autem animæ est separatio à deo, quẽadmodum etiam mors corporis est ipsius ab anima separatio. nam ipsa anima corpus viuificat, animam vero deus. Atqui plures perierunt qui doctrinæ Christi fuerunt participes: sed illi tali participatione male vsi sunt: nũc autem de his est sermo, qui ea bene vsi sunt, non de illis qui eam prauorum commixtione dogmatum, aut conuersationis prauitate corruperunt. Ostẽdit ergo quod præstantiorem illis cibum tribuat, quàm fuerit manna quod comederunt patres eorum in deserto: illi siquidem postquam comederunt mortui sunt: qui vero ex
E hoc edunt, viuent in æternum.

Et panis quem ego dabo, caro mea est. Duobus modis Chri-
Nota. stus dicitur esse panis, secundum diuinitatem videlicet & humanitatem. Postquam ergo docuit de modo qui secundum diuinitatem est, nunc etiam docet de modo qui est secũdum humanitatem. Non autem dixit, Quem do, sed Quem dabo: daturus nanq; erat in vltima cœna, quando sumptũ panem actis gratiis fregit, deditque discipulis, & ait, Accipite, com-
Matt. 26 edite: hoc est corpus meum. Quære ergo sexagesimũ quartum caput euangelij secundum Matthæum: & vbi positum est, In remissionem peccatorum, lege totam enarrationem: ac inuenies quomodo corpus eius sit panis.

Quam ego dabo pro mundi uita. Dabo in mortẽ. Hic enĩ cru-
F cifixionem suam præsignat. Dicens autem, Quam ego dabo, vltroneam fuisse significat huiusmodi passionem.

Decertabant ergo inter se Iudæi dicentes, Quomodo potest hic nobis dare carnem ad comedendum? Turbabantur non potentes sermoni credere, quod hoc impossibile videretur. Nam quũ omnia secundum naturam inquirerent, nihil quod supra naturam erat admittebant.

Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico uobis: nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Illi quidem hoc impossibile iudicabant: ipse vero omnino possibile ostendit: neque id tantum, sed etiam neces-
Sup. 3 sarium: quod etiam fecit ad Nicodemum. Addit autem & de sanguine

de sanguine, significans de pane ac poculo, quæ vt dictum A
est, daturus erat discipulis in vltima cœna. Rursus autem vitam dicit æternam siue beatam.

Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Continue in sermone de sacramentis immoratur, rei necessitatem ostendens, puta quod hoc omnino fieri oporteat.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Crebro sermonem de vita & resurrectione repetit, cupiens eum menti auditorum imprimi. Quæ ergo variis in locis præmisimus, ea nunc in summam colligenda sunt. Ex quo omnes homines resuscitandi sunt, omnesque perpetuo victuri: intelligere conuenit resurrectionem iustorũ quidem, eam quæ erit in fruitione: peccatorum vero, quæ in supplicio. Rursum vitam æternam iustorum, eam quæ erit in requie: peccatorum au- B
tem, quæ in tormentis.

Caro enim mea, uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Verus est cibus, siue aptissimus, vtpote animam, quæ propriissima hominis pars est, nutriens: & similiter de sanguine. Aut hoc dixit, confirmans quòd non ænigmatice neque parabolice loqueretur.

Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. In me manet, vnitur mihi per transumptionem & communicationem meæ carnis meique sanguinis, & vnũ corpus mecũ efficitur, ac particeps vitæ quæ in me est: quod si ille in me est, vtique & ego in illo.

Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem. † Si- †
cut qui semper viuit pater, misit me, ita & ego immutabili- C
ter viuo, eo quod à viuente patre natus sim.

† *In cognitionem nos inducit quod principium habeat, & nõ sit absque principio sicut pater. Aut etiam alio modo: Propter patrem, id est, quia pater uiuit: nisi enim ille uiueret, neque ego uiuerem: quia uero ille uiuit, & ego uiuo: & nisi ille haberet quæcunque habet, neque ego haberem quæcunque habeo. Siquidem nobis omnia sunt eadem, exceptis personalibus proprietatibus.* †

Et qui edit me, ipse quoque uiuet propter me. Quemadmodum ego viuo, quia natus sum à viuente patre, ita & qui edit me, ipse quoque viuet, eo quòd me qui vita sum ederit, vitamque participauerit.

Hic est

D *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Hic, puta qui vitam præstat sempiternam.

Non sicut comederunt patres uestri manna & mortui sunt. Nõ mortui sunt qui illum ederunt, videlicet sicut patres vestri comederunt manna & mortui sunt. Verum sicut hi qui manna illud comederunt, carne mortui sunt, ita & qui panẽ hunc edunt, carne moriuntur. Sed hi soli quum in spe vitæ æternę moriantur, non videntur mori, sed obdormire.

Qui edit hunc panem uiuet in æternum. Merito sermoni de pane ac de vita immoratus est, sciens illum quidem necessarium, hanc vero dulcem hominibus: panem sane corporalem corporalibus, spiritualem autem spiritualibus: similiter & vitam corporalem corporalibus, spiritualem vero spiri-
E tualibus.

Hæc loquutus est in synagoga docens in Capernaum. Multi ergo ex discipulis eius his auditis dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Durus est, hoc est, ægre admitti potest: Hic sermo, puta de ipso comedendo: quis illum potest admittere? Qui vero hoc dicebant, è discipulis quidem eius erant, non tamen è duodecim, sed è septuaginta. Quidam vero ex his fuisse aiunt, qui alias ab eo edocti erant: nam & alij multi frequenter sequebantur illum. Qui ergo descessuri erant, sibi scilicet patrocinabantur, quum potius conuenienti tempore remansisse oportuerit ac obedisse in eo quod difficile videbatur, & non desperasse: nam ita duodecim illi fecerunt.
F Candidi siquidem discipuli est, omnia quæ iubet præceptor absque curiositate excipere, & vbi sese offert opportunitas, verecunde de his interrogare, quæ eius excedunt intelligentiam.

Sciens autem Iesus quod de hoc murmurarent discipuli, ait illis. Hoc uobis est offendiculo? Sane & hoc diuinitatem eius demonstrabat, puta quæ apud illos occulta erant ferre in medium: nam occulte apud se murmurauerant.

Si ergo uideritis filium hominis eo ascendentem ubi prius erat, Deficit, Quid dicetis? Loquitur autem de futura sui in cœlum assumptione. Ascendentem, quo ad humanitatem: vbi prius erat quo ad diuinitatem. Qui enim potest hanc carnem reddere cœlestem, potest vtique & ipsam cibum hominum efficere.

Spiritus

Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Spiritum A
nunc vocat intellectum spiritualem eorum quæ dicta sunt. Similiter & carnem, intelligere ea carnaliter: non enim de carne ipsius quæ viuificat nunc sermo est. Ait ergo, hæc spiritualiter intelligere vitam præbet quam supra dixi: carnaliter vero ea intelligere, non prodest quicquam.

Verba quæ ego loquor uobis spiritus & uita sunt. Spiritualia & viuifica sunt: oportet nanque non simpliciter ea intueri, id enim est carnaliter intelligere, sed aliud quippiam imaginari, & interioribus oculis ea aspicere tanquam mysteria, nam hoc est, spiritualiter intelligere.

Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Nouerat enim ab initio Iesus qui essent qui non crederent, & quis traditurus esset ipsum. Non solum præscientiam, sed & clementiam suam ostendit: B
quia non à tempore quo murmurare cœperunt, verum etiã ab initio cognoscebat credentes, & tamen omnes pariter docebat.

Et dicebat, Propterea dixi uobis, quod nullus potest uenire ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo. Propterea, quia videlicet sunt quidam qui non credunt. Continue autem deum patrem suum nominat, docens quod non sit filius Ioseph, sicut illi putabant.

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrorsum, & iam non cum eo ambulabant. Ex hoc, id est, ab eo tempore, abierunt retrorsum, hoc est, abscissi sunt ab eo, qui videlicet antea murmurabant. Retrorsum autem intellige mihi ad vitam priorem, ad quam reuersi sunt. C

Ait ergo Iesus ad duodecim, Num & uos uultis abire? Non dixit, Abite & vos: nam id repellentis esset, sed blande interrogauit, ostendens sibi opus non esse ministerio illorum, neque se circunducere illos ad ostentationem, quodq; nullum velit inuitum retinere. Sed neq; ægre tulit aut redarguit illos qui retrorsum abierant, veluti facere solemus, ducentes huiusmodi factum, contemptum aut iniuriam: quia omnia gloriæ amore facimus.

Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem abibimus? Petrus fratrum amator, pro fratribus omnibus respondet, Domine ad quem abibimus? vehementem erga illum amorem demonstrans, quòd videlicet neminem habeant quæ ei præponant,

ponant, non parentes, non cognatos, non amicos, & vt semel dicam, neminem inter omnes. Deinde ne hoc dixisse videatur quasi non sit qui eos susciptat, subiunxit.

Verba uitæ æternæ habes. Verba quæ vitam concilient æternam. Vides quòd verba non erant quæ præbuerant offendiculum, sed auditorum segnities: & quia carnaliter ea intelligebant, non spiritualiter. Consequens etenim ac necessarium fuerat, vt illa dicerentur propter Iudæorum de manna sermonem. Oportuit autem auditores aut spiritualiter ea intelligere, aut si id necdum poterant, his primum susceptis, postmodum de his diligenter interrogare.

Et nos credidimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Matth. 16 Tricesimotertio iuxta Matthæum capite dixit idem, Tu es E Christus filius dei viui. Sed tunc quidem Christus illum beatum prædicauit propter causam ibi dictam: nunc vero quia communiter dixit, Nos credidimus & cognouimus, separat ab illis Iscariotem tanquam iam fluctuantem.

Respondit eis, Non ego uos duodecim elegi? Hoc interrogatiue legendum est.

Et unus ex uobis diabolus est. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: nam hic traditurus erat eum, quum esset unus ex duodecim. Num ego vos, inquit, duodecim elegi? & tamen vnus ex vobis in nullo mea adiutus electione, vtpote liberum habens arbitrium ad virtutem & vitium, diabolus est, siue diabolicus, & diaboli ministeR. Significat itaque in voluntate ac electione hominis situm esse vt saluetur aut pereat. Quidam vero diabolum hoc in loco intellexerunt insidiatorem. Nihil ergo nouum quod Iudas quum eligeretur bonam habuerit voluntatem, postea autem sit immutatus, tanquam liberovsus arbitrio.

Cap. 7. *Et uersabatur Iesus post hæc in Galilæa: non enim poterat in Iudæa uersari, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Non enim poterat, id est, non erat securus vt versaretur in Iudæa: tanquam de homine enim hoc dixit euangelista: nam sicut homo nunc formidat, non mortem fugiens, sed homicidis parcens, & quia tempus suæ passionis nondum aduenerat. Siquidem oportebat eum interdum quidem manere inexpugnabilem, vtpote deum, quandoque vero tanquam hominem dispensatorie cedere.

Erat

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. Hic A celebrabatur in memoriam diei quo primum Moses diuinũ Exod. 4 fixit tentorium, quod à Beseleel fabricatum est.

Dixerunt ergo illi fratres eius. Filij Ioseph, qui adoptione pater eius erat.

Transi hinc & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ tu facis. Fingunt quidem de bonis suadere tanquam cognati & amici familiares, finis vero eorum prauus erat, ab inuidia procedens: conabantur siquidem illum in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur qui eum quærebant interficere. Causam autem prætexebant, quòd oporteret discipulos quoque eius qui ibi erant, siue turbas quæ illum in Iudea sequebantur, intueri signa quæ ipse ederet.

Nemo enim in occulto facit quippiam, & quærit ipse palam esse. B Iuxta faciliorem intellectum & qui in promptu est, videntur illum incitare vt trãseat, iuxta profundiorem vero, scommata in eum iaciebant, tanquam in timidum simul & gloriæ cupidum. Siquidem in occulto quidem quippiam facere, timidi est: quærere autem palam esse siue manifestum & gloriosum, gloriæ cupidi est.

Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Si hæc signa vere & non apparenter facis, manifesta teipsum omnibus Iudæis. Suspicabantur nanque signa hæc phantastice fieri. Hinc ergo manifestum est quòd etiam ibi miracula ediderit, quę omnia prætercurrit Ioannes quemadmodum alia multa: festinans magis ad ea quæ nouam aliquam afferebant narrationem, & quorum alij nullam fecerant mentionem. Deinde causam e- C tiam dicit talis suspitionis.

Neque enim fratres eius credebant in eum. Neque ipsi credebant in eum tanquam in deum. Attamen hi qui tunc tales erant, magni postmodũ effecti sunt, multaq; à multis pro illo passi sunt, Iacobus videlicet & Iudas. Quid ergo is qui eorũ corda nouerat? Non reprehendit illos tanquam malos & insidiatores, sed patienter respondet ad intentionem ipsorum.

Ait ergo illis Iesus, Tempus meum nondum adest. Tempus quo conuenit vt ego in Iudæam vadam occidendus ad quod vos laboratis, nondum adest: quid me vrgetis ante huiusmodi tempus?

Tempus autẽ uestrum semper est paratum. Tempus quo vos

in Iu-

D in Iudæam abeatis semper in promptu est. mihi impedimento est tempus quod nondum adest: vobis autem nihil est impedimento, quum iam vnà cum Iudæis sentiatis.

Non potest mundus odisse uos. Vtpote amicos suos & vnà secum sentientes: quia vos ad eum acceditis. Mundum autè dicit Iudæos mundana sapientes.

Me uero odit, quia ego testimonium fero de eo, quod opera eius mala sint. Mihi autem inimicus est, quia ego ostendo quod opera eius mala sint: ideo ego nunc non accedo ad ipsum occidendus, sed quum tempus aduenerit. Ostendit ergo quod ob id potius oderant ipsum Iudæi quod illos argueret quanquam ipsi dicerent se eum odisse quod legis transgressor esset, deoque contrarius: & quod non solum sabbathum solueret, sed & patrem suum diceret deum, æqualem sese faciens deo. Tu vero mihi considera quàm mansuete tulerit fratrũ consilium quo insidiis appetebatur. Nos vero non ita, sed statim indignamur ac molestè ferimus, omnibusq; modis tales vlciscimur: quo ergo pacto discipuli eius erimus?

Vos ascendite ad diem festum istum. Hoc est, prædictum, puta scenopegiorum. Vos qui amici estis Iudæorum, qui periculum nullum timetis.

Ego nondum ascendam ad diem festum istum. Non dixit, Nõ ascendam, sed nondum ascendam, hoc est, non nunc ascendam, eo quòd nunc viuat ac vigeat excandescentia Iudæorum. Irrationalis nanque temeritatis est sese in manifestum coniicere periculum.

Quia tempus meum nondum impletum est. Tempus vitæ meæ qua in terra viuo. Quanquam enim circa futurum pascha crucifigendus erat: adhuc tamen oportebat miracula operari ac docere, multosque ad fidem attrahere. Non est ergo sermo timoris, sed dispensationis: nam si tunc in Iudæam abiisset, omnino ipsum occidere tentassent: quod si captus tanquam homo occisus fuisset, datum fuisset impedimentum his quæ dicturus aut facturus erat: si vero non fuisset captus sed tanquam deus euasisset, incarnationi eius non fuisset habita fides. Tempus itaque debito modo disponit.

Hæc autem quum illis dixisset, mansit in Galilæa: ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum. Cum eis non ascendit propter dictam causam, & ne manifestarent eum Iudæis:

dæis: postmodum autem ascendit, quum iam furor illorum reprimi inciperet, vt scirent qui timorẽ eius arguebant, quod timidus non esset, sed congrua dispensatione vteretur.

Non manifeste, sed uelut in occulto. Quasi latenter: adhuc enim verebatur, expectans donec perfectè deferbuisset ferocitas illorum, & ne cognosceretur etiam à fratribus suis.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo. Pulchra sane illorũ opera in diebus festis, quum illos cædis faceret occasionem. Quũ enim in festo occidere eum proposuissent, vtpote tunc etiam aduenturum propter publicum conuentum, eo non inuento hinc inde errabant.

Et dicebant, Vbi est ille? Neque eum suo nomine volebant appellare propter odium: ostendit tamen sermo quendam iræ tumorem.

Et murmur multum de eo erat in turbis. Turbatio & contradictio.

Quidam sane dicebant, Bonus est. Qui videlicet mente corrupti non erant.

Alii uero dicebant, Non, sed seducit mundum. Qui mente corrupti erant. Mundum autem dicit multitudinem.

Nullus tamen de eo palam loquebatur propter metum Iudæorum. Nullus eorum qui dicebant, Bonus est, loquebatur de eo palam, siue audientibus magistratibus, propter timorem illorum.

Quum autem iam dimidium festi peractum esset, ascendit Iesus in templum & docebat. Ascendit quidem quum cognouisset extinctam esse illorum ferocitatem. Docebat autem ostendens sui admirationem. Postquam dimidium festi peractum erat, quarto videlicet die scenopegiorum: nam septem diebus illa celebrabant.

Et mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas nouit quum non didicerit? Admirabantur non ea quæ docebat, sed quomodo literas nosset, quum non didicisset. Considerabant enim ea quæ docebat omni sapientia esse plena: nec talia eum posse docere existimabant absque cognitione literarum. Oportuit autem cognoscere quòd deus esset ipsa sapientia, & qui omnem adinuenerat viam prudentiæ. Baruch. 3

Respondit eis Iesus & ait, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Quod dicit mea, veritatem ostendit: quod autem

Dait, Non mea, dispensationem ad honorandum patrem ac deum, & ad ostendendam modestiam, vtq; facilius ipsa reciperetur. Neq; tamen ob id falsum est, quia dispensatorium: Nam quæ filij sunt, omnino sunt & patris: sicut etiam quę patris, omnino sunt & filij: vtraq; enim sunt ambobus communia, vtpote æqualibus. Alio quoque profundiore intellectu. Quæ mea apparet esse doctrina, non est mea propria, neq; enim vllam habeo propriam, sed patris est, vtpote illo eadem per me docente, propter naturæ ac voluntatis identitatem: & quia verbū illius sum, quanq; enim ego alia sim hypostasis, ita tamen dico ac facio omnia, vt nos vnum esse intelligatis.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex deo sit, an ego à meipso loquar. Voluntatem dei vocat nunc operari virtutem, & prophetiis quę de ipso sunt attendere: virtus siquidem purgat mentem, prophetię vero ipsam lucide docent. A seipso autem loquitur, qui ea quæ suæ sunt voluntatis loquitur. Deinde etiam syllogismum inducit, cui nullatenus possit contradici.

Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui uero quærit gloriam eius qui misit illum, hic uerax est. Gloriam intelligit hoc in loco honorem: nam vbiq; patrem ac deum præponebat, & ad illum omnia referebat, etiā propria opera: qui ergo gloriam suam nō quærebat, quam ob causam aliena docturus erat: qui autem aliena non docet, sed quæ illius sunt qui misit ipsum, omnino verax est. Et vide quomodo omnes ad fidē quæ in se est attrahebat, ac dicebat, Qui non honorat filium, nō honorat patrem qui misit illum siquidem ex hoc propriā gloriam quærere videbatur: non tamen quasi propriæ amator gloriæ hæc dicebat aut faciebat, sed quasi hominum cupiens salutem: nam hanc per fidem quæ in ipsum erat procurare oportebat. Pater nanq; dixit, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est, ipsum audite, aliaq; multa huiusmodi per prophetas.

Et iniustitia in illo non est. Neque enim iniustus est, qui eius quærit gloriam qui misit illum. Quidam autem iniustitiam hoc in loco mendacium intellexerunt. Plurimæ itaque erant causæ cur humilia Christus loqueretur: tum ne ingenitus esse putaretur: aut deo contrarius crederetur: ad hæc propter auditorum imbecillitatem: præterea vt homines docerent modestos esse, & nihil de seipsis magnificum dicere: demum vt tanquam homo loqueretur, ac propter alia huiusmodi. Vnica autem causa erat cur sublimia loqueretur, celsitudo videlicet diuinitatis. Quia vero hi Iudæi duo crimina ipsi impingebant, puta legis transgressionem, & quod deo esset contrarius: quod sabbathum solueret, ac patrem suum diceret esse deum, æqualem sese faciens deo, veluti septimo capite prædictum est. De vno quidem ibi respondit eis, ostenso quod deo contrarius non esset: de altero autem nunc respondet, & ostendit illos potius esse legis transgressores.

Nonne Moses dedit uobis legem? Legem vniuersaliter appellat legalia præcepta, quę dedit Moses, quum à deo ipsa detulisset, & ea illis scripsisset. Interrogat ergo, Nonne Moses dedit vobis legem, quem honoratis, & pro quo belligeratis, cui loquutus est deus?

Et nemo uestrum facit legem. Facit, siue seruat. Deinde etiā addit quomodo non seruent legem.

Quid me quæritis interficere? Quum lex dicat, Non occides, quid me occidere nitimini: neque legem seruantes, neq; Mosen veriti, qui eam vobis tradidit? impudentiæ siquidem est legis accusare transgressores alia legis transgressione.

Respondit turba & ait, Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Hoc dicit turba volens rem gratam præstare magistratibus, & eum qui omnem excedit honorem iniuria afficiunt, in gratiam primatū qui iniuria digni erant. Negant autem se illi procurare cædem, propter sceleris grauitatem: & vt incaute deinceps ambulans, traderetur insidiatoribus.

Respondit Iesus & ait illis, Vnum opus feci, & omnes miramini. Vnum opus dicit illius in sabbatho curationem qui triginta & octo annos in infirmitate vixerat, de quo septimum narrat caput. Et omnes miramini, siue turbamini, aut tumultuamini: nam hi erant qui ex eo tempore insanientes quærebant eum interficere. Deinde ait, Moses tradidit vobis circuncisionem & sabbatho circuncidunt, quando videlicet octauus infantis dies sabbatho occurrerit. Iam ergo argumentatur. Si sabbatho circunciditur homo, quomodo ergo de circuncisionis opere Mosen non accusatis, quòd opus fieri præceperit in sabbatho?

Propterea Moses dedit uobis circuncisionem, non quod ex Mose sit, sed

D *sit, sed ex patribus: & in sabbatho circunciditis hominem.* Dictio Propterea, non est hic causæ redditiua, sed vulgari modo ac superfluè Hebraico more ponitur. Dicit ergo, Moses tradidit vobis circuncisionem, & in sabbato circunciditis hominem. Quæ autem in medio sunt verba addidit, ostendens quòd licet Moses illam tradiderit, attamen ante illum fuerat. Ait enim. Non quod ex Mose sit. Tradidit vobis illam, nõ quod à sua legislatione principium sumat: non quod tunc incepe-
Genes. 17. rit: sed ex patribus est, qui tempore Abraham fuerunt: nam illi primum data est in præceptum: & tamen quum aliunde ascititia videatur, firmior sabbatho efficitur.

Si circuncisionem accipit homo in sabbatho ne lex Mosis soluatur, mihi indignamini quod totum hominem sanum fecerim in sabbatho.

E Vt non contemnatur lex Mosis quæ de circuncisione est. Ipsam autem dixit Mosis tanquam ab eo traditam sicuti diximus. Ait ergo, Si circũcisionem accipit homo in sabbatho, mihi irascimini quòd totum hominem sanum reddiderim in sabbatho: quum Mosi non sitis indignati, qui ante me permisit circuncisionem fieri in sabbatho? Totum autem hominem dixit: nam quum totum eius corpus paralysi dissolutum fuisset, totum reddidit sanum. Aut ostendit quòd non corpus tantum, sed & animam eius curauerit.

Nolite iudicare secundum aspectum. Ne iudicaueritis ex acceptione personarum, illi quidem tanquam apud vos magno & præclaro remittentes accusationes, me vero quasi vilem & inglorium accusantes.

F *Sed iusto iudicio iudicate.* Non ad personas spectantes, sed ad res ipsas. Item & aliter. Circuncisio quidem solum Hebræis signum erat: quod autem à me factum est, integra fuit sanitas ac veritas eius quod significabatur.

Dicebant ergo quidam ex Ierosolymitis, Num hic est quem quærũt occidere? Et ecce palam loquitur, & nihil illi dicunt. Siquidem silentium illis imposuerat.

Num uere cognouerunt principes quod hic uere Christus sit? Tunc enim & principes in turba erant.

Sed hunc nouimus unde sit, Christus uero quum uenerit, nemo cognoscit unde erit. Atqui principes vestri interrogati ab He-
Matth. 2. rode, vbi nasciturus esset Christus, dixerunt ei, In Bethlehem Iudææ: quin & prophetiam quæ hoc significaret addiderunt:

derunt: quomodo ergo nugamini, dicentes quod Christus A
quum venerit nemo cognoscit vnde erit? Præterea si hunc nostis vnde sit, quo modo quidam ex vobis dicunt, Hunc non nouimus vnde sit? Hoc modo malitia nõ intelligit quod Infra. 9.
sibiipsi contradicat ac plane mentiatur: nam est quędam animæ ebrietas. Quod si quis dictum illud. Vnde sit, non de loco & patria, sed de genere & patre intellexerit, dicere poterit eos dixisse: Huius quidem genus & patrem nouimus, puta Ioseph, vt credebatur: Christi vero genus & patrem nemo cognoscit, eo quod non sint hæc literis prodita, vt dici possit.

Clamabat ergo Iesus in templo docens ac dicens, Et me nostis, & nostis unde sim. Clamabat confundens eos, dum illi de industria male agerent: simul etiam omnibus manifestans quæ B
ab ipsis occulte dicebantur. Dicit autem, Et me nostis quis sim, quia deus: & nostis vnde sim, quia à patre deo: quanquã vos scire fingatis, quod à Ioseph sim progenitus. Dicebat autem quòd illi ipsum nouerant à testimonio Ioannis, de quo dixit, Alius est qui testimonium perhibet de me: ab operi- Supra. 5.
bus suis, de quibus ait, Ipsa opera quę ego facio testimonium perhibent de me: & à scripturis, de quibus similiter ait, Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et quomodo dixit vicesimo iuxta Matthęum capite, Nemo nouit filium nisi Matth. 11
pater? Quia illud de natura diuinitatis suæ dixit, hoc autem simpliciter de notitia quod deus sit deiq; filius.

Et à meipso non ueni. Etiam hoc, inquit, nostis: nam & id prædicta docent testimonia, & maxime quia gloriam propriam non quæro, sed gloriam eius qui misit me. C

Sed est uerax qui misit me. Pater ac deus qui videlicet misit me, sicut promiserat per prophetas: quod si verax est qui misit, vtique & verax est qui missus est, quum eiusdem sint naturæ.

Quem uos non nouistis. Vtpote negantes illum operibus. Ait enim & Apostolus, Confitentur se nosse deum, factis au- Titum. 1.
tem negant.

Ego autem noui eum, quod ab ipso sim. Quia ex ipso sum, ex ipso natus sum. Nam & in superioribus dixit, Non quod patrem quispiam viderit, nisi is qui à deo est.

Et ille me misit. Continue de missione loquitur, volens il

dis persuadere, quòd à deo missus esset, nec deo contrarius esset, sicut antea diximus. Simul etiam ad medendum diuinis verbis quibus illos offenderat, quæ frequenter verbis humano more dictis permiscebat.

Quærebant ergo eum apprehendere. Nam ægre audierant dicentem, Quem vos non nouistis.

Et nemo in illum misit manum. Tenebantur siquidē ab vnita ipsi diuina virtute.

Quia nondum uenerat hora eius. Quā teneri ac pati decreuerat.

Multi autē ē turba crediderunt in illum. A prædictis signis, & à sermonibus modo dictis capti.

E *Et dicebant, Christus quum uenerit, num plura faciet signa iis quæ hic fecit?* Crediderunt quidem, non tamen perfectē: nam dicentes, Christus quum venerit, ostendebant se non firmiter credidisse eum esse Christum, sed dubio modo, vtpote abiecti & leues. Aut id ex suppositione dixerunt: Ponamus postmodum venturum esse Christum, veluti dicunt principes sacerdotum: Christus ille quem ipsi dicunt, quum venerit, num hoc magis admirandus erit? nequaquam.

Audierunt pharisæi turbam hæc de illo murmurantem. Audierunt, sequentē videlicet die. Murmurantem vero, siue cum murmure aduersus principes loquentem.

F *Miseruntq; ministros pharisæi ac principes sacerdotum, ut apprehenderent eum.* Tanquam commouentem populum ad seditionem. O dementiam, magis autem insaniam. Quum ipsi frequenter tentassent nec potuissent, ministris rem commiserunt: vt de furore cōsolationem acciperent, suam autem imbecillitatem occultarent.

Dixit ergo Iesus: Adhuc modico tempore uobiscum sum. Multitudini quidem loquebatur: intendebat autē ad ministros qui missi erant: est enim placationis verbum ad correptionem insaniæ illorum, Adhuc modico tempore vobiscum sum, significans tempus vsque ad pascha: hoc ergo solum expectate.

Et uado ad eum qui misit me. Quum assumar in cœlum.

Quæretis me, & non inuenietis. Siquidem verisimile est, quod multi eorum recordati ipsius, quæ fierunt eum auxiliatorem, & maxime dum Ierosolyma caperentur,

Et ubi

Et ubi ego sum, eo uos non potestis uenire. Vbi tunc ero. Significat autem sessionem ad dexteram patris. A

Dixerunt ergo Iudæi inter sese, Quonam hic iturus est, quod nos non inueniemus eum? num in dispersionem Græcorum iturus est, & docturus Græcos? Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis, & ubi ego sum, eo uos nō potestis uenire? Affecti quodammodo sunt ad sermones eius quibus placabātur, & quęrunt inter sese, non intelligentes ea quæ dicebantur. Dispersionem verò Græcorum dicebant Gentes, quæ vbiq; terrarū dispersæ erant, & nullo prohibente inter se cōmiscebantur, quum ipsi solam inhabitarent Palestinam, & à lege prohiberentur cæteris commisceri gentibus.

In postremo autem die magno festi stetit Iesus & clamauit, Si quis sitit ueniat ad me & bibat. Primus ac postremus dies dicti festi scenopegiorum magni habebantur, quia in his studiosius in vnum collecti diuinis vacabant, eos qui in medio erant in delitiis consumentes. Tunc ergo quum vnusquisque completo iam festo in domum suam recessurus erat, decreuit volentibus dare viaticum ad salutem: & clamauit, ostendens qua libertate loqueretur, & vt omnes audirent: multi enim erāt. Dixit autem, Si quis sitit, siti doctrinæ, veniat ad me & bibat potionem spiritualem: neque enim eos conuoco, qui non sitiunt, sed qui ardenter appetunt huiusmodi potionem. B

Qui credit in me sicut ait scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Ventrē hic dicit cor: veluti quū dicitur, Et legē tuam in medio ventris mei: flumina vero aquæ, spiritus abūdantiam, diuinæ gratiæ plenitudinem: Viuæ autem, hoc est semper operantis, semper motæ: nam quum diuina gratia animæ insederit, fons efficitur, semperque scaturit. Petrus siquidem & Paulus, & quotquot illorum similes fuerunt, diuinam gratiam in corde inundantem habentes, non flumen, sed flumina concipiebant, multo fluxu scaturiētia. quæ quicquid accederet attrahebant, & infidelium vaniloquia vndis obruebant ac demergebant. Quinto autem capite dixit ad Samaritanam, Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: & ibi rursum lege similium verborum enarrationem. Post dictum autem, Sicut ait scriptura, ponenda est distinctio. Multifariam enim præcepit scriptura credere in illum. Psal. 21. C Supra. 4

D *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eũ.* Hoc, puta, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. De spiritu vero, siue de spiritualibus gratiis.

Nondum enim erat spiritus sanctus. Nondum erat in illis qui in ipsum credebant: nondum datus erat discipulis eius.

Quia Iesus nondum erat glorificatus. Quia nondum glorificatus erat per crucem: nam crucem vocat gloriam, siquidem quum cæteris omnibus esset opprobrium, vtpote magnorũ criminum supplicium, soli Christo gloria facta est: vltio videlicet magni amoris quo nos dilexit. Quis namque, modo grato sit animo, audito quòd is qui omnem excedebat honorem, tantam propter hominum salutem sustinuit ignominiam, non glorificabit eum? Ante crucem itaque discipulis E non dedit spiritum sanctum, sed potestatem spirituum immundorum, vt illos eiicerent, & curarent omnem morbum omnemq; languorem: post crucem verò dedit spiritum sanctum. Quum enim peccassemus ac deo aduersati fuissemus, inimici eius eramus: gratia vero spiritus sancti, donum est, donum autem amicis datur: oportebat ergo primum offerri pro nobis victimam, fieriq́ue reconciliationem ac inimicitiæ solutionem, quæ erat cædes agni rationalis ac mors Christi: & tunc donum dari.

Multi ergo ex turba audito sermone dicebant, Hic est uere pro-
phetа. De quo scripsit Moses, vt sæpe diximus. Et vere hic
ute. 18. erat: sed ipsi simpliciter eum prophetam esse opinabantur
F sicut Mosen, & non tanquam deum.

Alii autem dicebant, Hic est Christus. Et vere hic erat: sed & hi nudum hominem esse existimabant.

Alii uero dicebant, Nunquid à Galilæa uenit Christus? Atqui neque hic in Galilæa natus est.

ich. 5. *Nonne dixit scriptura quod ex semine Dauid, & de Bethlehem ca-*
stello ubi erat Dauid uenit Christus? Atqui & hic inde erat: sed ipsi voluntaria malitia patriã huic diuulgabãt esse Nazaret, vnde erat mater, & qui putabatur pater eius, ne si ex Bethlehem esse diceretur, ppter pphetiã Christus esse crederetur.

Seditio itaque orta est in turba propter eum. Vnaquaq; parte pro sua opinione rixante.

Quidam autem ex ipsis uenerunt ut apprehenderent eum. Tanquam seductorem videlicet.

Sed nullus

Sed nullus misit in eum manus. Vtpote inuisibiliter cohibi- A
tas, veluti superius ostensum est.

Venerunt ergo ministri ad principes sacerdotum ac pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri, Nunquam homo sic loquutus est sicut hic homo. Abierũt quidem eum ligaturi: reuersi sunt autem admiratione sermonũ eius alligati. Illi ergo qui miserant, quum multos eius audissent sermones, multaq́ue vidissent miracula, ac prophetias de eo legissent, iudicantes sese sapientes, nihil profecerunt: qui verò missi erant, omnino ediuerso ab vna concione capti sunt: nam mentem habebant incorruptam. Non ergo mentem solum ac prudentiam eorum admirari dignum est, sed & loquendi libertatem. Neque enim dicunt, Dimisimus il- B
lum ne fieret dissensio in populo, neque aliam fingunt excusationem, sed ipsam dicunt veritatem, ac illius prædicant sapientiam.

Responderunt ergo illis pharisæi, Num & uos seducti estis? Vide inuidiæ dementiam. Nam quum interrogare oportuisset, ac dicere quid loquutus esset, ipsi nihil horum præstolãtur, sed statim eis adulantur: parcentes etiam & non austeris verbis vtentes: timebãt enim ne perfecte illi adhærerent.

Num quis ex principibus credidit in eum aut ex pharisæis? sed tur-
ba hæc quæ non nouit legem. Quin hæc maior est vestri accusatio, quòd turba credidit, vos autem non credidistis. Legem verò simpliciter appellant totam sacram scripturam.

Execrandi sunt. Atqui lex illos execratur, qui legem con- C
temnunt: vos ergo execrandi, qui legem contemnitis: illi verò legem seruant credentes in eum: iubet namque lex credere in deum.

Ait Nicodemus ad eos, is qui uenerat ad ipsum nocte, quum esset
unus de numero eorum, Num lex nostra condemnat hominẽ, nisi prius
audiuerit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Addidit euangelista, Quum esset vnus de numero eorum: ostendẽs quòd etiã quidam è principibus crediderant: licet ipsi dicerẽt nullum ex principibus credidisse in ipsum. Arguit ergo eos Nicodemus, quòd legis essent transgressores: occulte tamen & paucis verbis: nondum enim conuenientem adeptus erat loquendi libertatem. Nam si non condemnat lex priusquã audiat & cognoscat: ipsi verò condemnabant eum antequã audissent

D dissent & cognouissent, legem vtiq; transgrediebantur.

Responderunt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? Num ideo illi es auxilio quòd eiusdem sis regionis & patriæ? Vide quàm aspere ac ferociter respondeant.

Scrutare & cognosce, quod ex Galilæa propheta non surrexerit. Sane illum sine discussione condemnare non oportebat: ipsi verò iniuriosè dicunt: Interroga & disce, neque enim nosti scripturas. Verum si eas non nouit, quomodo vos de legis Nota. transgressione arguit? Scire autem oportet, quòd ea quæ ab hoc loco habentur vsque ad eum quo dicitur, Iterum ergo loquutus est illis Iesus dicens, Ego sum lux mundi: in exactioribus exemplaribus, aut non inueniuntur aut obelo cō-
E fossa sunt, eo quòd illegitima videantur & addita. Et huius argumentum est, quòd nullus ea sit interpretatus: nobis tamen animus est etiam hæc declarare, quòd vtilitate non careant, sicut & Caput de muliere in adulterio deprehensa, quod inter hæc ponitur.

Et abiit unusquisque in domum suam. Indignati ob sermonem Nicodemi, ac timentes ne forte etiam quispiam alius similia diceret.

Iesus autem perrexit in montem Oliuarum. Declinans no- ap.8. cturnas insidias.

Summo uero diluculo iterum uenit Iesus in templum, & omnis populus uenit ad eum: sedensque docebat illos. Populum hic appel-
F lat eos qui dicebant, Hic est vere propheta: itemque eos qui dicebant, Hic est Christus: quod non ferentes Iudæi, vide quid malignentur.

Adducunt autem scribæ & pharisæi mulierē in adulterio deprehensam: quumque statuissent eam in medio, dixerunt ei tentantes, Magister *hanc inuenimus actu adulterium perpetrantem.* ἐπ' αὐτοφώρῳ, hoc est manifeste & deprehēse, ita vt negari nō possit.

In lege autem præcepit nobis Moses, ut huiusmodi lapidarentur: tu ergo quid ais de illa? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut haberent occasionem aduersus illum. Cognoscentes enim eum misericordem esse ac compatientem, cogitabant quòd esset illi parciturus: & ita habituri essent aduersus eum accusationem, vtpote legis transgressione illi parcentem, quæ secundum legem lapidanda erat.

Iesus uero deorsum inclinatus, digito scribebat in terra. Quod frequen-

frequenter facere solent, qui respondere nolunt importuna A
indignaq; rogantibus: cognita enim illorum machinatione fingebat se in terra scribere, nec his attendere quæ dicebāt.

Quum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & ait illis: Qui uestrum sine peccato est, primus in illam iaciat lapidem. Vide sapientiam eius qui ipsa est sapientia. Nam sagaciter illorum decepit machinationes: simul & seruando legem & parcendo mulieri. Siquidem ei qui ex ipsis à peccato immunis esset, permisit, vt eam lapidare inciperet: sciens omnes peccatis esse obnoxios.

Rursumque inclinatus scribebat in terra. Vt dum ipse in eos non respiceret, erubescerent lenius redarguti: vtque ita illo in scribendo occupato, liceret eis sensim abscedere, antequā B
manifestius condemnarentur: nam sua summa benignitate etiam ipsis parcebat.

At illi quum audissent, singulatim alius post alium exibat: initio facto à senioribus usque ad postremos. Nullus enim seipsum à peccato immunem dicere poterat.

Et relictus est Iesus solus ac mulier quæ in medio erat. Quum autem erexisset se Iesus uidit eam & ait, Mulier ubi sunt accusatores tui? nemo te condemnauit? Recedentes namque dimiserant eam intactam, vtique non condemnatam, quòd ad se pertinebat, alioqui oppressissent eam.

Quæ dixit, Nemo domine. Ait autem Iesus, Neq; ego te condemno. Nam si illi quum homines sint te non cōdemnauerūt, multo magis ego qui deus sum, legisq; dominus, te nō condemno. C

Abi & iam posthac ne peccaueris. Satis enim erat talis diuulgatio, & corā tot aduersariis erubescentia pro supplicio: maxime quum sciret, quòd illam totò corde pœniteret.

Iterum ergo loquutus est illis Iesus dicens, Ego sum lux mundi. Vtpote mentem hominum illuminans, & ab errore ducens ad veritatem, à peccato ad virtutem: & tanquam illustrans ac exhilarans animas eorum: quemadmodum in procemio præsentis euangelij disseruimus, vbi dicitur, Et vita erat Supra.1. lux hominum. Hoc autem dixit propter diuersas de se opiniones illorum.

Qui sequitur me nō ambulat in tenebris. In errore & peccato.

Sed habebit lucem uitæ. Aeternæ.

Dixerūt ergo ei pharisæi: Tu de teipso testimoniū perhibes, testi-

monium tuum

monium tuum non est uerum. Respondit Iesus & ait illis, Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, uerum est testimonium meū. Quere circa media septimi capitis, vbi dicitur, Si ego testimoniū perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: in illius siquidem enarratione etiam huius facta est mentio. Quidam vero aiunt, quod illud tanquam homo dixerit, hoc autem tanquam deus: ostendens se non nudum esse hominē prout ipsi supicabantur.

uprā.5

Quia ego scio unde uenerim. A patre deo.

Et quo uado. Ad eundem ipsum, post finem huius dispensationis. Quia vero scio quod à patre deo venerim, & ad eum ipsum vado, vtique filius dei sum & deus. Itaque fide dignus sum & ipsa fides, sicut & ipsa veritas.

E

Vos autem nescitis unde uenio, & quo uado. Nescitis, sicut ostenditis, sicut simulatis, hoc est nescire videmini, in veritate tamen scitis: ideo etiam superius dixit, Et me scitis: & vnde sim scitis.

Vos secundum carnem iudicatis. Carnaliter, sensualiter, crasso modo, ad id solum quod apparet intuentes, nihilq; sublimius ac spirituale cogitantes. Sciens autem eos dicturos, Et quare, si potes, non punis nos qui ita iudicemus, ait:

Ego non iudico quenquā. Non iudico nunc. Nam & in superioribus tertio capite dixit, Non enim misit deus filiū suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: & rursum lege dictam ibi enarrationem. Ne autem iterum dicant, Propterea dicis, Non iudico, quia nos condēnare non audes, infert:

uprā.3.

F

Quod si etiam ego iudicem, iudicium meum uerum est. Verum est, siue rectum, & iam vere condemno vos. Deinde etiam dicit quomodo verum sit iudicium suum.

Quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Quia solus non sum qui iudico, sed ego & pater: siquidem omnia nobis sunt communia: & quia quod ego iudico, hoc & pater: vna enim ambobus est voluntas vt prædictum est: & pater vos condemnat, qui non credatis filio suo quem ipse misit.

ut.19

Porrò in lege uestra scriptum est quod duorum hominum testimonium uerum est. Vestra quemadmodum vos iactatis: nam me transgressorem dicitis. Quod si duorum hominum testimonium verum est, inde colligere ipsi potestis, quod multo magis duo-

gis duorum iudicum iudicium verum est & maxime talium. Huiusmodi autem obscura frequenter loquitur propter eorum imbecillitatem: vt illis quidem occulta sint, robustioribus vero Christianis manifesta. In omnibus ergo similibus causam hanc agnoscito.

A

Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso. Rursum ad id quod dixerant, Tu testimonium perhibes de teipso, hunc fecit sermonem dicens: Ego testimonium perhibeo de meipso, etiam si nemo perhibeat de seipso, ego siquidem tanquam deus: nemo autem tanquam homo.

Et testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Si ego vobis fide dignus non videor. Fert autem testimonium dicēs per prophetam. Posui te in lucem gentium: siue, vt lux sis gētium. Prædictum est autem septimo etiam capite, quomodo pater de ipso ferat testimonium, vbi dicitur, Et qui misit me pater ipse testimonium perhibuit de me.

Iesa.49. Suprā.5

B

Dixerunt ergo ei, Vbi est pater tuus. Dicebant hoc fingentes se ignorare quemnam diceret patrem, ac tentantes.

Respondit Iesus, Neque me nostis, neque patrem meum. Quēadmodum simulatis: nam in veritate nostis, quemadmodum superius ostensum est. Aut hoc dixit, quia simulabant se scire quod filius esset Ioseph. Dicit ergo, Si me ita cognoscitis vt fingitis, neque me nostis: non sum enim filius Ioseph: neque patrem meum, nam Ioseph non est pater meus.

Si me cognouissetis, & patrem meum utique cognouissetis. Nā vnius sumus ambo naturæ. In decimosexto etiam capite dixit ad Philippum, Qui vidit me, vidit & patrem, siue cognouit, intellexit. Nam visionem & cognitionem dicit non sensibilem sed intelligibilem. Sed quia me non nosse vos simulatis, consequens etiam est, vt & patrem meum vos non nosse fingatis.

Inf.14

C

Hæc uerba loquutus est Iesus in gazophylacio. Hæc verba libere dicta. Significauit autem locum, ostendens dicendi libertatem ipsius doctoris. Gazophylacium vero thesauri repositorium erat, de quo latius diximus quadragesimoprimo iuxta Marcum capite.

Mar.12

Docens in templo. Publicè: nam in templo etiam erat gazophylacium.

Et nemo apprehendit eum. Quum ita libere loqueretur.

Quia

D *Quia nõdum uenerat hora eius.* Qua cõprehẽdi & capi posset. Adhuc enim oportebat eũ miracula operari ac docere, multosq; ad fidem attrahere, sicut in præcedẽtibus diximus.
up.7 Continue autẽ hoc dicit, ostendens quod frequenter id tentantes nõ potuerunt, & quod nunquã potentiores ad eũ apprehendendum fuissent, nisi ipse voluisset.

Dixit ergo eis iterum Iesus, Ego uado. Transeo à terrena vita.

Et quæretis me. Etiam superius hoc dixit, & ibi declaratum est.

Et in peccato uestro moriemini. Ego veni vt vos liberarem ab omni peccato vestro: quia vero noluistis, iam abeo, & deinceps in omni peccato vestro moriemini, q̃ ab eo liberari
E nolueritis. Peccatum autem intellige etiã id quod aduersus ipsum erat, quia interfecturi ipsum erãt, in quo mortui sunt, nẽpe propter illud iugulati à Romanis Vespasiano & Tito.

Quo ego uado, uos non potestis uenire. Hæc frequenter dicit, animas illorum concutiens & exterrens.

Dicebant ergo Iudæi, Num interficiet seipsum? quia dicit, Quo ego uado, uos non potestis uenire. Quod optabant, hoc etiam suspicabantur. Quid ergo Christus? Tollit huiusmodi suspitionem, ostenditq; quod peccatum sit seipsum interimere.

Et ait illis, Vos ab infernis estis. Ex terra, non quod corpus eorum terrenum esset, sed quia prudentia illorum esset ter-
om.8 rena & praua. Nam & Paulus dicens, Non estis ex carne: car-
F nem appellat prudentiam carnalem.

Ego de supernis sum. De cœlo: non quod ipse de cœlo veniisset, sed quia prudentia eius cœlestis esset ac diuina. Deinde sermonem suum explanat.

Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. Mundum hic dicit mundanã, prauam, ac terrenam prudentiã. Quẽadmodum enim Spiritus dicitur spiritualis sapientia, & Caro, carnalis: ita & Terra ac Mũdus, terrena ac mũdana. Ait ergo, Ego nõ sicut vos sapio, vt meipsum interficiam.

Dixi ergo quod in peccatis uestris moriemini. Adhuc eos exterret volens persuadere.

Si enim non crediderit is quod ego sim, moriemini in peccatis ue-
tr.16 *stris.* Si nõ crediderit is quod ego sim, videlicet Christus filius dei, moriemini in peccatis vestris, detenti ab eis. Nã qui non

nõ crediderit, & per baptismũ à sorde peccati ablut⁹ fuerit, A omnino in illa morietur, & cum ea resurgens dabit pœnas.

Dixerunt ergo ei, Tu quis es? Subsannantes hoc dicebant ac tentantes.

Et ait illis Iesus, In primis quod etiam loquar uobis. Defectiuus est sermo iuxta cõsuetum loquendi modum. Tale est autem ac si diceret, Omnino superfluũ est etiam quod vobis loquar: nam omni sermone indigni estis, vtpote tentatores.

Multa possum de uobis loqui & iudicare. Multa de vobis in accusationem dicere possem, & iudicare ad puniendum, sed nunc nolo, quia nec pater meus vult. Prædixit enim, quod non miserit deus filium suum in mundum, vt iudicet mun- Supra 3
dum, sed vt saluetur mundus per eum. B

Sed qui misit me uerax est. Qui misit me, non vt nunc iudicem, sed vt saluem. Aut verax est, quum me lucem mũdi nominauit. Ecce, inquit, posui te in lucem gentium, veluti supe- Iesa.49
rius significatum est.

Et ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Audiui ab eo etiam hoc inter alia, quod ego sim lux gentium: & inter alia etiam hoc dixi, quod ego sim lux mundi. Quod ergo audiui, hoc dixi.

Non cognouerunt, quod patrem eis dicebat. Non cognouerũt q̃ de patre eis dicebat, qui sibi natura pater esset. Verisimile enim est quod dubitãtes inter se rogabant: Quis est qui misit illum? Atqui frequenter eis de illo disseruerat. Vide quo modo sermonibus eius attendebant, imò potius quo modo C
mente capti erant. Merito ergo dixit illis, In primis quod etiam loquar vobis.

Dixit ergo eis Iesus, Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sim. Quum suspenderitis me quasi hominem in cruce, tunc cognoscetis quòd ego sim, videlicet filius dei & deus. Nam tanquam deus dixit, Ego sim. Cognoscetis Nota.
autẽ hoc à signis quę tunc fient, quibus cõtradici nõ poterit, & à resurrectione mea à mortuis, insuper etiam ab ira diuina, quæ tunc genus cõprehendet Iudæorum. Siquidẽ postquam illum crucifixerunt, & stupenda illa signa facta sunt, scribit Lucas, quod oẽs turbæ quæ simul accesserant ad spe- Lucæ.23
ctaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutiẽtes pectora sua reuertebãtur. Cognoscebãt enĩ quod vere diuinus homo esset,

D esset,& illi compateretur creatura : quum autem loqui non auderent propter timorem principum, percutiebant pectora sua,significantes dolorem interiorem. Suspicabātur nanque futurum esse, vt malum aliquod irremediabile propter illum omne genus Iudæorum concuteret. Nam & Centurio,& qui cum eo erant seruātes Iesum,vt ait Matthæus,quū Matt.27 vidissent quæ fiebant,vehementer territi sunt,dicentes,Vere dei filius erat iste.Sed & ipsi principes Iudæorum cognouerunt tunc,quod dei filius erat,& deus,quanquam propriā conculcauerunt conscientiam,nimia inuidia ac insania. Ait enim rursum Matthæus. Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem & renuntiauerunt principibus sacerdotum Matth.28 vniuersa quæ acciderant: & congregati cum senioribus accepto consilio,pecunias multas dederunt militibus dicētes, E Dicite: Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus & cætera. Præterea quoque Iosephus, qui & ipse Iudæus erat peritissimus,scribens calamitates Iudęorum,quæ ab eo tempore cœperunt, ac Ierosolymorum captiuitatem,fatetur propter Christum effusam esse aduersus eos diuinam iram: & occisa esse à Romanis tam multa ipsorum millia. Quia enim quum eos curare vellet, agnoscere eum noluerunt, ideo affecti supplicio, quis esset cognouerunt.

Et à meipso facio nihil, sed ita ut docuit me pater meus,hæc loquor. Nam si illud tunc cognoueritis, omnino etiam hoc scietis,quod à meipso facio nihil, sed omnia quæ vult pater, quum enim æqualis illi sim, hæc volo quæ ille vult : vna siF quidem est voluntas,sicut & vna potentia : & quòd ea quæ docuit me hæc loquor: nam ille mens est,ego autem verbū: Sup.5. de operibus nanque dixit etiam superius, Non possum ego Sup.7 facere à me quicquam : & lege etiam dicti illius interpretationem. De sermonibus vero iterum dixit,Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me : & de hoc etiam lege explanationem.

Et qui misit me mecum est. Ne putaremus quod maior esset is qui misit,curat huiusmodi suspitionem dicens, Et qui misit me mecum est,tanquam inseparabilis. misisse siquidem dispensationis est:esse autem cum eo qui misit,cohærentiæ siue conglutinationis.Nam sancta trinitas quæ æqualiter omnem im-

nem implet locum,à seipsa non secernitur.

Non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Si hoc vt homo ait,tantūdem est ac si dicat: Quod quum deus vbique sit iuxta illud, Nonne cœlum & terram ego impleo ? magis tamen in his esse dicitur, qui eo digni Ierem.2 sunt.Si autem vt deus: propter sanctæ trinitatis inseparabilitatem hoc dicit,quæ propriis quidem distinguitur personis,vnitur autem diuinitatis ac substantiæ identitate. Id vero,Quæ placita sunt ei facio semper, aut tanquam illi obediens secundum humanitatem dicit, aut tanquam illi æqualis secundum diuinitatem acvoluntatem. Quod si ea quę placita sunt ei facio semper,gratum illi vtique est accedentes etiam sabbato curare. Intellige autem quæ depressa sint verba tanquam dispensatoria propter imbecillitatem Iudęo- B rum,sicut in superioribus retulimus: nam huiusmodi magis vulgus attrahebant, sicut & affine exemplum. Vide enim quod sequitur.

Hæc ipso loquente multi crediderunt in eum. Quando ad humiliorem sese demittebat sermonem,tunc credebant:nō tamen vt oportebat credebant, sed vulgari modo credebant humilioribus eius sermonibus,non recipientes sublimiores. Quod sciens Christus,nititur illos corrigere, quod suum est vbique faciens: licet ipsi citius ab eo recedebant,& ad iniurias magis deflectebant.

Dixit ergo Iesus ad eos qui crediderant sibi Iudæos. Ad eos qui tunc vt dictum est crediderant.

Si uos manseritis in sermone meo,uere discipuli mei eritis. Si C vos permanseritis sicut alij non permanserunt,de quibus di- Sup.6. xit euangelista,Multi ex discipulis eius abierunt retrorsum, & iam non cum eo ambulabant. Si vos,inquit, perseueraueritis in sermone meo,siue in doctrina mea, quā ego docebo vos,tunc vere discipuli mei eritis,nondum enim estis.

Et cognoscetis ueritatem. Hoc est,me:ego enim,ait,sum veritas. Cognoscetis à me veritatem. Nam omnia legalia figura,vmbra & imago sunt veritatis.

Et ueritas liberabit uos. A peccatis.

Respōderunt ei,Semen Abrahæ sumus,& nemini seruiuimus unquam: quomodo tu dicis,Liberi efficiemini? Omittentes dicere, Quid ergo,Falsa est lex? falsa ne est Iudæorum scientia?hoc

D quidem non dicunt: neque enim hæc illis curæ fuerunt, sed de iniuria corporalis generositatis indignantur, suspicantes quod tanquam seruis alicuius hominis dixerit ipsis, Liberabit vos. Merito ergo dicebat Ioannes, Ne videamini dicere
Matth. 3. intra vos, Patrem habemus Abraham. Huiusceemodi sane erant Iudæorum gloriationes. Nam quum de propriis virtutibus gloriari non possent, progenitorum nobilitatem opponebant. Quid ergo Christus? Non conuicit eos quod sæpius seruissent Aegyptiis & Babyloniis, aliisque diuersis gentibus: sed hanc quidem prætermisit seruitutem, vt quæ nihil animæ generositati officiat: de peccato vero ait, quod illi nocet, seruituti eam subiiciens, cuius est miserrima seruitus, à qua non alius liberabit præter Christum ac do-
E ctrinam illius.

Respondit illis Iesus, Amen amen dico uobis. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Ostendit quod superius significauerit animæ seruitutem ac peccati, non eam quæ vi humana contingebat. Ne autem dicerent, Moses nos ab hac liberabit: per similitudinem ostendit, quod quum sit ille seruus, talem non habeat potestatem: sed ipse, vtpote filius.

Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Seruus non accipit in hæreditatem domum domini sui, filius accipit ipsam in hæreditatem. Itaque non habet ille potestatem liberandi, quum sit seruus: ego habeo potestatem liberãdi, quũ sim filius, & maneam in domo patris mei
F in æternum, & hæreditate accipio potestatem ipsius. Nam & superius dixit, quòd iudicium omne dedit filio. Ac rursum, Et potestatem dedit ei etiam iudicium faciendi.

Si ergo filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Nunc enim non vere liberi estis, quum serui facti sitis peccato: quando vero vos filius liberauerit, nemo qui cõtradicat. Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? corporalem siquidem libertatem dat etiam homo: spiritualem vero solus filius, tanquã proprie dominus: quia proprie etiam hæc est libertas. Deinde relictis cæteris eorum peccatis, cogitationem quam apud se tractabant in medium adducit: nouerat enim iam eos resiliisse, & blande dicit.

Noui quod semen Abrahæ estis, sed quæritis me interficere. Manifeste quidem nõ dixit, Non estis, adhuc eis parcens: verum latenter

latenter hoc significauit. Nam quia me occidere quæritis, A non estis. Ille siquidem neminẽ iniuste peremit. Sicut enim libertas ab operibus quæ liberum decent ostenditur, ita & cognatio. Ponit autem & cædis causam.

Quia sermo meus non habet locum in uobis. Sermo meæ doctrinæ, quum sit sublimis, non habet locum in vobis, qui mentem habetis à prauitate coarctatam ac humi detractam. Ecce enim repulistis quæ paulo ante exceperatis, hæc ferre non potentes. Ne autem dicant, A teipso hæc loqueris, subiungit:

Ego quæ uidi apud patrem meũ loquor. Quod cognoui apud patrem meum, quod ab eo didici.

Et uos ergo quod uidistis apud patrem uestrum facitis. Homicidium videlicet: nam patrem illorum significat nunc diabolum. Quemadmodum enim à paternitate Abrahæ repulit eos operum dissimilitudo ita ad diaboli paternitatem asserit illos operum similitudo: siquidem & ille homicida est, de quo manifestius dicet in sequentibus.

Respondérunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Non intelligentes quem diceret patrem ipsorum, rursum ad Abrahæ cognationem confugiunt, Christus, itaque manifestius eos obiurgat.

Ait illis Iesus, Si filii Abrahæ essetis, Abrahæ utique opera faceretis. Iustitiam.

Nunc autem quæritis me interficere. Cogitationem illorum frequenter arguit, confundens eos, vt corrigantur. C

Hominem qui ueritatem loquutus sum uobis, quam audiui à patre. Verba hæc Vidi, & Audiui, dispensatorie accipienda, & intelligenda sunt.

Hoc Abraham non fecit. Vt quæreret occidere hominẽ, qui veritatem loquutus fuisset ac innocentem.

Vos facitis opera patris uestri. Homicidium & si quod aliud est malum.

Dixerũt ergo ei, Nos è stupro nati non sumus: unum patrem habemus deum. Quia iusta ratione ostendit eos indignos esse paternitate Abrahæ, in qua plurimum gloriabantur, insipienter deinceps ad dei paternitatem recurrunt: eo quod dicat scriptura, Filius meus primogenitus Israel. Et hoc autem ho Exod. 4
nore iustis eos deiicit argumentis. Sed quo nam modo ip-

D si temere deum patrem suum appellant, quum Christo dicenti patrem suum esse deum indignarentur? Quia ille natura suum esse patrem dicebat. Quod autem dicunt, Nos è stupro nati non sumus: intelligitur propter gentes, quæ ab Ismael descendebant, qui ex seruili congressu Abrahæ, ex Agar videlicet ancilla natus erat, quum ipsi ab Isaac descenderent, qui ex legitimo Abrahæ matrimonio, ex Sara domina ipsius Agar erat progenitus. Dicunt autem aliqui, quod ad inferendam ipsi iniuriam hoc dixerint execrabiles illi, eo quod dicerent non esse eum natura filium Ioseph. Quando autem attenuare eum volunt, tunc filium Ioseph ipsum appellant: interdum quidem hoc, interdum vero illud nugantes, & nunquam veritati adhærentes. Atqui
E multi eorum è stupro nati erant, multis nanque illegitimis nuptiis Iudæi copulabantur: verum silet etiam hoc properans ad id quod maius est.

Ait illis Iesus, Si deus pater uester esset, diligeretis utique me: nam ego à deo exiui. Natus vel missus sum.

Et ueni. Ad vos.

Neque enim à meipso ueni. A propria volũtate, quum propriam non habeam voluntatem, vt sæpius dictum est.

Sed ille me misit. Vt pater filium, vt mens verbum.

Quare loquelam meam non agnoscitis? Quare ea quæ à me dicuntur non intelligitis? Deinde addit & causam, cur ipsi nõ intelligerent illa.

Quia non potestis audire sermonem meum. Non potestis, significat nunc, Non vultis. Quia non vultis, inquit, intelligere
F sermonem meum, qui de sublimi doctrina est, propter animæ vestræ prauitatẽ, quæ humi detracta est, & nihil sublime imaginatur. Quia vero dicere ausi fuerant patrem suum esse deum, quum Abrahæ cognatione indigni essent, libere loquitur, & in eos tanquam immedicabiles manifestius infligit vulnus, quod ipsorum impudentiæ respondeat, inflationem ac elationem arrogantium reprimens.

Vos ex patre diabolo estis. Vos ex patre illo estis nempe diabolo: vester ille pater est, diabolus videlicet.

Et desideria p tris uestri uultis explere. Patris illius vestri: desideria autem illius sunt, homicidium & mendacium, siue obliqua & corrupta vita, veluti consequenter dicet.

Ille homicida

Ille homicida erat ab initio. Interfecto primo homine Adã: A
nam ipse mortem illi propinauit: deinde etiam occiso filio il
lius Abel, siquidem ipse fecit fratrem eius Cain in eum insur Gene. 3.
gere, quum prius ad inuidiam illum mouisset.

Et in ueritate non stetit. Non permansit, hoc est, in recta via non quiescit, sed odit huiusmodi conuersationem.

Quia non est ueritas in eo. Sed ediuerso mendacium.

Quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Propria loquitur. Nam proprium eius est mendacium: siquidẽ ipse primus adinuenit illud, & primus illo vsus est, quando ad Euam Gene. 3
mentitus est, dicens illi per serpentem, Non morte moriemini. Et Eritis sicut dij.

Quia mendax est. Ex eo tẽpore, & in posterũ mentiens.

Et pater ipsius. Mendacij, vt qui primus illud adinuenit, B
sicut dictum est.

Ego autem quia ueritatem dico, non creditis mihi. Nam si mẽdacium dicerem credaretis vtique mihi, tanquam id dicenti quod proprium est patris vestri: quia autem doceo veritatem, non creditis mihi, vtpote alienum ab eo docenti. Veritatem autem vocat, quum alias doctrinas, tum quod filius ipse sit dei.

Quis ex uobis arguit me de peccato? Si ita non est quòd quia veritatem dico non creditis mihi, dicite: quis vestrum arguit me de peccato, quod à me fiat, vt propter illud videamini non credere?

Porro si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Si neque ideo, quia veritatem dico nõ creditis mihi, neq; quispiam ve- C
strum arguit me de peccato, sane veritatem dico. Si autẽ veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Postquã ita conuicit eos de industria peccare, vlterius ratiocinatur.

Qui ex deo est, uerba dei audit: propterea uos non auditis, quia ex deo non estis. Qui ex deo est, verba dei recipit, eisq; paret: vos nõ recipitis, ex deo igitur nõ estis: & ex consequẽti mentimini dicẽtes patrem vos habere deum, & ex deo esse. Loquendo itaque de creatione, omnes ex deo sunt: iuxta modũ vero familiaritatis, soli illi qui verba dei audiũt, eisq; obediunt, & à moribus quod rationale est ostendunt.

Responderunt Iudæi & dixerũt ei, Nõne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Per interrogationem le-

Dendum est. Vocabant autem eum Samaritanum, vtpote nõ exacte seruantem legem, sicut illis videbatur, neque traditiones seniorum: tales siquidem erant Samaritani. Demonium vero habentem, tanquam dei honorem in seipsum deriuantem: nam tales sunt dæmones: sed hic tanquam is, qui in veritate deus erat, illi vero quasi seductores.

Respondit Iesus, Ego dæmonium non habeo. Deum non dehoneito sicut dæmones, nec ipsum honore suo deiicio.

Sed honoro patrem. Honorans nanq; patrem ostendo vos non habere deum patrem, neque ex deo esse. Siquidé ignominia est eius qui homines beneuolentia prosequitur, patrem esse homicidarum.

Et uos contumelia me affecistis. Samaritanũ ac dæmoniacum appellantes. Itaq; patrem honorans ostendi vos deum nõ habere patrem: vos autem filium ignominia afficientes, honore priuastis & patrem. Prædictum enim est quòd qui nõ honorat filium, non honorat patrem qui misit illum.

Ego autem non quæro gloriam meam. Vindictam contumeliæ meæ.

Est qui quærat & iudicet. Pater propter quem honore me priuastis, & ad quem filij ignominia transire cernitur. Nam etsi omne iudicium dedit filio, nõ tamen q̃ se honore priuauerit, sed quòd verbum patris sit filius, Vide autem q̃ quãdo patrem sibi dixerunt esse deum: libere respondit, & grauiter eos obiurgauit: quãdo vero contumelia eum affecerunt, modeste respondit ac mansuete. Hinc enim nos docuit, vt admissa in deum vindicemus, in nos autem negligamus. Nam & ipse factam in se iniuriam prætermittens, ad admonitionem conuertitur.

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Quære in hoc nono capite vbi dicitur, Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum, & illius lege enarrationem: nam ex hoc intelliges de qua nunc morte loquatur: de qua quum illi non intellexissent, rursus eum contumelia afficiunt.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus quod dæmonium habeas. Nunc magis. Dixerunt autem hoc quasi deo se fecisset ipse maiorem.

Abraham mortuus est & prophetæ. Qui dei sermonem seruauerunt.

seruauerunt.

Et tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit mortem non gustabit in æternum. Num tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Consequens sane erat vt dicerent, Num tu maior es deo? verum non hoc dicunt: ne deo ipsum comparantes, viderentur eum potius honorare. Volunt autẽ ipso etiam Abraham minorem illum ostendere. Nec dixerunt simpliciter Abraham, sed patre nostro Abraham, rursum gloriãtes, & de cognatione Abraham sese iactantes.

Respondit Iesus. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Nihil est, sicuti vos suspicamini: nam hoc ad illorum cogitationem loquutus est: simile illi dicens, Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum nõ est verum, quod iuxta medium septimi capitis positum est, & eius lege enarrationem. *Supra. 5.*

Est pater meus qui glorificat me. Si ego, inquit, magnifico meipsum, videor vobis mentiri: est pater meus qui magnificat me. Nam prædicto quoque capite similiter dixit, Et qui misit me pater ipse testimonium perhibuit de me. Primum autem viam præstruit his quæ dicturus est, ne gloriari videatur. Vult enim adstruere quod maior sit quàm Abraham: nam hoc in præsenti non dixit, propter ipsorum impudentiam.

Quem uos dicitis deum uestrum esse, & non cognouistis eum. Non cognouistis eum, vtpote operibus illum negantes. Dicit enim & Apostolus, Confitentur se nosse deum, factis autẽ negant. vel etiam eo quòd nõ agnoscatis filium eius. Dictum est enim, Si me cognosceretis, & patrem meum vtiq; cognosceretis. vel eo quòd non seruetis eius sermonem: nam si cognosceretis eum, sermonem eius seruaretis. *Titum. 1.* *Infra. 14.*

Ego autem noui eum. Non solum quum ex ipso sim & eiusdem substantiæ, naturæ & scientiæ, sed etiam tanquam sermonem eius seruans. Nam & superius dixit, Est verax qui misit me, quẽ vos nõ nostis: ego vero noui eum, quia ab eo sum. *Supra. 7.*

Et si dixero quod non noui eum, ero similis uobis, mendax. Vos enim mentimini dicentes deum vestrum esse, quum non cognoscatis eum, vt prædictum est. Notitiam autem & cognitionem dicit, nosse simpliciter, & cognoscere, quod sit deus

D & pater, non scire dei naturam : nam ipsa non solum cognosci nequit, verum etiam omnino intelligibilis est & inaccessibilis, nec tantum hominibus, sed & cœlestibus virtutibus.

Sed noui eum, & sermonem eius seruo. Vides quod dei sermonem seruare, signum sit quod quis deum cognoscat. Timeamus igitur qui dei præcepta non seruamus, tanquã cum eis constituti qui deum ignorant. Deinde probat quod maiot sit quàm Abraham.

Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum. Exultauit, siue concupiuit. Diem autem suum dicit diem passionis.

Et uidit & gauisus est. Gauisus est propter salutem mundi. Præcognouit nanque mysterium crucifixionis Christi. Desiderauit videre diem ipsius & vidit illum præfiguratum & adumbratum, in die quo filium suum Isaac obtulit in holocaustum. Didicit enim quod sicut ipse non pepercit filio suo dilecto propter deum, ita neque deus parciturus esset filio suo dilecto propter hominem. Et quẽadmodum ille portauit ligna holocausti sui, ita & ipse portaturus esset lignum mortis suæ. Veruntamen sicut illo non passo suppositus est aries: ita & hoc manente impassibili, humanitas eius occisa est. Quod si diem eius videre desiderauit, vtiq; hoc erat tanquam maioris.

Et dixerunt Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti? Putabant enim eum ferme esse quinquagenarium, propter multam eius peritiam & experientiam. Quædam autem exemplaria habent, Quadraginta, quod videtur esse verius.

Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Tanquam deus. Et non dixit, Ego eram: sed, Ego sum, qui semper sum. Fieri siquidem rei creatæ est: Sum vero, increatæ & creatæ.

Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Veloces ad cædẽ. Exasperati sunt enim putantes iniuria affectum esse Abraham: simul etiam vbi cognouissent, quod dei æternitatem sibi vendicaret.

Iesus autem occultatus est. Per diuinitatis potentiam inuisibilis eis effectus.

Ex exiuit

Et exiuit de templo. Vt illorum sedaret furorem. A

Pertransiens per mediũ illorum. Quum illi eum videre non possent. Et quare non dissoluit illorum virtutem, & manifeste recessit? Quia nec sic crediturí erant. Etenim tempore passionis supinos illos deiecit, eorumque aspectus obscurauit, & non crediderunt: nam anima reproba nihil est peius: licet enim signa videat ac prodigia, suam tamen semper retinet impudentiam. Infra. 12

Et ita præteribat. Ambulabat ita non apparens illis.

CAPVT DECIMVM DE CAECO A NATIVItate. B

Et præteriens uidit hominem cæcum à natiuitate. Confirmando quod dixerat, fidemque faciens quod deus esset, statim venit ad miraculum maximum, & vsque ad id temporis nunquam factum. Siquidem & alij cæci visum receperunt, verum qui à natiuitate cæcus fuisset, nullus vsque ad id tempus. Ideo etiã qui visum recepit, dicebat, A seculo non est auditum, quod aperuerit quispiam oculos cæci nati. Cap. 9. Infra c

Et interrogauerunt eum discipuli eius dicentes, Rabbi quis peccauit, hic an parentes eius ut cæcus nasceretur. Interrogant, non quo hoc aut illud omnino suspicarentur quemadmodũ insipientes Iudæi: nam hunc peccasse antequam natus esset, impossibile erat: porro pro parentibus puniri iniustum: sed finis sermonis talis est. Paralyticus quidé propter peccata sua ægrotabat, sicut ibi didicimus: de hoc autem quid dicis? quis peccauit, hic an parentes eius? nos enim neque hoc, neque illud dicere possumus, omnino conturbati, consilioque destituti. C Matth. Supra.

Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius. Non omnino à peccatis hos dicit esse immunes, sed quantum ad id vt cæcus fieret, & illos & hunc sine peccato esse asserit. Hinc itaque discimus quod pro parentibus qui peccauerunt non puniuntur filij. Quanquam enim in libro Exodi de deo scriptum est, Reddens peccata patrum in filios, in tertiam & quartam Nota Exodi

D & quartam generationem: hoc tamen propter solos illos dictum est, qui ab Israelitis progeniti, essent idolis immolaturi. Nam quia imitati fuerunt impietatem parentum suorum, qui in Aegypto idololatræ fuerant, merito supplicium illorum reddidit eis: siquidem quorum æqualia fuere delicta, horum æqualia quoque sunt supplicia. Postmodum vero legem statuens, ait per Mosen, Non morientur filij pro patribus, neque patres pro filiis. Et rursus per Iezeciel dicit, Quæ vobis est parabola hæc in terra Israel vt dicatis, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Viuo ego dicit dominus, si erit deinceps parabola hæc, sed eorum qui comederint vuam acerbã dentes obstupescent.

Deut.24. Iezec.18.

E *Sed ut manifestentur opera dei in ipso.* Opera dei vocat formationem oculorum cæci de puluere. Quia enim in confesso erat opus fuisse dei, formationem corporis Adam de puluere: hic etiam oculos cæci, pulcherrimam corporis partem format de puluere: vt hinc indubie deus appareat, vtpote æque potens vt deus: nam qui pulcherrimam partem ita formauit, posset & totum formasse. Aut opera dei dicit occultam diuinitatis suæ potentiam, quæ tunc magis apparuit, Quid ergo? nisi hic damno affectus fuisset, non poterant aliter manifestari dei opera. Poterant quidem, sed neque hic damno affectus est, imo potius beneficium accepit: per cæcitatem oculorum corporis, apertos habens animæ oculos. Nam quæ illorum est vtilitas, si hi clausi sint? Licitum itaque fuit creatori cæcum hunc creare, non puniendo sed dispensatorio modo, vt opera dei manifestarentur, & hic ex eo apertos haberet animæ oculos. Quidam vero dictionem vt, non causalem esse dicunt, sed eius quod futurum erat significatiuam, puta quòd opera dei manifestanda erant in ipso. Et simile esse aiunt quod dicitur, In iudicium ego in mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant: aiunt enim significare, quòd qui non vident videbunt, & qui vident excæcabuntur: siquidem non propterea venit, vt qui vident cæci fiant. Præterea & Paulus dicit, Lex subintroiuit, vt abundaret delictum: neque enim propter hoc subintroiuit, sed ait quod subsequutum est, vt abundaret delictum, & multa huiusmodi

Nota.

F

Infra eod.

Roma.5.

huiusmodi. siquidem & hoc scripturę idioma est, loquendiq; proprietas. A

Me oportet operari opera eius qui misit me. Me oportet operari opera quæ me patris esse filium ostendant, & æqualem deo: me oportet manifestare meipsum, quod hominum sim amator, vt homines per huiusmodi opera ad fidem quæ in me est attracti, non pereant: quandoquidem enim carnem assumpsi, impossibile est eos aliter saluos fieri, nisi per fidem qua in me credant.

Donec dies est. Donec præsens durat seculum, donec vita hęc consistit, donec hominibus operari conceditur.

Venit nox quando nemo potest operari. Venit futurum retributionis seculum. Quod autem operationem dicat hic, qua in ipsum crederetur, ex eo manifestum est, quod superius dixerit, Hoc est opus dei vt credatis in eum quem ille misit. Christus nanque præsens seculum vocauit diem, eo quod operationi aptum est: futurum vero, noctem quia in eo non fient opera. Paulus autẽ ediuerso, Noctem dixit præsens seculũ propter erroré & ignorantiã ac tenebras perturbationum animi: diem vero, futurũ, eo quod nihil horum habebit. Ait enim, Nox prœcessit, dies autem appropinquauit. B

Supra.6.

Roma.13.

Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi. Et eos qui obtenebrati sunt oportet illuminari per fidem, priusquam à mundo transeam. Decimoquinto autem capite latius de hoc loquitur. Quid ergo, quum in cœlo est, non est lux mundi? Est vtique, sed nunc de conuersatione sua in terra dicit, simul & ad fidem adhortans, & propinquam esse mortem suam significans. C

Infra.12.

His dictis expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, illeuitque lutum super oculos cæci. Quare solum puluerem sumptum non illeuit? Quia solus puluis sine aliquo humore non linitur. Et quam ob causam sputo & non aqua lutum fecit? vt sputo adscriberetur miraculum.

Et ait illi, Vade, laua in piscina Silohe. Lauari iubet, ostendens quòd nulla sit pulueris necessitas: sed eo vsus est solum, vt ostendat se esse, qui ab initio corpus Adam de puluere formauit. Mittit autem eum ad piscinam Silohe, quæ longe distabat, vt appareret fides ac prompta cæci obedientia: neque enim vlla erat apparentia, quòd piscina illum esset curatura.

Quod si

D *Quod si quis interpretetur, sonat Missus.* † Quod vocabulum
† Silohe videlicet, quod est Hebraicum, interpretatione sonat Missus: ideo vt opinor, quod tunc cæcus illo fuerit missus: præsignabat namque piscinæ appellatio id quod futurum erat.

† שלח *Salach Hebræis significat Misit. Inde* שילה *Siloach, id est, Missus.*

† *Abiit ergo & lauit, ac uenit uidens.* Abiit nihil hæsitans, sed confestim obediens. Atqui verisimiliter dicere poterat. Quid hoc sibi vult? non potuit me curare? num fortassis illudit me, frustraque mittit? nam frequenter ibi lotus, nihil accepi vtilitatis. Item & aliter. Si futurum est vt lutum me
E sanet, quid opus est vt in dicta piscina lauer? si verò illa me curatura est, quę fuit luti necessitas? Sed nihil huiusmodi aut dixit, aut cogitauit. sed simpliciter credens quòd ea quæ ad salutem suam conuenirent, & fecisset & iussisset, obediuit & abiit, & per talem fidem non est sua spe frustratus.

Vicini itaque & qui uiderant eum prius quod cæcus esset, dicebant. Num hic est qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant, Hic est. Alii uero, Similis ei est. Ille dicebat, Ego sum. Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille & ait, Homo qui appellatur Iesus, lutum fecit, ac inunxit oculos meos, dixitque mihi, Vade ad piscinam Siloe & laua: quumque abissem & lauissem, uisum recepi. Quid ais? Homo talia facere potest? nondum enim cognoscebat eum etiam esse deum. Non dixit autem, Expuit in ter-
F ram: nam tunc non viderat, sed, Lutum fecit & inunxit oculos meos: hoc namque senserat, ac sensu tactus cognouerat. Sed vnde didicit quòd Iesus diceretur? Interrogauit procul dubio eos qui tunc præsentes erant. Verisimile enim est ꝙ etiam prius de miraculis illius audierit, ideo etiam incunctanter illi paruit, vt dictum est.

Dixerunt ergo ei, Vbi est ille? Nam requirebant illum qui insaniã ipsorum aufugerat: & quasi solum id audissent, inuestigant eum.

Ait, Nescio. Nam quum inunxisset, & ad piscinam abire iussisset, continuo discesserat, fugiens plausum de miraculo.

Adducunt ad pharisæos eum qui quondam fuerat cæcus. Erat autem sabbathũ quando lutũ fecerat Iesus, & aperuerat illius oculos.

Quum

Quum illum non inuenirent, hunc adducunt, vt demonstrẽt A
quod sabbathum soluerit.

Rursum itaque interrogauerunt eum & pharisæi, quomodo uisum recepisset. Ipse uero ait illis: Lutum imposuit mihi super oculos & laui & uideo. Non interrogauerunt, Quomodo visum recepisti, sed quomodo aperuit oculos tuos? dantes occasionem †
calumniandi eum de opere prohibito, scilicet in sabbatho: ipse verò quasi ad eos loquens qui iam audiuerãt, sermonem abbreuiat.

† *Videtur indubie autor noster hoc loco legisse quod postea habetur,* πῶς ἠνοιξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; *Vnde ibi etiam dicit illos ad primum quæsitum reuerti. Pari modo & Chrysostomus & Theophylactus legisse uidentur. Aut hoc intellige de his qui antea inter-* B
rogauerunt eum, Quomodo aperti sunt tibi oculi?

Dicebant ergo ex pharisæis quidam, Hic homo non est à deo, quia sabbathum non obseruat. Non est à deo, missus videlicet, vel non est ex deo.

Alii dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & dissensio erat inter eos. Nam qui ex deo non est, ex diabolo est, & omnino peccator est. Dissensio itaque & tunc, & prius facta est: siquidem, Non veni, inquit, vt mittam pacem in ter- Matth. 10
ram, sed gladium. Sed non perseuerauit, rursum enim vniti sunt instantibus pharisæis.

Aiunt cæco iterum, Tu quid dicis de eo, quia aperuit oculos tuos? Hoc aiunt non illi qui dixerant, Non est à deo, sed qui ab his diuisi erant: ne enim illi patrocinari viderentur, eum qui virtutis eius experimentum sumpserat cõstituunt ambigui- C
tatis iudicem.

At ille dixit, Propheta est. Prophetas vocabant diuinos viros. Aperte ergo dicit, quòd à deo esset, nec iram timuit dicentium, quòd non esset à deo. Firmus enim erat, & veritatis amator, ac æquus homo.

Non crediderunt ergo Iudæi de ipso quod cæcus fuisset, ac uisum recepisset. Qui dixerant, Non est à deo. Sed ô insensati, si nõ ita est ꝙ quum cæcus esset visum recepit, quo modo Christum calumniamini, quod illum sabbatho sanauerit.

Donec uocauerunt parentes eius qui uisum receperat, & interrogauerunt eos dicentes, Hic est filius uester de quo uos dicitis quod cæcus natus est? Vide malitiam, rigide interrogant putãtes illos exter-

D los exterrere: vt dum hi negassent, tenebris offunderetur miraculum: & aiũt: De quo vos dicitis quòd cæcus natus est? mentientes videlicet & dolose simulantes, vt ipsi Iesu gloriam quæratis.

Quomodo ergo nunc uidet? Si cæcus natus est.

Responderunt autem illis parentes eius, & dixerunt, Scimus quod hic est filius noster, & quod cæcus natus est: quomodo autem nunc uideat, nescimus: aut quis eius aperuerit oculos, nos nescimus. Quum de tribus interrogati fuissent: vtrum hic esset filius eorum, vtrum cæcus natus esset, & quomodo nunc videret: de duobus confitentur: quomodo autem nũc videat, ignorare se dicunt, timentes Iudæos, sicut in progressu manifestabitur.

E *Ipse ætatem habet, ipsum interrogate: ipse de seipso loquetur.* Sese extra periculum constituentes, ad eum qui curatus erat interrogationem remittunt, vt qui in eiusmodi quæstione fide dignior eis esset.

Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos: iam enim conspiraverant Iudæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam eiiceretur. Conspiraverant, pactum fecerant.

Propter hoc parentes eius dixerunt, Aetatem habet, ipsum interrogate. Rursus idem dicit, perstringens illos tanquam timidos, & qui ignorare se simulaverant, ne extra synagogam siue congregationem eiicerentur: filio autem totius certaminis onus imposuerant.

F *Vocauerunt itaque rursum hominem qui cæcus fuerat, & dixerunt ei, Da gloriam deo.* Glorifica deum, vtpote ab eo sanatus, & non à Iesu.

Nos scimus quod hic homo peccator est. Absente illo hoc dicitis scelesti: nam quum ille præsens esset, & vos paulo ante interrogaret, Quis ex vobis arguit me de peccato, ne mutire quidem potuistis, ora à veritate obturata habentes.

supra. 8.

Respondit ergo ille & ait, An peccator sit nescio, unum scio quod quum cæcus fuerim, modo uideo. Non dixit dubitãdo, An peccator sit nescio, sed nugas huiusmodi more dubitantis repellens. Nam in progressu manifestius hoc ostẽdit dicens, Scimus quòd peccatores deus non audiat.

Dixerunt autem ei iterum. Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos? Quum ab omni parte repulsi essent, nec quicquam eorum quæ voluerant effecissent: rursum ad primum quæsitum re-

tum reuertuntur: ideo etiam his qui curatus fuerat arguens illos, non iam timide, sed liberius loquendo respondet. A

Respondit illis, Dixi uobis iam, nec audistis. Nec credidistis.

Quid rursum uultis audire? Quam ob causam rursus audire quæritis?

Num & uos uultis discipuli eius fieri? Dicens, Num & vos, ostendit quòd ipse paulo ante factus esset, & confidenter id fatebatur, non metuens illorum insaniam: adeo fortis est veritas, vt eos libertate repleat, qui ipsam elegerint: mendacium verò adeo imbecille, vt eos quoque qui fortes sunt, reddat timidos.

Conuitiati sunt ei, ac dixerunt, Tu es discipulus illius: nos uero Mosis sumus discipuli. Neque Mosis: nam si Mosis essetis, vtique B & Christi essetis. Si crederetis, inquit, Mosi, crederetis vtique mihi. *Supra. 5.*

Nos scimus quod Mosi loquutus est deus: hunc autem nescimus unde sit. Vnde missus sit. Atqui variis in locis docuit vos, qui sint ferentes de se testimonium: puta Ioannes, opera quæ facit, & pater qui & deus. At certe de Mose auditis, non autem videtis: huius verò opera non auditis solum, verum etiam videtis, & nostis quod oculi sint auribus fidedigniores.

Respondit homo & ait illis, In hoc sane mirabile quiddã est, quod uos nescitis unde sit, & tamen meos aperuit oculos. Quòd quum vobis ignotus sit & inglorius, meos aperuit oculos, taleque edidit miraculum. Nam si de insignibus esset & gloriosis, nequaquam tantum esset miraculum. Itaq; magnus quispiã C est, quanquam vos nesciatis vnde sit.

Scimus quod peccatores deus non audiat, sed si quis dei cultor fuerit, & uoluntatem eius fecerit, hunc audit. Vide contexturam & quomodo mirabiliter argumentetur, ac sermõnẽ augeat. Vere enim non exterioribus tantum oculis illuminatus est, sed & interioribus. Nam quia in præcedentibus dixerant, Nos scimus quod hic homo peccator est: tunc quidem more dubitantis sermonem repulit, nunc vero tanquam libertate plenus, ostendit hunc non esse peccatorẽ, sed potius dei cultorem, ac dei voluntatem adimplentem. Siquidẽ adhuc eum hominem esse suspicabatur vt diximus. Peccatores autẽ deus non audit, in huiusmodi videlicet miraculis.

A seculo non est auditum, quod aperuerit quispiam oculos cæci nati. Nisi

Universidad de Deusto Biblioteca

D ti. *Nisi esset hic â deo non potuisset facere quicquam.* Quicquam simile. Cæci namque oculos alij etiam aperuerant, cæci vero à natiuitate, nullus. Magnitudo itaque miraculi diuinum quempiam esse eius effectorem ostêdit. Nam qui maius aliquod edit miraculum, quàm sint vniuersa humana miracula, vtique maior est cunctis hominibus.

Responderunt ac dixerunt illi, In peccatis omnino natus es, & tu doces nos? Non tulerunt manifestam redargutionẽ ac præclaram victoriam: conuersa autem malitia in suum ipsorum caput, indignati sunt illi dicentes: Peccator omnino natus es, siue ab initio, à prima statim ætate. Insipienter namque opinabantur, propter peccata aliqua esse natum cæcum, vt
E ostenderetur eum esse peccatorem. Atqui etiam si peccator erat, sermones eius probare oportuit, si veri essent: quid enim absurdi dixerat.

Et eiecerunt eum foras. Ab ecclesia & cõcione repulerunt præconem veritatis, tanquam Christi discipulum. Quum enim miraculum calumniari non potuissent, imo potius ediuerso celebre illud vehementi ac curiosa inuestigatione reddidissent, suum effundunt furorem aduersus eum qui curatus fuerat.

Audiuit Iesus quod eiecissent eum foras, quumque inuenisset eum, ait illi, Tu credis in filium dei? Venit vt maius conferret beneficium illi qui propter se fuerat eiectus, quodq; bonorum caput est tribuit, sese illi præbens cognoscendum, ac verum
F efficiens discipulum. Quod autem ait, Tu, propter illos dixit qui non credebant.

Respondit ille & dixit, Et quis est domine ut credam in eum? Spe bona ad sermonem erectus est, tanquam paratus ad credendum: & discere quærit quisnam sit: neque enim sciebat quis esset.

Dixit autem illi Iesus, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Vidisti eum: non prius, sed nunc. Non dixit, Ego sum qui aperui oculos tuos. Vult enim simplicitatem ac præparationem fidei illius ostendere, ad eorum qui præsentes erãt vtilitatem: ac confusionem eorum, qui quum multa edocti essent, multaque signa conspexissent, non tamen adhuc credebãt. Nam hoc solo audito, Et qui loquitur tecum ipse est, statim credidit: sermo namque animam illius repente tetigit: quumq;

gît: quumque bonam illam inueniſſet, ad cognitionem ac fi- A
dem eam illuminauit. Vide enim.

At ille ait, Credo domine, & adorauit eum. Adorauit confirmans se credere.

Et dixit Iesus, In iudicium ego in mundum hunc ueni, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant. Atqui superius dixit, Non misit deus filium suum in mundum vt iudicet mundũ: Supra 3.
Sed iudicium vocat hic condemnationem. Ad condemnationem inquit quorundam ego incarnatus sum: nam interpretans sermonem addit, Vt qui non vident, hoc est iudicantur cæci mente propter scripturarum ignorantiam, hi videãt lumen veritatis, apertis animæ eorum oculis, ab ea quæ in me est fide. Qui autem perspicaces videntur propter scriptu B
rarum notitiam, hi potius non videant, clausis eorum interioribus oculis ab infidelitate. Dictionem verò Vt, neq; hic oportet intelligere causaliter: nõ enim propter hoc venit, vt qui vident cęci fiant, quemadmodum etiam de Vt, in præcedentibus significauimus, sed ꝙ futuri sit significatiua: futurũ inquit est, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiãt. Aut, In iudicium ego in mundum veni, hoc est ad discernẽdum, ad separationem horum ab illis, vt appareat: in his quidem prospectus liberę voluntatis, quæ à bonitate procedit: in aliis verò mentis excæcatio, quæ à malitia egreditur.

Et audierunt hæc quidam ex phariſæis qui erant cum eo. Qui quondam fuerant cum eo, postmodum autem separati erant. C
Nam quidam pharisæi sequebantur, vt viderent & audirent quid faceret ac loqueretur.

Et dixerunt ei, Num & nos cæci sumus? Nam sicut alibi dicebant, Nemini seruiuimus vnquam: &, E stupro nati non sumus: ita & nunc ad sensibilia tantum inhiabant, & de corpo- Supra 8.
rali solum cæcitate illos pudebat: ideo de hac interrogant, cognoscentes quòd propter eos dictus esset sermo.

Ait illis Iesus, Si cæci essetis, nequaquam peccatum haberetis. De infidelitate videlicet: nam respondere possetis, Non vidimus signa.

Nunc uero dicitis, Videmus. Vos hoc dicitis: ego autem non: si enim videretis, crederetis sane miraculis quę ego coram vobis operor. Sed quantum ad apparentiã, videtis: quãtum verò ad veritatem, non videtis, mente excæcati. Iuxta

D similitudinem namque mens videt, & mens audit, cętera autem omnia cæca sunt & surda.

Peccatum ergo uestrum manet. Manet absq; venia: quia dicentes vos videre nec videtes, volũtarie excęcamini ab inuidia & malitia. Ostendit ergo, q̃ corporalis visus de quo gloriãtur hos cõdemnat. Simul quoq; eum qui antea cæcus fuerat hinc cõsolatur, ac firmiorem in fide reddit. Ne autẽ dicant, Non idcirco tibi non credimus, q̃ non videamus, sed quia tu populum seducis: ostendit per parabolam quòd non seductor sit, sed pastor. Et primum quidem signa ponit seductoris ac corruptoris: Deinde consequẽter pastoris & salua-

E toris, vt ex his cognoscatur, vtrum seductor sit an pastor.

;ap.10. *Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in caulas ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Anagogice hic per ostium intelligimus leges siue scripturãs, eo quòd ad dei cognitionem inducant, & transitum omnem qui aduersus diuinum cultum est, hęreticis ac Gentibus excludant, populumque à dæmonum insidiis custodiant. Caulas vero curam ac prouidentiam ouium. Oues autem Israelitas, populum dei. Nos autem, inquit, populus eius & oues pascuę eius. Qui ergo non per scripturas ad curam populi dei ingreditur, vtpote non vtens eis, nec iuxta illas gubernãs, sed ascendẽs aliũde, quasi ostium transiliens, aut per alium irrumpens introitum, ille non pastor sed fur est & latro: fur quidẽ tanquã volens ea ad se deriuare quæ non conueniunt: latro autẽ tanq̃

F deuastans. Huiusmodi fuerunt ante eum Iudas & Theudas: post eũ verò pseudochristi & Antichristus, & si qui sunt alij seductores. Attingit quoq; scribas ac pharisæos qui docebãt doctrinas præcepta hominũ, legem autẽ transgrediebantur. Vidisti quomodo furem, latronem ac seductorẽ descripserit? considera etiam pastoris insignia, quibus dinosci possit.

Iota.

sal.94.

osephus ib.anti.18 ap.1.& 2 & lib.20. ap.4.

Matth.15.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Qualis ipse erat vtpote scripturis vtẽs, & secundũ eas gubernãs: quanq̃ enim etiã in sabbatho operaretur, ea tamẽ diuina erant opera, quũ lex prohiberet humana siue temporalia ac secularia.

Huic ostiarius aperit. Ostiarius iuxta anagogẽ Moses erat, vt cui concreditæ sunt diuinæ leges. Tali ergo Moses aperit, & ad ouium curam admittit, vtpote cognoscẽs eum. Scripsit enim vt eum audirent.

Et oues

Et oues uocem eius audiunt. Obediũt, parent, ac sequuntur: A agnoscunt enim illã. Oues autẽ dixit, eos videlicet qui vere oues sunt, digni vt pascantur. Nam sicut qui per ostiũ intrat, hic pastor est: ita & qui vocẽ eius audiũt, vt dictũ est, hi oues sunt: qui verò nõ ita se habent, ab ouium ordine auulsi sunt.

Et proprias oues uocat nominatim. Etiam hoc pastoris signũ est, Cuiusq; ouis diligentem ostendere curam: neq; enim illas vocat nominatim, qui singulas diligenter non agnoscit, ob summam de vnaquaque curam.

Et educit eas. Ad pascua: pascua autẽ rationaliũ ouium, doctrina est diuinorum sermonũ, quæ animam nutrit ac pascit.

Et quum proprias oues emiserit, ante eas uadit. Recto eas tramite deducens, & pro eis pugnans. Atqui pastores contra- B rio modo faciunt, sequentes oues quarum habent curam. Verum pascendi ars huius pastoris maxime admiranda est: nam & oues sunt rationales. Siquidem etiam quando discipulos emittebat, dicebat: Ecce ego mitto vos tanquam oues in me- *Matth.1* dio luporum: pastores vero extra lupos mittunt oues. Vadit autem ante eas, & tanquam is qui primus conuersationis viã calcauit, & sicut qui ea fecit quæ docet.

Et oues eum sequuntur. Per vestigia eum sequuntur, eadem incedentes via, ipsiusq; legibus parentes.

Quia nouerunt uocem eius. Quæ est ex scripturis quibus assuetæ sunt, ex cognitis vocibus.

Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerũt uocem alienorum. Alieni sunt qui non intrãt per ostium, Nõ C nouerunt autẽ vocem illorũ oues, vt quæ non sit à scripturis quibus assuetæ sunt, vt dictum est, sed à ventre ipsorum.

Hoc prouerbium dixit illis Iesus. Hanc parabolam.

Illi uero non cognouerunt quæ essent ea quæ loquebatur ipsis. Obscure enim loquebatur, attentiores eos reddens. Deinde alio modo seipsum & ianuam vocat & pastorem.

Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico uobis, ego sum ostiũ ouium. Per quòd ingrediuntur oues ad supernam mansionem. Neq; enim quisquam aliter ingreditur nisi per ipsum, & per fidem quæ in ipsum est, ac per eius doctrinam.

Omnes quotquot uenerunt fures sunt & latrones. Quotquot à seipsis venerunt, quotquot venerunt non per prędictũ ostiũ, vt Iudas & Theudas, & si quis alius huiusmodi: prophetæ

D namq; non à ſeipſis venerunt, ſed à deo miſſi ſunt: nec aliunde, ſed per oſtium intrauerunt. Scire enim oportet, quòd frequenter ſcriptura vniuerſalem repreſentans formam, particularem inſinuat intelligentiam. Nam quod nunc dicit, Omnes, non ſimpliciter ſignificat omnes qui ipſum præceſſerunt. Simile etiam eſt quod ait Dauid, Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: tales ſiquidem non erant qui etiam tunc deum colebant. Et illud Solomonis, Omnia ſunt vanitas: neque enim talis eſt virtus. Eſt autem vbi Omnis, idé ſignificat quod nullus, vt in dicto illo Saluatoris, Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. i. nulla caro. In illo quoque Dauidico verſu, Et non dominetur mihi E omnis iniuſtitia, hoc eſt nulla. Multa quoque ſunt ſimilia.

ſal.13.

eccles.1.

Matt.24.

ſal.118.

Sed non audierunt eos oues. Qui vere erant oues. Et hinc manifeſtum eſt, quòd non comprehenderat etiam prophetas: nam hos audierunt.

Ego ſum oſtium. Verbi repetitione ſermonem confirmat.

Per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Per mea præcepta ſi quis ambulauerit, ſaluabitur aſcendens in ſupernam manſionē.

Et ingredietur, & egredietur. Ad omnem mundi locum: quod de Apoſtolis factum eſt.

Et paſcua inueniet. Non ſpiritualia ſolum, ſed & temporalia: nam omnia quæ ſunt credentium, eis data ſunt.

Fur non uenit niſi ut furetur, & mactet, ac perdat. Non venit propter ſalutem ouium, ſed tantum ad furādum, mactandū, F ac perdendum. Nam & ij qui furto ablati ſunt à Theuda & Iuda, iugulati ſunt & continuo perierunt.

Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeāt. Vitam: hic quidē, eam quæ ſecundū deū eſt, qua abundantior eſt regnū cœlorum: ibi vero beatā, quibus abundantiora ſunt quę oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nō aſcēderunt: aut etiam perfecta ſanctæ trinitatis cognitio.

Ego ſum paſtor bonus. Verus. Superius namque Oſtium appellauit ſeipſum propter cauſam ibi dictam: hic autem Paſtorem, tanquam ea quæ paſtoris ſunt præſtantem, quæ prętermittentes paſtores Iudæorum reprehenduntur per prophetam Iezeciel: de quibus paulo poſt dicemus: Præterea etiam tanquā ſermonibus arctis paſcendi, ad ſupernam congregans manſionem. In aliis quoque locis Ouis vocatur, & Agnus

ezec.34.

Agnus, ac Victima & Pontifex, aliiſq; mille nominibus, iuxta varios diſpenſandi modos. A

Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus. Rurſum ea ponit quæ tum paſtorem tum mercenarium deſignent.

Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius nō ſunt oues proprię, uidet lupum uenientem, & relinquit oues ac fugit, & lupus rapit ac diſpergit ipſas oues. Interpretatur quis dicatur Mercenarius, is videlicet cuius non ſunt oues proprię. Lupus vero anagogice is eſt qui perdit, & qui de malo gloriatur, ac diabolus, qui etiam Leo dicitur, Draco, Serpens, Scorpius, Aſpis ac Baſiliſcus, multiſque aliis nominibus, iuxta illius varias malitiæ verſutias.

Mercenarius uero fugit, quia mercenarius eſt, & oues non ſunt illi curæ. Nam vbique propriam quærit ſalutem, aliorum negligens: qui autem vere paſtor eſt contrarium facit, propriam negligens, ouium quærit ſalutem. Duos itaque poſuit corruptores ſeu vaſtatores: eum videlicet qui venit vt furetur & mactet, ac perdat: alterum vero qui videt lupum venientem & deſerit oues ac fugit. Per primum quidem Theudam ac Iudam inſinuans: per ſecundum autem Iudęorum magiſtros, eorum curam non habentes qui ſibi concrediti erant, imo gregem potius prodentes. Quod etiam illis exprobratur, vt dictum eſt, per prophetam Iezeciel dicentem, O paſtores Iſrael, num paſtores ſeipſos paſcunt? nónne oues ipſas paſcunt paſtores? Deinde opera quoque paſtoris recenſet quæ prætermittebant: quia neque errantem ouem C reducebant, neque perditam requirebant, neque contritam alligabant, neque debilem curabant: quia ſeipſos, non oues paſcebant. De vtriſq; ergo quæ dixit, ſeipſum in exemplum conſtituit. De primis quidem in eo quod ſe ait veniſſe vt vitam habeant, & abundantius habeant: de ſecundis vero in eo quod animam ſuam ponat pro ouibus. Siquidem ex hoc quod animam ſuam ponat pro ouibus, confirmat etiam quod venerit vt vitam habeant, & abundantius habeant. Dicit enim & Paulus, Si quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus deo per mortē filij eius, multo magis recōciliati ſalui erim⁹. Et rurſum, Qui proprio filio nō pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donabit?

Roma.5.

Roma.8.

Ego ſum paſtor bonus. Et quomodo nō dixerunt illi q̄ & prius, Tu

D prius, Tu de teipso testimoniũ perhibes? Quia tũc respõsionem acceperant, quæ ipsorũ ora etiã deinceps obturaret.

Et cognosco meas. Per præscientiam tanquam deus. Ait enim Moses, Nouit dominus qui sint eius. Et Paulus, Non repulit dominus populum suum quem præsciuit. . Tim. 2. .oma. 11.

Et cognoscor à meis. Per verã cognitionẽ tanq; ab intelligẽtibus. Nã eũ cognouerũt à testimonio Ioãnis, ab operib⁹ ipsius, & à testimonio patris, de quib⁹ septimo capite prędictũ est. Ostendens autẽ cognitionẽ suã ab illorũ cognitione lõge differentem, suam æquauit cognitioni patris dicens. upra. 5.

Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem. Cognitionem dicit eam quæ secundum naturam est, de qua etiam vigesimo iuxta Matthæum capite dixit, Nemo cognoscit filiũ nisi pater, neque patrem quisquam cognoscit nisi filius. Matth. 11. E

Et animam meam pono pro ouibus. Animam meam pono, relinquo, morior pro ouibus, vtpote pro meis: seductor verò nequaquam mori eligit pro his qui à se seducuntur.

Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili. Ouili Mosaicæ legis: dicit autem de Gentibus.

Illas quoque oportet me adducere. Congregare sub meam pascendi doctrinam.

Et uocem meam audient. Obedient, parebunt.

Et fiet unus grex. Ex Iudæis & Gentibus congregatus.

Vnus pastor. Horum & illorum, Christus.

Propterea diligit me pater quia pono animam meã. Quia morior pro ouibus meis, quæ etiam ipsius sunt: quia hominum amator sum, sicut & ipse. Dispẽsatorius itaq; sermo est, qui ni hilominus amborũ demonstrat æqualitatẽ. Quid ergo, prius nõ diligebatur? vtiq; omnino, quia filius & dilectus, faciẽsq; patris volũtatem. Nam de eo dixit pater, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est: sed hoc tanquam notum prętermisit: namvariis in locis de hoc docuit: tum alibi, tum etiam vbi dixit, Pater diligit filium. Nunc verò de ea dilectionis causa loquitur, quòd pro hominibus moriatur. F

Vt iterum sumam eam. In hoc quoq; loco Vt, nõ est causalis, sed declaratiua eius quòd omnino futurum est. Neq; enim propter hoc ponit vt iterum sumat illam, sed ponit quidem pro mundo, sumit autem vt se deum manifestet. atth. 3. upra. 5.

Nemo tollit eam à me. Inuito, hoc est, nemo me morti tradit nolentem.

dit nolentem. A

Sed ego pono illam à meipso. Vltroneus tanquam hominum amator. Sermoni autem immoritur, significans mortem suam quæ per crucem futura est, & resurrectionem ex mortuis.

Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Potestatem habeo tanquã deus omnipotens, omnemq; habens virtutem. Vane igitur ac frustra laborant insidiatores, me nolẽte: quanquã postmodũ dementes exprobrãdo dicebãt, Alios saluos fecit, seipsũ nõ põt saluũ facere. Mar. 2.

Hoc præceptum accepi à patre meo. Vt ponam animam pro ouibus, vt moriar pro mundo. Nam propterea illum occiderunt, quod homines docebat, & illos è tenebris educebat ad lucem, à peccato ad virtutem, à morte ad vitam. Quum ergo superius dixisset, Propterea diligit me pater, quia pono animam meã: voluntatem quam ad mortem habebat significauit: hic vero dicens, Hoc præceptum accepi à patre meo: ostendit patris condemnationem, vt ipse moreretur. Si autem præcepto opus fuit, quomodo dicebat, Ego pono illam à me- ipso? Et, potestatẽ habeo ponendi eam? & ante ista, Ego sum pastor bonus? nam talis præcepto non indiget. Nihil ergo aliud ostendit patris præceptum, quàm solam conformitatẽ ad patrem: huiusmodi siquidem dispensatoria sunt propter auditorum imbecillitatem, veluti frequenter diximus. B Sup. eod

Dissensio igitur iterum facta est inter Iudæos propter hos sermones. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Dæmoniacum ac insanum eum dicebant, quasi maiora homine loquentem, quum hinc potius cognoscere oportuisset quod deus esset. C

Alii uero dicebant, Hæc uerba non sunt dæmoniaci. Num dæmonium potest cæcorum oculos aperire? Hæc arguebant non esse dęmoniaci, à supernaturali miraculorum operatione. Christus vero non coarguit eos qui sibi contumeliam inferebant: nam superius abunde illis respondit, quando dixerunt, Nõne bene dicimus nos quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Præterea contumelioſos huiusmodi sermones non ex directo in illum effundebant, sed inter se tali modo nugabantur. Tacens itaque docuit nos, ne ad iniurias conuertamur, quæ non directe in nos effunduntur: non solum Supra. 8

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.19.

D enim motus non est ad huiusmodi sermones, sed neque malorum aduersus eos meminit, sicut ex sequentibus manifestum est. Alio item modo: Tacuit videns illos qui ab his dissidebant pro se respondentes: & quia hi ne sermone quidem erant digni, qui tanto viso miraculo ita calumniabãtur.

Facta sunt autem Encænia Ieroſolymis. Didicatoria templi: siquidem quotannis solẽniter diem illum colebant, quo iterum sub Zorobbabel ædificatum, post reditum ex captiuitate perfectum est. Esdr.7

Et hyems erat. Non solum ob aeris intemperiem, sed etiã ob infidelitatem. Tempus autem innuit propter dedicationem primæ ædificationis templi: nam illa circiter autumnum celebrabatur. E

Et ambulabat Iesus in templo in porticu Solomonis. Nam & ipse festo aderat.

Circundederunt ergo eum Iudæi. Sperantes ab eius sermonibus aliquam se accepturos cõprehendẽdi occasionem, siquidem quum de operibus nihil eum possent arguere, à verbis prætextum aliquem inuenire cupiebant, neque enim ipsi à malitia cessabant, neque ipse à clementia quiescebat.

Et dixerunt ei. Fraudulenter & dolose.

Quousque animam nostram suspendis? Suspensam aç dubiam tenes inter fidem & infidelitatem.

Si tu es Christus dic nobis libere. Manifeste, verbis non obtectis. Atqui plane sciebant, quod hoc dixisset: ideo etiam prà.9 F in superioribus decretum fecerant, vt si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam eiiceretur, sed nunc siniſtra mente hoc interrogant, audire volentes, quomodo hoc diceret, vt disputatione ita procedente, magni quippiam rursum de seipso loqueretur, & occasionem, vt dictum est, illum comprehendendi acciperent. Ipse vero huiusmodi cognita vafritie, neque nunc hos tentantes arguit: docens non ad omnia coarguendos esse tentatores: sed multa patienter esse ferenda. Neque dixit, Quomodo me tanquam fide dignum interrogatis, cuius testimonium repulistis dicẽtes, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: quem legis transgressorem appellastis, deo contrarium ac seductorem: peccatorem, Samaritanum, dæmoniacum ac insanum, talibusque multis nominibus, quem lapidibus

dibus appetitis & persequimini, ac occidere festinatis. Verum nihil dixit huiusmodi, nec malorum meminit, docens iniuriarũ obliuionem erga eos qui condemnare properarẽt, sed mansuetissime ad interrogationem respondet. Tu vero mihi considera peruersam ac contentiosam Iudæorum mentem. Siquidem quando concionatur ac sermonibus docet, dicunt, Quod signum ostendis nobis? quãdo vero miraculum operatur, ac demonstrationes operibus exhibet, dicunt, Si tu es Christus, dic nobis libere. Quum sermones docent, opera requirunt: operibus clamantibus, sermones petunt: ad contrarium semper malignè transmutati. Quia ergo dementiæ erat operibus eum prædicantibus, à sermonibus quærere testimonium, vide quo pacto respondeat, simul quidem manifestans quod non discendi causa interrogarent, simul etiam significãs opera sua amplius acvehemẽtius clamare q̃ verba. B

Respondit eis Iesus, Dixi uobis & non creditis. Dixi vobis de quo interrogatis, non verbis solum, verũetiam operibus: sed non creditis: vane ergo & curiose interrogatis.

Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddũt de me. Testificantur quòd ego sim. Rursus autẽ addit. Nomine patris mei: ne deo contrarius videatur. Nomen vero hoc in loco quidam dixerunt diuinitatem: quidam autẽ fortitudinem: alij vero potentiam. Nominatur enim & deus, & fortis & potens, aliisq; modis similibus. Si quid autem patris est, idem est & filij. Quia ergo à solo verbo se credituros esse simulabant, leniter ostendit quòd dolose agerent, ac si diceret, Si operibus non creditis, quomodo verbis credetis.

Quia non estis ex ouibus meis. Ego siquidem vniuersa quæ Sup.5. C boni pastoris sunt præstiti: vos autem à cognatione ouium mearum vosipsos separastis.

Sicut dixi uobis, oues meæ uocem meam audiunt, & ego agnosco eas & sequuntur me. De his superius dictum est.

Et ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum. Et de hac vita frequenter dictum est, & data interpretatio.

Nec rapiet eas quisquam de manu mea. Quisquam ex his qui illis insidiantur. Manum vero dicit virtutem ac potestatem suam. Hoc autem dixit, quia statuerant Iudæi, vt si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam eiiceretur. Suprà.9 confirmat enim quod frustra laborent.

Pater

D *Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est.* Maior omnibus insidiatoribus, vt dictum est. Rursus ergo quod ait, Dedit mihi, dispensatorium est.

Et nemo potest rapere de manu patris mei. Ne autem tanquam impotens videatur auxilium à patre poscere, subintulit:

Ego & pater unum sumus. Vnum potentia, siue eiusdem potentiæ. quod si vnum potentia, vnum sane & diuinitate & essentia & natura. Dicens itaque, Ego & pater, dualitatem significauit personarum, diuersitatem hypostaseon: subdens autem Vnum sumus, diuinitatis vnitatem, identitatem essentiæ, naturæ & potentiæ.

Sustulerunt igitur rursus lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

E Quia natura filium dei se dicebat: nam hoc significat, Vnum sumus. Vide ergo quomodo conuicti sint, quod non discendi causa interrogarent, sed occasionis alicuius arripiendæ, qua eum comprehenderent, vt diximus. Et quare dedit eis occasionem? Quia volebat eos à seipsis conuinci quòd tentarent, malumq; machinarentur. Præterea non oportuit omnia dispensatorie loqui, sed etiam denudare in parte veritatem.

Respondit eis Iesus, Multa bona opera ostẽdi uobis ex patre meo. Quæ me patri æqualem ostendunt.

Propter quod eorum operũ me lapidatis? Propter quod opus quod me non ostendat patri esse æqualem. Opera ergo me patri æqualem esse prædicant, & ego taceo.

Responderunt ei Iudæi dicentes, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo quum sis, facis teipsum deũ.

F Interim ergo bona esse eius opera fatebantur: quod si bona sunt eius opera, hæc eadem testantur, quod non blasphemet dicens sese deum esse: sunt enim dei opera, & non puri hominis.

Respondit eis Iesus. Nonne scriptum est in lege uestra, Ego dixi dii estis? Hoc in loco Legem appellat librum Psalmorum: nam id in illo scriptum est. Lex autem dicitur liber iste, quia ea quæ in eo habentur oracula sunt à deo afflata, & quia homines instruunt & corrigunt.

Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura: de eo quẽ pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis, Blasphemas, quia dixi, Filius dei sum? Solui, hoc est, excidere, reiici,

reiici. Sanctificauit autem, hoc est separauit, elegit. Quod autem dicit idem est ac si diceret: Si deus illos dixit deos quũ homines essent, de me dicitis, Blasphemas, quia dixi, Filius dei sum? de me inquam, quem pater separauit, elegit, ac misit in mundum. Humilius autem ista loquitur. Primum nanque deprimit & concedere videtur sermonem, ac humiliora loquitur, quo furorem illorum cõsoletur ac mitiget: deinde subdit etiam sublimiora. A

Si non facio opera patris mei nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non creditis operibus credite. Ab operum æqualitate, æqualitatem ac identitatem cum patre ostendit.

Vt cognoscatis & credatis quod pater in me est, & ego in eo.

In me pater conspicitur: nihil enim aliud sum ego, quàm quod pater est, permanẽs tamẽ filius: & nihil aliud pater est quàm quod filius, permanens tamẽ pater. Qui ergo filiũ nouit, & patrem nouit: & qui patrem cognouit, filiũ cognouit. Vel aliter: Filius est in patre, tanquã imaginis pulchritudo in archetypo: pater vero in filio, tanquam exemplaris pulchritudo in imagine: imaginem autem patris dicimus filiũ, non qualemcunque, sed per omnia similem. B

Quærebant ergo rursum apprehendere eum, & exiuit de manu eorum, abiitq; iterum trans Iordanem, in locum ubi fuerat Ioannes baptizans, & ibi manebat. Vbi magnum aliquod signum fecisset, fugiebat propter populi plausum ac laudem. Vbi etiam magnum quippiam de seipso loquutus esset, secedebat propter rabiem inuidorum: illi concedẽs, vt per suam absentiã cessaret ac quiesceret. Abiit autem in locũ vbi Ioannes baptizabat, vt præsentium memoriæ suggereretur signũ quod factum fuerat quum baptizaretur, ac Ioannis testimonium quo de eo testificatus fuerat, & ita crederent, quod sane etiã factum est. Vide enim. C

Et multi uenerunt ad eum, & dicebant: Ioannes quidem signum fecit nullum, omnia uero quæcunq; de hoc dixit Ioannes uera erant.

Cõsidera quomodo inter se argumẽtabantur. Ioannes quidẽ signum fecit nullum, hic autem multa: maior ergo hic est illo. Deinde aliud quoq; sumunt excellẽtiæ signũ: quia etiam quecunque de hoc dixit Ioannes vera erant, rebus ipsis iam demonstrata. Dixerat autẽ, Qui post me venturus est, fortior me est, aliaque multa & magna. Alibi etiam, Et ego vidi, & Matth. 3

testimo-

D testimonium perhibui quod hic sit filius dei. Aliter præter-
spra.3. ea declaratur simpliciter hic sermo. Ioannes quidem signum fecit nullum: attamen omnia quæcunque de hoc dixit vera erant, & ideo testimonium eius fide dignum est.

Et crediderunt ibi multi in eum. Vidisti quantum eis profuerit locus, & à peruersis hominibus separari? nam frequenter ob hoc educit ipsos, & ab illorum conuersatione abducit,
xod.19. 5 20. quod etiam in veteri testamento fecisse apparet, quum longe ab Aegyptiis in deserto Hebræos informauit ac correxit.

CAPVT VNDECIMVM DE LAZARO.

Cap.11. E *Aegrotabat autem quidam nomine Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ huius sororis.* Deinde etiam signum addit quo Maria cognoscatur.

Erat autem Maria quæ unxit dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat.

Huiusmodi opus notam ac celebrem effecerat.

Miserunt ergo sorores illius ad eum. Non abierunt sed miserunt, vtpote fiduciam habentes: nam multa illis erat cum eo familiaritas. Præterea tanquam mulieres debiles, & veluti luctu detentæ. Siquidem quòd non despicientes miserint, postmodum significauerunt quando venienti multa cum festinatione occurrerunt.

F *Dicentes, Domine ecce quem amas ægrotat.* Hoc dixerunt cupientes eum ad misericordiam attrahere. Nam adhuc tanquam hominem audiebant, magnum quidem, non tamen etiam deum.

Iesus autem ut audiuit, dixit, Morbus hic non est ad mortem. Non dirigitur ad eam quæ proprie mors est, sed ad somnum aliquem: nam quæ proprie mors dicitur, vsque ad communem omnium durat resurrectionem: hic vero & mors dici potest & non mors: illud quidem propter diuisionem animæ & corporis, hoc autem propter mox futuram resuscitationem.

Sed pro gloria dei. Patris.

Vt glorificetur filius dei per eum. Nam gloria patris, gloria filij est. Item & hic dictiones pro, & vt, non causales sunt, sed significatiuæ

significatiuæ eius quod euenturum erat. Nam pater & filius A
glorificandi erant per eum. Quidam vero per gloriam intelligunt crucem, hoc est, pro crucifixione dei, vt crucifigatur filius dei per eum. Cognita nanque à Iudæis Lazari resuscitatione, huiusmodi magnitudine miraculi ad insanabilem exarserunt insaniam: & festini exurrexerunt vt illum occiderent.

Diligebat autem Iesus Martham, & huius sororem Mariam, ac Lazarum. Non tantum propter fidem earum, verum etiã propter alias ipsarum virtutes.

Vt ergo audiuit quod ægrotaret, tunc quidem mansit in loco ubi erat duobus diebus. Prædictam misit responsionem qua eas consolaretur: ipse vero adhuc permansit expectans donec animam exhalaret ac sepeliretur, vt nemo dicere posset quod B
ipsum nondum mortuum excitasset, sed ebrium aut viribus defectum, seu numine afflatum.

Deinde post hoc ait discipulis, Eamus in Iudæam iterum. Prædicit hoc quo arguat illorum timiditatẽ ab infidelitate emanantem, & vt hoc prænognito non turbarentur subito re insperata. Erat autem Bethania in Iudæa.

Dicunt ei discipuli, Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Nunc, id est, paulò ante. Nam & pro illo metuebant, & magis pro seipsis.

Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem mundi huius uidet: si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Exemplo eos exhortatur, quod quemadmodum si quis ambulauerit in die, C
videlicet in vnaquauis duodecim diei horarum, non offendit & cætera: ita etiam si quis in luce virtutis ambulat, non offendit, incidens in aliquod periculum, quia lucem virtutis videt, & viæ ducem habet. Si quis autem ambulauerit in tenebris malitiæ, offendit, quia lux non est in eo. Vos itaque in luce ambulantes non offendetis. Atqui etiam ipsi offenderunt, seu periculum passi sunt, sed non tunc. Dum enim comprehenderetur dixit, Si me quæritis, sinite hos abire: Infra.8.
nam de illo tempore nunc sermo est. Intelligitur autem & alio modo Si quis ambulauerit in die non offendit, & cætera: hoc est, Si quis ambulauerit in me aut mecum, qui sum lux & dies: nam quandiu, inquit, in mundo sum, lux sum mun Supra.9.
di, non

Di, non offendit ad vllum periculum, potentia siquidem ac virtus mea deducit illum.

Hæc dixit & post hæc ait illis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius Domine si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, illi uero putauerunt, quod de dormitione somni diceret. Ipse dicebat, Amicus noster, ostendens necessariam esse ad eum profectionem. Illi vero dicebant, saluus erit siue sanabitur, volentes eius consilio obstare: nondum enim metum abiecerant. Quod autem dicit, Vt à somno excitem eum, facilitatem resurrectionis ostendit. Hinc itaque illos intelligere oportuit, quod de morte & resurrectione eius diceret. Quomodo enim profecturus erat stadia quindecim vt eum à somno excitaret? sed opi-
E nabantur ænigma aliquod esse, qualia multa dicebat.

Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quod non fuerim ibi. Gaudeo quod non fuerim ibi: gaudeo autem propter vos vt plenius credatis, quum videritis eum resurgentem. Nam si ibi fuissem, vel non fuisset mortuus, vel non tantum apparuisset miraculum, vel suspitioni fuisset subiectum, vt prædiximus.

Sed eamus ad eum. Ne maliuoli erga amicos videamur. Hæc autem, Non eram ibi: & Eamus, ac similia, tanquam homo dicit.

Dixit ergo Thomas qui cognominatur Didymus ad condiscipulos: Eamus & nos ac moriamur cum eo. Apparet quidem magnæ sermo audaciæ, verum potius est timiditatis ac infidelitatis:
F diffidebat nanque quod non offenderent, vt prædixerat, & propterea opinabatur omnes simul cum præceptore occidendos esse. Non tamen increpauit eum Christus, tolerans adhuc eius imbecillitatem. Didymus vero quasi geminus dicebatur, quod simul cum fratre natus esset.

Quum igitur uenisset Iesus, inuenit eum ante quatuor iam dies sepultum. Ipse quidem mortuus fuerat postquam sorores ad Christum miserant eodem sane die: hic vero mansit in loco vbi erat duobus diebus, illo videlicet ac sequenti: tertio autem dixit discipulis, Lazarus amicus noster dormit & cætera: in quarto abiit quū expectasset donec oleret, vt magis manifestaretur suæ magnitudo potentiæ. Sorores autem non amplius ad eum miserunt, de fratris vita iam desperantes.

Erat

Erat autem Bethania iuxta Ierosolyma, fere stadiis quindecim. A *Multique ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam ut consolarentur eas de fratre suo.* Græce quidem dicitur πρὸς τὰς περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν: est autem Græcanici sermonis idioma, idem significans quod ad Martham & Mariam. Verum quo pacto consolabantur illas, quum indubie amarent Iesum? Aut propter nobilitatem illarum: aut propter alias virtutes: aut propter calamitatis magnitudinem. Præterea non erant hi ex eis qui omnino mali erant, quod ex eo manifestū est, quia multi crediderunt in eum.

Martha ergo ut audiuit quod ueniret Iesus occurrit ei: Maria uero domi sedebat. Ipsa sola vt hoc audiuit. Non communicauit autem sorori, ne illa quoque exeunte, tumultum concitarent, qui ad consolandum venerant. B

Dixit itaque Martha ad Iesum. Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio quod quæcunque poposceris à deo, dabit tibi deus. Si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus: petiuisses nanque à deo ne ipse moreretur, & indubie auditus fuisses, vtpote dei amicus. Nondum enim cognoscebat q̄ licet vt homo aberat, tamen vt deus præsens erat.

Ait illi Iesus, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quod resurget in resurrectione in nouissimo die. Quod ergo dixerat, Scio quod quæcunque poposceris à deo, dabit tibi deus: non dixit quod eum resuscitaturus esset sed ne à deo abiiceretur. Siquidem nondum conuenientem de Christo habebat opinionem, sicut nec discipuli, qui tamen tot ac tanta & audierant & viderant.

Dixit ei Iesus, Ego sum resurrectio & uita. Virtus resurrectionis & fons vitæ, qui exuscito vitamque tribuo, tanquam deus. Primum itaque modeste loquutus est dicens, Resurget frater tuus: at illa non intelligente, detegit iam occultam suā potestatem, & attollit mentem eius. C

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Etiam si nunc moriatur præsenti morte, viuet vita qua in futurum viuitur, hoc est, beata. Et qui adhuc viuit præsenti vita, nequaquam morietur futura morte, hoc est, misera. Hæc dicens ostendit illam esse veram vitam, veramque mortem, vtpote inuariabiles, & omni inter se successione carentes, & de illis maxime cu-

D me curandum esse.

Credis hoc? Me esse resurrectionem ac vitam, &c.

Ait illi, Vtique domine ego credo quod tu es Christus filius dei qui in mundum uenturus erat. Quod magna de seipso dixerit, cognouit: quomodo autem ea dixerit, ignorauit: & propterea vnum interrogata, aliud respondet. Sed vnde id sciebat quod respondit? Ab his qui in eum credebant. Nam & quod superius dixerat, Scio quod resurget in resurrectione in nouissimo die, ab ipso Christo didicerat, & à discipulis ipsius. Nam frequenter cum illis apud eas hospitabatur.

Et his dictis abiit & uocauit sororem suam Mariam clanculum dicens, Magister adest, & uocat te. Expectans magnum aliquod bonum à sermonibus eius, currit & vocat clanculum sororé,
E ne qui præsentes erant Iudæi cognoscerent, ac insidiatoribus fortassis eum proderent. Dixit autem vocat te vt illa citius occurreret.

Illa ut audiuit, surgit cito & uenit ad eum. Præ vehementi quo eum prosequebatur honore.

Nõdum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha. Erat adhuc ibi, docens eos qui secum erant, & docendi prætextu expectabat illas, ne accedere videretur tanquam gloriam à miraculo captans. Aut hoc dixit euangelista, ostendens quod & quæ vocauit, & quæ vocata est, adeò velociter cucurrerunt, vt eum illuc præuenerint.

Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam: quum
F *uidissent Mariam quod cito surrexisset & exisset, secuti sunt eam dicentes, Vadit ad monumentum ut ploret ibi.* Sequuti sunt eam, veriti ne quid fortassis contra seipsam perpetraret. Facti sunt autem testes miraculi, etiam non asciti.

Igitur Maria uenit ubi erat Iesus: & uiso eo procidit ad pedes Iesu dicens illi, Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Quanquam sorore feruentior erat erga Christi honorem: siquidem ipsa procidit ad pedes eius: eadem tamen dicit, eandem de illo habens opinionem.

Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum. Non ea dixit ad illam, quæ sorori dixerat: tum propter eos qui simul aduenerant, tum etiam quod sciret futurum esse, vt per ocium eadem ab

illa disceret. Iam autem commota in ipso humana A
natura ad compassionem. (Solent nanque qui humani sunt, alios videndo lachrymantes, excitari ad misericordiam) Infremuit spiritu, hoc est, affectum cohibuit, ipsum reprimens: torue ac austere præ turbatione intuit° est: ne cum lachrymis interrogaret. Nam spiritus dicitur hic turbationis affectus. Quum autem infremuisset, turbauit seipsum, siue concussit: contingit enim vt concutiantur superiores corporis partes eorum qui ita infremunt. Quidam vero spiritum intelligentes diuinitatem eius, interpretantur quod acriter humanæ naturæ comminatus est per diuinitatem: & concussit eam comminatione perterritam.

Et dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine ueni & uide. Lachrymatus est Iesus. Tanquam homo & interrogat & lachry B
matur, aliaq; facit quæcunq; hominẽ esse ipsum confirmant: tanquam deus vero quatriduanum ac olidum iam mortuum suscitat, cæteraq; operatur quæcunq; testantur eum esse deũ. Vult enim vtramq; sui naturam agnosci, & ideo nunc quidẽ humano more, nunc vero diuino, varia demonstrat.

Dicebant ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Videntes eum lachrymantem.

Quidam autem ex eis dixerunt, Non potuit hic qui cæci oculos aperuit, facere ne hic moreretur. Impotentiam ei exprobrant, & ironice dicunt, Qui cæci oculos aperuit: eo quod istud non fecerit, nec illud fecisse arbitrantes. Ignorant siquidem id quod facturus est illo maius esse: nam maius est mortem quæ iam aduenerit ac dominata sit, repellere, quàm acceden C
tem prohibere.

Iesus ergo rursum fremens in seipso, uenit ad monumentum. Lachrymatus quidem est, sinens naturam quæ sua sunt ostendere: modicam lachrymandi super mortuos mensuram tradens nobis. Deinde rursum infremit, ac affectum cohibet, vetans ne vltra modum progrediatur.

Erat autem spelunca & lapis impositus erat super eam. Ait Iesus, Tollite lapidem. Quare non suscitauit eum impositio lapide? Vt qui lapidem sustulissent, & primi grauem sensissent odorem, potissimum miraculo testimonium exhiberent. Siquidem etiam propter hoc nõ resuscitauit eum absens, sed cum multis venit ad monumentũ, & reuinctum fasciis sepulchra-

D libus ac sudario excitauit, iussitque vt soluerent eum, ad infallibilem miraculi demonstrationem: vt ab his omnibus veritas testimonium acciperet: & ne rursum quemadmodum de cæco vlla remanere posset ambiguitas.

Dicit ei Martha soror eius qui mortuus erat, Domine iam olet, quatriduanus est enim. Iam olet, & ideo impossibile est eum resuscitare iam corruptum. Nam prædictum est, quod nõdum de eo conuenientem habebat opinionem: nec ea quę sibi ille dixerat intellexit.

Ait illi Iesus, Nonne dixi tibi, quod si credideris uidebis gloriã dei? Verisimile est enim, hoc etiam eum dixisse illi: Aut hoc sibi volebant quæ illi dixerat.

Sustulerunt ergo lapidem à loco in quo iacebat mortuus. Sustu-
E lerunt eum à loco in quo iacebat.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit, Pater gratias tibi ago quia audisti me. Vide dictiones Sursum, &, Gratias ago: vt à deo missus esse credatur. Ipse siquidem in progressu docet hanc esse causam. Dicebant enim Iudæi, Non est hic à deo. sed quomodo dixit, quia audisti me, quum precatus non sit? Non est precatus, ostendens quod precatione opus illi non esset. Dixit autẽ, Quia audisti me, insinuans voluntatis identitatem: Gratias tibi ago, quia voluisti quod ego volo.

Ego uero sciebam quod semper me audis. Semper vis quæ volo: nam eadem vtrique voluntas est ac mens eadem. Deindę addit & causam huiusmodi gratiarum actionis humiliumque verborum.

F *Sed propter turbam quæ circunstat dixi.* Dixi, Gratias tibi ago quia audisti me, propter imbecillitatem circunstantium.

Vt credant quod tu me miseris. Nam hoc maxime necessarium erat, qui enim credit quod deus eum miserit, eius etiam credet sermonibus: quum aliis, tum his quibus se dei esse filium ostendit: qui autem non credit, quod deus eum miserit, is neq; eius sermones suscipiet.

Et his dictis clamauit uoce magna, Lazare ueni foras. Voce magna clamauit, ostendens quod animam vocet non presentem sed procul absentem: vtque omnes qui presentes erant, audirent hanc autoritatiue potestatis iussionem: & quum in opus deductam viderent, sublimiter de eo tanquam de deo sentirent. Non dixit autem, Resurge, sed, Veni foras: cum eo qui mortuus

mortuus fuerat tanquam cum viuente colloquens. Siquidem A
apud deum etiam mortui viuunt. Hoc ergo est quod dicebat, Venit tempus, & nunc est, quando mortui audient vocem filij dei, & qui audierint viuent. Vide enim quid sequatur.

Et prodiit qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fasciis sepulchralibus. Vinculis quibus mortui obuinciri solent. O maximum ac duplum miraculum. Nõ solum qui iam olebat resurrexit, sed etiam qui obuinctus erat exiuit à monumento. Itaque gratiarum actio, dispensationis erat, iussio ac opus autoritatis: illa propter præsentium imbecillitatẽ facta est, hæc autem propter eius potentiam & virtutem accidit. Propterea in præcedentibus dicebat, Si non facio opera pa- *Supra.10*
tris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non B
vultis credere, operibus credite.

Et facies eius sudario erat obuincta. Parua fasciola, qua ad hoc vsq; tempus vtuntur Hebræi ad tegmen capitis.

Ait illis Iesus: Soluite eum & sinite abire. Vos eum soluite, vt & tactus ferat testimonium quod non phantasma, sed ipse vere sit. Et finite abire, ne cum eo ambulans laudis ac plausus causa fiat: vtque per ocium perfectius scrutentur eum qui voluerint. Vtinam autem & mens mea in affectionum monumento sepulta, earumq; fasciis alligata, ac insensibilitatis lapidem superpositum habens, & iam olida graui peccatorum odore, verbi sermone resurgeret.

Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam, & uiderant quæ fecisset Iesus crediderunt in eum: quidam uero ex eis abierunt ad C
pharisæos, dixeruntque eis quæ fecisset Iesus. Non tanquam admirantes, sed quasi de præstigiatore calumniantes: hi autem sunt qui dicebant: Non potuit hic qui cæci oculos aperuit, facere ne hic moreretur:

Congregauerunt ergo pontifices & pharisæi consilium, ac dicebãt: Quid facimus? quia hic homo multa signa edit. Si reliquerimus eũ sic, omnes credent in eum, & uenient Romani, tollentque nostrum locum & gentem. Tollent siue perdent. Speciosum autem prætextum imponere volentes insidiis quas aduersus saluatorem struebant, ac populum contra eum commouere molientes, timorem causabantur Romanorum, quia si omnes crediderint in eum, existimabitur tyrannidem meditari: ve-

Dnientque Romani,ac perdent vniuersos, tanquam tyrannidis ac defectionis participes. Atqui ipse defectionem non docuit, quin potius censum Cæsari exolui permisit: quumque populi regem vellent eum constituere,aufugit,& frugaliter oberrabat,ac vitam probissimam omnibus proponebat: quæ magis est tyrannidis interitus. At ipsi quanquam non expectabant nec timebant, sed præ inuidia perditionem Romanorum in prętextum assumebant:ea tamen passi sunt quę causabantur:non quia Christo obsequuti sunt, sed quia ei no paruerunt. Nam propter illum traditi sunt, vt etiam testatur Iosephus. Et ipsi quidem prætextum sumpserunt occidendi illum,ne à Romanis internecioni traderentur:quia vero occiderunt,internecioni traditi sunt,& quæ fecerunt vt effugerent,ea quia fecerunt,non effugerunt.

E

Vnus autem quidã ex ipsis Caiaphas nomine quum esset pontifex anni illius. Quum in legis transgressionem impegissent, is qui potens erat, à Romanis pontificatum in annum emebat: &ipse quidem principatum suo anno obtinebat:quivero ante eum tenuerant,assidebant illi, simulque cum eo consultabant,dicti & ipsi pontifices,quod etiam ipsi principatum tenuissent, de quibus etiam in euangelio iuxta Matthæum signficauimus.

Matth.26 ucæ.3.

Dixit illis,Vos nescitis quicquam. Quod vtile sit, quod expediat,adeò segniter affecti.

Nec perpenditis quod expediat nobis ut unus homo moriatur pro populo,& non tota gens pereat.Hoc autem à semetipso non dixit.

F

Hoc:Quidnam?Vt vnus homo moriatur pro populo.

Sed quum esset pontifex anni illius prophetauit quod futurum esset ut Iesus moreretur pro natione. Non quod dignus esset, vaticinatus est,sed quod pontifex esset anni illius: non propter propriam virtutem, sed propter pontificalem dignitatem. Ahuc enim diuina gratia in templo permanebat:quæ ore illius vtens,cor non tetigit.Prophetauit autem quod futurum esset, vt Iesus moreretur pro natione Iudæorum. Pro ipsis nanq; mortuus est,vt eos saluos faceret?dicebat enim, Non

Matth.15. supra.10.

sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Et rursum,Et animam meam pono pro ouibus.Ne autem pro ipsis solis mori putetur,addit euangelista:

Nec tantum pro natione,sed ut filios dei dispersos congregaret in unum.

unum. Sicut enim non pro solis Iudæis incarnatus est, verũ A etiam pro cæteris: ita sane & mortuus est non pro solis illis, sed & pro his. Nam quæ docebat & faciebat, etiam pro his erant:vt quum illi in primis didicissent,veluti qui etiam primi deum cognouerant:postmodum & alios docerent. Filios itaque dei gentes nominauit,vt qui filij erant futuri. Et hos siquidem Christus oues suas, ab eo quod futurum erat appellauit. Dispersos autem ob varia de deo dogmata,eo quod bonum non haberent pastorem. Congregaret in vnum gregem,in vnam fidem. Cæteri vero non quasi vaticinium, sed quasi consilium suscipientes,suffragiis illud comprobant.

Ab illo ergo die decreuerunt ut occiderent eum. Atqui etiam prius illum occidere tentabant, vt prædictum est, sed nunc cum consilio & deliberatione sententiam decreuerunt:nunc B cum omni animi promptitudine & studio annisi sunt.

Iesus ergo iam non propalam ambulabat inter Iudæos,sed abiit inde in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicebatur Ephraim & ibi uersabatur cum discipulis suis. Iam non manifeste ambulabat, sed abiit in regionem quæ deserto vicina erat, videlicet in ciuitatẽ quæ dicebatur Ephraim, de tribu Ephraim, nam humano more seipsum seruabat,dum adhuc tempusexpectaret. Quomodo ergo putas turbabantur discipuli videntes illum humano more sese seruantem.

Instabat autem pascha Iudæorum,& ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante pascha. De regione Ierosolymorum.

Vt purificarent se. Secundum legem.

Quærebant ergo Iesum, & dicebant inter se stantes in templo, C *Quid uidetur uobis quòd non uenerit ad diem festum?* Pulchra purificatio cum insidiis & ad homicidium promptitudine. Festum itaq; commutauerunt in illius venationem.

Dederant autem & pontifices ac pharisæi præceptum,ut si quis cognouisset ubi esset,indicaret, quo comprehenderent eum. Admirandum pontificum præceptum,proditio ad mortem.O scelestos,quibus primordiis festum honorant?quibus animis cædem spirantibus celebraturi sunt?

Iesus ergo ante sex dies paschæ uenit Bethaniam, ubi Lazarus Cap.12. *fuerat mortuus,quem suscitauit à mortuis.Fecerunt autem illi cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus unus erat è numero discumbentium cum eo.* Ipse quidem eo venit, paulatim Ierosolymam

D appropinquans, quum iam suæ passionis tempus instaret, simul autem vt discipuli Lazarū qui à mortuis surrexerat epulantem inspicerent. Sorores vero cœnam ei parauerunt tanquam magistro & benefactori summo, ac plusquam humano.

CAPVT DVODECIMVM DE EA QVAE VNXIT DOMINVM vnguento.

E MAria ergo sumpta libra unguēti nardi pistice preciosæ. Pistice, hoc est, puræ, & ad puritatem ac munditiem ordinatæ: aut etiam appellatio quædam est hæc vnguenti.

Vnxit pedes eius. Tanquam domini sui, tanquam dei.

Et exterſit capillis ſuis pedes eius. Ostendens magnitudinem, qua eum prosequebatur, reuerentiæ ac fidei. Lege quoque sexagesimum secundum caput euangelij secundum Mat
Matth.26 thæum quod etiam ad præsentia conducit.

Domus autem impleta eſt ex odore unguenti. Nam & mundus suaui Christi Iesu odore implendus erat.

CAPVT XIII. DE VERBIS IVDAE.

F DIcit ergo unus ex discipulis eius Iudas Simonis Iscariotes qui erat eum traditurus, Quare hoc unguentum non ueniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quod de egenis ſolicitus eſſet: ſed quia fur erat, & loculos habebat, ac ea quæ mittebantur portabat. De hoc manifeste dictum est prædicto capite, vbi habetur, Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium & cætera: & eorum totam quære interpretationem. Non autem arguit Christus Iudæ propositum, magna clementia nitens eum conuertere. Verum quomodo sciens ipsum furem, permisit omnino seruare marsupium? Propter illius imbecillitatem vt inde suam fouens auaritiam, ob eam non incideret in præceptoris proditionem.

Ait ergo Ieſus: Sine illam: in diem ſepulturæ meæ ſeruauit iſtud. In diem

In diem sepulturæ meæ seruauit vnguentum, siue in tempus sepulturæ meæ: tanquam vaticinata propinquam esse A
mortem meam. Hoc autem planius scripsit Marcus, quòd & Marci.1
de alia muliere dictum est. Ait enim: Præuenit vt vngeret corpus meum in sepulturam. Moris siquidem erat cum vnguentis sepelire corpora vt conseruarentur.

Pauperes enim ſemper habetis uobiſcum: me autem nō ſemper habebitis. Apud Marcum verò dixit, Semper pauperes habetis vobiscum, & quum volueritis potestis illis benefacere. Dicendo autē, Me non semper habebitis: suggessit illis de cæde sua quæ paulo post futura erat.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quod ibi eſſet: & uenerunt non propter Ieſum tantum, uerum etiam ut Lazarum uiderent quem B
ſuſcitauerat ex mortuis. Conſultabant autem pontifices ut & Lazarū interficerent, quoniam propter illum multi abibant ex Iudæis & credebant in Ieſum. Christum occidere quærebant sumpto prętextu quod solueret sabbathum, & se deo æqualem faceret, quodque multi in eum crederent. Lazarum verò quare? an quia reuixerat? quod ergo crimen est reuixisse? Itaque tota res est inuidia. Nam inuidebant non benefactori tantum, verùm etiam beneficio affectis: ideo quoque cæcum foras eiecerant, & Lazarum interficere volebant: adeo erant non inuidi tantum, sed & veloces ad cædē. Propterea de eis quo- Pſal.13.
que dicebat propheta, Manus eorum sanguine plenæ sunt. Ieſaiæ.1.
Mordebat etiam illos quòd instāte festo plurima turba illud relinqueret & ad eum curreret. C

Poſtero die turba multa quæ uenerat ad diem feſtum quum audiſſent quod ueniret Ieſus Ieroſolyma, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei. Ne propter se Lazarum occiderent, Ieroſolyma venit: simul autem vt populus cum ramis sibi occurreret, & cōsternarentur insidiatores, possentq; ad mentē sanam redire. Acceperunt autem ramos in signum victoriæ, his eum tanquam mortis victorem venerantes.

Et clamabant: Hoſiana, benedictus qui uenit in nomine domini rex Iſrael. Hoc maxime Iudæos præfocabat, persuasam esse turbam quòd à deo veniret. Quære autem quadragesimoquinto iuxta Matthæum capite vbi dicitur, Turbę verò quę Matth.2
præibant & quæ sequebantur clamabant dicentes, Hosia na filio Dauid, & eius lege interpretationem, ac sequentium

D duorum dictorum, pulchre admodum propositam.

CAPVT. XIIII. DE ASELLO.

NActus autem Iesus asellum sedit super illum. Rursum in illo quære expositionem principij capitis, totamque perlege quum sit plurimum necessaria. Nactus est autem asellum, ab his quos miserat discipulis adductum, quemadmodum cæteri scripserunt euangelistæ. Illi verò omnia quæ de Lazaro erant, quæque sequuntur vsque ad asinam & pullum prætermiserunt, quemadmodum & alia multa, tum miracula, tum
E dogmata: siue omnino obliti, siue potius diuiniori aliqua dispensatione, vt haberet & hic post ipsos quæ propria scriberet in euangelij confirmationem. His ergo relictis, dicit, Matthæus quidem quod vbi appropinquassent Ierosolymis, venissentque Bethsphage ad montem Oliuarum, tunc Iesus
Marci.11. misit duos discipulos &c. Marcus verò, Dum appropinquant Ierosolymis ad Bethsphage & Bethaniam iuxta montē Oliuarum, mittit duos è discipulis suis. Similiter autem & Lu-
ucæ.19. cas. Apparet ergo quod egressus à domo Lazari quum adhuc Bethaniæ esset, misit discipulos, duxeruntq; asinam & pullum. Ideo cæteri quidem euangelistæ tanquam simpliciter procedente versus Ierosolyma Christo, narrant: non interrumpētes sermonem itineris versus Ierosolyma, per eam
F quæ de Lazaro esset mentionem. Ioannes verò, quæ silentio præterita erant, latius scripsit: de pullo autem ac sequenti itinere compendiosius, quòd iam conscripta essent. Hoc autem etiam considerare oportet, quòd hi qui palmarum ramos gestabant, exierunt obuiam, qui verò ramorum multitudinem ab arboribus cædebant ac sternebant in via, postquam occurrissent cædebant, de quibus Matthæus & Marcus dixerunt.
Zacha.9. Matth.21 *Sicut scriptum est, Noli timere filia Sion. ecce rex tuus uenit sedēs super pullum asinæ.* Noli timere, nam mansuetus est, & non sicut multi qui tibi dominati sunt, minax, & iniustus, ac tyrannus. Quære autem vbi prædicto capite dicitur, Hoc autem totum factum est, vt compleretur quòd dictum est per prophetam & cætera: ibi siquidem interpretationem inuenies. Quod si Ioannes nomen Mansuetus omisit, ne admireris: frequenter enim dictiones aliquas veteris testamenti re-
A linquunt, aut quasi memoriæ non occurrentes, aut quasi per ea quæ sequuntur declaratas. Nam quum super pullum sedeat asinæ, mansuetus vtique est ac modestus. Sed & Sedens ac Ascendens, idem significant, quum per eandem dictionē Hebraicam significentur. Rursumq; pullus asinæ asinus est, & pullus filius subiugalis.

Hæc autem discipuli eius primo non cognouerunt. Hæc, puta talia prophetica dicta, non cognouerunt ante crucem, quòd de eo prædicta fuissent.

Sed postquam glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quod hæc propter eum scripta essent: & hæc ei fecissent. Postquam glorificatus est per crucem & resurrectionem: tunc per spiritus B
sancti descensionem recordati sunt, quod hęc prophetica omnia propter eum scripta essent siue de eo, & quod hæc omnia quæ scripta sunt fecerant ei Iudæi.

Testimonium igitur perhibebat ei turba quæ erat cum eo quando Lazarū uocauit de monumento, & excitauit eum à mortuis. Testimoniū perhibebat de signo quod circa Lazarū ediderat.

Propterea etiā obuiam uenit ei turba, quia audierat eum hoc edidisse signum. Turba quidem eorum qui tunc crediderāt, testimonium perhibebat: turba vero eorum qui audierant, obuiam ei cum illis processit.

Pharisæi ergo dixerunt inter se, Videtis quod nihil proficitis? ecce mundus post eum abiit. Mundum dicunt multitudinē. Post eū abiit, hoc est sequitur eum. Si igitur per pharisæos intelligas insidiatores, sibiipsis indignantur quod præ segnitie ni C
hil proficiant: si vero eos qui crediderant, sed fidem propter aliorum timorem occultabant, indignantur apud se insidiatoribus quod frustra laborarent, nihilq; proficerent.

CAPVT. XV. DE GRAECIS QVI ACCESSERVNT.

ERant autem quidam græci ex his qui ascenderant in die festo. Multi siquidem Græci cultum amantes Iudæorum, & cupientes fieri proselyti ascēdebant & adorabant in festo.

Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida

D *saida Galilææ, & rogabant eum, dicentes, Domine uolumus Iesum vi-*
dere. Quum de eius fama audissent, cupiunt eum videre.

Venit Philippus & dicit Andreæ. De Græcis istis, tanquã maiori.

Rursumque Andreas & Philippus dicunt Iesu. Iesus uero respon-
dit eis, Venit tempus ut glorificetur filius hominis. Quia tunc futurum erat vt moreretur, quum Iudei de eius morte sententiam tulissent, Gentes vero ad eum accedere cœpissent. Nũc autem & hoc & illud factum est: nam & dicti Græci è Gentibus erãt. Ait, Venit tempus vt moriar: siquidẽ post mortẽ ac resurrectionem glorificandus erat in omnibus Gentibus, prædicato euangelio in vniuerso mundo. Quumque extin-
E xisse sibi visi sunt Iudæi eius gloriam, tunc in vniuerso orbe magis resplenduit. Quia ergo Iudæi cum deliberatione sententiam de eius morte tulerant, indignum erat dei iustitia vt diutius apud incurabiles permaneret, eosque qui ad sanationem parati erant despiceret. Et quare tunc ad Gentes nõ transiuit? Vt omnem Iudæorum de perfidia responsionem circumcluderet: non solum enim ipse non transiuit, sed nec discipulos in viam Gentium abire permisit. passusque ab ingratis innumera, non reliquit illos: docens, sanans ac modis omnibus beneficia præstans, donec illum occiderunt.

Amen amen dico uobis nisi granum frumenti deiectum in terram
mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum
fructum adfert. Discipulos consolatur ostendens per exem-
F plum, quod vtile sit ac necessarium vt ipse moriatur: nam in modum tritici mors eius multos adferet fructus, eritq; fertilis ac vtilis. Propter prædictam enim causam post mortem suam discipulos suos missurus erat in omnes gentes, vt iam mors eius vita esset Gẽtium. Mortem autem tritici intellige mihi corruptionem ipsius. Deinde illos quoque accendit, vt mortem despiciant, nec in propositis periculis retinendę vitæ cupidi sint, supra fidem quæ in ipsum est.

Qui amat animam suam, perdet eam. Qui tempore martyrij vitæ retinendæ cupidus est, obsequens animæ suæ plusquã oporteat, amans eam male concupiscentem. Ne gradiaris, ait, in cõcupiscentiis animæ tuæ. Qui amat eam supra deum,
cles.18. perdet eam in futuro seculo, hoc est, in supplicium cõiiciet, vt qui fidem prodiderit.

Et qui

Et qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternã custodiet
eam. Qui contrarium facit, hoc est, qui retinendæ vitæ nõ A
nimis cupidus est & cætera. Similia quoq; dixit iuxta finem deciminoni iuxta Matthæum capitis, & aliis in locis. Matth.

Si quis mihi ministrauerit, me sequatur. Me sequatur per imitationem. hoc est, si quis meus voluerit esse discipulus, me imitetur. Quemadmodum enim necesse est ministrum sequi dominum, ita quoque discipulum oportet sequi præceptorem.

Et ubi sum ego, ibi & minister meus erit. Aut idem rursum protestans dicit, aut postquam de præsenti malorum tolerãtia dixit, de futura etiam addidit fruitione, Qui me sequitur in cœlum conscendet.

Et si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater. Glorifi- B
cabit eum, tanquam ministrum legitimi filij sui. Hoc autem dixit, quoniam adhuc patrem esse maiorem eo putabant. Ne quis autem dicat quod facile de morte philosophatur, vt qui extra humanam sit imbecillitatem, ostendit quod & ipse tãquam homo indutus est naturæ infirmitate, ideo primo naturæ concedit, vt quod suum est patiatur, deinde seipsum ad tolerantiam confortat, propter id quod necessarium est ac vtile. Vide enim quid dicat.

Nunc anima mea turbata est. Humano modo commota angore trepidat propter instantem mortem.

Et quid dicam? Hæret præ timore.

Pater serua me ex hac hora. Libera me ex hoc terribili ac fu- C
nesto tempore. Postquam hæc vt homo dixit, humana formidine circundatus, seipsum refocillat ac confortat dicens:

Sed propterea ueni in horam hanc. Propterea seruatus sum in hoc tempus, vt nũc morerer: iam itaq; viriliter ferre oportet. Relicta ergo nobis naturalis timoris mensura ac fortitudinis monumento, rursus ait.

Pater glorifica nomen tuum. Quod apud cœlestes virtutes glorificatum est, glorifica etiam illud coram hominibus terram incolentibus, per ea quæ in morte mea futura sunt signa: glorifica illud per gloriam nominis mei, siquidem mea gloria tua est.

Venit uox de cœlo, Et glorificaui, & rursus glorificabo. Glorifi
caui in his quæ facta sunt signis: & rursus glorificabo in his

quæ in

D quæ in morte tua fient.

Quum audisset ergo turba quæ adstabat, dicebat tonitruum esse factum. Qui vocem non intellexerant, sed sonum duntaxat eius perceperant.

Alii dicebant, Angelus ei loquutus est. Qui vocem intellexerant.

Respõdit Iesus & ait, Non propter me uox hæc facta est, sed propter uos. Non propter me, vt discam quod non scio. Nam omnia quæ patris sunt noui, sed propter vos, vt id discatis de quo dubitatis, puta quod à deo sim: quomodo enim super me vox de cœlo descendisset, nisi à deo essem? quomodo præterea deus nomen suum & glorificasset, & rursus glorificaturus esset per me?

E *Nunc iudicium est huius mundi.* Iam nunc hominum huius mundi vltio sit per meam punitionem. Aliis siquidem omnibus hominibus mors, peccati pœna est. Nam omnes, inquit, peccauerunt, & per peccatum mors introiuit: mihi vero nequaquam, quia nunquam peccaui. quum ergo diabolus etiam mihi qui peccati expers semper permansi, mortem intulit: nunc præsenti tempore irrogatæ mihi iniuriæ pœnas luit, quippe tyrannidis subuersionem: nam mulcta ipsa siue punitio, mundi huius est vltio: præsens itaque repensio, contumeliæ quam mihi intulit vltio est, & violentiæ aduersus primos generis propagatores totumque genus irrogatæ.

Nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Extra huiusmodi

F principatum quem fraude acquisiuit. Nam quia olim veterem Adam per ligni cibum è regno mundi eiecit: nouus nũc Adam ipsum per crucis lignum è mundi regno eiicit, progenitoris inobedientiam sua curans obedientia.

Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Si addactus fuero in crucem, omnes vndique qui fidem susceperint per eam traham ad meipsum. Et vere in cruce exaltatus, latronem primum attraxit, & centurionem, eosque qui se cum illo seruabant, hinc cœpit attrahere. Traham, inquit, tanquam à tyranno detentos, ipso primum tyranno deiecto. Hanc autem attractionem alibi Raptum vocauit dicens, Quomodo potest quis ingredi in domum fortis ac vasa eius diripere, nisi primum alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet? Atqui superius dixit, Nemo potest venire ad me,

te ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum: hic autẽ ait, A Omnes traham ad meipsum, non contraria significans, sed quæ patris sunt sibi concilians, ac communia omnia ostendens, & æqualitatem per talia demonstrans.

Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Hoc: Quidnam? Si exaltatus fuero, siquidem exaltationem in cruce innuebat.

Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quod Christus maneat in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Etiam hic Legem, simpliciter diuinam appellãt scripturam, Nam frequẽtibus eius in locis immortalitas diuinitatis Christi significatur: quemadmodum etiam mortalitas humanitatis eius, & maxime in Psalmis Dauidicis. Et vide dolosum eorum conatum: quum enim superius de morte disputantem B audissent ac dicentẽ, Oportet exaltari filium hominis (quãquam hoc euangelista non addiderit, siquidem variis in locis hoc eis loquutus est) quum etiam nunc addiderit, Si exaltatus fuero: intellexerunt quod exaltationem diceret mortem: licet non de ea quæ per crucem fieret conciperent: & hinc sperabant conuinci posse ipsum non esse Christũ: tanquam dicentes, Nos audiuimus ex scriptura, quod Christus non moriatur: & quomodo tu dicis, quod ipsum mori oporteat? Deinde ne hoc de eo dicere videantur, aiunt:

Quis est iste filius hominis? Etenim si Christus est, non moritur: quòd si moritur, non est Christus. Atqui ô dementes, debilis est ratio vestra: nam & hoc & illud verum est: immortalis quidem est diuinitate, mortalis autem humanitate. Sed C Christus nunc non docuit quomodo immortalis esset, sed quomodo mortalis: sciens eos non suscepturos de sua immortalitate sermonem. Considera nanque quod quum etiam vocem quæ de cœlo venerat audissent, ac dixissent, Angelus ei loquutus est, adhuc tamen malignantur, ideo simpliciter eos admonet.

Dicit ergo eis Iesus, Adhuc modico tempore lux uobiscum est, ambulate donec lucem habetis, ne tenebræ uos comprehendant. Lucem dicit seipsum. Nam & in præcedentibus dicebat, Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Sup.8.9 Modicum autem tempus id dicit, quod ad mortem vsque deerat. Præ humanitate ergo ac benignitate protestatur & admonet

Cap.12.

D admonet illos, vt in luce ambulent, hoc est sequantur eum cum lumine præeuntem, viamque cõmonstrantem, & eius credant sermonibus. Per tenebras vero errorem intelligo, quo eos seduxerunt illorum põtifices, postquam Christum interfecerunt, affirmantes quod seductor fuisset. Intelliguntur quoque simpliciter Tenebræ, error Iudæorum, qui corporalem cultum seruantes, arbitrabantur se deo placere, ac saluos fieri. Atqui hæ tenebræ iam illos habebant: sed ait, Non vos comprehendant, id est, ne vsque ad finem dominẽtur vobis.

Et qui ambulat in tenebris nescit quo uadat. Errat, offendit, præcipitatur.

Donec lucem habetis, credite in lucem. Sermonẽ explanauit.

E *Vt filii lucis sitis.* In primordiis quoque euangelij dixit hic euangelista, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, credẽtibus in nomen eius. Sed ibi quidem intelligimus, quod filij fiant patris: hic autem quod filij ipsius filij: vt discas quod vna sit patris & filij operatio, & amborum omnia esse communia.

Hæc loquutus est Iesus, ac digressus abscondit se ab eis. Sciebat nanque iram illorum turbatam esse ac iritatam: ideo abscondit se, ne amplius inflammaretur, sed magis eius secessione sedaretur.

Quum autem tam multa signa feciſſet coram eis, non credebant in eum. Tam multa: quot autem ille ediderit, prætermisit hic

F propter eorum multitudinem.

Vt sermo Iesaiæ prophetæ compleretur. Etiam hic dictio Vt, nõ est causalis, sed euentum dicit, siue eius quod futurum est completionem. Et vbicũque dicitur, Vt sermo prophetæ cõpleretur: Vt prophetia cõpleretur: dictio Vt, & Græcæ dictiones ἵνα ὅπως ac similes, dictam eandem habent significationem: quanquam in aliis euangelistis hoc non manifestauimus. Neq; enim quia dixerũt prophetæ, ideo facta sunt quæ dixerant: sed quia futurum erat vt fierent, propterea prædixerunt prophetæ. Nam scripturæ idioma est vt prædiximus, quo significat infallibilitatem prophetiæ & omnimodam eius completionem.

Quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro? De his qui non crediderunt, hoc dixit propheta: Auditum dicens horũ ac similium,

Cap.12.

ac similium, prophetiam de Christo, quam prophetæ quũ audissent, auribus animarũ suarum à diuino spiritu immissam, prophetarunt: dicit ergo quod nullus taliũ illi crediderit. A

Et brachium domini cui reuelatum est? Brachium patris est filius, vtpote potentia ac robur eius. Ait enim Paulus, Christus dei potentia. Nihil horum cognitum est, non propter sui absconsionem, sed propter illorum cæcitatem. Ipse siquidem in modum solis, lucem suæ diuinitatis ostendebat, & per sermones, & per opera. Illi vero malitia deprauatum habentes aspectum, non illustrabantur. 1.Cor.1

Propterea non poterant credere quia iterum dixit Iesaias. Etiã hic Propterea, non causale est, sed futuri declaratiuum: quia futurum erat vt credere non possent, siue non vellent: nam si voluissent, vtique credidissent. Non posse siquidem etiam significat Non velle, sicut in præcedentibus docuimus. Aut, B Non poterant credere, prohibiti à malitia & cæcitate sua. Quid ergo iterum dixit Iesaias?

Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor illorum. Et hoc scripturę idioma est, dei permissionem quasi opus eius appellare. Siquidem Excæcauit, & indurauit, significant, excæcari ac indurari permisit tanquã incurabiles: neminem enim vi attrahit, propter liberum cuiusque arbitrium. Simile etiã est quod dicitur, Indurans indurabo cor Pharaonis. &, Declinare fecisti semitas nostras à via tua. &, Errare fecisti nos dominẽ à via tua: frequentiaq; sunt huiusmodi in veteri testamento idiomata. Tale quoq; est quod apud Paulum dicitur, Tradidit illos deus in reprobum sensum. &, Tradidit illos in affectiones ignominiæ. Nam deus nõ solum nemini hoc facit, sed nec relinquit, nisi eum relinquamus. Ait nanq;, Peccata vestra diuisionem faciunt inter me & vos. Rursumq; dicit, Ignorasti legẽ dei tui, ignorabo & ego te. Et Dauid, Ecce qui elongant se à te peribunt. Ad hæc saluator ipse in Euangeliis ad Ierusalem, Quoties volui congregare filios tuos, & cætera, & noluisti. Isa.6 Nota. Exod.4.7 Psal.43 & 105 Iesa.63 Rom.1 C Iesa.59 Psal.72 Matth.2

Vt non uideant oculis, & corde intelligant & cõuertantur, & sanem eos. Rursum Vt, nõ est causæ redditiuũ, sed futuri demonstratiuũ, quia futurũ erat vt oculis nõ viderent, & corde non intelligerent, neq; conuerterentur, nec sanarẽtur. Oculos autẽ dicit intellectuales: nam oculis nõ videre, declaratur per

Cap.12.

D tur per id quod subditur, Corde non intelligere. Hæc tamẽ
6t.13 verba alio modo declarata sunt in euangelio iuxta Matthæũ,
alio dicta tempore.

Isa.6. *Hæc dixit Iesaias quando uidit gloriã eius, & loquutus est de eo.* Hæc pura de cæcitate ac induratione & cætera. Gloriam autem eius dicit glorioſam illam viſionem, quando vidit dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & ea quæ circa ipſum erant, terribilia ac magnifica erant. Tunc enim filium vidit: & hæc poſtmodum dixit ac loquutus eſt de eo, quum tunc hæc ab eo audiſſet. Nam de Chriſto erant, quod excæcandi & indurandi erant, non viſuri nec intellecturi quod deus eſſet, neque conuertendi ab errore, vt ſanarentur vulnera animarum ipſorum.

E *Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter phariſæos non confitebantur, ne extra ſynagogam eiicerẽtur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam dei.* Siquidẽ principes non erant, ſed ſerui gloriæ humanæ. Propterea etiam dominus illis dicebat, Quomodo poteſtis vos
Iup.5 credere quum gloriam à vobis mutuo ſumatis, & gloriam quæ à ſolo deo eſt non quæratis.

Ieſus ergo clamauit & dixit, Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum qui miſit me. Mitigata Iudæorum ira apparuit iterum & docet. Quod autem dicit, tandundem eſt ac ſi dicat, Qui credit in me, credit in eum qui me miſit: non ſolũ quia vna eſt natura & diuinitas amborum, verum etiam quia honor ei qui miſſus eſt exhibitus, redundat in eum qui miſit.

F Et quod ait, Non credit in me, videtur quidem negationis,
ſed magis eſt exhortationis ad credendum. Simile quoque
Marc.9 eſt & illud, Qui ſuſceperit me, non me ſuſcipit, ſed eũ qui miſit me. Nam & hæc idiomatis ſunt, aliaque huiuſmodi. Scire autem oportet, quod aliud eſt credere ei, quàm credere in eum: illud ſiquidem eſt credere ſermonibus eius, quod de cæteris etiam hominibus dicitur: hoc autem eſt credere in diuinitatem eius, quòd de ſolo deo dicitur.

Et qui uidet me, uidet eum qui miſit me. Viſionem eam dicit quæ mẽtis eſt, ac ſi dicat, Qui meam cognouit dignitatem, eam quoq; cognouit quæ patris eſt: nam vna & eadem eſt in nobis diuinitas: & ego patris imago ſum, per omnia illi ſimilis. Videt autem quiſpiam Chriſti diuinitatem, non ex natura ſua:

ra ſua: diuina ſiquidẽ natura inuiſibilis eſt, ac penitus inintelligibilis, iuxta illud, Deum nemo vidit vnquam, ſed ex operibus diuinis eiusque ſermonibus. A Suprã.1.

Ego lux in mundum ueni. Lux intellectualis ſoluens tenebras intellectus, per diuina opera ac verba, diuinitatis radios ſanis oſtendens oculis.

Vt omnis qui credit in me non maneat in tenebris. Quæ ſunt in errore peccati. Frequenter enim eadem conteſtando dicit, aſſiduitate volens durum illorum cor emollire, & quicquid ad ſe attinet, in medium adducens: propterea ſiquidem etiam clamabat.

Et ſi quis audierit uerba mea & non crediderit, ego non condemno eum. In præſenti ſeculo. B

Neque enim ueni ut condemnem mundũ, ſed ut ſaluem mundum. Dixit etiam tertio capite, Non miſit deus filium ſuũ in mundum vt condẽnet mundum, ſed vt ſaluetur mũdus per eum: & ibi quoque lege enarrationem quæ optima eſt. Sup.3

Qui ſpernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet ipſum. Qui mihi nõ paret, nec ſuſcipit verba mea, habet qui ſe conuincat ac condemnet: quis ſit autem is, audito.

Sermo quem loquutus ſum, ille condemnabit eum in nouiſſimo die. Quis autem ſit hic ſermo, aduerte.

Quia ego ex meipſo non ſum loquutus, ſed pater qui miſit me, ipſe mihi præceptum dedit, quid dicam, & quid loquar. Quia dicebãt non eſſe eum à deo, & propterea nõ obediebant ei, ait: In nouiſſimo die ſermo quem loquutus ſum dicẽs, quod ex meipſo nõ ſum loquutus, ſed pater qui miſit me, ipſe mihi præceptum dedit quid dicã & quid loquar, ille condẽnabit eum, loco accuſatoris conſtitutus, conuincens, omnemq; amputans occaſionem, quem operibus confirmaui, ex omni parte oſtendens quod deo non ſim contrarius. C

Et ſcio quod præceptum eius uita ſit æterna. Vtpote vitã concilians æternam, tanquam ad vitã adducens æternam. Sunt ergo inexcuſabiles, qui ea nõ ſuſcipiunt quæ mihi præcepta ſunt vt loquar, videlicet verba mea, doctrinam meam: & ſibiipſis ſunt inimici, vtpote vitam non ſuſcipientes æternam. Hæc vero, Quid dicam & quid loquar, idem ſignificãt. Multa autem ſunt huiuſmodi apud ſacram ſcripturam.

Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. Et per

Cap.13.

D prædictam & per præsentem sententiam, rursum inducit eos ad fidem, parcens adhuc illis præ immensa benignitate. De huiusmodi autem humilitate verborum dispensatorie dictorum, variis in locis diximus. Illa nanq;, A meipso nō veni. &, Ex meipso non sum loquutus. &, Ipse mihi præceptum dedit quid dicam & quid loquar, ac similia: manifestius quidē confirmant, quod deo non sit contrarius: secretius vero innuunt, quod patri sit æqualis.

supra.8

Cap.13. *Ante diem festum paschæ sciens Iesus quod uenisset hora ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad patrem.* Nam postquā mortuus est ac resurrexit, à terra in cœlum migrauit.

Quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

E Suos, vocat discipulos, vtpote domesticos propter obedientiam. Sui autem appellati quoq; sunt omnes Iudæi, tanquam cognati: imò etiam omnes simul homines, tanquam creaturæ ipsius. Addidit autem, Qui erant in mundo. Nam qui iam in virtute mortui erant, eius etiam proprij dicebantur, Abraham videlicet Isaac & Iacob, quique tempore illorum iusti erāt. Quum dilexisset ergo discipulos ad id vsque temporis, tunc magis dilexit eos. Nam, In finem, idem significat quod vehementer. Quia enim iam moriturus erat, eosque relicturus, dilectionem intendit ad accensionem vehemētioris memoriæ ipsius. Signum vero intentionis fuit lotio pedum illorum: nam qui aliquem feruenter amat, ne extremum quidem eius ministerium deuitat.

F *Et cœna facta.* In diuersorio, in instrato cœnaculo: quia facta vespera, sicut dixit Matthæus, accubuit cum duodecim. Quære ergo hanc sententiam sexagesimo tertio eius capite, ac lege omnem quæ ibi data est expositionem.

Matt.26

Quum diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ ut traderet eum. Iam tunc cogitationem immisisset, quādo vnguētum effudit super caput Iesu mulier, de qua scripsit Matthæus. Quære ergo iuxta finem sexagesimi secundi capitis ipsius vbi dicitur, Amē dico vobis, vbicunq; predicatū fuerit hoc euangelium in vniuerso mundo &c. & lege finem datæ ibi expositionis. Hoc autem interposuit euangelista cū stupore admirans excellentem Christi clementiam, quia huius etiam pedes lauit, qui in proximo erat eum traditurus.

Sciens Iesus quod omnia dederit ipsi pater in manus. Tanquā filio

filio legitimo & vnigenito. Humano autem more dixit, Omnia dedit ipsi pater in manus, Christū ipsum imitans, qui frequenter huiusmodi de se dispensatorie solet dicere, sicut variis in locis diximus. Sicut autem pater tradit filio, sic & filius patri. Ait enim Paulus, Quum tradiderit regnum deo & patri. A 1.Cor.15

Et quod ad deum exisset, & ad deum iret. Tanquā filius dei ac deus. Ait ergo, Sciens seipsum omnipotentem ac dei filium: licet tantæ esset potestatis, talisque dignitatis, ad extremam tamen descendit humilitatem, tum dilectionem erga discipulos ostendens, tum eos animi modestiam edocens.

B

CAPVT XVI. DE LOTIONE PEDVM.

Surgit à cœna, & ponit uestimēta. Non omnia, sed exteriorem amictū, aut etiam indumentū quod vesti illi exteriori adhærebat, quo succinctior esset ad id quod facere parabat.

Quumque accepisset linteū, præcinxit se. Linteo sese præcinxit ad extergendos lauandorum pedes.

Deinde misit aquam in peluim. Ipse etiam aquam ferebat, & vniuersa cum omni promptitudine propriis manibus faciebat: vt & nos ministrantes, cuncta cum omni promptitudine per nosipsos faciamus, in illum respicientes: neque extollamur: quid enim sumus nos si ad deum conferamur. Linteum itaque, peluim ac hydriam à patrefamilias proculdubio in eum tunc vsum accepit. C

Et cœpit lauare pedes discipulorū, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Quia lauare cœpit ac postmodum venit ad Petrum: apparet quod primum lauerit pedes Iscariotæ: simul quidem beneficio afficiens ac honorans proditorem suum vsque ad mortem, vt & nos similiter faciamus: simul etiam compungi volens illum, qui talia aduersus talem gubernatorem cogitaret.

Et ait ei ille, Domine tu mihi lauas pedes? Tu qui filius dei es? In stuporem versus hoc dixit, ac vehementer cum reuerentia veritus.

D *Respondit Iesus & dixit ei, Quod ego facio tu modo nescis.* Quod ego hac re doceo.

Scies autem postea. Quando hoc manifestauero. Nã paulo post de hoc dicturus est, Si ego laui vestros pedes dominus & magister, & vos debetis inuicem alij aliorũ lauare pedes. Vel scies postea, quum me videris in cœlum assumptũ, quum venerit super vos paracletus: tunc enim scies qualis quale fecerim opus & quare.

Ait illi Petrus, Non lauabis pedes meos in æternum. Hoc est nunquam, assueuerabat enim honorans illum ac venerans.

Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum. *Dicit ei Simon Petrus, Domine non pedes tantum, sed & manus & caput.* Non dixit quam ob causam hoc faceret, sciens illum non posse eo modo persuaderi, sed potius magis repugnaturum: sed quũ præ nimio amore repugnaret, ex hoc illi persuadet: comminatus nãque excisionem, protinus eum inclinauit, fecitque vt ille amplius petat, quàm prius ab eo petebatur: & tantum se offerat ad id ministerium perferendum, quantum prius ad repugnandũ, imò etiam amplius. Nõ tantum, inquit pedes, sed & manus & caput: ita nimia dilectione & primum obsistebat, & postmodum concedebat.

E

Dicit ei Iesus, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. *Et uos mundi estis.* Ne opinarentur lotionẽ hanc, purificationem quandam esse, quale & baptisma: huiusmodi opinionem exemplariter soluit dicens, Qui lotus est, nõ indiget lauari nisi solos pedes quibus calcando lauacrum egreditur, sed est mundus totus, vtpote iam lotus. Et vos mundi estis, nempe mundati iam per doctrinam quam vos docui, & abiecta omni prauitate ac malitia. Nam & Chrysostom⁹ interpretans illud, Et vos mundi estis: ait etiam adiectum esse, Propter sermonem quem loquutus sum vobis. Itaque doctrina non opus est vobis, vt mũdemini ab his quibus iam emundati estis, nisi vt solis pedibus lauemini, propter causam quam nunc non scitis, scietis autem postea.

F

Sed non omnes. Non omnes mundi estis.

Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit, Nõ omnes mundi estis. Nouerat eum qui præcipitatus & contaminatus erat.

Quum ergo lauisset pedes eorum, receptisq; uestimentis suis accubuisset,

cubuisset, iterum dixit eis, Scitis quid fecerim uobis? Ignorantes interrogat, quo attentiores reddat: nam postquam factũ est, vult nunc docere quod ignorabant. A

Vos uocatis me dominum ac magistrũ, & bene dicitis, sum etenim. Sum ista, tanquam deus. Nam cum discipulis loquens sese detegit. Dicens itaque, Vos dicitis: vos me ita appellatis: sermonem inuidia carere fecit. Addens autem, Sum, huiusmodi confirmauit appellationes, nec ad gratiam, sed propter veritatem dictas demonstrauit. Iam ergo hinc ratiocinemini.

Si ergo ego laui uestros pedes, dominus & magister, & uos debetis inuicem alii aliorum lauare pedes. Non dixit, Si ego qui natura domin⁹ sum, laui vestros pedes qui natura serui estis, multo magis vos inuicem conserui, debetis alij aliorum lauare pedes. Neque dixit, Si ego proditoris laui pedes, multo magis vos insidiatorum: sed hæc per opera significans, horũ disputationem reliquit auditorum conscientiæ. B

Exemplum enim præbui uobis. Exemplum deiectionis in dilectione, hoc opere tradidi vobis.

Vt quemadmodum ego feci uobis, & uos faciatis. Ex dilectione deiecti, ac subditis ministrantes. At vero ipse quidem erat maior quam intelligi ac dici posset: nos autem sumus terra & cinis, puluis & cœnum, aut si quid his vilius est. Quando vero non tantum ad minores non deiicimus nos, sed neque ad maiores: nec solum pedes seruorum non lauamus, sed neque amicorum, quum etiam insidiatorum lauare debeamus: qua obsecro condemnatione digni non erimus? qui nõ solum Christi non imitamur exemplum, verum etiam econtrario erigimur, & ex diametro extollimur, nec quod debitum est exoluimus. Et vos, inquit, debetis inuicem alij aliorum lauare pedes. Nota. C

Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo: neq; legatus maior est eo qui misit illũ. Itaq; si ego qui incõparabiliter maior sum, meipsum adeo deieci, multo magis vos. Et hoc autẽ ineffabilis humilitatis ipsi⁹ est, quod sese dederit in exemplum, creatorẽ videlicet creaturis: & quodãmodo se cõparauerit qui incõparabilis est. Dixit autẽ & hanc sententiã decimonono capite iuxta Matthæũ: ibi ergo quære quod dicitur, Non est discipulus supra magistrum suum, &c. Matth.10

D *Si hæc nouistis, beati eritis si feceritis ea.* Si hæc nouistis quæ dicta sunt, nouistis autē ea quum à me didiceritis: beati eritis si feceritis ea, neque enim nosse sufficit, sed & facere oportet.

Non de omnibus uobis dico. Puta, Si feceritis ea. Nam de Iuda hoc dicebat, qui non solum ea facturus non erat, sed nec aliud quicquam eorum quæ præcepta erant, de proditione iam curam habens.

Ego scio quos elegerim. Noui tanquam deus, quinam ex electis meis facturi sunt ea, & quis sit qui non faciet. Superius quoque dixit. Et vos mundi estis, sed non omnes, variisque temporibus multa huiusmodi loquutus est, quæ solius proditoris pungerent conscientiam, simulque docerent quod eū non lateret proditor, & illum ad pœnitentiam ac correctionem E euocarent: verum non persuaserunt. Cur autem etiam proditorem elegerit, diximus octauo iuxta Marcum Mar.3 capite: & ibi quære quod dicitur, Et ascendit in montē, & vocauit quos ipse voluit & cętera, totamque illorum verborum lege enarrationem.

Sed ut scriptura compleatur: Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneum suum. Etiam in hoc loco dictio Vt, manifestatiua est eius quod futurum erat. Hoc quoque sicut & alia propter proditorem dicit. Nam futurum erat, vt compleretur scriptura Dauidica, quæ ait, Qui comedit panes Psal.40 meos ampliauit aduersum me supplantationem. Septuaginta ergo ex Hebraico sensu hanc ita interpretati sunt: Christus vero eandem nunc ex eodem interpretatus, aliis dictionib⁹ F eandem vim obtinētibus eadem & ipse dicit. Siquidem idem sibi volunt, Qui edit, quum euangelista Christi verba referens habet ὁ τρώγων: &, Qui comedit, quum septuaginta dicunt ὁ ἐσθίων: & Ampliauit, sicut Sustulit, eodemq; modo se habent & reliqua. Ait ergo de Iuda, Qui apud me pascitur, qui de eadem mensa mecum cōmunicat, neq; ob hoc ipsum me reueretur, ampliauit ac sustulit, hoc est confirmauit siue mouit aduersum me calcaneum & supplantationē, siue dolū ac insidias, eo quod cum inimicis sit loquutus. Solent nāque qui currentes deiicere nituntur, calcaneo insidiari, ideo calcaneus ac supplantatio dolum ac insidias denotat.

Nunc dico uobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit credatis quod

sis quod ego sum. Vt quum fuerit completa huiusmodi scriptura, credatis quod ego sum de quo illa vaticinabatur. A

Amen amen dico uobis, qui recipit quemcunque misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eū qui me misit. Iuxta finem quoq; decimononi capitis euangelij secundum Matthæum dixit, Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui Matth.10 me misit. Nunc autē etiam idē dicit, volens amplius illos consolari, quod futurum esset, vt paulò post percurrerent orbē.

Hæc quum dixisset Iesus, spiritu turbatus est. Spiritum dicit affectū mœroris ac turbationis, quo mouebatur ob ꝓditoris perditionem: nam præ nimia compassione turbabatur, vehementer enim super eo dolebat. De Lazaro etiam dictum il- Supra.11 lud declarantes, Infremuit spiritu, spiritum diximus turbationis affectum. B

Et testificatus est ac dixit, Amen amen dico uobis, quod unus ex uobis tradet me. Testificatus est siue protestatus de ꝓditione.

Aspiciebant ergo seinuicem discipuli hæsitantes de quo diceret. Siquidem miserum nondū publicare volebat, expectans adhuc eius conuersionem.

Recumbebat autem unus ex discipulis Iesu in sinu ipsius, is nimirum quem diligebat Iesus. Ipse erat qui hæc scribebat, velut significauit idem in fine euangelij. Hunc autem diligebat Ie- Nota. sus, plus videlicet cæteris, vt qui plus diligi dignus erat, ob virtutis magnæ prærogatiuam, quam ipse modestiæ causa occultauit. Dicitur autem tantam à puero curam habuisse puritatis, vt ne turpem quidem cogitationem vnquam in cor suum ascendere permiserit: turpis autem cogitatio non de C motu naturali accipienda est, sed de phantasia voluntaria: ideo etiam virgo postmodum cognominatus est. Hoc vero priuilegium dei quoque genitrici datum erat. Dicit autem Chrysostomus quod etiam amplius eum diligebat, propter excellentem animi humilitatē ac mansuetudinem, quas adeptus erat postquam de præeminentia correptus fuerat. Siquidem hæ virtutes etiam Mosen exaltauerunt. Considera Nume.12 vero & hoc quomodo solus è discipulis in magistri afflictionibus permanserit, donec spiritum exhalasset: ob hæc ergo etiam amplius eum diligebat, ac tempore illo in sinu eius recumbebat, tanquam filius in sinu patris: appropinquans similiter ei propter virtutis propinquitatem. Siquidem verisi-

D mile est, quod præcognita iam magistri morte, mœstus admodum erat, & propterea post pedum lotionem ascitus fuerat, ibique recubuerat: consolationis ergo gratia hęc scripsit, non gloriationis: nam fugiens iactantiam, suiipsius nomen conticuit. Verum quum cæteri euangelistæ prætermisissent quæ de intinctione & offula Iudæ data contigerant: narraturus hoc, incidit necessariò in horum enarrationem. Nam quia hortatu Petri clam interrogauerat quisnam esset, qui eum traderet, necesse erat dicere quomodo recumberet, vt clam cæteris posset interrogare, & quo pacto ausus est ibi recumbere ac secreto interrogare. Aut recubuisse se dicit in sinu eius, immensam illius manifestans humilitatē, qui immensæ erat gloriæ: se vero diligi ait, significans & se gratum, & illum humanum. Confitetur ergo quod diligebatur: causam vero cur diligeretur non addit, simul & gratus & modestus.

E

Innuit ergo huic Simon Petrus, ut sciscitaretur, quisnam esset de quo diceret. Ipse quidem ausus non est interrogare, propter
Matt.26. causam quam sexagesimoquarto iuxta Matthæum capite diximus: Ioanni vero hoc commisit, tanquam à præceptore maxime dilecto, qui tunc in sinu eius recumbebat.

Quum ergo ille recumberet ita super pectus Iesu, ait illi, Domine quis est? Ita, sicuti recumbebat, hoc est, non eleuatus, sed tantum conuersus. Ioannes itaque ex simplicitate ac dilectione recumbebat: nondum enim natura deum esse cognoscebat: ipse vero permittebat, etiam in hoc animum il-

F lius oblectans.

Respondet Iesus, Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et intinctum panem dat Iudæ Simonis Iscariotæ. Quære prædicto iuxta Matthæum capite, vbi dicitur, Dico autem vobis, quod non bibam ex hoc fructu vitis vsq; in diem illum & cætera: & lege totam enarrationem: nam in ea de his & iis quæ sequuntur ad verbum dictum est.

Et post offulam tunc introiuit in illum satanas. In fine illius enarrationis de hoc plane inuenies. Ingressus est autem in illum, non quod vt dæmoniacum agitaret, sed quod dominaretur ac seruituti eum subiiceret, veluti septuagesimosexto capite euangelij secundum Lucam diximus. Vel etiam per
Lucæ.22. cogitationes in illum ingressus est.

Ait ergo

Ait ergo illi Iesus, Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo intellexit A *discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quod diceret ei Iesus, Eme ea quæ ad festum nobis necessaria sunt: aut egenis ut aliquid daret.* In ea enarratione etiam hæc omnia pulchre declarata sunt.

Accepta autem ille offula, exiuit continuo. Similiter & hoc.

Erat autem nox quando exiuit. Significauit tempus euangelista, ostendens quod neq; nox eum retinuit.

Ait Iesus, Nunc glorificatus est filius hominis. Superius dixit capite decimoquinto, Venit tempus vt glorificetur filius ho- Supra.11
minis. Hic autem, Nunc glorificatus est filius hominis. Ex hoc, inquit, tempore glorificatus est, afflictionibus pro mundo toleratis: nam gloria sunt domino afflictiones quas pro seruis tolerat. Tanquam factum autem dicit id quod B futurum est, quia paulò post comprehendendus & passurus erat. Quod si domino gloria sunt afflictiones toleratæ pro seruis, multo magis seruis gloria sunt, quæ pro domino sustinent.

Et deus glorificatus est per eum. Pater glorificatus est per filium, per conuersationem qua tanquam homo pro salute hominum conuersatus est. Nam sicut filio gloria est habere talem patrem, ita sane & patri gloria est habere talem filium. Præterea quoque homines videntes admiranda quæ faciebat, glorificabant deum, quemadmodum dicunt euangelistæ.

Quod si deus glorificatus est per eum, & deus glorificabit eum per seipsum. Glorificabit filiū per seipsum, edens prodigia tem C
pore passionis tremenda ac stupenda signa: etiam hinc ostendens quod legitimus esset eius filius. Nam & propterea in su Supra.8
perioribus dixit, Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sim, vbi latiorem ac manifestiorē dedimus enarrationem.

Et continuo glorificabit eum. Continuo in ipsa cruce. Hoc autem dixit ne de gloria illa opinarentur, quem habebit in secundo suo aduentu, de qua frequenter eos docuit. Hæc vero dicens, monet stertentes eorum cogitationes, & suadet ne solum non molestę ferant, sed & gaudeant propter gloriam eius quæ paulò post futura est.

Filioli adhuc modico tempore uobiscum sum. Futura iterum

illis

D illis prædicit, vt postea recordati cognoscant, quod omnia manifeste sciens prædixerit: & ne repente superuenientia turbent illos non expectantes. Filiolos vero vocauit eos, non solum tanquam creator eorum, verumetiam tanquam magister ipsorum. Dicens autem, Filioli adhuc modico tempore vobiscum sum, vehementius suspendit desiderium eorum.

Quæretis me. Postquam mortuus fuero. Iudæis vero quū dixisset, Quæretis me, addidit, Et non inuenietis: discipulis autem hoc non addidit: nam hi inuenturi eum erant post resurrectionem. Et illis quidem insaniam mitigans, dixit, Quæretis me: his autem ardentius immittens desiderium.

E *Et sicut dixi Iudæis, Quo ego abeo uos non potestis uenire: etiam uobis dico nunc.* Sed illis quidem tanquam indignis hoc dixit: his vero tanquam nondum morituris.

Præceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem. Atqui vetus
tuit.19. erat præceptum, Diliges proximum tuum sicut teipsum: verum quod nunc datur, maius illo est: subdit enim:

Sicut dilexi uos, ita & uos diligatis inuicem. Hæc est nouitas: illud siquidem præcipiebat proximum diligere tanquam seipsum: hoc autem etiam plusquam seipsum. Nam ita dilexit nos Christus, vt nec sibiipsi parceret, sed pro nobis moreretur. Quidam vero aliter interpretantur: quod scilicet vetus præceptū erat, Diliges proximum tuum, & odio habebis
F inimicum tuum: nunc autem tradit omnes esse diligendos, videlicet etiam inimicos: siquidem ipse omnes dilexit discipulos, vt neque Iudam sibi parantem insidias odio haberet, sed potius turbaretur spiritu, hoc est, affectu mœroris ac tristitiæ propter illius perditionem.

In hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli sitis si dilectionem habueritis inter uos mutuam. Sicut & ego erga vos: quia verus discipulus præceptorem imitatur. Hic manifestus est Christiani character, hoc plane insigne: nam vera dilectio omniū caput est virtutum. Quid ergo, an non multo magis demonstrant miracula, Christi discipulum? Nequaquam: dixit enim iuxta finem quinti capitis euangelij secundum Mat-
atth.7. thæum, Multi dicent mihi in illo die, Domine domine nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia

monia eiecimus, & per nomen tuum virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, Nunquam noui vos: & lege totam quæ ibi posita est enarrationem. Atqui miracula maxime orbem allexerunt. Verum id erat, quia dilectio eos qui edebant miracula, præcedebat. A

Dicit ei Simon Petrus, Domine quo abis? Respondit illi Iesus. Quo ego abeo non potes me nunc sequi, postmodum uero me sequeris. Petrus quidem interrogauit non tantum scire volens, quantum sequi cupiens. Christus autē cognitam habens eius mentem, ad eam respondit: non dixit enim quo abiret: sed, Non potes me nunc sequi, insinuabat autem de morte.

Dicit ei Petrus, Et quare non possum te nunc sequi? animam meam pro te ponam. Quid agis ô Petre? Quum ille dicat, Non potes, tu dicis, Quare non possum? Proinde experientia te docebit ne contradicas. B

Respondit illi Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus donec ter me negaueris. Quære sexagesimoquarto iuxta Matthæum capite vbi dicitur, Respondens *Matt.* autem Petrus dixit illi, Et si omnes offendantur per te, ego tamen nunquam offendar: & lege ibi dictam enarrationem, præterea & eas quæ sequuntur vsque ad eum locum vbi habetur, Similiter autem & omnes discipuli dixerunt. Quod si variationem aliquam ferunt verba, nihil mirum. Hæc siquidem dicta sunt priusquam exirent in montem Oliuarum: illa vero postquam illuc exiuerant: nam quum bis obstitisset Petrus, bis de negatione protestatus est illi Christus: & de prima quidem repugnatione ac protestatione scripserunt Mat- C thæus & Marcus, de secunda vero Lucas & Ioannes.

Ne turbetur cor uestrum. Quum dixisset dominus ad Pe- Cap.
trum, Postmodum me sequeris: &, Ter me negabis, propter vtrumque turbati sunt, timentes ne quando ipsi ab eo amputarentur vel exciderent, solo Petro sequente: aut ne quando ipsi quoq; eum negarent, quemadmodum & eorum præfectus. Reprimens ergo illorum anxietatem, primum quidem timorem negationis consolatur, deinde etiam de timore amputationis siue excisionis.

Credite in deum, & in me credite. Credite firmiter in deum patrem & in me, ac fides quæ in nos erit, seruabit vos insuperabiles.

In domo

D *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quæ sufficiant ad
suscipiendum vos, vt semper sitis nobiscum.

Quod si secus esset, dixissem vobis, quado paraturus vobis locum.
Quod si non essent multæ mansiones, ac splendidum habitaculum, dixissem vobis quod vado ad parandũ mansionis locum vobis qui mei estis & omnibus digniores: hoc omnino sane mihi curæ est, vt vbi sum ego & vos sitis. Prædixit enim
prá.12. eis dicens, Vbi sum ego, illic & minister meus erit.

Et si abiero ut præparem vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Hoc etiam dixissem vobis, quòd si abiero vt præparem vobis locum & cætera itaque nec sic oportuit animo deiectos esse: quia vero iam
E olim præparata est multitudo mansionum, ac dignis sorte distributę sunt, fidutiam habere oportet, & non desperare. Potest & aliter dici: quòd etiam si abiero vt præparem vobis locum, videlicet vt innouem vobis ascensum in cœlum, quo nullus vnquam hominum ascendit, rursum veniam secundo aduentu, & assumã vos ad meipsum, resuscitatos ex mortuis, vt conregnetis mihi in æternum. Quanquam enim mortui ante eum ascenderunt, sed non cum corporibus: & si simul
† cum eo sunt, at nõ simul regnant †. Quia vero sciens motus cordium ipsorum, cognouit cupere illos scire quo iret, &
† viam quæ eo duceret quo iret, ait:

† *Iam sæpius diximus illud esse dogma Græcorum, de quo uide ante libri exordium in epistola ad lectorem.*

F *Et quo ego uado scitis, & uiam scitis.* Ex his quæ frequenter dixi vobis, & hoc & illud nostis, si recordamini. Ad patrem namque ibat, à quo etiam exiuerat: via autem ipse est per quẽ imus ad patrem, veluti in sequentibus dicturus est.

Dicit ei Thomas, Domine nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Putabat namque sensibilem aliquem locum esse quo iret, & eodem modo viam esse similem.

Ait illi Iesus, Ego sum uia, & ueritas, & uita. Via quidem, quia per me gradimini: veritas autem, quia vera loquor, & ea infallibiliter erunt: vita vero, quia morti quoque dominor. Si ergo ego via sum, ducãvtique vos: si etiam veritas, non mentior: quòd si & vita, neque mors vos à me separabit.

Nemo uenit ad patrem nisi per me. Nono verò capite dixit,
4.6. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum: ille

eum: ille siquidem trahit, hic autem ducit, & ambo cooperã- A
tur ad hominum salutem.

Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis.
Superius quidem dicens, Et quo ego vado scitis, & viam scitis: significauit quòd & patrem & se cognoscerent: hic autem adiiciens, Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis, ostendit quòd & se & patrem ignorarent. Id autem multis in locis facit: nam quia vtrumq; cognoscebãt, at non vt conueniebat, (postmodum enim descendens spiritus sanctus, perfectam præbuit eis cognitionem) interdum quidem dicit quòd cognoscunt, quia vtcunque cognoscunt: quandoque vero quod non cognoscunt, quia non vt oportet cognoscunt. Nunc verò ait, Si cognouissetis me vt oportet, B
quis sim quantum ad intellectum, & patrem meum vtiq; cognouissetis: nam quum mihi sit æqualis, & à me inseparabilis: qui me cognouit, & patrem cognouit.

Et nunc cognoscitis eum. Quum me cognoscatis, quanquã non vt oportet, consequens est, vt & ipsum similiter cognoscatis. Chrysostomus vero Cognoscetis interpretatur, puta, non post multum tempus, cognoscetis eum vt oportet, vbi super vos spiritus sanctus descenderit.

Et uidistis eum. Etiam potentiam eius vidistis per meam potentiam, per diuina signa quæ edidi: nam quæ ego possum, hæc & ille.

Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.
Et sufficit nobis, vt qui te iam antea cognouimus. Quia er- C
go quæsiuit nosse patrem, ostendit Christus quod eum iam nosset.

Ait illi Iesus, Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? Interrogationis sermo est, tanto tempore vobiscũ sum, diuina signa operans, & ab his non cognouisti me, quis sim dignitate & potentia? quòd deus omnipotens? Sane omnino cognouisti me, & consequens ergo est, vt & patrem cognoueris: nam imago per omnia similis sum ego patris.

Qui uidit me, uidit & patrem. Qui meam cognouit dignitatem & potentiam, cognouit & patris dignitatem ac potentiam: sumus namque per omnia similes, & vnus per alterum mutuo cognoscimur.

Et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Quomodo cognoscere

ap.14.

D gnoscere cupis quem iam cognouisti? quomodo quæris quod habes? Alio quoque modo intelliguntur hæc verba, quod
iæ. 6. quærebat Philippus videre patrem sensibilibus oculis, au-
r.10. diens fortassis à multis frequenter visum esse prophetis, spe-
iel.7. cie ac figura humana, additq;, Et sufficit nobis, vt qui ipsum filium iam videret ac nosset. Christus autem ostendit quod neque se vidisset neque nosset secundum diuinitatis naturam. Dicit ergo ei prolata negatiue sententia, Tanto tempore vobiscum sum & non cognouisti me Philippe: nam diuina natura videri non potest nec cognosci. Qui vidit me, vidit & patrem: qui vero me videre non potest, neque patrem videre potest. Et quomodo tu dicis, Ostende nobis pa-
E trem, quum nec me videris, nec cognoueris, quanquam te opinaris & vidisse & cognouisse me?

Non credis quod ego in patre & pater in me est? Quod mutuo vnus per alterum cognoscimur, tanquam omnino simi-
les. Quære autem circa finem decimi capitis vbi dicitur, Vt
14.10. cognoscatis & credatis quod pater in me est, & ego in eo: & lege eius enarrationem.

Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Sed à patre: quod si à patre, vtique à meipso: nam quæ mea sunt, etiam illius sunt: & quæ illius, etiam mea sunt. Omnia siquidem cõmunia & æqualia possidemus. Dicens autem de sermonibus, dicit etiam de operibus.

Pater autem in me manens, ipse facit opera. Ad finem prædi-
F cti capitis dixit, Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: hic vero ait, Pater facit opera, quæ videlicet ego operor. Et tunc autem & nũc idem significauit, nempe quod eadem & possint & velint. Pater ergo loquitur per filium tanquam per suum sermonem: operatur vero per filium, tanquã per suam potentiã. Præterea in me manens, hoc est à me non separatus, vel per me designatus.

Credite mihi quod ego in patre, & pater in me. Credite mihi dicenti quod ego in patre, & pater in me conspicitur.

Alioqui propter ipsa opera credite mihi. Si vero non creditis mihi propter sermones meos: vel propter opera ipsa credite mihi, quum supernaturalia sint ac diuina. Similiter quoque ad finem prædicti capitis dixit, Quod si mihi non creditis, operibus credite.

Amen

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Non dixit, Maiora facere possum his quæ feci, A
sed quod mirabilius est, etiam aliis tribuam, vt talia operentur. Deinde addit quod adhuc maius est dicens.

Et maiora his faciet. Hoc autem demonstratio est potentiæ eius qui dedit, non eius qui signa edit: nam qui per Christi nomen maiora facit opera quàm Christus ediderit, Christi potentiam prædicat.

Quia ego ad patrem meum vado. Vestrum inquit est deinceps miracula operari, quia ego ad patrem meum vado, vt in propriam restituar gloriam. Hæc autem omnia ad consolã-
dum eos dicebat, quod tristes essent, ac grauiter ferrent, quia sermones de resurrectione eius non intelligebant. B

Et quicquid petieritis nomine meo hoc faciam. Quicquid petieritis inuocato nomine meo. Dixit autem Faciam, suam ostendens potentiam.

Vt glorificetur pater per filium. Patris siquidem gloria est filij omnipotentia.

Si quid petieritis nomine meo, ego faciam. Ego tanquam cum patre æqualiter omnipotens. Idem autem dixit, sermonem maxime cõfirmans. Quia vero illos petere oportet qui eum diligunt: docet quomodo illum diligere oporteat, quia non solo verbo, sed & opere.

Si diligitis me, præcepta mea seruate. Nam dilectionis meę signum est obseruatio præceptorum meorum: eorum vero obseruatio est completio aut operatio illorum. Quia autem C
verisimile erat corporalem eius conuersationem, assuetaque colloquia eos expetere: adhuc consolatur illorum dolorem, dicens:

Et ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Hinc incipit discipulis notitiam dare de spiritu sancto. Alium inquit paracletum tanquam mè, siue admonitorem ac præceptorem in certaminibus virtutis: solatium ac subsidium in afflictionibus. Dicens itaque Alium, ostendit personarum differentiam. Dicendo autem paracletum siue consolatorem, docuit naturæ identitatem, siquidem consolatores sunt & filius & spiritus sanctus. Non tamen dixit Mittam, ne dei aduersarius esse videretur, & quasi alicuius alterius virtute facere sermones: sed nunc quidem rogaturum se patrem promisit, &

D misit,& propter dictam causam,& vt fide dignus haberetur.
fra.16. In sequentibus autem propriam ostendit dignitatem dicés,
Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem
fra.20. abiero, mittam vobis eum. Et rursum accipite spiritum sanctum. Sed quomodo ab alio datur ac mittitur, qui vbique præsens est, suaque diuidit singulis prout vult charismata? Non tanquam seruus datur ac mittitur, sed tanquam eiusdem naturæ, & eadem volens cum patre ac filio. Non enim sicut hæc in creaturis significant, ita & in trinitate increata.
† Et datur quidem à patre, vtpote ab illo procedens †, mittitur vero à filio quasi cooperans & non contrarius. Nunc ita-
E que dari ac mitti ait spiritum sanctum: in sequentibus autem etiam huius ostendit potestatem dicens, Quum autem venerit ille,& cætera.

† † *Tangit hic dogma Græcorum, de quo uide ante libri exordium in epistola ad lectorem.*

Vt maneat uobiscum in æternum. Qui nec post mortem vestram separetur. Deinde etiã docet quis sit alius paracletus.

Spiritum ueritatis. Hoc est verùm siue præcipuum, quantum ad alios spiritus. Nam & angelus dicitur spiritus & anima & ventus ac pleraque alia. Ne autem alium spiritum audientes, suspicétur etiam illum esse in carne, ac sensibilibus visibilem oculis, ait:

Quem mundus non potest accipere. Nõ potest accipere sensibiliter.

F *Quia non uidet eum.* Corporaliter, quum sit incorporalis.

Nec cognoscit eum. Quum illum non videat. Intelligitur autem & aliter: quòd is cui mundana curæ sunt, non potest illum suscipere, quia non videt eum, siquidem excæcatus est oculis intellectualibus: nec cognoscit eum, quum nihil sublime possit intelligere.

Vos autem cognoscitis eum. Propemodum illum cognoscitis. Nam post breue tempus descendet ac docebit vos. Vel, Cognoscitis eum ex mei cognitione. Sicut enim qui nouit me, nouit & patrem: ita rursum qui nouit me, nouit & spiritum sanctum. Nam tres vnius sunt substantiæ ac naturæ, potentiæ ac dignitatis.

Quia apud uos manet. Sicut enim pater mecũ est, ita & spiritus sanctus. Inseparabilis siquidem est beata trinitas.

Et in uobis

Et in uobis erit. Non moriens sicut ego: neque enim in- A
carnatus est sicut ego. Quia verò quum tam multa dixisset, nondum tristitiam illorum repulerat: quia grauiter adhuc ferebant ac mœrebant, vt qui iam orphani relinquerentur, huiusmodi curat mœstitiam.

Non relinquam uos orphanos. Paternæ miserationis verbum est, multam adferens consolationem ac oblectationem. Nequaquam vos relinquam orphanos, qui filij mei estis.

Veniam ad uos. Veniá rursum post tertij diei resurrectionem, quanquam non vt prius conuersans.

Adhuc modicum & mundus iam me non uidebit. Quum tanquam homo moriar.

Vos autem uidebitis me. Apparentem vobis per intermissa B
tempora, conuersante semper vobiscum alio paracleto.

Quia ego uiuam. Viuam rursus à mortuis resurgens.

Et uos uiuetis. Non statim mecum interfecti, sed mea virtute multo adhuc tempore cõseruati. Vel, Vos viuetis etiam post mortem vita beata.

In illo die cognoscetis uos, quod ego in patre meo sum. In illo die, resurrectionis meę videlicet, cognoscetis quod ego à patre meo indiuisus sim, eadem potens cum illo.

Et uos in me, & ego in uobis. Et quòd vos etiam in me, custoditi ac roborati: & ego in vobis, custodiens ac roborans vos. Hæc autem cognoscetis, repressis inimicis, vobisque libere loquentibus, ac euangelio indies florente. Christus itaque in patre, ratione eiusdem potentiæ: Apostoli verò in C
eo, & ipse in illis, ratione auxilij. Siquidem nouit frequen- Nota.
ter scriptura eisdem verbis de deo & homine positis, non similiter vti. Nam & Christus & nos filij dei ac dei dicimur, & imago ac gloria dei: sed magna est differẽtia, & multa variis in locis similia inueniuntur.

Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Neq; enim sufficit ea tantum habere, sed & facere illa oportet. Quum autem hoc primum dixisset, nunc rursum idem dicit, ostendens quod dilectionis ipsius signum non est, dolere de separatione eius: nam id timiditatis potius est, sed præcepta eius seruare.

Qui uero diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Et ego, tãquam post resurrectionem in pristinam restitutus

dignitatem. Considera verò consequentiam admirabilem. Qui seruat inquit præcepta mea, diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo: quem verò pater dilexerit, & ego omnino diligam, vtpote ambobus eadem & volentibus & suscipientibus.

Et manifestabo ei meipsum. Interdum quidē humano more, quandoque vero diuino splendore. Hoc autem audiens Iudas Iacobi qui & Lebæus dicebatur & Thaddæus, putauit quòd veluti mortui sæpius faciunt, in somniis manifestaturus esset seipsum: ideoque turbatus, non est ausus explicare quòd volebat, puta Hei nobis quia morieris, & in modum mortui manifestandus es: sed alio modo per interrogationē suam ostendit turbationem.

Dicit ei Iudas non Iscariotes, Domine & quid factum est, quod manifestaturus es nobis teipsum & non mundo? Quid factum est? grauiter ferentis est ac turbati. Quid accidit quòd nobis manifestandus es in somniis, & non mundo cōsueto more? nam quia nolebant vt moreretur, admirādam ac desperatam putabant mortem eius.

Respondit Iesus & dixit ei, Si quis diligit me, sermonem meū seruabit: & pater meus diliget eum, & ad illum ueniemus, ac mansionē apud eum faciemus. Ad eum qui me diligit, ego & pater veniemus, hoc est ita apparebimus sicut pater meus, & non sicut mortui: & mansionem apud eum faciemus: more diuino in eo habitantes, quòd somniorum non est.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat: & sermo quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Ostendit quod is qui sermones suos non seruat, nec se nec patrem diligit. Ait enim, Qui non diligit me, sermones meos non seruat: quæ autem dico, non mea sunt, sed patris mei. Itaque qui meos nō seruat sermones, nec patris seruat sermones: qui verò patris non seruat sermones, neq; patrem diligit, siquidem dilectionis signum est obseruatio præceptorum. Quomodo autem sermo quem loquitur, sit eius & nō sit eius, iam prædiximus. Verùm quia sciebat eos quædam non intelligere, in quibusdam autem etiam dubitare: promittit & eorum quæ ignorabant, & eorum de quibus ambigebant intelligentiam.

Hæc loquutus sum uobis apud uos manens. Hæc quæ obscura videntur. Addidit autem, Apud vos manens: etiam hinc ostendens,

ostendens, quòd paulo post abit ad patrem.

Paracletus autem spiritus sanctus quem mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia. Quæ videlicet ad vos spectant. Nomine meo autem, id est vt hic me referat, & meis fungatur vicibus. Nam quia ipse completa dispensatione ascendit ad patrem, reliquum erat vt loco eius descēderet spiritus sanctus, ne paracletus siue exhortator nobis deficeret, sicut ait Gregorius Theologus. Et quare tunc non docuit quæ ad illos pertinebant? Quia amplius ferre non poterant, sicut dicet in sequentibus.

Et suggeret uobis omnia quæ dixi uobis. Perfectius ad memoriam reducet, nam verisimile est eos quædam obliuioni tradidisse.

Pacem relinquo uobis. Alij quidem homines morientes pecunias ac possessiones domesticis relinquunt: Christus verò pacem suis relinquit. pacem, cuius & res & nomē dulce. Pacem inquit, relinquo vobis, vt pacifici erga vos mutuo sitis & erga me, & ita vobis nulla mundi turbatio quicquam nocebit, neque impedimento erit.

Pacem meam do uobis. Quæ à me amatur, quæ propter illa quæ animæ prosunt conceditur, non mundi pacem, quæ ob ea quæ nocent animæ seruatur.

Non quomodo mundus dat ego do uobis. Siquidē mūdus siue mundana sapientes, pacē mutuo dant mali causa: ego verò pacem do vobis boni causa. Aut aliter: mundus pecunias ac possessiones suis largitur: ego vero pacē do vobis qui mei estis. Quia autem dicendo, Pacem relinquo vobis, quo separationem indicabat, maiorem ei s iniecerat turbationem, ait:

Ne turbetur cor uestrum, neq; formidet. Vides quòd nō tantum amoris magnitudine mouebantur, quantum formidine: putantes se discerpendos ab illius inimicis?

Audistis quod dixerim uobis, Vado & uenio ad uos. Nō solum dixi q; vado, sed etiā q; venio ad vos. Quid ergo formidatis?

Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim, Vado ad patrem. Quia de mea nondum certiores facti estis potentia: & quia morior, putatis me post mortem non posse vos conseruare, debetis tamen gaudere quòd dixerim, Vado ad patrem, qui potens est vos ab omnibus insidiis eripere, cognoscentes quòd omnino legatione fungar pro vobis.

D *Quia pater meus maior me est.* Maior me est, vt vos putatis, tanquam manifestius in scripturis promulgatus. Hæc autem omnia dicit indulgens suspitioni ac imbecillitati illorum, & ex ipsa non recta eorum opinione arguens illos. Nam in veritate pater maior quidem est, at non potentia, sed solo principij modo, quia filio principium est generationis: siquidem ex patre est filius.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit credatis. Dixi vobis quæ sunt de mea profectione, ac rursum de meo reditu, & de alio paracleto, vt quum fieri videritis, credatis quòd omnia & nouerim & possim. Ita consolaturus eos, rursum tristia dicit: horum frequentia illos exercens ne perie- E culorum tempore turbarentur. siquidem quod expectatum est, leuius ferri solet.

Iam non multa loquar uobiscum: uenit enim princeps mundi. Mundum appellat hic malitiam, principem vero diabolum: non enim cœlo ac terræ dominatur, sed malitię, quod omnia strauerit ac peruerterit. Ipse autem dicitur etiã princeps tenebrarum siue peccati. Ait ergo, Venit aduersum me diabolus cum peruersis Iudæis, data sibi è supernis potestate. Nam Lucæ.22. & apud Lucam dixit ad eos qui se comprehendebant: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.

Et in me non habet quicquam. In aliis quidem hominibus peccatum est causa mortis: nullus siquidem peccati expers est, ideo nullus immortalis: in me verò non habet vllã mor- F tis causam: ego enim absque peccato sum: & propterea condemnabitur, sicut prius decimoquinto capite enarrauimus, Supra.12. vbi dicitur, Nunc iudicium est huius mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

Sed ut cognoscat mundus quod diligam patrẽ. Sed morior vt cognoscant omnes quòd diligam patrem, obediens illius voluntati: voluntas autẽ eius est, vt moriar pro salute hominũ.

Et sicut præcepit mihi pater, sic facio. Vt cognoscant quòd præceptum eius moriens adimpleam.

Surgite eamus hinc. Videns discipulos admodum metuẽtes, & se iam comprehendi ac interfici imaginantes: & propterea crebro retrorsum se conuertendo, non satis his quæ dicebantur aduertere: siquidem maximum illis angorem inducebat, tum locus publicus, tum nox, & præcipue quod dixisset,

dixisset, Venit princeps mundi: transfert illos in locum A alium tutiorem, quo existimantes in tuto esse, absque vllo metu audirent: nam magna audituri erant dogmata. Deinde rursum ait.

Ego sum uitis uera. Id est eximia, incorruptibilis, spiritua- Cap.15. lis: siquidem hæc frequenter significat nomẽ ἀληθινὸν. Aliter quoq; dicitur Vitis vera: quia pro fructu profert veritatem. Seipsum itaque vitem nominat, vtpote præbentem dulcedinem ac humani cordis lætitiam, ipsam videlicet prædicationem, quam etiam scriptura vinum appellat, & tanquam radicem discipulorũ: palmites verò discipulos, quasi ex ipso germinantes, sermone doctrinæ, & per eum nutritos ad fructificationem maturorum botrorum siue virtutum, vt & ipsi B similiter præbeant vinum doctrinæ.

Et pater meus agricola est. Curator, non tamen radicis sed palmitum. Vere hæc vitis eximia est, in qua de solis palmitibus curam habere oportet: patri autem curam eorum attribuit tanquam deo, ostendens quòd his qui fructificant auxilio est, eosque punit qui fructum non ferunt.

Omnem in me palmitem non ferentem fructum tollit. Omnem palmitem qui ex me germinauit, mihique per fidem vnitus est, nec fructum affert, excidit tanquam inutilem ac dignum igne. Omnis itaque Christianus qui infructuosus est, à Christo excisus est, quanquam per fidem illi coniunctus esse videatur & æterno igni reseruatus est.

Et omnem qui fert fructum purgat, ut fructum adferat copio- C *siorem.* Purgat eum per tentationes, permittens vt in eum inducantur, illæ namque quòd damnum adfert, expoliunt, ac omne robur maioremque virtutum fertilitatem accersunt. Ne autem aliquos ex ipsis infructuosos esse suspicentur, atque de seipsis iterum turbentur, huiusmodi præuenit tumultum, dicens:

Iam uos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum uo- *bis.* Purgati meo quo vos docui sermone. Vides quod licet vitis sit, est tamen etiam agricola: est enim hæc agricultura communis patri ac filio, veluti sane & alia. Ne autem præ nimia formidine exciderent à fide ac habitu quo erga se affecti erant, laxatam iam animam astringit, sibique conglutinat, dicens:

D *Manete in me, & ego in uobis.* Manete in me firmiter mihi conglutinati per fidem indubitatam, habitumque indissolubilem, & ego manebo in vobis, potentia vobiscum permanens, vosque amplectens, aut continens vos sicut vitis palmites, ac fructiferos reddens.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Neque vos fructificare potestis, si à mei coniunctione distrahamini.

Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Explanat parabolam. Et considera quomodo dixerit, Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Nam frequenter manet quis coniunctus in Chri-
E sto per fidem, non manet autem Christus in eo, auersans illum tanquam indigne se gerentem: hic fert quidem fructum, at modicum: vnum aut alterum opus bonum obiter perficiens. Videmus autem & in vineis huiusmodi palmites, qui, dum illis non gaudent vineæ, miserabiles quosdam ferunt racemulos.

Quia sine me nihil potestis facere. Tanquã germina quæ virtute à radice procedente non fruuntur. Quum autem superius dixerit, Non potestis ferre fructũ, nisi in me manseritis: nunc etiam periculum dicit eius, qui in se non manserit.

Nisi quis in me manserit, eiicietur foras sicut palmes. Tanquam sarmentum inutile.

Et exaresc et. Et perdet quem habebat ex radice gratiæ
F humorem.

Et colligent eos. Et congregabunt angeli huiusmodi sarmenta in die iudicij.

Et in ignem coniicient. Gehennæ.

Et ardebunt. Inflammabuntur, non tamen comburentur. Non manentes autem in se, dicit non eos solum qui ab illo sunt amputati aut abscissi, sed & illos qui non firmiter cum eo copulantur.

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint: quodcunque uolueritis petetis, & fiet uobis. Nihil enim indignum petet, qui in dei præceptis versatur. Considera verò hoc esse Christum in discipulis manere, verba eius in illis manere siue seruari, aut opere perfici.

In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum copiosum adferatis. Glorificatus

Glorificatus est, hoc est glorificabitur. Vt adferatis, id est si A
attuleritis. Multa siquidem sunt apud scripturam huiusmodi idiomata.

Et efficiamini mei discipuli. Perfecti efficiamini. Obseruandum igitur quod is qui fructũ adfert copiosum, hic perfectus efficitur Christi discipulus. Glorificari autem dixit patrem & gaudere, in copiosa fructificatione, & perfecto discipulatu ipsius: adhortans eos ad hanc rem, tanquam ad id quod domino gratum est.

Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Eo modo quo me dilexit pater tanquã videlicet facientem voluntatem suam: ita & ego dilexi vos, tanquam scilicet facientes voluntatem meam. In præcedentibus quidem data est à nobis distinctio de Sicut, Quemadmodum & si milibus, q̃ quum de patre, fi-
lio, ac spiritu sancto dicuntur, æqualitatem significant: quũ B
vero de deo & hominibus, similitudinem designant, verum similitudo non vbique per omnia quadrat.

Manete in dilectione mea. Rursum astringit illos ad se.

Si Præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Et quomodo moreris velut homo carens auxilio? Quia vult hoc pater & ego pro hominum salute: quia hanc quoque rem duco gloriam. Sicut ergo ego dilectus à patre tamẽ pro vobis morior: sic & vos ita à me dilecti, moriemini tamen pro me. Nam huiusmodi mors iuxta beneplacitum est, non ex odio aut imbecillitate.

Hæc loquutus sum uobis, ut gaudiũ meum in uobis maneat. Hæc consolatoria verba loquutus sum vobis, qui ob meam discru- C
tiamini mortẽ: vt gaudium quod erat propter me, quo de me gaudebatis, donec aduenirent hæc tristia, nõ corrumpatur, sed in vobis maneat, quũ certiores facti sitis, quod nõ relinquam vos orphanos, sed iterum veniam ad vos.

Et gaudium uestrum compleatur. Et vt gaudium vestrum, quod de me est, compleatur, sicut ab exordio eius expectabatis, sperantes semper mecum conuersari.

Hoc est præceptum meũ, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Vt diligatis vos inuicem adeo vehementer, vt etiam pro vobis inuicem moriamini: ego enim sic dilexi vos, vt etiam pro vobis iam moriar. Frequenter autem talia dicit, vt cordi-

bus eorũ charitatem indelebiliter insculpat. Vide autẽ admirandum vinculum: siquidem ostensum est quod mansio in Christo procedit ex eius dilectione, & obseruatione mãdatorum illius: præceptũ vero eius est, vt diligamus nos inuicem. Itaq; diligere nos inuicem, est in Christo manere: & seruare dei præcepta, est diligere deum, suntque inter se cõnexæ dilectio quæ est erga deum, & quæ est erga nos inuicem. Dicens autem, Sicut dilexi vos, ostenditquod voluntarie propter illorum dilectionem moriatur.

Maiorẽ hac dilectionẽ nemo habet, ut quis animã suam ponat pro amicis suis. Maiorem hac quæ adeo magna est, vt etiam animam pro amicis relinquat, sicut ego nunc facio. Itaq; non ex imbecillitate, sed ex vestri dilectione morior, ac dispensatorie à vobis separor: nolite ergo contristari. Et quia amicos eos ostendit, nunc etiam dicit quomodo sint amici sui.

Vos amici mei † estis, si feceritis quæcunque ego præcipio uobis. O incomparabilem humanitatem. Nunquam quispiam seruum benignum facit sibi amicum: Christus autem etiam hoc facit: magis autem & fratrem eum efficit, Nuntiate, inquit, fratribus meis, vt abeant in Galilæam: atque patri hunc in filium ascisci: simulque regni cœlorum hæredem constituit.

† *Etiam hoc loco præsens ἐστὲ estis, pro futuro ἔσεσθε eritis accipitur, ueluti post pauca dicet autor: sicut paulo ante dixit δοξάσθη glorificatus est capi pro glorificabitur, & φέρητε adferatis, pro Attuleritis, & frequenter alibi.*

Iam non dicam uos seruos. Et quando illos dixit seruos? Quando docens occultabat suæ diuinitatis potentiam. In præcedentibus etiam dixit, Vos vocatis me dominum & magistrum, & bene dicitis: sum etenim.

Quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Quid faciat occultum.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci uobis. Renunciaui vobis omnia tanquam amicis, quæcunque videlicet ferre potuistis: quæcunque æquum erat vt audiretis: amico nanque & non seruo credit quispiam arcana. Atqui superius quum diceret, Vos amici mei estis si feceritis quæcunque ego præcipio vobis, ostendit quod nõdum erant, sed futuri tunc quum ea facerent: quomodo ergo hic ait, Vos

ait, Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis? Verbum Estis, siue eritis, pro Permanebitis accipito, ac si dicat, Quum iam sitis, etiam in futurum permanebitis si feceritis &c. Deinde & aliud ponit signum quod eos haberet amicos suos.

Nõ uos me elegistis sed ego elegi uos. Negatiue sermo pronuntiandus est nõ interrogatiue, Vos non elegistis me sed ego elegi vos in amicos: ego ad amicitiam vestram accurri.

Et posui uos. Et plantaui vos in dilectione mea, in fide quę in me est.

Vt uos eatis. Vt extendamini crescentes.

Et fructum adferatis. Veluti superius significatum est. Aut Fructum, spiritualia charismata: aut multitudinem eorũ, qui studio illorum saluandi sunt.

Et fructus uester maneat. Maneat incorruptus, perpetuus.

Vt quicquid petieritis patrem nomine meo, det uobis. Nomine meo, hoc est tanquã mei, tanquam Christiani. Vel, inuocato nomine meo, sicut etiam in præcedentibus declarauimus, vbi dicebat, Et quicquid petieritis nomine meo hoc faciam. Ac rursus, Si quid petieritis nomine meo, hoc faciam: ex quibus ostensa est potentiæ æqualitas patris & filij.

Hæc annuntio uobis ut diligatis uos inuicem. Hæc loquor vobis, puta quòd morior pro vobis, & quod ego ad amicitiam vestram accurri, non improperans, sed incitans vos ad mutuam inter vos dilectionem. Quia vero turbabantur tanquã iam ab omnibus Iudæis odio habiti, deinceps consolatur etiam eorum tristitiam.

Si mundus uos odit, scitote quod me priusquam uos odio habuerit. Mundum dicit malos Iudæos. Sit, inquit, vobis in consolationem, quòd ego priusquam vos fuerim odio habitus: & gaudete magis, quia mecum in odio malorum cõmunicatis. Deinde aliam quoque ponit consolationem: quod si è numero malorum essent, mali vtique eos diligerent.

Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret. Quod suum esset, hoc est, sibi simile: gaudet nanq; simili simile.

Quia uero de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Itaque odio haberi vos à malis, demonstratio est virtutis, quemadmodum etiã à talibus amari, signum est malitiæ. Quia vero abiectam eorũ mentem erexit: rursum

Dxit:rursum ipsos ab his quæ cõtra se fiebant consolatur.

Mementote sermonis quem ego dixi uobis. Et quis sit ille sermo aduerte.

Non est seruus maior domino suo. Nam hunc sermonem in præcedentibus dixit eis: nec id semel,sed variis in locis. Ait ergo,Non estis vos me meliores.

Si me persequuti sunt,& uos persequentur. Cõsequens enim est,vt si mei estis discipuli, bono sitis animo ad similia cum præceptore sufferenda,& per vestigia me sequendum.

Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Neque grauiter feratis quod vos persequãtur, aut quod vestros contemnant sermones: quæ enim in me ostenderunt, hæc etiam in vos ostendent: & sufficit, inquit, seruo vt sit sicut E dominus eius.

Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum. Hæc omnia: puta persequentes, & sermonem vestrum non seruantes.Si ergo diligitis me, gaudebitis omnino, quia hæc propter me patimini, quia & ego propter vos: & vos quidem pro domino,ego vero pro seruis. Deinde ponit & aliam cõsolationem.

Quia non nouerunt eum qui misit me. Quia contemnunt eum qui me amandauit,hoc est,patrem quoque contumelia afficiunt. Gaudete itaque nobiscum affecti contumelia. Post hæc Iudæos omni priuat venia,quòd de industria perperam operati sint,taliaque perpetrauerint.

Si non uenissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: F *nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.* Si non docuissem eos,peccatum nõ haberent persequendo ac contumelia afficiendo & me & vos qui mei estis,vtpote non dicẽtem quis essem,nec id à scripturis ostendentem.

Qui me odit,is & patrem meũ odit. Explanat & auget peccatum illorũ dicens,quod filij iniuria,patris est iniuria. Postquam autẽ dixit de doctrina sua,dicit etiam de signis suis.

Si opera non fecissem inter eos,quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Et vere ipsi testes erant dicentes, Nunquam apparuit sic in Israel,aliaque similia.

Nunc autem & uiderunt. Huiusmodi opera.

Et oderunt & me & patrem meum. Superius nanque dixit, Qui me odit,is & patrem meum odit. Et rursum alibi, Qui non

non honorat filium,non honorat patrem qui misit illum. A

Sed ut compleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Oderunt me gratis. Etiam hic dictio Vt,non est causalis,sed futuri significatiua,quod futurum sit, vt hic sermo compleatur. Legem vero dicit librum Psalmorum in quo scriptum est,Et sermonibus odij circundederunt me & oppugnauerunt me gratis,siue frustra, absque ratione, propter suam malitiam. Ne autem dicant Apostoli, Si te persequuti sunt, & sermonem tuum non seruauerunt: si quum talia edocti sunt,taliaque viderunt,nihil illis profuit: si te & patrem tuum oderunt: similia quoque aduersum nos demonstrabunt: quam igitur ob causam ad tales nos mittis? inducit consolationem, dicens quod spiritus sanctus cooperabitur illis.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM
DE PARACLETO B

VUm autem uenerit paracletus quem ego mittam uobis à patre,spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. De mea diuinitate. Nam quum pater testimonium perhibuerit de me, spiritus sanctus quoque multifariam testimonium omnino perhibebit. Testificabitur autem lucens in cordibus vestris ad maiorem certitudinem: & miracula operans ad nomen meum. Vide autem quod mittit quidem eum & filius, tanquam eiusdem cum patre honoris: verum id à patre,puta procedẽtem. Procedit itaque à patre, tanquam de eius substantia †. Ideo etiam omnia quæ patris † R
sunt nouit,sicut & filius. Quod si roget quis, cur etiam filius C hi
non dicitur ipse spiritus,quum etiam ab eodem sit patre,Dicemus quia non natus est quemadmodũ filius,sed alio modo pertiu
procedit. Ideo Nati quidem vocabulum filio conuenit,Pro- tangi
cedentis vero spiritui. Rursum si pergat interrogans,quid sit dogm
illa processio, pergemus & nos dicentes, inuertendo paulum quod ait Gregorius Theologus:Dic tu generationem filij, & nos naturam eloquemur processionis spiritus: & ex æquo pugnabimus, in dei mysteria tanquã per transennam prospicientes. Quare autem filius & spiritus nõ dicuntur fratres,quum eundem habeant patrem? quia non eodem modo

ex illo

D ex illo sunt: siquidem ille nascitur, hic vero procedit.

Et uos testes eritis, quia ab initio mecum estis. Testes sermonum & operum meorum, ac meæ diuinæ potentiæ: fide digni, quia ab initio prædicationis meorumque miraculorum mecum estis: & omnino multos ad fidem adducetis: neque enim omnes similiter mali sunt.

16. *Hæc loquutus sum uobis ne quid offendamini.* Quum malos videritis persequentes vos, ac iniuria afficientes, sed cognoscentes quod paracletus vobis auxilietur, bono sitis animo, ac viriliter agatis.

2. *Extra synagogas uos eiicient.* Prædictum est enim, quòd statuerunt Iudæi, vt si quis confiteretur ipsum esse Christũ, extra synagogam eiiceretur.

E *Sed ueniet tempus, ut quisquis interfecerit uos, uideatur cultum præstare deo.* Sed procedente tempore, inquit, adeo insanient, tantoque studio vestram affectabunt mortem, vt eum qui vos occiderit, putent sacrificium ac victimam obtulisse deo, & opinentur coluisse eum magis, eique placuisse, vt qui seductores ac pestiferos occiderit.

Et hæc facient, quia non nouerunt patrem neque me. Propter quos hæc sustinebitis: & satis est vobis ad consolationem, quod hæc propter nos patiamini. Non nouerunt autem patrem neque me, idque voluntarie, sponte videlicet deteriora sectantes.

Sed hæc loquutus sum uobis, ut quum tempus illud aduenerit, reminiscamini eorum, quod ego dixerim uobis. Vt quum venerit tem

F pus persequutionis ac mortis vestræ, reminiscamini eorum, quæ videlicet loquutus sum vobis: siue vt recordemini, quod ego prædixerim vobis omnia, tanquam vniuersa cognoscés: & vt à vera tristium prænunciatione, fidelem me habeatis etiam in bonorum promissionibus. Nam deceptor nõ ea prædicit quæ à deceptione abducunt, sed ea tantum quæ attrahunt. Hæc vero & similia frequenter eis inculcat, vt dum passi fuerint non turbentur, quum hoc præsciuerint: neque torpescant scientes quod propter deum passuri sint. Magnum siquidem remedium est his qui pro virtute decertant, cognoscere pro quo sit certamen. Et nobis ergo pro honesto patien tibus consolationi sit, cognoscere quod pro honesto patimur. Nam si pro honesto quis pati gaudet, multo magis pro

pro deo & pro virtute.

Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram. Quia A vobiscum eram & ita passuri non eratis quandiu vobiscum essem. Nunc autem hæc dico, quia separor à vobis: & iam instant vobis pericula. Atqui etiam ab initio quando vocauit eos, & in Apostolatum ordinauit, dixit eis, Ecce ego mitto Matth. vos tanquam oues in medio luporum: &, Tradent vos ad concilia, & in synagogis suis verberabunt vos, & ad reges & præsides ducemini propter me & eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Itemque, Ne vobis ab his timueritis qui occidunt corpus, ac multa huiusmodi: quomodo ergo ait, Hæc vobis ab initio non dixi? Quia dictio hæc, in præ senti alia ab illis significat: dico sane, Sed venit siue appropin quat tempus, vt quisquis interfecerit vos, videatur cultũ prę- B stare deo: nam hæc dixit nunc, quæ præcedentibus erant for midabiliora.

Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo interrogat me, Quo abis? Videns eos intantum tristitia absorptos vt muti efficerẽtur, nec responsum ei dare possent, exprobrat eis silentium à tali tristitia ortum, dicens, Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo interrogat me, Quo abis? Atqui Petrus interrogauit eum dicens, Domine quo abis? Sed ibi Supra. sane Petrus dicens, Quo abis, de loco interrogauit: hic vero, Quo abis, significat: Quid agis? Solent nanque qui ægre ferunt, ita reuocare eum qui repente profilit ad mortem. Oportuit ergo & discipulos dicere, Quo abis? siue, Quid agis nos relinquens? Potest quoque & alio modo dici, quòd quum Petro interrogante non respondisset quo abiret, oportuit eos C rursum interrogare.

Sed quia hæc loquutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. Admodum contristati estis, & propterea siletis.

Sed ego ueritatem dico uobis. Vtpote ipsa veritas. Quanquam enim mille modis anxij sitis, veritatem dicam, nec tristia occultabo, sicut ij qui ad gratiam loquuntur. Deinde consolando ostendit vtilem eis esse suam profectionem.

Expedit uobis ut ego abeam: si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittã eum ad uos. Vos quidem optatis vt ego versem vobiscum, verum aliud vobis expedit. Pro- Nota. curatoris est autem non indulgere dilectis, quum inutilia concupiscunt.

D concupiscunt. Nam quia desuper ita sanctæ trinitati visum est, vt pater quidem ad filium eos attraheret: filius autem illos doceret, ac spiritus sanctus ipsos perficeret: & iam duo completa erant, oportebat & tertium perfici, consummationem videlicet spiritus sancti. Non erat autem æquum vt hoc fieret nisi postquam filius recessisset. expedit itaque vobis vt ego abeam. Sicut enim si ego non abiero paracletus non veniet ad vos: ita etiam si paracletus non venerit ad vos, nequaquam perficiemini. Necesse est ergo vt ego abeam, completo iam opere quod me facere oportuit, vt alius exhortator adueniat, vosque perficiat.

Quumque ille uenerit, arguet mundum de peccato & de iustitia, & de iudicio. Arguet, hoc est, condemnabit tandem malos,
E inexcusabiles penitus demonstrabit, quando me mortuo eximias apparabit doctrinas, & vt signa fiant maxima ad mei nominis inuocationem. Quid ergo posthac aduersum me dicent, quod sit rationi consentaneum? Cuius etiam mortui nomen talia præstare poterit? profecto nullius. Deinde ea etiam explanat de quibus illos arguet.

De peccato quidem, quia non credunt in me. Nam irremissibile erit peccatum, adhuc in me non credere.

De iustitia autem, quia ad patrem meum abeo, & posthac non videbitis me. Iusti nanque indicium est, accedere ad deum, simulque cum eo esse. Nam hoc significat, Et posthac non videbitis me. Itaq; nisi iustus essem, non accederem ad deum:
quomodo nanque peccator ac seductor, legis transgressor,
F deique aduersarius, perueniret ad eum qui iustus est, verax, legislator ac deus? Sed vnde manifestum erit quòd ad deum abeat & cum eo sit? Vnde? A spiritus sancti testimonio, per illustrationem vt dictum est ac signa, quæ per nomen eius edentur. Posthac autem non videbitis me, cum hac videlicet ignominia & abiectione. Siquidem visuri eum erant, sed nõ vt prius.

De iudicio uero, quia princeps mundi huius iudicatus est. Quia diabolus condemnatus est, & à potentatu suo eiectus, non potens posthac meum omnino ferre nomẽ, sed statim fugiens: quomodo obsecro id illi contingeret, si amicum eum haberem veluti dicunt mali, quòd per Beelzebul principem dæmoniorum eiiciam dæmonia, quodque dæmonium habeã,
& cætera

& cætera huiusmodi? Vt autem sermonem summatim colli- A
gamus: Quum venerit paracletus arguet mundum de peccato, quia peccant qui adhuc non credunt: de iustitia autem, quia iustus ego sum & non peccator, sicut ipsi dicunt: de iudicio vero siue condemnatione, quia condemnatus est princeps dæmoniorum, tanquam inimicus, & non amicus meus.

Adhuc multa habeo quæ uobis dicam, sed nunc portare nõ potestis. Quum adhuc imperfecti sitis: & necdum per horrendã passionem, ac inopinatam resurrectionem meam profeceritis, neq; induti sitis virtute ex alto.

Quum autem uenerit ille paracletus qui est spiritus ueritatis, deducet uos in omnem ueritatem. Ad hoc vt sciatis omnem veritatem diuinorum dogmatum, quam videlicet expedit vobis co B
gnoscere. Deinde ne auditis talibus de spiritu sancto, maiorem existimarent esse spiritum, & in extremam inciderent impietatem, medelam adiungit dicens.

Non enim loquetur à semetipso. Sicut neque egò, quemadmodum variis in locis explicauimus. Siquidem nihil vlli sanctæ trinitatis personæ proprium est, præter innascibilitatem, natiuitatem & processionem, sed omnia eis communia.

Sed quæcunque audierit loquetur. Quæcunque audierit à patre, sicut etiam frequenter de meipso dixi, significans substantiæ ac naturæ identitatem, æqualitatem, & omnimodam similitudinem. Quemadmodum enim filius impletio legis est ac prophetarum, veritate confirmans, quæ prius fi- C
guratiue scripta erant: ita quoque & diuinus spiritus impletio est euangelij, ea quæ filij sunt adimplens: sicut & filius ea quæ patris sunt.

Et quæ futura sunt annunciabit uobis. Ne incaute præcipitemini, etiam prophetiæ ac præcognitionis gratia dignos efficiet.

Ille me glorificabit. Per nomen meum vires præbens: meæ incarnationis mysterium planius vobis manifestans.

Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. De mea scientia: ea videlicet quæ patris est. Accipiet autem, hoc est, audiet. Dicit tamen hæc, demittens sese ad discipulorum imbecillitatem. Nam accipere & audire, creaturarum sunt: siquidem
increata

D increata trinitas nouit omnia, & nunquam vllo indiget. Dede interpretatur quod dixit, De meo.

Omnia quæ habet pater, mea sunt: propterea dixi quod de meo accipiet, & annunciabit uobis. Nam cum omnia quæ patris sunt mea sint, vnum autem horum sit hæc scientia: merito dixi quod de meo accipiet, hoc est, conformia mecum & audiet & annunciabit vobis, nihilque dissonum, vtpote mihi per omnia æqualis. Quæcunque ergo docuerit mea sunt, & meorum adimpletiua sermonum & operum. Et quare non venit spiritus sanctus, dum adhuc esset cum eis filius? Primum quidem, quia sufficiebat filius, qui cum eis versabatur. Præterea vero, quia necdum occiso agno qui pro mundi peccato immolatus est, nondum solutum erat peccatum: hoc autem E nondum soluto, Dei erga homines reconciliatio nondum facta erat: nondumvero facta reconciliatione, non oportuit dari gratiam spiritus sancti. Vbi vero facta est reconciliatio, & Apostoli ad pericula mittebantur, ac certamina aggrediebantur, & vngentis erat necessitas, tunc demum alius venit exhortator. Et quare non statim post resurrectionem venit? Vt in multo illius positi desiderio, cum multa eum gratia susciperent. Etenim donec cum eis erat Christus, in afflictione non erant: at vbi recessit, nudati & in multo timore ac mœstitia constituti, multa cum hilaritate ac iocunditate spiritum sanctum erant suscepturi. Quemadmodum autem pater ea quæ sunt, in esse potuit producere, filius tamé ea produxit, vt eius discamus potentiam ac diuinitatem: ita quoque F filius poterat quæ alterius erant paracleti in discipulis operari, ea tamen operatus est spiritus sanctus, vt eius quoque discamus potentiam ac diuinitatem. Nam quia de patre quidem nullus hæsitabat, de filio autem ac spiritu sancto ignorantia tenebantur propterea ille sane per incarnationé cum eis conuersatus est, hic vero alio modo perfecit. Præterea de patre quidem multa audierant: filium quoque sæpius diuina operantem conspexerant: spiritus sancti autem dignitatem, neque auditu, neque aspectu cognoscebant. Ab hoc itaque perficiuntur, vt eius quoque diuinitatem cognoscant. Propterea etiam in diuino baptismate viuificans trinitas assumitur: non quod vna sola persona ad regenerationem non sufficiat, sed vt per inuocationis communicationem, Deitatis

tatis communicatio significetur. A

Pusillo tempore, & non uidebitis me. Sub terra sepultum.

Et rursum pusillo tempore, & uidebitis me. Vbi à mortuis resurrexero.

Quia ego abeo ad patrem. Passionis mysterium appellat vbique transitum, ostendens quod non multo tempore morti erit subiectus. Itaque postquam læta de altero paracleto promisit, rursum tristia inducit, idque frequenter & fecit iam & facit, lætis tristia permiscens, vt hinc quidem consoletur deiectos, hinc vero stantes exerceat. Nam qui in verbis horrenda primum meditati fuerant, ea postmodum in rebus tolerabilius laturi erant.

Dixerunt ergo quidã ex discipulis eius inter se, Quid est hoc quod dicit nobis, Pusillo tempore, & non uidebitis me: & rursum pusillo tem B *pore, & uidebitis me: &, Quia uado ad patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Pusillo tempore? Nescimus quid loquatur.* Siquidem parabolam eis videbatur aliquam etiam hic dicere, sicut & in euangelio iuxta Matthæum prædiximus. Fortas- Matth.1 sis autem & tristitiæ vehementia insensibilitatem hanc eis iniecerat: & qui frequenter hæc audierant, sic affecti erant, quasi nihil vnquam horum audissent.

Cognouit ergo Iesus quod uolebant eum interrogare: & ait illis, De hoc quæritis inter uos quod dixi, Pusillo tempore, & non uidebitis me: & rursum pusillo tempore & uidebitis me? Deinde quod quærebant interpretatur.

Amen amen dico uobis, Plorabitis & lamẽtabimini uos. Non vi dentes me, sub terra videlicet sepultum. C

Mundus uero gaudebit. Mali scilicet, tanquã à me liberati.

Vos autem contristabimini. Ad aliquod tempus. Vide autẽ quomodo dixerit, Plorabitis & lamentabimini ac contristabimini: ad tolerantiam amplius eos exercens, per continuationem eorum quæ mœrore afficiant.

Sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Quum me iterum videbitis ex mortuis resuscitatum. Deinde ponit etiam vulgare ac certissimum exemplum de gaudio quod mœrorem e medio tollit.

Mulier cum parit tristitiam habet, quia uenit hora eius. Tempus laboriosum dolorum.

Quum autem pepererit puerulum, iam nõ meminit angustiæ, pro-

D pter *gaudium hinc ortum, quod natus sit homo in mundum.* Quemadmodum breuis ille mœror, qui mulieri in partu laboranti prouenit à partus doloribus, magnum parit de edita prole gaudium: ita quoque vobis temporalis de morte mea mœror, perpetuum generabit de resurrectione mea gaudium.

Et uos ergo nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Nemo à vobis auferet: tunc enim non amplius moriar, nec deinceps me priuabimini. Quomodo autem de muliere dixit, quod gaudet quia natus est homo in mundum: quum non propterea gaudeat, sed quod sibi natus sit puerulus? Hoc dixit, quoniã ab initio dixit deus, Crescite & multiplicamini ac replete terram: & in primis quidem homo nascitur in mun
E dum: ex cõsequenti vero etiam ad obsequium parentum. Simul autem & mysticum quiddam hinc significatur, q̃ Christus per mortem genitus, quasi per quendam vterum, & solutus mortis doloribus natus sit nouus homo in mundum nouum: primogenitus ex mortuis in regnum cœlorum.

Et in illo die me non rogabitis quicquam. In illo die, hoc est, quum venerit paracletus, non rogabitis me quicquã eorum quæ nunc rogatis, puta, Quo abis? &, Ostende nobis patrem ac similia: de omnibus à paracleto edocti. Vel etiam aliter. Non necesse habebitis mecũ versari corporaliter: nam hoc significat, Me non rogabitis quicquam, sed tantũ nomen meũ nominantes, cuncta accipietis quæ petieritis: subiũgit enim:

† *Amen amen dico uobis, quæcunque † petieritis patrem meum in*
F *nomine meo dabit uobis.* Cuius autem nomen tanta potest, certissime deus est. Ideo etiã Dauid variis in locis illud laudans,
salm.8. nunc quidem ait, Quàm admirabile est nomen tuum in vni-
48 uersa terra: nunc vero, Exaltatum est nomen eius solius. Aduertendum est autem quòd interdum quidem dationem eorum quæ petuntur patri attribuit: quandoque vero sibi ipsi, sicut & alia sane, propter æqualitatem, eandemq; potentiam: hic autem & patri & sibiipsi. Nam ait, In nomine meo. Et pari modo dicendum, vbicunque hoc adiunctum est.

† † *Quæcunque conferunt & utilia sunt.*

Hactenus non petistis quicquam in nomine meo. Atqui quan-
Matth.10 do eos misit data potestate aduersus spiritus immundos, vt eiicerent illos, & curarent omnem morbum, omnemq; languorem,

guorem, in nomine ipsius operabantur. Verum tunc non pe A
tebant patrem in nomine ipsius.

Petite & accipietis ut gaudium uestrum sit impletum. Vt postquam cognoueritis quanta possit nomen meum, gaudium ha beatis perfectum, siue multum, aut copiosius.

Hæc per prouerbia dico uobis. Hoc est obumbrata, & non omnino manifesta, quia adhuc metu & mœrore affecti, his quæ dicuntur nõ potestis aduertere, aut amplius percipere.

Sed uenit tempus quando non iam per prouerbia loquar uobis, sed palam de patre annunciabo uobis. Instat tempus resurrectionis meæ, videlicet quando aperte ac manifeste docebo vos, iam in lętitia constitutos. Siquidem post resurrectionem per quadraginta dies apparebat eis, & docebat de regno dei, si- *Actor.1.*
cut narrat liber Actorum. B

In illo die in nomine meo petetis. Diem & horam solet frequenter ipsum tempus appellare. Sæpius autem de petitione in nomine suo dicit: certiores eos reddens de ipsius virtute, & fiduciam iniiciens.

Et non dico uobis, quod ego rogabo patrem pro uobis. Et non dicam vobis tunc, Precabor patrem pro vobis.

Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quod ego à deo exiui. Nam ipse pater tunc vos amabit sicut ego, permanentes videlicet in amore ac fide erga me.

Exiui à patre & ueni in mundum: iterum relinquo mundum & uado ad patrem. Verba hæc, Exiui & veni, Relinquo & vado ac similia, demittendo se dicit, propter infirmitatem intelligentiæ discipulorum, veluti frequenter diximus. Nam C
tanquam deus & in patre erat & in mundo: siquidem res loco non circunscripta est diuinitas. Itaque exiui à patre, significat esse eum de substantia patris, siue legitimum patris filium. Veni in mundum, significatiuum est incarnationis ipsius: & similiter quod ait, Relinquo mundum. At illud, Vado ad patrem, demonstrat restitutionem prioris potentiæ ac gloriæ ipsius.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc aperte loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc manifeste loqueris, & nihil obtectum dicis: intelleximus enim quæ nunc dixisti.

Nunc scimus quòd scis omnia, nec opus est tibi ut quis te interroget. Hoc dicunt consolatione non modica accepta ab his, quos

D loquutus est, sermonibus, vtpote intelligentes quod rursum resurrecturus esset, rursumque eos docturus: & quod pater ipsos amaret. Illud siquidem auxilij spem præbebat, hoc autem rectæ fidei certitudinem: nam tunc potissimum hæc intellexerunt. Aiunt ergo, Nunc scimus quod scis omnia, etiam hominum arcana: nec opus est tibi vt quis te interroget de his quæ discere voluerit, sed præueniens dissoluis quod quærit. Nam & nobis conquirentibus quid esset. Pusillo tempore non videbitis me, & rursum pusillo tempore & videbitis me & cætera: nō interrogatus interpretatus es ea, & quiescere fecisti mentem nostram.

Per hoc credimus quod à deo existi. Respondit eis Iesus, Modo creditis? Ipsi siquidem tanquam gratiam aliquam illi præstan-
E tes dixerunt, Ex hoc perfecte credimus, quòd à deo missus sis, & filius dei sis: ipse vero exprobrans eis imperfectam adhuc fidem, ait: Modo perfecte creditis. Necdum adhuc: arguet enim ac conuincet vos tempus quod iam instat.

Ecce instat tempus & iam uenit, ut dispergamini unusquisque in sua, & me solum relinquatis. Tempus dicit impetus eorum, qui cum proditore venturi erant, quando omnes discipuli eius relicto eo fugerunt, veluti scripsit Matthæus: tunc enim timor imperfectam eorum fidem ostendit, quum ad modicum tempus offendiculum passi sint de passione ipsius.

Et non sum solus, quia pater mecum est. Semper mecum versatur, vtpote inseparabilis.

Hæc loquutus sum uobis ut in me pacem habeatis. Hæc loqu
F tus sum vobis, non perfectam vobis tradens notitiam, sed ne propter cogitationes patiamini in me offendiculum, aut turbemini quando comprehendar, ligabor & abducar, aliaque humano more patiar.

In mundo pressuram habebitis. Non solum quando patiar, verum etiam quàm diu in mundo hoc fueritis: nam præsens vita stadium est ac locus exercitationis athletarum dei, siue
Matth.7. exploratio eorum qui me diligunt. Prædictum est enim & arcta est porta & stricta via quæ ducit ad vitam. Ne autem deiiciantur audientes, quòd totavita passuri sint afflictiones, confortat eos dicens.

Sed bono sitis animo, ego uici mundum. Hoc est, malitiam ac
Supra.12. malum illum qui huius pater est. Nam prædictum est, quòd princeps

princeps mundi huius iudicatus est, siue deuictus est. Ne ergo timueritis: consequens enim est, vincente præceptore, etiam discipulos qui eum inuitantur vicisse. Qui ergo malis afficiunt & occidunt corpus, superabuntur ab anima vestra, atque id quod capi potest tollent: ab ea vero quæ capi nequit, manifeste deuincentur. A

Hæc loquutus est Iesus, sustulitque oculos in cœlum. Post admo Cap.17.
nitionem ad orationem tanquā homo conuertitur, instruens homines, vt in tentationibus ad deum respiciant: omnibusq; relictis ad eum cōfugiant, & ab eo petant auxilium. Hic itaq; sursum eleuat oculos, docens intentionem ac indistractionē in orationibus. Alibi vero procidit in faciem, statuens deiectionem ac cordis contritionem tempore orationis. Venit enim non tantum vt seipsum ostenderet, sed & virtutem traderet: non verbis solum, sed & operibus. Nam hoc veri præceptoris est. B

Et dixit, Pater uenit hora. Passionis aut mortis, de qua dixe
rat, Tempus meum nondum adest: tempus quod deus qui Supra.7
assumpsit, homini assumpto definiuit.

Glorifica filium tuum. Afflictionibus quas pro mundo perpetiar. Nam mihi qui dominus sum, gloria est pati pro seruis vt hinc hominibus innotescat quo affectus sim hominū amore: vt accurrant omnes gentes, & me deum esse cognoscant. Ait enim Paulus & sic dilexit nos, vt traderet seipsum pro no
Galat.2. bis. Vel, Glorifica me edens tempore passionis prodigia ac terribilia, admirandaque signa: & ex his ostendens quod naturalis sim filius tuus. Hæc quoque dicta sunt vbi habetur, C
Nunc glorificatus est filius hominis. Supra.13

Vt filius tuus glorificet te. Per suam gloriam: nam credentibus in me gentibus, & tu glorificaberis. Siquidem credent in te & glorificabunt te, qui proprio filio tuo pro eis non peperceris: meaque gloria erit & tua. Quærens ergo glorificari, ostendit quod ad crucem sponte veniat. Deinde etiam causam dicit, propter quam glorificari quærat.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Sicut, pro quia. Ait ergo, Glorifica filium tuum, quia dedisti ei potestatem omnium gentium, vt ab eis glorificetur. Scriptum est enim, Et
Psalm.2. dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Glorifica filium tuum, quia complacitum est

D tibi notum eum fieri ac glorificari vniuerso orbi. Quærere autem glorificari ac dicere dediſti & ſimilia, demittendo ſe dicit ac diſpenſatorie, ſicuti variis in locis diſputauimus. aut etiam tanquam homo hoc ait.

Vt quotquot dediſti ei, det illis uitam æternam. Quantum in ſe eſt. Nam licet quidam non crediderint, id tamen illorum culpa eſt: ſiquidem patri complacitum eſt, vt filius haberet omnium poteſtatem per fidem, & omnes ſub iugum præceptorum eius fierent. Filius quoque vniuerſis per Apoſtolos dedit euangelium, Deiq; notitiam, quæ eſt vita æterna, vtpote vitam concilians æternam: qui autem non ſunt ſubiecti, neque illud ſuſceperunt, ipſi ſibi perditionis cauſa ſunt: neminem enim cogit inuitum. † Nam virtus voluntaria eſt.

E † *Græcis ſuuis eſt alluſio quum dicunt ἑκούσιον γὰρ ἡ ἀρετή. uoluntaria enim eſt uirtus.*

Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et vere vita æterna eſt dei cognitio, fide ac operibus coniunctis. Nam fides, inquit, ſine operibus mortua eſt. Vt cognoſcant deum, te ſolum verum deum & me. Solum autem verum deum dixit patrem, ad differentiam falſo dictorum deorum: non verorum quidem, ſed tamen dictorum. Non autem ſeipſum excluſit quin verus eſſet deus. Nam quo nam pacto id facere potuit, qui ſe veritatẽ
p.14. vocat dicens, Ego ſum veritas: & ſe patri prædicat æqualem,
pra.19. cum multis aliis in locis, tum vbi ait, Ego & pater vnum ſumus? Non hoc ergo nunc etiam de ſeipſo dixit: vt quod ex
F his quæ frequenter docuit notum eſt. Siquidem neque ſpiritus ſancti hic meminit: vtpote de quo ſignificauerat in his quæ docuerat, nempe quum eſſet ille parælетus, qui duceret eos in omnem veritatem, ſicut prædictum eſt.

Ego te glorificaui ſuper terram. Super terram dixit, nam in cœlo glorificatus fuerat, ex natura habens gloriam, & ab angelis adoratus. Nõ ergo de illa loquitur gloria, quam ex ſubſtantia ſua hæreditario iure poſſidet: nam illam, etſi nemo eũ
o. eodẽ. glorificet, plenam habet: ſed hanc dicit quæ ab hominũ cultu reſultat. Nempe tale eſt & illud, Glorifica filium tuum. Et vt ſcias quod de hac gloria loquatur, ſubiungit:

Opus conſummaui quod dediſti mihi ut facerem. Prædicationẽ euangelij. Atque res adhuc in principiis erat: quomodo ergo dicit,

dicit, Cõſummaui? Quia quicquid ſuarum erat partium iam A impleuerat. Aut futurum dicit tãquam præteritum. Vel hoc dixit, quia iam radicem bonorum iecerat, quæ omnino fructum erat productura. Ipſe ergo patrem glorificauit in terra, vtpote data iam de eo notitia vniuerſo orbi per euangelium quod per Apoſtolos in vniuerſo mundo prædicandum erat. Nam in omnem inquit terram exiuit ſonus eorũ, & in Pſal.18. fines orbis terræ verba eorum. Eum quoque glorificauit, omnia ei adſcribendo, tam doctrinas quàm ſigna.

Et nunc glorifica me tu pater apud temetipſum, gloria quam habui priuſquam hic mundus eſſet apud te. Ego quidem glorificaui te in terra, vt ſignificatum eſt: tu verò glorifica me gloria diuinitatis, quàm habui ante mundi cõſtitutionem. Glo- B rifica me hominem apud teipſum, regali ſolio dignum apud te iudicãs: de quo ait propheta, Dixit dominus domino meo, Pſal.10 hoc eſt pater filio: ſede à dextris meis. Glorifica me gloria quam habui vt deus, priuſquam hic mundus eſſet apud tuam poteſtatem: priuſquam hic mundus fieret: id eſt ante omnia & ſemper. Quod autem dicitur, Et nũc, hoc eſt deinceps. Et nos ergo hac fruemur gloria, ſi eum fuerimus imitati. Ait enim Paulus, Si compatimur vt & conglorificemur. Omnino Roma.8 ſane innumeris digni ſunt lachrymis, qui quum propoſita ſit huiuſmodi gloria, ſua ſegnitie ab ea exciderint, & more inſanientium ac dementium ſibiipſis inſidias parauerint. Nam etſi nullum eſſet ſupplicium, miſerrimi tamen iudicarentur: qui quum ſibi paratum fuiſſet, vt cum filio dei conregnarent C & conglorificarentur: ipſi ſeſe talibus priuaſſent bonis. Non ſunt enim condignæ afflictiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ manifeſtabitur erga nos.

Manifeſtaui nomen tuum hominibus. Poſtquam dixit, Opus conſummaui, explanat nunc ſermonem. Atqui Iudæis manifeſtatum erat nomen eius: nouerãt enim quòd deus eſſet, ſed hoc de aliis dicit gentibus, quibus id ignotum erat. Aut nomen dicit paternum, quod pater ſit filij naturalis, nam quum id eos lateret, ab ipſo manifeſtatum eſt.

Quos dediſti mihi de mundo, tui erant. Tanquam dei.

Et mihi eos dediſti. Tanquam æquali. Eſt autem de Apoſtolis ſermo: quo etiam hic oſtendit quod non ſit deo contrarius, quodq; patris eſt voluntas, vt credant in filium. Nam

D si vt quidam nugantur, quando patris erant, non erant filij cõsequẽs est, vt quum eos dederit filio, alienauerit eos: quod absurdum est. Dedisti inquit mihi: iuxta quem modum etiam
pra.6. prius dixerat: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Sed quomodo dixit, Quos dedisti mihi de mundo, quum prius dixerit ad eos, De mundo non estis?
pra.15. Ibi quidem malos appellauit mundum: hic verò fabricam ipsam mundialem.

Et sermonem tuum seruauerunt. Volũtatem tuam compleuerunt, credendo in me.

Nunc cognouerunt quod omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.

E Nunc, postquam videlicet didicerunt, cognouerunt quòd omnia quæ dedisti mihi, hoc est, quæcunque dico ac doceo, abs te sunt, tua sunt præcepta, & nihil mihi proprium est aut alienum à te. Deinde etiam dicit vnde hoc cognouerunt.

Quia uerba quæ dedisti mihi dedi eis: & ipsi acceperunt, ac uere cognouerunt quod à te exiui, & crediderunt quod tu me misisti.

Hoc cognouerunt ex verbis quæ dedi eis. Siquidem aperte docebam tua esse quæcunque dicebam ac docebam. Et ipsi acceperunt, facile persuasi. Hæc autem & similia loquitur ad patrem, ostẽdens discipulis quem erga illos haberet amorẽ. Nam qui non tantum sua tribuit, sed & alium ad hoc precatur, vehementissimum ostendit desiderium.

Ego pro eis rogo. Pro eis te precor tanquam homo. Nam & hic & in sequenti sententia capitur ἐρωτῶ pro Obsecro.

F *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

Non pro mundo vniuerso precor, sed pro his qui credunt in me. Nam qui in me non credunt, nolunt vt pro eis orem. Frequenter autem ponit verbum Dedisti, vt firmius discãt quòd patris voluntas sit, vt credatur in filium. Verum quia, Dedisti, &, Tui sunt, ac similia, insipientibus prauas generatura erant suspitiones, nempe quòd maior & antiquior esset patris potentia: has soluit dicens:

Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Vides honorũ æqualitatem? nam hoc significat nunc ista conuersio. Quum enim dixit, Tui sunt, ostendit quod etiam hi qui sibi dati sunt, paternæ sint potestatis, ne quis ergo potentiorem putaret patrem, addidit, Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Itaque etiam antequam darentur, filij erant, & postquam dati sunt, patris

patris permãserunt, hoc est semper amborum, vtpote æqua- A
lium in honoribus & bonis. Eos ergo mihi dedisti qui mei erant. Dedisti verò, dixi dispensatorie, vt cognoscant quòd non præter voluntatem tuam hos attraxerim.

Et glorificatus sum in eis. Etiam potestatem habens in his quæ tua sunt, sicut in his quæ mea: quemadmodum & tu in his quæ mea sunt, sicut in his quæ tua. Vel, glorificatus sum in discipulis qui mihi dati sunt, agnoscentibus me dominum suum, & adorantibus ac prædicantibus me deum.

Et iam non sum in mundo. Paulo post moriturus. Rursum autem sermonem de morte sua inducit, commendaturus eos tanquam homo deo ac patri. Ait ergo, Iam non sum in mundo, sicut hactenus cum eis conuersans & confirmans, inun- B
gens ac consolans illos.

Et hi in mundo sunt. Nondum morientes, & propterea tuo egent auxilio. Quum autem dixisset, Iam nõ sum in mundo, interpretatur hoc dicens:

Et ego ad te uenio. Sicut filius ad patrẽ, consummato iam opere vt dictum est.

Pater sancte serua eos per nomen tuum quo donasti me. Per nomen tuum omnipotens, quod & ego natura hebeo. Nam & ego deus sum. Iterum autem ait, Donasti, ne deo videretur esse contrarius. Vel, quod dedisti mihi tanquam homini.

Vt sint unum. Vnitate fidei quæ in mẽ est, & mutua dilectione, de qua superius multa eis præceperat. Supra.1

Sicut nos. Prædixit enim, Ego & pater vnum sumus. Prius C
autem aliis in locis disseruimus, quod καθὼς Sicut, & similia, de sancta quidem trinitate dicta, æqualitatem significent: de deo vero & hominibus, similitudinem quandam. Vnum ergo sunt pater & filius, sicut essentia & aliis, ita etiam concordia. Dicit itaque, Sicut nos, propter indiuisionem ac inseparabilitatem.

Quum essem cum eis in mundo, ego seruabam eos per nomen tuum.

Quum essem in mundo vt homo, qui semper in eo sum vt deus, tunc ego seruabam eos per virtutem tuam siue per te: nam mea virtus, tua est: & ego & tu vnum sumus. Hęc autem & similia loquitur, & tanquam homo, & propter discipulorum imbecillitatem. Siquidem quia multis de eius auxilio auditis: &, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & Supra.1
gaudium

D gaudium vestrum nemo tollet à vobis : nondum perfecte à mœrore liberati erant : patri deinceps pro eis loquitur, vt patri quoque commendati, bono essent animo. Quum enim imperfecti essent, non ita sublimibus ac diuinis verbis credebant, quemadmodum humilioribus ac more humano dictis.

Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex ipsis periit, nisi filius perditionis. Iudas proditor amātissimus perditionis, dilectus ab
† ea, illamque diligens. Perditionem † vero intellige casum & alienationem à deo : aut etiam diabolum ipsum, vtpote perdentem illos qui ei obediunt. Periit autem Iudas spontanee propter voluntatis prauitatem. Atqui etiam alij de
E septuaginta perierunt: verum non tunc: nam solus proditor tunc periit.

† † *Potius phrasis dicatur esse Hebraica sicut diximus ante libri exordium, hoc est filius perditus.*

Vt scriptura compleretur. Dauidica, quæ frequēter de eius perditione loquitur, & præcipue psalmo centesimooctauo. Et hic ergo dictio Vt, non est causæ significatiua, sed eius φ omnino futurum erat, puta quod scriptura compleretur.

Nūc autem ad te uenio. Rursum repetit, Ad te venio: sicut &. A deo exiui : hæc frequentissime illis confirmans, simul etiam consolationem hinc non vulgarem tribuens.

Et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Hæc loquor quum adhuc in mundo sum : hæc,
F quænam ? Ad te venio: &, Seruа eos. Hæc ergo inquit loquor, vt habeant gaudium de me: perfecte certiores effecti, quod me non retinebit infernus, & te habebunt adiutorem. Quanquam enim credebant, nondum tamen mente compositi, cogitationibus adhuc fluctuabāt, nec quiescere poterāt. Vel, Hæc loquor humilia ac more humano, vt cessante interim infirmitate mentis eorum, absolute gaudeāt, ne me deo contrarium esse suspicentur.

Ego tradidi eis sermonem tuum: & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo: sicut ego non sum de mundo. Tradidi eis sermonem tuum euangelicum, & mali oderunt eos, vt qui non sint ex ipsis, quantum ad innocentiam aut simplicitatem. Nā & in præcedentibus dixit ad eos, Si de mundo fuissetis, mūdus quod suum esset diligeret. Nam, Mundum, & ibi & hic

vocat malos, propter mundi ac voluptatum amorem. Itaque A
quum propter sermonē tuum odio habeantur, custodi illos.

Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo. Orationem propter eos explanat, vt cōfidentiori magis sint animo, vtpote non statim morituri priusquā prædicauerint: & quasi patris custodia fruituri. Et hic ἐρωτῶ significat obsecro.

De mundo non sunt. Idem adhuc frequenter dicit: sinevlla immutatione prius illis testificans, ne turbentur si odio habeantur : scientes omnino contrariam esse virtuti malitiam. Simul quoq; laudat eos apud patrem : etiam hinc ostendens illis dilectionē suam erga ipsos. Dicit ergo cœlestes eos esse ciues, non mundana sed cœlestia sapientes. B

Sicut ego non sum de mundo. Etiam consolatur eos similitudine ad seipsum: & ad tolerantiam excitat.

Sanctifica eos per ueritatem tuam. Sanctos facito ipsos per spiritum sanctissimum, per veritatem dogmatum: nam vera dogmata sanctificant hominem. Deinde manifestat quid dicat, Veritatem.

Sermo tuus ueritas est. Sermo dogmatū tuus, siue à te per spiritum sanctum illis infusus. Nam superius dixit, Spiritus *Supra.1*
veritatis ducet vos in omnem veritatem. Aliter quoque intelligite. Sanctifica eos per veritatem tuam, hoc est, segrega eos per euangelium tuum: sermo nanque tuus, puta euangelicus, veritas est. Patris autem ait esse sermonem: sicut etiam in præcedentibus dixit, Ego ex meipso non sum loquutus, C
sed pater qui misit me, ipse mihi præceptum dedit, quid dicam & quid loquar. *Supra.1*

Sicut me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Sicut tu hominum cupiens salutem, me misisti : Ita & ego illā cupiens, misi eos. Vel sicut tu qui pater meus es, misisti me, ita & ego qui pater eorum sum, misi eos. Sed tu quidem natura pater meus es, ego vero pater eorum tanquā creator & prouisor ac magister. Quod autem futurum est, tanquam factum dicit, eo quod iam paulo post esset eos missurus.

Et pro eis ego sanctifico meipsum. Ego voluntarie immolo meipsum. Nam hoc in loco victimam dicit sanctificationem. Sanctum enim dicitur & ipsa hostia: multa quoque dicuntur sancta, tanquam signum sanctitatis.

D *Vt & ipsi sanctificati sint per ueritatem.* Vt & ipsi immolati sint per veram hostiam: legalis siquidem victima figura erat, non veritas, vt & ipsi immolati sint, capite videlicet ipsorum
alm.43. immolato. Vel etiam, tanquam & ipsi immolati. Habiti sum⁹, om.11. inquit, sicut oues cædi deputatæ. &, Exhibete membra vestra hostiam viuentem. Potest enim etiam sine cæde immolari hostia. Ne quis autem eum putaret hæc pro solis Apostolis dicere, subdit:

Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint. Simul quoq; eos iterum consolatus est, ostendens quòd per eorum prædicationem alij quoque fient discipuli.

Sicut tu pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unũ sint. Si-
E cut tu in mei & ego in tui dilectione: vt & ipsi in nobis, siue in fide quæ est in nos, vnũ sint. Nã qui in fide quæ est in nos vnum sunt, erunt quoque in mutua inter se dilectione vnum.
p.14.15 Dixit enim, Qui habet præcepta mea & seruat ea, hic est qui diligit me. &, Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicem. Quum ergo à dilectione & concordia inceperit, rursum in hac conclusit sermonem: ostendens quod Deo chara sit ac magno studio affectanda dilectio.

Vt mundus credat quod tu me miseris. Vt credens Apostolis,
ſota. credat quòd tu me miseris: nam hoc prædicaturi sunt: & nihil adeo erit impedimento prædicationi, sicut diuisos esse prædicatores fidei diuersitate, ac mutua inter se inimicitia.
F Si enim inter se pugnauerint, dicent eos non esse pacifici magistri discipulos: quod si non pacifici, nec à te missi. Si vero concordes fuerint, & præcepta mea custodierint, omnes cognoscent quod mei sint discipuli, & quod tu me miseris.

Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis. Quæ à doctrina & miraculis procedit: aut quæ à concordia: neq; enim ex hac minus quàm ex illis glorificantur. Dedi autem dixit etiã hic, & suam insinuans dignitatem, & æqualem cum patre honorem: quemadmodum frequenter aliis in locis.

Vt sint unum sicut nos unum sumus. Hoc superius quoque dictum ac declaratum est: & nunc idem dicit, vehementer cupiés imprimi cordibus eorum, tanquam maxime necessariũ.

Ego in eis, & tu in me. Ego in eis maneo, & tu in me, hoc est, ego & tu in eis manemus, quomodo ergo non eos conser-

uabimus?

uabimus? Alibi quoque dixit, Si quis diligit me, sermonem A
meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum venie- Sup.14
mus, ac mansionem apud eum faciemus. Sed ego quidem in eis diuino modo propter fidem, tu vero in me paterno modo propter naturam.

Vt sint perfecti in unum. In vnitatem, in concordiã. Quẽ admodum enim seditio dissoluit, sic & concordia cõgregat.

Et ut cognoscat mundus quod tu me miseris. Iterum ergo idẽ dicit, vt firmius concordes sint: certiores effecti, quod hoc maxime ad fidem attrahat homines.

Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Nam signum fuit dilectionis eorum, quòd nec proprio filio tuo propter eos peperceris. Hic quoque dictio Sicut, non æqualitatem, sed similitudinem quandam significat, quemadmodum in præceden- B
tibus ostendimus. Frequenter autem hoc ponit, cõsolans eos per similitudinem quam erga ipsum habent, & fiduciam præbens. Ad hunc vsq; locum de dilectione ac concordia sermonem extendit: deinceps vero de brabiis quoque & coronis disserit, quæ post præsentem vitam illis reposita sunt, vt ampliorem sumant fiduciam.

Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecũ. In regno videlicet conregnantes mihi.

Vt uideant gloriam meam quam dedisti mihi. Gloriam diuinitatis quam dedisti mihi, non tanquã minori aut posterius genito, sed tanquam principium, siue is qui me genuit. Quando autem dedit? Quando scilicet genuit. Quando vero genuit? C
Quæstio quando hoc fuerit, sermonem habet incomprehensibilem: simul enim & erat & genuit: nec fuit tempus quo pater erat, & non erat pater. Quia autem verbũ Dedisti, quum sit sese demittentis, quibusdam pariturum erat offendiculũ, quo videretur minoritatem addere filio, huic quoque medetur dicens:

Quia dilexisti me ante conditum mundum. Hoc est ante secula. Nam ita significare solet scriptura æternitatem. Non dixit autem, Vt sint participes gloriæ meæ, sed Vt videant. Illud nanque supra illorum facultatem erat: hoc vero tota illorum fruitio est, quod etiam dicit Paulus, Detecta a facie glo- 2.Cor.3
riam Dei contemplantes. Siquidem vere maxima est gloria, eius videre gloriam.

Pater

D *Pater iuste.* Iustum eum nunc dicit, vtpote volentem non à solis Iudæis, verum etiam ab omnibus hominibus agnosci, vt omnes salui fierent, & nullus per ignorãtiam periret: nam id extremæ iustitiæ est ac bonitatis.

Et mundus te non cognouit. Gentiles quidem nullo modo, quum adorent idola: Iudæi vero non cognouerunt te, quia sponte peccantes, negant te meum esse patrem.

Ego uero te cognoui. Natura.

Et hi cognouerunt quod tu me misisti. Discipuli mei hoc cognouerunt ex his quæ eos docui, & diuino modo opatus sum.

Et notum feci eis nomen tuum. Nomen paternitatis. Hæc autem etiam superius dixit, & nunc iterum repetendo dicit.

Et notum faciam. Amplius per spiritum sanctum. Vides q̃ sicut pater loquitur per spiritum sanctum, ita & filius notum
E facit per ipsum discipulis quæ voluerit? ex quibus rursum honoris æqualitas ac concordia sanctæ trinitatis ostenditur.

Vt dilectio qua dilexisti me in eis sit. Notum faciam, inquit, amplius nomen tuum, vt quum hoc cognouerint ac didicerint quod naturalis sim filius tuus, & natura dilectus: huiusmodi dilectio quæ ingenua est & per naturam, sit in eis per cognitionem.

Et ego in eis. Et ego in eis magis sim per fidẽ maiorẽ, vtpote perfectius eis notus. Iterum ergo in dilectionem termi nauit, hanc imponens sermoni consummationem. Nam perfectio virtutum est dilectio.

p.18. *Hæc quum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem ingressus est ipse & discipuli eius.* Quære sexagesimoquarto capite euangelij iuxta
F tth.26 Matthæum, vbi ponitur, Et dictis laudibus exierunt in montem Oliuarum: nam ibi de his enarratũ est. Sed & de iis quæ sequũtur latius & exactius in illo Euãgelista significauimus.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum. Deinde etiam dicit, vnde hoc sciebat.

Quod frequenter conueniret illuc Iesus cum discipulis suis. Frequenter versaretur ibi.

Iudas ergo sumpta cohorte, & à pontificibus & pharisæis ministris, uenit illuc cum laternis & facibus & armis. Arma adduxerunt, timentes eos qui sequebantur Iesum: nam & propterea intempestiuo noctis tempore aduenerunt. De his autem dictum

ctum est sexagesimo quinto iuxta Matthæum capite vbi dicitur, Et adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim A
venit: nam quæ in medio sunt prætermisit Iohannes, tanquã ab aliis enarrata, quod frequenter ac multis facit in locis.

Iesus itaque sciens uniuersa quæ uentura erant super se, egressus ait illis, Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eũ cum ipsis. ut ergo dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Sciens tanquam Deus, vniuersa quæ ventura erant super se, egressus intrepide interrogauit eos tanquam homo. Stabat autem & proditor cum ipsis: & neque hic potuit eum indicare præ conscientia, aut propter eius vocem. Ostendit quod nolentem non solum non possent eum apprehendere, B
sed neq; omnino videre. Prædicto autem capite de his quoque mentio consequenter facta est.

Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? At illi dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi uobis quod ego sim. Ipse seipsum manifestat docens discipulos, neq; in periculis mentiendum, & certiores reddens, quod spontanee seipsum tradat inimicis.

Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt compleretur sermo quem dixerat, Ex iis quos dedisti mihi non perdidi quenquam. Vt compleretur sermo: hoc à seipso dicit Euangelista. Nam superius ad patrem loquens dixerat, Quos dedisti mihi custodiui, & Supr. 1
nemo ex ipsis periit, nisi filius perditionis. Itaque neminem ex eis perdidi, tantundẽ significat sicut Nemo ex ipsis periit. Nemo enim, inquit, periit mea causa, hoc est, non perdidi quenquam ex eis mea causa. C

Simon ergo Petrus quum haberet gladium, exeruit eum, & percussit pontificis seruum: amputauitque auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. In illo capite etiam de his dictũ est vbi habetur, Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu extẽta manu, exemit gladium suum. Addidit autem Iohannes & nomen vulnerati, partemque vulneratam, ob rei manifestationem: non solum quod repente curauerit illum Iesus, sicut à Luca didicimus, verum etiã quod paulo post esset eum ala- Lucæ. 2
pa percussurus, sicut significauit Chrysostomus.

Dicit ergo Iesus Petro, Mitte gladium tuum in uaginam. An non bibam poculum quod dedit mihi pater? Poculum mortem videlicet

licet. Dicit ergo, An non ſuſcipiam mortem quam permiſit
D pater inferri mihi? nam hoc ſignificat, Dedit mihi: ac ſi dicat, Imo maxime, tanquam eadem volens quæ pater. In dicto autem capite conſequenter etiam de his diſſeruimus.

Cohors igitur & tribunus, ac miniſtri Iudæorum comprehenderũt Ieſum: & ligauerunt eum, ac duxerunt eũ ad Annam primũ. Erat enim ſocer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Præ voluptate de hac re gloriabantur, tanquam de trophæo conſtituto: & abduxerunt eum primum ad Annam, vt qui à Caiapha eius anni pontifice quaſi pater honorabatur propter affinitatem. Quære in præmemorato capite vbi habetur, At illi apprehẽſum Ieſum abduxerunt ad Caiapham pontificem: & lege
E poſitam ibi enarrationem.

p.11 *Erat enim Caiaphas is qui conſilium dederat Iudæis, quod expediret unum hominem mori pro populo.* Ne auditor vincula audiens turbetur, eius memoriã ad Caiaphę vaticinium reuocat, ſignificans quod moriebatur pro eo quod populo expediebat, ſiue pro ſalute hominũ, veluti Caiaphas prophetauerat.

Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Ipſe eſt alius ille diſcipulus. Quære in dicto capite enarrationem illius ſententiæ, Petrus autem ſequebatur eum procul vſque ad atrium principis ſacerdotum.

Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus uero ſtabat ad oſtium foris. Vide mode-
F ſtiam ac fraternum amorem. Ne quis enim aut ipſum laudet quòd ſimul introierit, aut Petrum vituperet, quòd foris manſerit: dicit quòd ſibi quidem tanquã familiari pontificis permiſſus ſit introitus: Petrus vero tanquam incognitus excluſus eſt: & tamen adhuc ad oſtium permanebat: quod Petro potius datur laudi.

Exiuit itaque diſcipulus ille alter, qui erat notus pontifici: & locutus eſt cum oſtiaria, introduxitque Petrum. Ait ergo ancilla oſtiaria Petro: Num & tu ex diſcipulis es hominis huius? Dicit ille, Non ſum. Quære prædicto capite: Et ingreſſus intro ſedebat cũ miniſtris, vt videret finem: & lege quæ ibi dicta ſunt, quum ſint maxime neceſſaria. Præterea quoque ſexageſimo ſexto capite illius ſententiæ enarrationem, Petrus autem ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum vna ancilla & cætera.

Stabant uero ſerui & miniſtri qui prunas accenderant, quia frigus

erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis Petrus ſtans & calefaciens ſe. Oſtendit quod ipſe in interiori atrio cum præce A
ptore verſãs, omnia videbat & audiebat: Petrus vero cùm eſſet in exteriori, nihil horum ſciebat.

Pontifex itaque interrogauit Ieſum de diſcipulis ipſius, & de doctrina eius. De diſcipulis quidem vbinam eſſent, & quam ob cauſam congregaſſet eos: De doctrina vero quid doceret & quare. Hæc autem interrogauit volens eum arguere, tanquã nouæ rei inuentorem ac ſeditioſum, quaſi conciliabula quędam facientem, nouaque dogmata inferentem. Atqui frequenter eum docentem audierat.

Reſpondit ei Ieſus, Ego palam loquutus ſum mundo. Manife- B
ſte omnem docui populum, non ſolum diſcipulos.

Ego ſemper docui in ſynagoga & in tẽplo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus ſum nihil. Nihil, quale tu ſuſpicaris, ſeditioſum & quod Deo non ſit gratum. Quid ergo, an nõ frequenter occulte loquebatur diſcipulis? Vtique, ſed nihil tale quale pontifex putabat.

Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid loquutus ſim ipſis. Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Non contumacis verba ſunt, ſed de dogmatum veritate confidentis. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt: non diſcipulos, ſed alios etiam qui non crediderunt.

Quum autem hæc dixiſſet, unus miniſtrorum aſſiſtens dedit alapam Ieſu dicens, Siccine reſpondes pontifici? Horreto cœlum, ſtupe- C
ſce terra: tum ob ſeruorum perfidiam, tum ob domini clemẽ- Nota.
tiam. O audaciſſime, quid nam reſpondit cõtumacius? an non potius honorem detulit pontificatui, qui põtificem maligne de his quæ nouerat interrogantem non arguerit? Quum ergo poſſet omnes concutere & obruere, aut alio acerbo modo perdere, patienter fert, verbaque proloquitur quæ omnem poſſint diſſoluere feritatem, quanquam non eam quæ illorum erat.

Reſpondit ei Ieſus, Si male loquutus ſum, profer teſtimonium de malo: ſin bene, cur me cædis? Profer teſtimonium, hoc eſt, oſtẽ de quid ſit male prolatum, argue eum qui ſit male loquutus. Quærũt autem quidam, quomodo non obuerterit Chriſtus & alteram maxillam impingenti alapam, ſicut Apoſtolis faciendum præceperat, ſed potius indignatus eſt? Nos autẽ di-

D cimus,quod illud præceptum de non vlciſcendo, fuit indictum propter ſeditiones quæ inde oriebantur: nunc tamen neque Chriſtus eum vltus eſt qui alapam impegerat,quin potius quum eum non repulerit, neque ipſe reſilierit, ad alias quoq; plagas parat⁹ erat,ſed partes ſuas defendit,ne quo mõ ſi tacuiſſet,cõtumax videretur,de quo etiam accuſabatur.

Miſit eum Annas ligatum ad Caiapham pontificem. Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat ſe. Dixerunt itaque illi, Num & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ergo ille, & ait, Non ſum. Dicit unus ex ſeruis pontificis, cognatus eius cuius amputauerat Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus. Sexageſimo quinto euangelij iuxta Matthæum capite de his diligenter diſputatum eſt,vbi habetur,Et ingreſſus intro ſe-

E debat cum miniſtris vt videret finem.

Statimque gallus cecinit. Quære ſexageſimo ſexto dicti euangeliſtæ capite,vbi ſimiliter dicitur,Statimque gallus cecinit:nam ibi de hoc manifeſte dictum eſt.

Ducũt ergo Ieſum à Caiapha ad prætorium. Erat autem mane: &
att.27 *ipſi non introierunt in prætorium,ne contaminarentur,ſed ut ederent paſcha.* Horum quoque facta eſt mentio in fine prędicti capitis,vbi dicitur,Mane autem facto conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum ac ſeniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent.

Exiuit itaque Pilatus ad eos & ait,Quam accuſationẽ adfertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei, Niſi eſſet hic
F *malefactor,non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus,Sumite eum uos,& ſecundum legem ueſtram iudicate eum.* Hæc quoque omnia ibi declarata ſunt ſequenti capite,vbi poſitum eſt, Ieſus autem ſtetit coram præſide:leģe ergo & illa. Sed quomodo quum dicant eum eſſe malefactorem tacet? Quia de hoc non interrogabatur:itaque patienter ſuſtinet.

Dixerunt itaque ei Iudæi,Nobis non licet interficere quenquam. Cruce videlicet. Hoc autem dixerunt, non tãtum quaſi ſubiecti dominio Romanorũ,& propria priuati poteſtate: quantum volentes Chriſtum cruce occidi,miſerrima ſcilicet ac ig
nominioſiſſima morte,quod lex eis non permittebat. Nam ꝙ
7.7 alio modo perimerent,oſtendit Stephanus lapidatus.

Vt ſermo Ieſu compleretur quem dixit, ſignificans quã morte eſſet moriturus. Hoc dixerunt vt ſermo Ieſu compleretur Cõplendus

plendus enim erat, inquit ſermo eius quem loquutus fuerat A
dicens,Si exaltatus fuero à terra,omnes traham ad meipſum Supra.12
ſicut etiam ibi ſignificauit euangeliſta,addens quòd hoc dicebat,Sgnificãs qua morte eſſet moriturus, hoc eſt ænigmatice mortem deſignans.

Ingreſſus eſt ergo rurſum in prætorium Pilatus: & uocauit Ieſum, dixitque illi,Tu es rex Iudæorum? Reſpondit ei Ieſus, A temetipſo tu hoc dicis,an alii tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus, Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Dicto capite etiam de his per ordinem inuenies, in illius dicti enarratione, Et interrogauit eum præſes dicens, Tu es rex Iudæorum?

Quid feciſti? Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt ex hoc mũ- B
do:ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum,miniſtri utique mei decertarent ne traderer Iudæis:nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit ergo ei Pilatus,Num itaque rex es tu? Reſpondit Ieſus, Tu dicis quòd rex ſim ego. Ibi etiam hæc conſequenter ſortita ſunt enarrationem.

Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum, ut teſtimonium perhibeam ueritati. Quum à principio interrogaſſet Pilatus, Tu es rex Iudæorum:ac reſpondiſſet dominus, Regnũ meũ non eſt ex hoc mundo, & ſeipſum regem oſtendiſſet, quanquam non terrenum:rurſum interrogauit Pilatus,Num itaq; rex es tu?ac deinceps ſe iterum eſſe reſpondit. Deinde confirmans ſe vera loqui ait,Propterea natus ſum, propterea incarnatus ſum,& veni in hunc mundum, vt doceam veritatẽ. C
Sicut ergo in cæteris vera loquor,ita ſane & in hoc. Vel, ad hoc natus ſum,hoc eſt,quum rex ſim,ad regnandum incarnatus ſum,& propterea veni in mundum,vt doceam veritatem, quod quum ſim rex ſempiternus,incarnatus ſum vt ſuper eos regnem qui credunt in me.

Omnis qui eſt ex ueritate audit uocem meam. Omnis qui eſt ex veritate,qui amat veritatem,obedit verbo meo,credit doctrinæ meæ.

Ait illi Pilatus,Quid eſt ueritas? Diſcere cupiens interrogat, Quid eſt veritas,cui tu teſtimonium perhibes, quam doces? Sciens autem quòd mora opus eſſet ad quæſtionem ad quam hortabatur,ſubſiſtit ab interrogatione:& confeſtim egreſſus nititur hunc ab impetu Iudæorum liberare. Vide enim:

D *Et quum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & ait illis, Ego nullum crimen inuenio in eo.* Rursum prædicto capite lege illius dicti enarrationem, Et interrogauit eum præses dicens, Tu es rex Iudæorum? in qua Lucæ quoque verborum facta est mentio, per quæ etiam præsens dictum cognoscitur.

Est autem consuetudo uobis, ut unum absoluam uobis in pascha: uultis ergo absoluam uobis regem Iudæorum? Quære in eodem vbi dicitur, In festo autem consueuerat præses absoluere turbæ vnum vinctum quem voluissent: ibi enim de hoc quoque dictum est.

Clamauerunt itaque omnes dicētes, Non hunc sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Eodem capite scribit Matthæus, Principes autem sacerdotū & seniores persuaserunt turbis vt peE terent Barabbam, Iesum vero perderent: & illius lege enarrationem.

Cap.19. *Tunc ergo apprehēdit Pilatus Iesum & flagellauit: & milites plectētes coronā de spinis, imposuerūt capiti eius, & ueste purpurea circundederunt eum, ac dicebant, Aue rex Iudæorum: dabantque ei alapas.* Dicto capite consequenter etiam hæc omnia ad verbū manifestata sunt. Ista autem Iohannes sub breuitate narrat, tanquam ab aliis iam scripta: studens & hic recitare quę prēterita erant. Et cur omnino eorum meminit quę ab aliis memorata sunt? Quia aliter nequaquam apte scribere poterat, quæ scripta non erant.

Exiuit ergo iterum foras Pilatus, & ait illis, Ecce adduco uobis eum foras. Hoc est extra prætorium.

F *Vt cognoscatis, quod nullum in eo crimen inuenio.* Hoc dicit tē tans mentem eorum.

Exiuit ergo Iesus foras, gestans spineam coronam & purpureum uestimentum. Eduxit eum ludibrij stola vestitum: vt hunc in tanto videntes opprobrio, satiarentur ac placarentur.

Et ait illis, Ecce homo. Homo dixit præ compassione, vt & ipsi compassione mouerentur.

Quum ergo uidissent pontifices ac ministri, clamauerunt dicentes, Crucifige, crucifige eum. Tanquam feri canes, eo solum viso, furibunde oblatrabant, quasi feræ bestiæ, quæ venatores sentientes statim incurrunt: nam inuidia ebrij, in cędem aduersus eum debacchabantur.

Ait illis Pilatus, Accipite eum uos, & crucifigite: ego enim non inuenio

uenio in eo crimē. Vos inquit, qui iniusti estis. Permittit autem A eorū potestati, indignatus de violētia ac impudētia illorum.

Respondērunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundum legem nostrā debet mori, quia filium Dei se fecit. Naturalem videlicet. Hoc autem dixerunt iniustitiam repellentes. Itaque rursum ad aliam transierūt accusationem. Quid ergo Christus? Quum de talibus eum accusarent tacebat, dictum complens propheticum, non aperuit os suum. Iesa.53

Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Ne quo modo in veritate Deus esset, & eum disperderet, ita ab ipso affectus contumelia.

Rursumque ingressus est in prætorium, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iam non interrogat, Quid fecisti, sed, Vnde es tu, è cœlo an è terra? B

Iesus autem responsum non dedit ei. Nam quod discere quęrit, iam didicerat, quando audierat, Regnum meum non est ex hoc mundo. Et sicut tunc molliter affectus nihil eum iuuerat: ita & nunc futurum erat, vt nihil iuuaret, quum ignauus esset ac meticulosus.

Ait itaque ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Et terretur & terret: iritatus enim quòd sibi, ne ipsum quidē fouenti, respondeat, deinceps vibrat potestatem. Sed ô insensate: si potestatem habes ipsum absoluendi, quomodo non absoluis, quum scias eum carere crimine, & frequenter hoc testimonium de eo perhibueris.

Respondit Iesus, Non haberes potestatem ullam aduersum me, nisi C *esset tibi datum è supernis.* Respondit fastum obiurgans, qui illi ob potestatem accrescebat, & ait, Non haberes potestatem vllam aduersum me, nisi esset tibi datum è supernis: significans diuina quadam dispēsatione se pati. Ne autem hoc audito arbitraretur sese absolui crimine, subiunxit.

Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Quia potestatem habes, nec absoluis me, non es immunis à peccato, quanquam minus sit peccato eorum qui me tibi tradiderūt: siquidem illi homicidæ sunt scelerati, tu vero mollis facileq; credulus.

Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Sermonibus ei⁹ perterritus: Iudæi vero qui diuina eius signa frequenter con-

D spexerant, amplius insaniebant.

Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicunque se regem facit, contradicit Cæsari. Intuiti obiectam legem fuisse inutilem, & intelligentes quod eum vellet absoluere, ad accusationem iterum tyrannidis diuertunt, quam timore Cæsaris non posset parumpendere Pilatus. Non es amicus siue beneuolus. Contradicit vero, hoc est aduersatur. Verum quomodo hic tyrannidem meditatur? vnde hoc potestis ostēdere? an à veste purpurea? à diademate? ab habitu? alioue apparatu aut insignibus? an non omnia abiectionis erant, siue alimentū, siue indumenta, siue domū ac conuersationem aut cætera spectetis? cum duodecim tantū

E circumiens discipulis, iisque admodum humilibus & abiectis, imo & plærunque solus.

Pilatus ergo audito hoc sermone, duxit foras Iesum, sedit que pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autē Gabatha†. Arbitratus sese offensurum Cæsarem ac periclitaturum, si huiusmodi accusationem indiscussam prætereundo contemneret, duxit Iesum extra prætorium, ac publice sedit pro tribunali, vt vniuersos haberet suæ inquisitionis testes.

† *גבתא Gabotha Latinis sonat eminēs siue excelsum. Verisimile est enim fuisse stratum lapideum eminens, iudicio accommodum. Est & dictio Chaldaica.*

Erat autem parasceue paschæ hora uero fere sexta. Diem ac horam significauit ostendens quod non solum ipso die pa-

F schæ, verum etiam die iam declinante, festique vespera appropinquante, quando pascha immolabant, funestum tribunal conuocabant, pro paruo ducentes piaculo, huiusmodi tribunal accedere.

Et ait Iudæis, Ecce rex uester. Relicta discussione iterum ad placandum eos conuertitur: Ecce inquit rex vester: ecce stat accusatus, non est absolutus, ne formidetis. Et quanquam litera habeat ἴδε vide: frequenter tamen scriptura ponit ἴδε pro ἰδοὺ ecce: sicut etiam superius quum dixit, Ecce adduco vobis eum foras.

At illi clamauerunt, Tolle tolle, crucifige eum. O incredibilem feritatem ac insaniam.

Ait illis Pilatus, Regem uestrum crucifigam? Hoc dixit quasi subsannans Christum, vt Iudæorum curaret feritatem.

Respondē-

Respondērunt pontifices, Non habemus regem nisi Cæsarem. A Quia Christi regnum repellentes, Cæsaris potestatē elegerunt: postmodum diuina visitatione ac protectione nudati, traditi sunt ad internecionem, idque rursum ipso paschæ die quo clamauerunt, Non habemus regem nisi Cæsarem.

Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Victus eorum instanti contentione. At quibus eum tradidit? Vtique contaminatis ac perfidis, seditiosis & homicidis.

Acceperunt autem Iesum & duxerunt in prætorium. Quære sexagesimoseptimo iuxta Matthæum capite vbi habetur, Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis suis: ac lege enarrationem.

Atque is baiulans crucem suam, exiuit in locum qui appellatur Caluaria, qui dicitur Hebraicæ Golgotha, ubi eum crucifixerunt. Ibi B horum quoque in sequentibus facta est mentio, dataque explanatio. Ferebat autem crucem in humeris tanquam strennuus miles lanceam, qua deiecturus erat aduersarium.

Et cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. In illo capite etiam de duobus his manifeste dictum est, vbi ponitur, Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones vnus à dextris, & alter à sinistris. Iudæi itaq; hunc simul cum maleficis crucifigere studuerunt, vt communicatione supplicij bonam huius famam, mala illorum fama denigraret. Huius autem gloria intantum splenduit, vt quum tres penderent, quum stupenda illa signa facta sunt, soli huic omnesilla adscripserunt: tantumque abfuit vt illorum participaret suspitionem, vt potius vnum eorum ad suam fidem attraxerit, & omne machi- C namentum in caput Iudæorum conuersum sit, patremq; eorum diabolum.

Scripsit autem & titulum Pilatus, posuitque super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulū multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus: & erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, Noli scribere rex Iudæorum sed quod ipse dixerit, rex sum Iudæorū. Respondit Pilatus, Quod scripsi scripsi. Similiter & hæc pariter omnia in illo capite congruam sortita sunt interpretationem, vbi dicitur, Et posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est rex Iudæorum.

Milites ergo quū crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius

D *& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem: & tunicam.* Erat *autem tunica inconsutilis à summo contexta per totum.* Dixerunt ita *que inter se, Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit: ut scri* psalm.21. *ptura compleretur quæ ait,* Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in ue*stem meam miserunt sortem.* Præterea & hæc, vbi dicitur, Quumque crucifixissent eum, diuiserunt vestimenta eius: nam ibi omnia nullo prætermisso enucleata sunt.

Milites itaque hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu ma ter eius, & soror matris eius Maria uxor Cleopæ: & Maria Magdale ne. Atqui vnigenita erat dei mater: verum Ioseph & Cleo pas fratres erant. Moris autem erat apud Hebræos, fratrum quoque vxores appellare sorores propter virorum fraternita tem. Itaque eam quæ pariter cum ea vxor erat, sororem no-
E minauit. Sed Ioseph quidem & Cleopas viri earum, natura fratres erant: ipsæ autem eorum vxores, affinitate sorores. Stabant vero iuxta crucem, tunc nactæ securitatem: primum enim omnes discipulæ eminus conspiciebant, veluti cæteri docuerunt euangelistæ. Lege & eodem capite dicti illius e- narrationem. Iesus autem quum iterum clamasset voce ma- gna, emisit spiritum.

Quum uidisset ergo Iesus matrem, astantemque discipulum quem dilige bat. Tunc enim & ipse simul adstabat, quum iam ho- stes Iudæi discederent.

Dicit matri suæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ec ce mater tua. Iam moriens matrem commendat discipulo:
F summe dilectam, maxime dilecto: virginem virgini: in- struens nos vt curam habeamus parétum ad extremum vsq; spiritum, quando non solum non sunt ad virtutem impedi- mento, imo potius nobiscum ad salutaria exercentur. Nam
ora.2. quando intempestiue molesta erat, dicebat, Quid mihi & ti-
tth.12. bi est mulier? &, Quæ est mater mea? Nunc vero magnum demonstrat amorem. Ecce filius tuus, hoc est, hic meo lo- co tibi erit. Ecce mater tua, siue, tu eris ei pro me: oportet te huius sicut matris habere curam. Matris itaque curam ha- buit, discipulum vero honore maximo honorauit, ac interim hanc longanimitatis dedit mercedem. Quare autem alte- rius quoque mulieris curam non habuit? Quia illa procura- torem habebat, mater vero neminem: & vt sciamus quod o- porteat huiusmodi parentes præ cæteris honorare, quia pe-
pererunt,

pererunt, quia aluerunt, quia mille pericula passi sunt. Con- A
sidera autem quod ante passionem quidem vehementer an- gebatur, nunc vero sine turbatione alloquitur: siquidem ibi naturæ infirmitas, hic autem patientiæ vehementia apparet. Quemadmodum enim concupiscentiam commixtionis cor- Nota.
porum, licet vehementer nobis ad successionem generis in- situm, philosophiæ dediti extinguimus: ita quoque vitæ cu- piditatem, quanquâ plurimum, ne nosipsos interimamus, no bis inditam, philosophiam sequentes Christianam frangi- mus: & tunc turbatio quæ ex nimio vitæ amore procedebat, à philosophia Christiana supprimitur: ac ita fit vt vincantur pericula. Nihil autem amplius testamento cauit: partim qui- dem propter temporis angustiam: partim autem, quia tem- porale quidem nihil habuit, de spiritualibus vero prius com B
muniter omnibus præceperat.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Iuxta magistri præceptum.

Postea intuitus Iesus quod omnia iam consummata essent. Re- liqua omnia quæ suæ erant dispensationis.

Vt compleretur scriptura, dicit, Sitio. Vas igitur erat positum ace to plenum. Illi autem impletam aceto spongiam, & Hyssopo appositam, obtulerunt ori eius. Nam solum hoc reliquum erat. Scri- pturam autem dicit Dauidicã, quæ ait, Et dederunt in escam Psalm.
meam fel, & ad sitim meam potauerunt me aceto. Quære au tem prædicto capite sententiam illam, Dederunt ei ad biben dum acetum cum felle mixtum: & lege quæ ibi dicta sunt. C
Hyssopo vero appositam siue hyssopi arundini, quam ad ma num reppererunt: idque propter crucis altitudinem. Illude- bant autem ei offerentes acetum.

Quum ergo accepisset Iesus acetum dixit, Consummatum est. Omnibus numeris completa sunt omnia, sic vt iam nihil de- ficiat.

Et inclinato capite tradidit spiritum. Non postquam expira- uit, caput inclinauit, quod in nobis accidit: sed postquam in- clinauit caput, expirauit, vt discamus quod quãdo voluit mor tuus est, quum omnia consummata essent, tunc spiritum in manus patris tradidit, veluti significauit Lucas octogesimo primo capite: & in eo lege illius sententiæ interpretatio- nem, Et clamás voce magna Iesus ait, Pater in manus tuas cõ
mendabo

D mendabo ſpiritum meum.

Igitur Iudæi quoniam paraſceue erat, ne remanerent in cruce corpora ſabbatho: erat enim magnus dies ille ſabbathi. In cuiuſque cruce. Nam quia paraſceue erat, ſi tunc non tollebantur, futurum erat, vt & ſabbatho in cruce remanerent, illaque pendendo peruenirent ad illud ſabbathum: & inde videretur haberi contemptui. Magnum autem dicit diem illum ſabbathi, quod non ſolum honoraretur vt ſabbathum, verum etiam propter feſtum azymorum, quod caſu in eo contigerat, & ita duplex feſtum erat. Huiuſmodi autem ſabbatha, dicebantur ſabbatha ſabbathorum, tanquam veneranda venerandorum, feſta feſtorum: ob feſti duplicitatem, vt dictum eſt.

Rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur.

E Hic rurſum ἠρώτησαν, ſignificat Precati ſunt, petierunt vt confringerentur eorum crura, quo citius morerentur.

Venerunt ergo milites. Quibus id à Pilato iuſſum erat.

Et primi quidem fregerunt crura. Qui in dextera Chriſti crucifixus erat.

Et alterius qui crucifixus erat cum eo. Chriſto videlicet.

Ad Ieſum autem quum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Poſtremo ad eum venerunt, maiori contumelia, in gratiam Iudæorum, ipſum volentes afficere.

Sed unus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Res ſupra naturam, ac manifeſte docens, quod maior quàm homo eſſet qui fuerat vulneratus: ſiquidem à

F mortuo homine, etiam ſi millies quis eum pupugerit, non exibit ſanguis Foditur itaque lancea in latere ſaluator, quia peccato vulneratum eſt latus Adæ: ſiue vt Euam, lateris ſui vulnere, à plaga lateris ſanaret. Sanguinem autem & aquam ſcaturire facit, duo deſignans baptiſmata: vnum quidem per ſanguinis martyrium, alterum vero per aquæ regenerationem: atque horum fluxu peccati fluxum demergit. Præterea & aliter. Nam duos ſcaturire facit fontes: aqua quidem purificans eccleſiam, ſanguine vero eam enutriens. Siquidem per aquam renaſcimur, per ſanguinem autem & carnem paſcimur, quæ diuina ſunt ac myſtica. Itaque quum ad tremendum acceſſeris poculum, perſuadeto tibi quod ex dominico bibis latere: & eo modo ſis affectus. Deinde volens

lens huiuſmodi confirmare miraculum ait. A

Et qui uidit testimonium perhibuit. Qui vidit hæc, ſcripſit iſta, non quod ab aliquo audierit.

Et uerum est testimonium eius. Vt qui ea vidit de quibus teſtatur, & præſertim qui de magiſtri ſcribit contumelia. Nam contumelia erat, lateris apertio, quàquam ad hanc ſequutum ſit miraculum.

Et ille scit quod uera dicat. Exacte rem nouit, vt qui tunc præſens fuerit & viderit, etiam ſi Iudæi eum mentiri obiiciant.

Sed ut uos credatis. Sed hæc ſcripſit, vt vos qui fideles eſtis etiam de hoc credatis.

Facta sunt autem hæc ut scriptura compleretur. Quæ in Mo- Exod.

ſaica lege ſcripta eſt, & ait: B

Os non comminuetis ex eo. Nam licet de figuratiuo agno Num.

ſcriptum eſſe videatur, de vero tamen ſcriptum erat, præſignans id quod nunc factum eſt.

Rursumque alia scriptura † dicit. Prophetica. †

† *Verisimile est dictum hoc à Iudæis eiectum esse post prædicatum euangelium: siquidem nunc nusquam inuenitur.* (*Dicit hic nusquam inueniri, quia Græce solum nouerat: porrò in Græca translatione septuaginta interpretum non habetur. Legimus tamen illud in Latina ex Hebræo translatione Zachariæ duodecimo.*) *aut aliam dicit scripturam, librorum qui apocryphi censentur.* Zach

Videbunt in quem pupugerunt Videbunt ipſum de cœlo deſcendentem in die iudicij. Videbunt, inquit, filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate & gloria multa. Math. Mar. Luca C

CAPVT DECIMVMOCTAVVM, DE PETITIONE CORporis domini.

POſt hæc rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, qui erat diſcipulus Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Ieſu. Lege quæ ſunt enarrata in fine præmemorati ſexageſimiſeptimi capitis vbi habetur: Quum ſerum autem factum eſſet, venit homo dives ab Arimathæa nomine Ioſeph. Ma

Et permiſit

Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu †. Venit autem & Nicodemus, is qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferés mixturam myrrhæ & aloes, ad libras ferme centum. Acceperunt itaque corpus Iesu, & obuinxerũt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Sexagesimooctauo capite euangelij secundum Matthæum per ordinem de his etiã omnibus inuenies. Quando autem Nicodemus venerit ad Iesum nocte, dictum est tertio capite præsentis euangelij.

† Imitemur nobilem hunc senatorem seu consiliarium, nobilia consulentes ac decernentes de dominici corporis participatione: & pretiose ungentes sui uirtutum odore, mundãque conscientiæ sindone illud inuoluentes, ac cordis monumento nouo, omnique immunditia purificato, sepelientes.

Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumẽtum nouum in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia prope erat monumẽtũ, posuerũt Iesum. Prædicto capite euangelij iuxta Matthæum de hoc quoque scriptum est. Volebant itaque hunc in alio digniore monumento quòd longius à ciuitate distabat collocare: sed propter parasceuen Iudæorum, quæ videlicet à Iudæis ad vesperam obseruabatur, quo tempore fas non erat aut longius ambulare, aut amplius operari, magis autem quia & pascha aduenerat, in propinquo posuerunt eum, diuina gratia ita dispensante, vt & discipulæ conspicerent vbi poneretur, & discipuli possent propter propinquitatem proficisci, ac viderẽt quæ postmodum facta sunt miracula.

Vno autem sabbathorum. In prædicto capite vbi dicitur, Vespera autem sabbathorum, quæ lucescit in vnum sabbathorum: lege quæ sunt enarrata.

Maria Magdalene uenit summo mane quum adhuc tenebræ essent ad monumentum, uidẽtque lapidem sublatum à monumento. Currit ergo & uenit ad Simonem Petrum & ad alium discipulum quem diligebat Iesus, & ait illis, Tulerunt dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Hoc etiam loco, quæ circa alias mulieres acta sunt prætermisit, tanquam ab aliis dicta: quæ vero Mariæ Magdalenæ acciderunt, vtpote ab aliis silentio præterita, exponuntur. Lege itaque prædicto capite ab eo loco, Vespera autem sabbathorum, quæ lucescit in vnum sabbathorum, vsque dum dicitur, Vndecim verò discipuli profecti

profecti sunt in Galilæam: & omnia ad verbum explanata inuenies, eandemque quatuor euangelistarum consonantiã, ac corpus historiæ vnum. Petro autem & Ioanni loquitur Magdalene: illi quidem tanquam omnium summo, huic vero tanquam dilecto, & qui amplius quàm cæteri diligebant Iesum: soli enim inter omnes sequuti fuerant eum, quum ligatus abducebatur ad Annam & Caiapham.

Exiuit ergo Petrus & alius discipulus, & uenerunt ad monumẽtum. Nulli aliorum quicquam dicentes: insuper & Iudæos ac custodes præ feruore contemnentes.

Currebant autem duo simul. Simili feruore & se, & cætera despicientes.

Et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, uenitque prior ad monumentum. Tanquam robustior vigore corporis.

Quumque se inclinasset, uidit linteamina posita. Funeralia, puta sindonem.

Non tamen introiuit. Tremore detentus, aut his iam contentus.

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum. Nullo iam metu oppressus, quo prioris culpam timiditatis abstergeret, aut diligentius scrutari volẽs. Inuicem itaque se ambo vicerunt: Ioannes quidem præcurrẽdo: Petrus verò in monumentum introeundo. Quære etiam octogesimosecundo euãgelij iuxta Lucam capite vbi dicitur, Petrus verò surgens cucurrit ad monumẽtum: ac enarrationem lege super id quod habetur, Admirans quod factum erat, ad hunc locum maxime necessariam.

Viditque linteamina posita, ac sudarium quod erat ad caput eius, non cum linteaminibus positũ, sed separatim inuolutum in unũ locum. Quorum vtrunq; signum etiam erat infallibile resurrectionis. Neq; enim si quis eum transposuisset, certe denudasset: neque si furatus esset. curam habuisset vt & sudarium inuolueret, poneretque in vnum locum, siue in alterum à linteaminibus separatum, sed ita vt situm erat corpus, aut transposuisset, aut furatus fuisset: veritus superfluum tempus in negocio consumere, ne quo modo in furto deprehenderetur, extremumque lueret supplicium. Præterea etiam quum myrrha cum qua sepultus erat, maxime esset ei adglutinata, & sindonem tenacissime ei adhærere faceret, sic vt iam coalita, nullo

D lita, nullo modo posset auelli: propterea hæc seorsim à se inuicem posita erant. & sudarium inuolutum erat, vt disceremus quòd cum autoritate, omniq; securitate surrexerat. Sudarium autem erat parua quædam fasciola, quali etiã facies
d.11. Lazari, qui fuerat mortuus erat obuincta.

Tunc itaque ingressus est & alter discipulus, qui uenerat prior ad monumentum. Vocatus à Petro.

Et uidit & credidit. Quum resurrectionis signa vidisset indubitata.

Nondum enim nouerãt scripturam, quod oportet eum à mortuis
e.24. *resurgere.* Causam reddit cur prius nõ crediderint mulie-
ci.16 ribus, quæ eis resurrectionem annuntiauerant, sed visa sunt
E coram ipsis tanquam deliramentum verba earum: sed neque duobus ex eis qui abierant rus: & dicit quòd nondum intelligebant scripturam, de eius resurrectione docentem: hæc autem multiplex est, in diuersis psalmis Dauidicis sermonibusque propheticis sparsa.

Abierunt ergo rursus discipuli ad semetipsos. Ad suum diuersorium.

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Venerat enim post Petrum & Ioannem, quum non potuisset simul cum eis currere, & nec reuertentibus occurrit, vt quippiam firmius etiam ipsa disceret.

Dum ergo fleret, inclinauit se in monumentum, & uidet duos an-
gelos amictos albis. Palliis videlicet: hi autem erant, qui etiã
F prius ei apparuerant, & iis quæ cum ea erant. Quomodo ergo hi non apparuerunt Petro & Ioanni? Quia futurum erat vt illis tanquam prudentioribus ad fidem sufficerent ea quæ viderant.

† *Sedentes †, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi posuerãt*
corpus Iesu. Sedebant quidem propter eam: splendidi vero alacriter, propter gaudium.

† † *Christi sepulchro adsistunt angeli ad credulitatem permanẽtes:*
utque surrexisse docerent, & non furto sublatum esse.

Et dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Quum ipsa non auderet eos interrogare, illi ei loquuntur.

Ait illis, Quia tulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerunt
eum. Putabat enim ab his qui sepelierant eum fuisse transpositum.

Quumq;

Quumq; hæc dixisset, cõuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantẽ. A
Et quomodo priusquam vllum accepisset responsum ab his qui eam interrogauerant, repente conuersa est retrorsum? Quia subito apparente Christo post eam, angeliviso domino suo statim surrexerunt, cum tremore more seruorum in eum intuentes. Cõuersa est ergo vt videret quis illis apparuisset.

Et non sciebat quod Iesus esset. Apparuit enim ei alia specie, & viliori ac communiori habitu, ne repente consternaretur.

Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans
quod hortulanus esset †, ait ei, Domine si tu asportasti eum, dicito mi-
hi ubi posueris illum, & ego eum tollam. A communi habitũ, & t
quia in horto erat, arbitrata est hortulanum esse. Neq; enim vocem eius agnouit, more insueto prolatam. Putabat autem
B vt dictum est, transpositum eum esse in tutiorem alium locum, & ab hortulano asportatum. Dic mihi, inquit, vbi posueris eum, & ego eum tollam, in alium repositura locum, ab insidiis tutiorem.

† *Qui generabilium tantum & corruptibilium creatorem ac pro-* t
uisorem putat dominum, hic pro hortulano eum cognoscit. Idcirco etiã
huius contactum fugit dominus, quod apud illum nondum ascenderit
ad dignitatem ac æqualitatem patris: siquidẽ eo indigni sunt, qui cum
huiusmodi opinione ad eum accedunt.

Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa ait ei, Rabboni, quod dicitur
Magister. Nunc composita voce, specie & habitu vt facilius cognosceretur, dedit ei horum notitiam, statimq; illum agnouit, clamans præ lætitia, Magister. Sed quomodo conuersa dicit, si iam cum eo loquebatur? Quia quum id dixisset C
quod loquebatur, conuersa est ad angelos, vt videret an adessent: vel vt interrogaret, quid illos in stupore adduxisset: statimq; Christo eam vocante, rursus ad ipsum conuersa est.

Dicit ei Iesus, Noli me tangere. Nam se ad tangendum pedes eius aptabat, sicut solebat. Prohibet autem ne deinceps accedat ad eum modo quo prius, quum iam diuinior facta sit caro eius.

Nondum enim ascendi ad patrem meum. Hoc ad nullũ aliũ dixit finẽ, vt ait Chrysostomus, nisi vt solũ intelligeret quod sublimior sit, magisq; venerandus. Nam qui nititur cum corpore ad deum ac patrẽ ascendere, manifestum est quòd corporis fragilitatem abiecerat. Atqui paulo ante ipsa & altera

Maria

D Maria tenuerant pedes eius, sicut scripsit Matthæus: sed tũc quidem non prohibuit, permittens vt fierent tactu certiores non esse phantasma. Nunc autem nõ permittit, quia & visionis & tactus oblita erat, nec crediderat.

Sed uade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, patrẽmque uestrum & deum meum, Deumque uestrum. Atqui non statim ascensurus erat, sed post quadraginta dies, quomodo ergo dicit, Ascendo? Vtique vt amplius mentem eius in sublime erigeret: & adhuc confirmans se sublimiorem ac diuiniorem esse, ac studens vt deinceps maiori cum veneratione animum ei intenderet & auscultaret. Prẽterea verbũ Ascendo, significat Ascendere volo, quòd tamen ad longius tem-
E pus extendi potest. Discipulis autem ad memoriam reuocat id, quòd frequenter priusquam traditus esset, illis dixerat. Fratres verò suos nominauit, tanquam & ipse homo, & cognatus eorum iuxta humanitatem. Alio tamẽ modo patrem dixit patrem suum, & alio discipulorum: suum quidem natura tanquam eiusdem substantiæ: discipulorum verò, ratione creationis ac prouidentiæ tanquam creaturarum, ac prouidentia dignorum. Deum autem & suum & discipulorum, vtpote hominum Et quare nõ simpliciter dixit, Et deũ nostrum, sed etiam hic distinxit? Quia licet homo factus est & frater eorum natura humanitatis: honore tamen plurimum ab eis differebat, & diuinitatis vnione ac impeccabilitate.

F *Venit Maria Magdalene renuntians discipulis quod uidisset dominum, & ea sibi dixisset.* Et quod ea sibi dixisset, quæ videlicet ei loquutus fuerat. Et quia verisimile erat discipulos quũ hæc audissent, aut non credere mulieri, sicut nec prius: aut credentes (nempe quum narraret conformia his quæ viderant Petrus & Iohannes) dolere quòd ipsi huiusmodi aspectu digni habiti non fuissent: eodem die etiam illis apparet. Primo namq; desiderium eorum exacuit: deinde eis desiderabilius sese præbuit iam videre concupiscentibus.

Quum ergo sero esset die illo qui erat unus sabbathorum, & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus stetitque in medio. Ad vesperam venit, quando magis timebant, & quum simul essent congregati, & quidem ianuas non pulsauit ne turbarentur, sed clausis illis introiuit, tanquam

tanquam deus, & quasi corpore suo leui iam & subtili ac im- A
mortali effecto. Stetit autem in medio, vt omnibus esset conspicuus.

Et ait illis, Pax uobis. Hoc est, ne turbemini. Etiam moriẽs pacem illis reliquerat. Pacem inquit meam relinquo vobis. Supra.1.
Mulieribus ergo quę discipulæ erant, gaudium ante omnem sermonem tribuit, eo quòd ad mœrorem genus illud fuerat condemnatum: discipulis verò pacem, propter suspectum bellum à Iudæis ac gentibus.

Quumque hoc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Quære vltimo iuxta Lucam capite quod dicitur, Et ipsi narrabãt Lucæ.2.
quæ gesta erant in via & cætera, vsque ad eum locum vbi habetur, Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio & B
admirantibus: & illorum lege enarrationes ad præsentia dicta admodum vtiles.

Gauisi sunt ergo discipuli uiso domino. Vides operibus confirmatos esse sermones? Siquidem ante passionem dixerat Supra.1
eis, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

Dixit itaque eis iterum Iesus, Pax uobis. Postquam comederat datam sibi partem piscis assi, & de fauo apiario, sicut scripsit Lucas, certiores facti sunt: & præ gaudio iam vt verisimile est turbatos, reprimit, vt his quæ dicturus est animum aduertant.

Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Etiam ante passionem Supra.1
dixit ad patrem, Sicut me misisti in mundum, & ego misi illos in mundum: & lege quæ ibi dicta sunt. Animos itaque illorum erexit, tradens eis opus suum, ac sibi successores eos C
constituens.

Hoc quum dixisset insufflauit †, & ait illis, Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Atqui superius dixerat, Nisi ego abiero paracletus non veniet ad vos: quomodo ergo dat hic spiritum sanctum? Insufflauit quidem dans gratiam susceptiuam spiritus sancti, aptosque efficiens ad eius susceptionem: dicit autem, Accipite spiritum sanctum: non nunc, sed quando descẽderit. Aut spiritum sanctum vocauit gratiam spiritualem remittendi ac ligandi peccata: & hoc tunc illis tribuit, quod & miraculis maius erat. Nam quum paralytico dixisset, Remissa sunt tibi peccata tua, dixerunt scribæ, Quis potest re- Marci.2.

D mittere peccata nisi vnus, nempe deus? Verum & ante pas-
Matth. 18 sionem dixerat eis, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo: sed tunc quidem hoc illis promisit, nũc autem tribuit. Quære autem circa mediũ noni capitis præ-
supra 7. sentis euangelij, vbi dicitur, Nondum erat spiritus sanctus: quia Iesus nondum erat glorificatus: & lege totam illorum enarrationem. Insufflauit itaque, tanquam fons gratiarum: & vt etiam hinc discamus ipsum esse qui primum ac vitale spiraculum insufflauit in Adam. Retentionem verò intelli-
ge ligationem, veniæ carentiam. Tanquam rex ergo Du-
ces exercitus destinans, ita discipulos præ omnibus, huius-
E modi stipat potestate.

† † *Qui propter dæmonum terrorem in sublimitate diuinarum con-templationum firmiter confirmantur: & sensus ad modum ostiorum claudunt: ignoto modo accedentem excipiũt diuinum sermonem, absq; sensitiua operatione eis apparentem: & pacis quidem nomine immo-bilitatem ad affectus tribuentem: insufflationis uero, gratias spiritus sancti, ac mysteriorum suorum signa demonstrantem.*

† *Thomas* † *autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus non erat cum eis quando uenit Iesus.* Verisimile enim est eum à tempo-
re quo dispersi fuerant discipuli, ac relicto præceptore fuge-
rant, nondum cum illis conuenisse.

† † *Quanquam aberat Thomas, tamẽ per fratres Apostolos particeps & ipse fuit gratiæ insufflati in illos spiritus sancti, sicut ait diuus Cy-*
F *rillus. Quidam tamen dicunt, quod postmodum postquam uidit manus ac latus saluatoris, & circa resurrectionem credidit: tunc accepit & ipse huiusmodi gratiam, ut in nullo horum, inferior esset ceapostolis.*

Dixerunt ergo ei alii discipuli, Vidimus dominum. Dixerunt ei, quum ad eos venisset.

Ille autem dixit eis, Nisi uidero in manibus eius uestigium clauo-rum: & mittam digitum meum in uestigium clauorum: & mittam ma-num meam in latus eius, non credam. Quemadmodũ vulgi mo-
re ac temere credere, leuitatis est: ita quoque vltra modum scisciscitari, ac nimis curiose indagare, crassæ mentis est. Pro-
pterea etiã Thomas arguitur. Nam quum fide digni essent condiscipuli, remque confirmarent, non credidit: non tan-
tum fidem illis non præstans, quantum impossibilem ducens hanc resurrectionem. Siquidem ipse eum videre quærit: nec

id tan-

id tantum, sed & vestigium clauorum: neque hactenus sistit A
curiositas, sed & mittere digitum in vestigium clauorum, ma
numq; in latus eius, ne forte phãtasma esset. Audierat enim, vt apparet à condiscipulis, q̃ manus ac latus suum eis osten-
disset. Tactum itaq; fide digniorem ducit aspectu.

Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus & Thomas cum eis. Intus, in diuersorio, vbi erant congregati.

Venit Iesus ianuis clausis. Venit certiorem redditurus eum qui non credebat: & neque vnum despicit, licet mente cras-
sior esset cæteris. Et quare non tunc fecit illum certiorem quum Thomas prædicta requirebat, sed post dies octo? Vt interim à condiscipulis instructus, facilius persuaderi posset ad fidem. B

Stetitq; in medio, ac dixit: Pax uobis. Sicut & prius. Rursum enim omnia facit, quæcunque eo absente fecerat.

Deinde dicit Thomæ, Infer digitũ tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam & immitte in latus meum. Quum nihil Thomas diceret, anticipat eum, præbens quę ille petierat, ac ostendens quòd etiã tũc præsens fuerit & audierit, tanquam deus, quum hæc ille loquebatur. Siquidem eisdem quoque vsus est verbis.

Et ne sis incredulus, sed fidelis. Indignatus hoc dicit, quasi non ex diligentia, sed ex incredulitate contradixerit.

Et respondit Thomas ac dixit ei, Dominus meus & deus meus. Videns in manibus eius vestigiũ clauorũ, & latus ipsius aper-
tum, continuo credidit, non expectans dum contrectasset. C

Dicit ei Iesus, Quia uidisti me credidisti, Beati qui non uiderunt & crediderunt. Quum enim Petrus & Ioannes nondum eum Supra.
vidissent, à linteaminibus tamen ac sudario resurrexisse cre-
diderũt. Alij quoq; discipuli, quum postmodum Petrus eum vidisset, illisq; renunciasset, nondum videntes crediderunt. Inuenerunt, inquit Lucas, congregatos vndecim & eos qui Lucæ.
cum illis erant, dicentes, Surrexit dominus vere, & visus est à Simone. Et quomodo dicit idẽ euangelista, quòd dum ap-
paruit eis, expauefacti & conterriti existimabant spiritum se videre, &c? & quòd adhuc illis non credentibus præ gaudio, & admirantibus dixit eis, Habetis hic aliquid edulij & cæt? Quia tunc hęc passi sunt, non quòd eum resurrexisse nõ cre-
derent, sed quod dubitarent vtrum ipse esset qui eis appare-

 bat: ac

D bat: ac diligentius considerarent: Comprehēdit autem beatitudo hæc etiā illos, qui per prædicationem credūt. Quum ergo dicit aliquis, Beati qui tēporibus illis fuerunt, ac Christum viderunt: considēret quod Beati qui non viderunt & crediderunt. Sed quomodo corpus incorruptibile vestigia habebat plagarum, ac tactui subiacebat? Quomodo? Supernaturaliter & dispensatorie: edebat siquidem ac bibebat ad maiorem discipulorum certitudinem.

Multa itaque & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. De his omnino loquitur quæ post resurrectionem facta sunt: propterea namque dixit, in conspectu discipulorum suorum. Quemadmodum enim ante resurrectionem plurima fieri oportuit, vt crederent eum esse filium dei: ita & post resurrectionem, vt certiores fierent quod resurrexisset. Aut etiam sermo communis est: & de his loquens quæ ante resurrectionem, & de his quæ post eam facta sunt.

E

Hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus filius dei. Non inquit ad ambitionem hæc scripsimus: ita enim & alia scripsissemus, quum multa essent: sed ad solam necessitatem, vt credatis, quod hic Iesus est Christus filius dei, qui à prophetis annunciatus est.

Et ut credētes uitam habeatis in nomine eius. Hoc est per eū: nam ipse vita est: vitam inquam, sempiternam habeatis.

p.21. *Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis.* Neque enim continue cum eis versabatur vt prius, sed per

F temporum interualla accedebat. Quod autē dicitur, Manifestauit, & Apparuit, & Visus est ac similia, ostendunt quod iuxta naturam incorruptibilitatis corporis, inuisibilis erat corruptibilibus oculis: verum demittendo se & dispensatorie manifestabatur. Hoc autem mare in Galilæa erat: animo siquidem resumpto, eo profecti sunt.

Manifestauit autem sic. Vt nunc dicturus est.

Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus ac Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, filiique Zebedæi, & alii ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscatū. Aiunt illi, Venimus & nos tecum. Nam quum neq; semper cum eis esset Saluator, vt dictum est, neq; alius aduenisset paracletus, neque perfecte eis cōmissa esset prædicatio: quum nihil esset quod agerent

agerent, reliquo tempore piscabantur, priorem exercentes A artem: quanquam non amore lucri vt prius.

Exierunt ergo, statimq; ingressi sunt nauim. Quæ Petri erat, aut filiorum Zebedæi, aut alicuius eorum quos nouerant.

Et nocte illa nihil ceperunt. Dispensatorie hoc factum est, veluti in sequentibus dicemus. Verisimile est autē alios quoque discipulos terrestri itinere fuisse sequutos, sicut ait Chrysostom⁹, amoris gratia, vtq; spectatores essent, ac probe ociū collocarent, & simul cum eis pernoctarent.

Mane autem iam facto stetit Iesus in litore: non tamen cognouerunt discipuli quod Iesus esset. Fortassis quòd splendidiori appareret specie, propter immortalitatem, aut dispensatorie B ab eis cognitus non est.

Dicit ergo eis Iesus, Pueri num quid opsonii habetis? παιδία id est, pueros illos vocauit iuxta consuetudinem. Moris siquidem erat ita operarios appellare: propter illorum robur ac strennuitatem ad labores. Loquitur autem cum eis, quasi volens aliquid ab eis emere.

Responderunt ei: Non. At ille dixit eis, Iacite in dexteram partē nauigii rete, & inuenietis. Nec adhuc cognouerūt eum esse, quod tamen eos intelligere oportuit. Nam quomodo vulgaris homo aut socius id nosse potuisset, quòd iacientes in dexteram nauigij partem, inuenturi essent? Expresse autem ad dexteram iacere præcepit, ne fortuita videretur captura.

Iecerunt itaq;. Simpliciter obtemperātes: aut arbitrati si- C gno quopiam illum nosse pisces aliquos ibi natare.

Et iam illud trahere non poterant præ multitudine piscium. Absente quidem Saluatore nihil ceperunt: præsente vero, multitudinem concluserunt, vt cognoscamus quòd sine illo nihil quod vtile sit perficimus: cum eo autē, plurima. Oportet ergo, vt præceptis eius obedientes laboremus, & ad dexteram iaciamus: nam hæc pars laudi datur. Quære autem & Lucæ. vndecimo iuxta Lucam capite quòd dicitur, Similiter autem & Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erāt socij Simonis & cætera ac illorum lege enarrationem. Inuenies enim anagogica præsentibus admodum congrua.

Dicit ergo discipulus ille quē diligebat Iesus Petro: Dominus est. A prospero id euentu intelligens, & quod tanquam ex illius iussu concluſi essent pisces.

D *Simon itaque Petrus quum audisset quod dominus esset, tunica succinxit se, erat enim nudus: & misit se in mare.* Perspicacior quidem erat Ioannes magnitudine puritatis: Petrus vero ferue-
tior vehementia amoris: ideo agnoscit quidem eum Ioannes ante Petrum, sed egreditur ad eum Petrus ante Ioannē. Vbi enim solum audisset esse dominum, confestim quæ in manibus erant proiicit, nec sustinens vt nauigio ad eum perueniret, sese in mare iacit, quo citius accederet. ἐπενδύτην autem (pro quo Tunicam vertimus) vocant tunicam quandam manicis carentem, quæ corpus ad genua vsque contegat: & hac vtebantur qui in mari degebant: Nam simul & agilitatē eis tribuebat, & inter aquas ornatū. Erat quippe nudus, alia
E carens veste: nam hac sola ad corpus discincta indutus erat: neq; enim conueniebat, vt omnino nudus esset propter turpitudinem: succinxit autem illam, pudore domini.

Cæteri uero discipuli nauigio uenerunt: non enim longe aberant a terra: sed circiter cubitis ducentis, trahētes rete piscium. Venerunt attrahendo funes quibus rete trahebatur.

Vt ergo descenderunt in terram, uident prunas positas, piscémque superpositum & panem. Piscem quidē prunis superpositum, panem verò seorsim positum: vtiq; producta ex his quæ non erant: vt hinc quoque suam ostendat potentiam, ac beneuole eos per cibum à labore refocillet.

Ait illis Iesus. Adferte de piscibus quos nunc comprehendistis.
F Vtpote sciens quod comprehendissent. Nam & prius tanquam sciens quòd comprehensuri essent, dixerat, Iacite in dexteram partem nauigij, & inuenietis. Et ne phantasticum videretur negotium: vtque videntes piscium multitudinem ac magnitudinem, & quomodo non esset scissum rete, magis etiam admirarentur.

Ascendit Simon Petrus. Ascendit in nauim, tanquam artis peritior, sequentibus videlicet eum etiam cæteris.

Et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, numero centum quinquaginta tribus. Dicunt aliqui per centum quidem eos designari, qui ex Gentibus saginandi erant: per quinquaginta autem, eos qui de Iudæis: plures siquidē ex Gentibus credituri erant, quàm ex Iudæis: per tres vero, sanctam Trinitatem in quam crederent.

Et quum tot ac tanti essent, non est scissum rete. Nō quod esset forte,

forte, sed quod dominus etiam illud fortificaret. A

Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Hora prandij iam appetēte: nam illorum laboribus successura erat requies. Verisimile est autem quosdam ex comprehensis piscibus assatos fuisse ad omnium refectionem discipulorum: reliquos vero paupe ribus fuisse distributos.

Et nemo discipulorum audebat interrogare eum, Tu quis es? quum scirent quod Dominus esset. Faciem quidem videntes immutatam, & quæ in maximum eos induceret stuporem, volebāt eum interrogare, verum non audebāt, quum à signis quæ dicta sunt, scirent quod Dominus esset.

Venit itaque Iesus, sumitque panem & dat eis, ac piscem similiter. Iam in cœlum non suspicit, neque humana illa facit: ostendens quod etiam ipsa dispensatorie faciebat.

Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis, postquam surrexit à mortuis. Prima quidem quum esset vespera diei il- B
lius quo resurrexit, secunda autem post dies octo, tertia vero hoc die. Apparet itaque quòd post hoc tempus ascenderint in montem, in quo constituerat eis, quando videlicet rursum admoniti sunt à domino. Manifestatus est autem & mulieribus, quæ discipulæ erāt: & duobus illis de quibus apud Marcum, & Petro, ac Cleopæ cum socio ipsius. Verum discipulis simul, hac iam tertia vice manifestatus est. Neque enim continue cum eis versabatur. Hic autem non dixit, quod & ipse comederit: ideo sane, vt opinor, quod hoc etiam significauerit Lucas libro Actorum, vbi ait Petrus: Comedimus & bibimus cum eo postquam surrexit à mortuis, C

Matth.
Marc.1
Lucæ.2
Acto.1

Quum ergo prandissent, ait Iesus Simoni Petro: Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei, Etiam domine tu scis quod amem te. Simō fili Iona diligis me plus quàm hi? hunc autem solum interrogat, tanquam principem & os discipulorum. Verum cur id quod nouit interroget, in sequentibus dicemus.

Ait illi, Pasce agnos meos. Discipulos dicit agnos suos, tanquam pastor eorum, quos etiam oues rursum vocat. Quærit ergo dilectionis erga se demonstrationem, puta curam eorum: & animam ipsius, quam pro præceptore se posiurum promiserat, petit vt pro discipulis ponat.

Dicit ei rursum secundo, Simon Iona diligis me? Ait illi, Etiam domine, tu scis quod amem te. Dicit ei, Pasce oues meas. Dicit ei tertio,

D *Simon Iona amas me? Mœrore affectus est Petrus quod dixisset sibi tertio, Amas me: & ait illi, Domine tu omnia nosti, tu scis quod amem te.* Christus quidem terna vice interrogãs & idem iubens, manifestat se maximi facere præsidentiam super discipulos suos: & hanc omni cura ducit maiorem: Petrus autem trinam timens interrogationem, & suspicatus ne forte putaret se amare, non tamen amaret: nam & prius putauerat se nunquam esse negaturum, & tamen negauit, & modestiorem ipsum ac meliorem effectus ille reddiderat, mœrore affectus est, turbatus est, & iam ipsum, vt qui omnia nosset priusquam fierent, testem facit & ait, Tu omnia nosti, & præsentia & quæ futura sunt, tanquam deus: tu scis quòd nunc toto corde te amem: & nihil amplius dicit, ignorans quid futurum
E sit. Nam paulo ante quũ contradixisset, conuictus est, quòd vanam habuerit de se fiduciam. Agni itaque & oues dicuntur discipuli propter simplicitatem ac promptitudinem ad hoc vt immolẽtur. Et rursum agni quidem imperfectiores, oues autem perfectiores. Petro itaque pascendi curam ac gubernationem committit, vt qui & prius amaris illis lachrymis negationis maculam abluerit, & nunc rursum pro trina negatione trinam offerat confessionem: & tunc quidem opere, nunc autem verbo, lapsui qui verbo factus est, medetur. Deinde parabolice prænuntiat ei mortis genus, quòd per crucem esset & ipse moriturus: ostendens quòd non tanquam ignorans, aut illi non credens dicebat, quæ dicebat, quum optime nosset feruorem dilectionis eius erga se,
F sed vt & ipse & omnes cognoscerent, quod plurimi faceret præsidentiam super discipulos suos, veluti superius significatum est.

Amen amen dico tibi, quum esses iunior cingebas te, & ambulabas quo uolebas. Quum esses imperfectior sub imperfectiori Mosaica lege cõstitutus: parabas te ad id quod cupiebas, & vitam agebas vt volebas.

Vbi uero senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, ac ducet quo tu non uis. Vbi autem in virum perfectum profeceris, in mensuram ætatis spiritualis, sub perfecta lege euangelica consummatus, extendes manus tuas ad crucem: & alius te clauis astringet, ac ducet ad mortem, quam etsi voles voluntate, natura tamen non voles: siquidem compatitur corpori anima

a nima propter naturam, & audita mortis mentione, abhor- A
ret, deo ita dispensãte vtiliter, sicut etiam alibi significatum est, ne homines in infortuniis facile sese occiderent. Nam si valet hostis frequenter aliquos ad propriam impellere cædem: tametsi anima adeo fortiter ad corporis coniunctionẽ affecta sit, quid futurum est si hoc non esset? multi profecto ad sui procederent interfectionem.

Hoc autem dixit significans qua morte glorificaturus esset deum. Gloria siquidem est, non discipuli tantum qui moritur, sed & dei, mors qua quis propter eum supplicio afficitur: eius quidem qui occiditur, quia pro deo moritur: dei autem, quod talem habeat discipulum.

Et quum hoc dixisset, ait illi: Sequere me. Hinc rursum ostendit, quod præ cæteris sibi familiarem eum faciat, ac amplioB
ri dignetur honore, vt etiam promptior fiat. Quod si quis dicat: Quomodo ergo Iacobus Ierosolymitanam accepit sedem? Dicemus quod Petrus orbis constitutus est præceptor: quum ergo tam præceptor quàm discipuli deambularent, dixit ei: Sequere me, vt videlicet etiam crucifigaris, & æqualem sustineas mortem.

Conuersus autem Petrus, uidet discipulum quem diligebat Iesus sequentem. Incedentem post Petrum: casu enim proximus ei deambulabat.

Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis Sup.13
est ille qui tradit te? In cœna mystica sicut ibi significatum est. Reducit autem nobis ad memoriam interrogationem: ostendens quantam Petrus loquẽdi adeptus esset libertatem, C
postquam de negatione resipuerat. Nam qui tunc ausus non erat interrogare, sed dilecto discipulo ad hoc vtebatur: hic non solum præsidentiam erga fratres sibi commissam accepit, verumetiam de dilecti statu confidenter interrogat.

Hunc intuitus Petrus, dicit ad Iesum: Domine, hic autem quid? † †
Num & ipse te sequetur? num eadem nobiscum mortis via gradietur? num similiter morietur? Siquidẽ intellexit quid innuisset, dicens: Sequere me: quumque Ioannem vehemẽter amaret, cupiebat eum æqualis mortis assumere consortem: & tanquam Ioanne interrogare nõ audente, ipse interrogat, vicemque rependit. Quid ergo Christus? Priuatum amputans affectum, ac instruens nihil vlterius esse perscrutandum,

dum, ostendit vario modo disponenda esse quæ illos contingerent.

† *Quum audisset Petrus (ut quidam aiunt) quod pro Christo esset moriturus, dixit:* Et Ioannes quid? *num & ipse moriturus est? Christus autem id quidem non negauit: nam quisquis natus est, etiam morietur: sed ait,* Si eum uelim manere usque ad mundi consummationē: & tunc de me testificari, quid ad te? Dicunt itaq; eum uiuere: & sub Antichristo occidendum cum Elia & Enoch prædicantem Christum. Quod si monumentum eius ostendatur, quid inde? Viuus nanque illud ingressus est, deinde translatus: quēadmodum etiam Enoch & Elias. Euertit itaque Euangelista falsam illorum opinionem qui existimant non esse moriturū hunc discipulum: nam ita falsum est: hominem uideri licet esse immortalem, Nam etsi Enoch & Elias non sint mortui, sunt tamen mortales. Ita ergo & hic quanquam mortuus non sit, attamen E morietur. Falsum itaque est, quòd non moriatur: sic intellectum, quòd uidelicet sit immortalis. Alii autem affirmant: quòd mortuus sit: & dictum illud, Si eum uelim manere donec ueniam, intelligunt, quòd remansurus erat in Iudæa Ioannes, donec ueniret Christus contra Iudæos, percussurus eos per manus Romanorum: & ita Petrum à Ioanne separandum: ut etiam maiori fructu diuersis locis prædicarent. Omnes igitur opiniones retulimus, ut harum rerum studiosi nullam ignorarent. Qui autem dicunt eum esse mortuum, in hunc modum referunt. Foderunt, inquiunt, foueam, & in gyro posuerunt lapides: deinde illum ibi demiserunt, ac operuerunt. Post aliquot autem dies seruati sunt foueam illam, & eum non inuenerunt. Verum quia eum illic deposuerunt, dicunt eum fuisse mortuum.

Ait illi Iesus: Si eum uelim manere donec ueniam, *quid ad te.* Si eum velim in viuis manere donec secūdo aduentu veniā, F quid illi tecum in hoc commune est?

Tu me sequere. Tu tuam mortem cōsidera, nihil de illius morte inuestigans.

Exiit itaque sermo inter fratres. Quis sermo?

Quod discipulus ille non moreretur. Verisimile est nanque & eos audisse quæ Petro dicta erant. Diuulgatus est hic sermo, videlicet quod non moreretur: quia errabant, nec sermonis assequebantur intentionem. Deinde corrigit rumorem erroneum.

Et non dixit ei Iesus, quod non moreretur: sed, Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Quod non significat eum non

moriturum: sed aliam habet intentionem, vt prædictum est. A Quis ergo relinquitur sermo asseuerantibus eum non esse mortuum, quum iam ipsemet luculenter clamet quod errent qui hoc suspicantur.

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus uerum esse testimonium eius. Et scimus qui ea nouimus, quod verum perhibeat testimonium. Apparet enim quod & alij hoc intelligebant. Itaque tanquam vehementer fretus veritate hoc dicit: Noui siquidem quod aliquibus videbitur fortassis suspecta dicere, eo quod ab aliis euangelistis horum non sit facta mentio.

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus. Hoc etiam superius dixit de signis.

Quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor mūdus, caperet eos, B *qui scriberentur, libros.* † Hyperbolicus est sermo, ostendens immensam multitudinem eorum quæ à domino facta sunt. Vtuntur autem sermone hyperbolico & qui scribunt, & qui loquuntur, quando rei magnitudinem ostendere decreuerunt. Hic autem addens etiam verbum, Opinor, auxit hyperbolen, ac suadibile fecit, quod incredibile videbatur: insinuans, quod ob maximam eorum multitudinem ita dixerit, Siquidem & alia multa fecit, vtpote omnipotens: nam ei facilius erat facere, quàm nobis dicere. Sola autem ea scripserunt quæ ad religionem ac fidem vtiliora erant, magisq; necessaria: quod hoc considerarent hi qui scripserunt, quod qui his quę scripta sunt non credit, neque pluribus fidem habebit: ei vero qui hæc suscipit, alia necessaria nō erunt. Vtinam autem & nos perfecti ministri perfectissimæ trinitatis C habeamur, ac vitam bono fine concludamus, per Christum Iesum dominum nostrum. Amen.

† *Non caperet eos dictus mundus alio etiam modo: non propter literarum multitudinem, sed propter rerum magnitudinem: neque de loco loquitur, sed de modo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONFVTATIO IVDAICAE CVIVSDAM IMPOSTVRAE de legali Iesu Christi sacerdotio ex Suida desumptæ, per Ioannem Hentenium Nechlinienſem Hieronymianum.

PRODIIT ante aliquot annos fictitius quidam de legali Iesu Christi sacerdotio libell⁹, qui tanto plausu à plurimis exceptus est, vt nō modo in Italia, sed & secūdo Lutetiæ, & tertio in Germania typis sit excusus: quum tamen meo iudicio non solū Christo Iesu nihil solidæ addat gloriæ, licet id prę se ferre videatur, quin potius ipsius ad nos legationis vniuersum diruat fundamentū, nempe ostendēs ipsum non esse Messiā in lege promissum: quod ex his quę postmodum subiiciemus cunctis fiet manifestum. Considerandum autem est quod Christus testimonium dæmonum vere dicentium, ipsum esse sanctum illum dei, non receperit, sed magis silentium illis imposuerit: instruens nos ne temere quæuis, à Christi plusquam capitalibus hostibus
Marci. 1. suscipiamus, etiam si ad eius honorem & gloriam non parum facere videantur, scientes q⁹ subdola quadam vafritie nobis tandē imponere conentur. Principio vero libellū ipsum sicut ex Suidæ lexico in dictione Iesus ad verbum versus est, proponemus, loca ipsa quæ censuram exigere videntur, literis in margine designātes, quæ suo deinde ordine apertissime scripturæ testimoniis confutabimus.

Religiosissimi regis Iustiniani temporibus homo quidam fuit, qui quum Iudæorum princeps Theodosius dicebatur, quum Christianis quamplurimis, tum vero ipsi regi quem modo nominauimus, in primis notus erat. Iisdem verò temporibus erat homo Christianus Philippus nomine, quæstu argentarius, is & Theodosio familiaris & summa necessitudine coniunctus, illum sæpe adhortabatur, & vt Christianus fieret crebro admonebat. Quodam igitur die Philippus apud Theodosium hanc orationem habuit. Quid causæ dicam Theodosi clarissime, qui quum sapiens sis, & legem diligenter tenens, ea quæ à prophetis de Iesu Christo prædicta ac pronunciata sunt, non ignores, tamen adduci non potes, vt illi credas, & Christianus fias. Non enim induci possum vt credam, idcirco te Christianum fieri nolle, atque id deprecari, quod scriptorum sanctorum de communi omnium nostrum domino Iesu Christo prædictiones & oracula ignota tibi esse arbitrer. Propterea igitur si vis animam tuam saluare, in Iesum Christum seruatorem ac dominum nostrum constanter crede, ne in perfidia tua permanens æterni iudicij reum te facias. Quæ quum Iudæus ab homine Christiano accepisset, vehementer probauit: & quū multis verbis amico gratias egisset, hoc pacto respondit: Tuam secundum deum charitatem amplector ac probo, quod animæ meæ salutis studiosus ac cupidus, magnopere laboras, & vt Christi fidem sequar adhortaris. Quocirca quasi deo, qui occulta nouit, spectante, aperte & vere tecum loquar. Christum ego & à lege & à prophetis iam pridem prædictū ac prænunciatum, & à vobis Christianis cultum & adoratū in hunc mundum venisse, & ipse plenissime credo, & tibi homini amicissimo, & vtilitatis meę studiosissimo audacter confiteor. Verum humana quadam & terrena ratione victus, Christianus non efficior. In quo meo ipsius iudicio meipsum condemno: nunc enim quum sim Iudæus, & principatum inter Iudæos teneam, multis honoribus ac donis color, omnibus denique ad hanc vitam necessariis abunde perfruor. Sic autem mihi persuadeo, nisi catholici quidem templi Pontifex fiam, aut amplioribus etiam magistratibus à vobis afficiar, accidere non posse, vt tantopere apud vos colar atque obseruer. Quare ne his quidem excidam, quæ iucunda atque delectabilia iudicantur in hac vita, futuram beatitudinem sperno: meque id praue facere intelligo.

Ac ne me forsitan mentiri putes, proponam tibi audacter arcanum, quod apud nos Hebræos sedulo adhuc occultatum est,

tatum est, ex quo certo scimus eũ qui à vobis adoratur Christus, ipsum illum esse de quo leges & prophetæ cecinerunt: Non solum, inquam, ex his quæ ante scripta sunt de Iesu rem ita se habere cognoscimus, sed ab eo quoque quod apud nos & perscriptum & occultatum mysterium continet. Cuius quidem hæc ratio est. Antiquis sane temporibus, quibus templum Ierosolymis condebatur, consuetudo Iudæis fuit ex numero literarum, quæ duæ & viginti apud Palæstinos habentur, sacerdotes in templo constituere, vnde & sacros libros numero totidem habemus. Erat igitur in templo codex repositus, in quo singulorum sacerdotum nomina erant inscripta, nec eorum solum, sed etiam parentum. Horum ergo si quis diem suum obiisset, reliqui in templum conueniebant, & de communi suffragio atque sententia, in locum indemortui alterum substituebant, viginti & duorum sacerdotum numerum explentes. In ipso codice statim inscribebatur: hoc die mortuum esse illum, qui ex illis parentibus ortus esset: & pro illo, illum, quicunque is fuisset, suffectum esse. Qui mos quum apud Iudæos obtineretur, accidit ea tempestate, qua Iesus in Iudæa moram trahebat, vt vnus ex sacerdotibus vita decederet, idque antequam Iesus seipsum aperiret, & homines, vt in ipsum crederent, docere cœpisset. Coiere igitur reliqui sacerdotes, vt in locum indemortui, subrogarent alterum. Quumque singuli, qui sibi sacerdotio dignissimus iudicio videretur, proponerent, reliqui eum quasi imperfectum ac mancum, nec eius virtutis compotem, quæ sacerdotem deceret, repellebant. Nam & si sapiens & integer esset, legem vero & prophetas ignoraret, non satis idoneum cui sacerdotium committeretur, iudicabant. Multis igitur repulsis, vnus ex eis excitatus, quum in medio constitisset, his verbis vsus fuisse dicitur. Ecce, inquit, multi à vobis nominati, huic sacerdotio & muneri minime idonei sunt inuenti. Nolite ergo reiicere me, si vnum vobis proposuero, quem ego potissimum substituendum censeo. Non enim dubito, quin vestrum nemo suffragium meũ improbet. Permittentibus autem cæteris, Volo, inquit, Iesum Christum Iosephi fabri filium, si vobis ita videtur, substituere. Qui ætate quidem iuuenis, sapientia vero ac

ro ac opere & moribus optime ornatus est: quo quidem ego vel oratione, vel vita, vel morum integritate præstantiorem adhuc arbitror visum fuisse neminem. Nec quenquam vestrum, qui Ierosolymam incolitis esse puto, cui hoc vel ignotum sit, vel non multo ante obseruatum. Quæ quũ reliqui sacerdotes accepissent, re comprobata, Iesum in collegium eorum cooptauerunt, & sacerdotio omnium dignissimum iudicarunt. Sed erant nonnulli, qui Iesum ex tribu Leui ortum negarent, & ex tribu Iuda originem ducere vehementer contenderent. Iosephi enim filium esse omnes suspicabantur. Sic enim apud Iudæos ferebatur, Ioseph ex tribu Iuda esse non ex tribu Leui: quare, quòd ita persuasum erat ex tribu Leui Iesum non esse, sacerdotem fieri prohibebant. At is qui de Iesu protulerat verbum, mixtum esse eiusdem genus affirmabat. Antiquitus enim in vetustis familiis confusionem quandam factam esse, & duarum tribuum inter se commixtionem asserebat, atque inde Iosephi genus deduci aiebat. Quo audito, reliqui sacerdotes decretum confirmauerunt. Et quum in vnum conueniissent, communi consilio Iesum, qui in locum indemortui in collegium adoptaretur, omnium dignissimum iudicarunt. Quumque moris esset, vt non modo eius qui sacerdos creatus esset, sed parentum quoque nomina codici inscriberentur, quum eorum quidam suggesserunt, Iesu parentes accersiri oportere, & ab eis nomina cognoscere, simulque percunctari, si eum qui ad sacerdotium productus esset, ex se natum confirmarent, placuit hoc omnibus. Sacerdos igitur qui Iesum nominauerat, Iosephum patrem Iesu decessisse dicebat, matrem solam superesse. Statuerunt igitur de communi sententia, matrem Iesu in collegium accersire, & ab ea cognoscere, si ea ex se Iesum peperisset, & quod mariti nomen fuisset. Ita ergo matrem Iesu in collegium accersitam, hoc pacto his de rebus scisciatati sunt. Posteaquam sacerdos ille, quicunque fuerat, vita functus est, & in eius locum filium tuum creare volumus sacerdotem: est autem consuetudo, parentum nomina in codicem referre, dic nobis si Iesus filius tuus est, & si eum peperisti? Quod quum Maria accepisset, sacerdotibus respondit:

respondit: Iesum quidem filium meum esse fateor, ego enim eum in lucem edidi. Testes sunt viri ac mulieres, quæ in pariendo adfuerunt. Patrem vero in terra nullum ei esse, ac nullum vnquam fuisse, licebit vt lubet, donec à me vobis satisfactum esse putetis, exquirere. Nam quum virgo essem, & in Galilæa moram traherem, angelus domini vigilante me & non dormiente, cubiculum vbi ineram ingressus, nunciauit mihi ex spiritu sancto filium me parituram, iussitque vt ei Iesu nomen imponerem. Virgo igitur quum essem, post hanc visionem statim concepi, & filium peperi, & post partum virgo permansi. Quibus auditis, sacerdotes obstetrices sane fideles ac peritas accersendas curauerunt: & vtrum Maria vere adhuc virgo esset, curiosius exquirerent, mandauerunt. Obstetrices ergo periculo facto, re perspecta ac cognita, Mariam virginem esse, sacerdotibus affirmauerunt. Nec defuerunt quæ in partu, casu adfuerant, & parientem viderant mulieres: quarum omnium testimonio, Iesum Mariæ filium cognouerunt. Quibus acceptis, sacerdotes stupore affecti, Mariæ responderunt rursus ab ea scisitantes: Dic nobis, inquiunt, audacter, vt ex tuo ore cuias sit, & cuius filius sit, diligentius audiamus, & eius nomen in codicem referamus. Quos enim tu parentes nobis ediderís, hos & non alios, nos codici inscribemus. Respondens Maria, Equidem, inquit, sacerdotibus, illum peperi, nec qui in terra pater eius sit, scio: sed ab angelo sic accepi, dei filium hunc esse. Filius igitur meus est, quam Mariam dicunt, & dei filius: Ego vero quum nemo me cognouerit, virgo sum. His cognitis, sacerdotes codicem attulerunt, & Iesu nomen ita subscripse-
G runt. Hoc die diem suũ obiit sacerdos, quocunque is nomine appelletur, filius horum aut illorum, quoscunque parentes habuisset: & communi omnium nostrum suffragio substitutus est ei Iesus filius dei viuentis & Mariæ virginis.
H Codex autem diligenter seruatus est, & ex templo ereptus ab his qui circa templi & vrbis captiuitatem, inter Iudæos principatum obtinebant: & Tyberiade repositus est. Atque hoc quidem arcanum paucis admodum & his quidem gentis nostræ studiosissimis & fidelissimis cognitum: quamobrem mihi

mihi quoque vt principi & Iudæorum gentis magistro, reuelatum est. Non enim solum ex lege & prophetis abunde percepimus, Christum quem vos Christiani adoratis, ipsum esse, qui dei viui filius sit, & ad mundi salutem in terram venerit: sed ab ea quoque, quæ in hunc vsque diem seruatur, & Tyberiade reposita est, descriptione. Hoc homo Christianus quum ab homine Iudæo audisset, diuino quodam zelo permotus, dixit, Quin tu statim religiosissimo ac fidelissimo regi hæc referas. Equidem ista quæ modo dixisti, ad eum statim deferam, vt Tyberiadem mittat: & codicem quem dicis, ad redarguendam Iudæorum perfidiam, quàm primum perferendum curet. Tum Iudæus: Quid tibi, inquit, in mentem venit, his de rebus ad regem referre, & tamen id quod tantopere studes non assequi? Nam si hæc feceris, magnum profecto bellum excitabitur, multi occidentur: ac si se victos Iudæi senserint, mihi crede, locum in quo repositus est codex comburent, & re infecta, id quod vehementer studebamus, non assequuti incassum laborauerimus, cruoris ac stragis tantummodo causam attulerimus. Hæc autem tibi amicissimo idcirco aperui, vt non ex iustitia, sed stulta quadam opinione, & inani cupiditate, religionem hanc vestram me deprecari, ac omnino recusare, firmiter credas. Hæc de Iudæo Christianus quum audisset, & quæ ab eo dicerentur, vera sibi esse persuasisset, regi Iustiniano rem quam acceperat indicandam non censuit: ne dei zelo fidelissimus rex percitus, bellum Iudæis inferret, & multum cruoris effunderet, & tamen quod summo studio cuperet, non obtineret: multis tamen notis ac familiaribus ea quæ à Iudæo acceperat, communicauit. Quæ nos ab his qui de Philippo argentario hæc I ipsa audiuerant, quum diligenter cognouissemus, summa cura ac studio operam dedimus, vt diligenter sciremus essent ne vera quæ in huiusmodi descriptione Iudæus Philippo retulisset. Accurate igitur omnia perscrutati, inuenimus Iosephum scriptorem Iudæum elegantissimum, qui bellum Iudaicum monimentis mandauit, cuius in Ecclesiastica historia Eusebius Pamphilus sæpe meminit, in suis monimentis aperte testificari, ac dicere Iesum in templo

vnà cum reliquis ſacerdotibus caſte & ſancte agere ſolitum. Hæc nos quum ab homine antiquo, & ſcriptore elegantiſſimo Ioſepho ſcripta, ac teſtata eſſe inueniremus, ac tempore non multo poſt Apoſtolorum tempora fuiſſe inueniremus, magnopere laborauimus, ſi quid ex ſacris ſcripturis hæc ipſa confirmaret, vt inueniremus. Legitur.1.Reg. 2. in fine: Et ſuſcitabo mihi dicit dominus ſacerdotem fidelem, qui omnia quæ ſunt in corde meo faciat, & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu meo omnibus diebus. Item Pſalm.109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quis autem futurus eſſet cui æternum ſacerdotium deus pollicebatur, Zacharias etiam nomine poſito apertiſſime docuit cap.3.ſic enim dicit, Et oſtendit mihi dominus deus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem ante faciem angeli domini, & Satan ſtabat à dextris ipſius, vt aduerſaretur ei. Rurſus ſub finem. Audi itaque Ieſu ſacerdos magne. Porrò quod Chriſtus in ſynagogis & docuerit & legerit, multis etiam comprobatur teſtimoniis. Lucæ.2. Inuentus eſt Ieſus in templo ſedens in medio doctorum audiens illos, & interrogans eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper intelligentia & reſponſis eius, & viſo eo admirati ſunt. Item Lucæ.4. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus. Et venit Nazaret vbi erat nutritus, & intrauit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbathorum in ſynagogam, & ſurrexit vt legeret, & traditus eſt ei liber Ieſaiæ prophetæ, & cætera. Item Matth.5. Quum ſediſſet aperuit os ſuum, & docebat eos. Marci.6. Et facto ſabbatho cœpit in ſynagoga docere. Diligentius igitur Iudæorum inſtituta animo reputantes, in eam ſententiam venimus, vt niſi aliquod religionis ac ceremoniæ munus apud Iudæos Chriſtus habuiſſet, nequaquam librum illi in ſynagoga, vt audiente populo legeret, allatum atque ei datum crederemus. Neque enim apud nos Chriſtianos cuiquam prophano licet in Eccleſia aliquid de ſcripturis ſanctis legere, niſi in ſacerdotum numerum allectus eſſet. Itaque & ex Ioſephi hiſtoria, & ex Lucæ euangelio, aliisque locis cognouimus Theodoſium Iudæū Philippo argentario, cuius initio mentionem fecimus, nihil

nihil fictum aut falſum narraſſe, ſed arcanum, quod ante à Iudæis ſuppreſſum & occultatum fuerat, Philippo tanquam homini amiciſſimo & coniunctiſſimo veriſſime & fideliſſime, vt amicum & maxime neceſſarium decebat, aperuiſſe.

FINIS.

QVanquam vniuerſa quæ in hoc libello continentur nugæ ſint ac mera ſomnia, ea tamē ſolum improbabimus quæ ad rem propius accedunt, atq; apertam in ſe habere videntur falſitatem. Primū ergo vbi ſuam de Ieſu Chriſti ſacerdotio narrare incipit fabulam, ait: Antiquis ſane temporibus. Quod felix fauſtumque ſit à prodigioſo quodam mendacio rem ipſam exorditur, nempe ſacerdotes qui templo ſacrisque miniſtrabant, non exceſſiſſe numerum.22. quod falſum eſſe facile colligi poteſt. Siquidem ſacerdotium Hebræorum cunctis filiis Aharon ac poſteris eius vniuerſis à deo datum fuit ſtatuto perpetuo, vt habes Exo.29.& 30. Leui.8.& 1.Reg.2. ac 2.Paralip.26. Hi vero in claſſes.24. erant diſtributi: penes quos.24. ordines vniuerſa functio ſacerdotalis erat, vt ſcribitur.1.Para.24. Itaq; ſi etiam in ſingulis claſſibus vnicus fuiſſet ſacerdos, adhuc numerū exceſſiſſent.22. Porrò quod longe plures fuerint, ſatis ex eo liquet, q.1.Para.23. numerantur generis Leuitici à viginti annis & ſupra.38. millia virorum, quorum bona pars erat ſacerdotum. Nono quoque capite eiuſdem numerantur.1760. ſacerdotes. Ezræ.2. capite habes 4289. præter turbam illam quæ cum Ezra rediit, de qua Ezræ.8. Item.2. Paral.26. ſupputantur.80. præter ſummum ſacerdotem quum expelleretur rex ab altari. 1. Paral.12. habes.3700. Sed ceſſo, quoniam paſſim extant ſacerdotum myriades. Nec hoc loco de claſſibus loquitur, quæ tamen vt diximus etiam viginti quatuor erant, ſed de numero ſacerdotum: quum Chriſtus in locum mortui ſuffectus dicatur. Hæ autem claſſes & earum ordines vſq; ad Chriſti tempora perſeuerabant: quum Lucæ.1. Zacharias ſit de vice Abia, cuius octaua ſors erat: dicatque Lucas Zachariam ſortitum fuiſſe A

ministrandi munus secundum consuetudinem sacerdotij.

B Erat igitur in templo codex repositus. Vanissima sunt hæc. Post tot enim templi ruinas à Chaldæis, Græcis, & Romanis illatas, qui potuit hic codex ad posteros incolumis peruenire? Præterea secundi Paralipomenon tricesimoquarto, vnicus tantum codex, isque legis supererat, quem forte fortuna sacerdos Helchias in templo repperit, quum illud ruderibus repurgaret. Sub Chaldæis omnia sunt deuastata, præterea de quibus secundi Machabæorum secundo, nempe tabernaculum, arcam & altare. Græci quoque passim libros legis exurebant: primi Machabæorum primo. Deniq; sub Romanis tandem omnia funditus corruerunt. Thalmud autem paulò ante tempora Iustiniani (cuius hic fit mentio) collectus est: nihilque veteris historiæ, præter sacram, firmæ autoritatis est apud Hebræos, nisi in Thalmud contineatur. Atqui hunc librum in Thalmud non extare, ipsamet Iudę fatetur, qui Tyberiade ceu Midæ thesauros occultari docet, quum Thalmud passim extet. Cõstat itaque codicem hunc effingere, nugas esse vanissimas. His adde nequaquam verum esse, quod forte eligantur sacerdotes, quin potius id generi Aharonitico deferebatur: iuxtaq; vigintiquatuor illas classes forte quidẽ eligebatur, qui è tanto numero singulis hebdomadis ministraret, sed habita generis ratione, iuxtaque classium illarum ordinem, de quibus primi Paralipomenon vicesimoquarto, & Lucæ primo.

Accidit ea ætate qua Iesus in Iudæa moram trahebat.

C Christum initio tricesimi anni docendi munus auspicatum fuisse, signaque cœpisse ædere, satis liquet Lucæ tertio. Hæc ergo quæ hic narrantur ante tricesimum ætatis annum accidisse necesse est, quum mox dicat Iudęus, Idque antequam Iesus seipsum aperiret, & homines, vt in ipsum crederent, docere cœpisset: eundemque iuuenem vocet: quum autem prædicare inciperet, non iuuenis, sed vir perfectæ erat ætatis, nempe triginta annorum. Hinc geminus error colligitur. Prior quod aduersus placita suorum doceat: quum teste vniuersa synagoga & sacris literis. 1. Paralip. 24. & Nume. 4. ac Hieronymo nostro in præfatione in Iezechielem, nullus ante tricesimum annum ad sacerdotij munus eligi potuisset: ob idq;

ob idque tricesimum annum ætatem sacerdotalem vocabant, vt apud nos vicesimum quartum. Posterior error ex euangelistis aperte deprehenditur. Nam quum CHRISTVS testimonio euangelistarum ante tricesimum annum non sit diu versatus in Iudæa, sed prænunciatus quidem Nazaret, natus Bethlehem, educatus Capernaum & Nazaret: visitabat quidem ter quotannis Ierusalem iuxta legis præscriptum Lucæ secundo, post auspicatum autem docendi munus sæpe in Iudæa versabatur: sed non, quod hic fingit, ante tricesimum ætatis annum. Adde quod hic ciuem Ierosolymitanum videtur CHRISTVM statuere, quum infra dicat in collegium ilico cooptatum, facileque matrem accersitam & interrogatam: ac omnia quæ CHRISTI erant fingit omnibus exploratissima.

Iesum Christum Ioseph fabri filium. Præter decorum D agit: qui in concione sacerdotum, IESVM ignotum adhuc appellat CHRISTVM †, & tamen subiungit, quod fabri sit †Vt ve
filius: quum huic sententiæ tam sit reclamatum & ab Hefateam
bræis, qui CHRISTO σώχρονοι erant, & posteri etiamnum q̃q̃ in
pertinacissime pernegent. Adiurat CHRISTVM summus bello l
sacerdos, Matthæi vicesimosexto: per deum viuum, num ipno hab
se sit CHRISTVS: & quia id videtur asserere, discissis vesti- tur Ch
bus blasphemiæ crimen illi impingit. Itẽ Marci decimoquar stum, i
to blasphemus censetur, quod id palam professus fuerit. Græcis
Lucæ vicesimotertio accusatur, quod se dixerit Christum men e
regem esse. Præterea Ioannis decimo tentantes dicebant, plaribu
Quousque animam nostram suspensam tenes, si tu es Chri- nõ inu
stus, dic nobis palam: quomodo ergo sacerdos hic iam vocat ni.
Iesum Christum?

Nec quenq̃ vestrum esse puto &c. Perinde sermonẽ at- E
temperat hic impostor ac si Christus, tanquam ciuis Ierosolymitanus, ante tricesimũ annum omnibus fuisset notissimus quũ toto eo tempore Capernaum & Nazaret vixisset, vt anteadictum est. Præterea omniũ testimonio non vitam solum ac mores, sed & sapientiã illius celebratã fuisse asseuerat. Verum aduersatur hæc sententia historiæ euangelicę. Nã Ioan. 7. Quomodo, inquiunt, hic literas scit, quum non didicerit Mar. 6. Matt. 13. Lu. 4. aliasq; frequẽter, quũ vehemẽter admi

 rantur,

rantur, tum offenduntur etiam, quòd faber, fabriqúe filius, apud eos educatus, in tantam subito euaserit sapientiam. Atqui si literas tunc non nouit, quo pacto admissus est ad functionem sacerdotalem? si vero nouit, quare in posterum tantopere admirantur? Hæc itaque enarratio verisimilis nequaquam est. Iesum in collegium eorum cooptauerunt & F cætera. Tria occurrunt circa hæc & ea quæ post pauca sequuntur, in quibus potissime desudandum est à nobis.

Primum quòd CHRISTVS non fuerit in collegium sacerdotum cooptatus. Secundum quòd non fuerit mixtum genus illius. Tertium quòd genus ipsius Ioseph nullo modo possit ex Leui deduci. Hæc enim sunt potissima huius disputationis capita: quæ Iudæus veteratorie & subdole nititur euertere: quo liberius ac procacius in posterum Iesum Nazarenum esse Messiam possit inficiari. Sed detecta est fraus huius impostoris, quid ille per insidias moliatur. Cuius sententia pro viribus est à nobis euertenda, eo auspice cuius res agitur. Ioseph genus (vt hinc ordine retrogrado exordiamur) ex Leui nullo modo deductum esse satis liquet ex Matthæi Lucæque genealogiis, quorum alter ad Dauid vsque per Nathan, alter per Solomonem genus deducit: & vterque ad Iudam, non ad Leui. Matth. etiam cap. primo, dicit illi angelus, Ioseph fili Dauid noli timere & cætera. Perpetuoque acclamatum est CHRISTO promiscue ab omnibus, IESV fili Dauid, propter parentem etiam putatiuum, quum adhuc mysterium ignorarent, nempe quod Ioseph legevxoria ac putatiuus tantum pater esset: carebatque prorsus controuersia Ioseph ex Dauid fuisse propagatum, nec vnquam genus Ioseph fuit in dubium reuocatum. Facileque hac rima elabi possent Iudæi, qui nullum non mouent lapidem quo Iesum inficientur Messiam, si genus eius quoquo pacto ad aliam tribum quàm Iuda pertineret: quum Messias de tribu Iuda, & de genere Dauid toties fuerit illis promissus. Quare falsa est hæc sententia, quæ Ioseph de genere Leui putat vllo modo propagatũ. Licebitq; hoc addere ὡς πάρεργον, quod Matthæus propterea tam accurate genus Ioseph deducit, quum ille nihil ad Christum pertineat, etiã iuxta carnis cõditionẽ, quo prsus omnis tergiuersandi

sandi occasio abesset. Ad hęc, ne mysterij ignari (nempe dei, non hominis esse filium, more aliorum, antequam id aperte proderetur) Iesum Nazarenum tanquam pseudochristum aspernarentur. Illisque etiam satisfactum esset, qui rudes adhuc vel non assequerentur dicta prophetarum, vel nondum plane exploratum haberent, Christum non ex virili semine, sed mystico spiramine propagatum. Cæterum Christum vere fuisse de semine Dauid & tribu Iuda, nec mixtum habuisse genus, quod hic fabulatur, & secundo loco tractandum erat, hisce colligitur argumentis. Matthæi primo & Lucæ tertio genus eius vsque ad Dauid ac Iudam, recto tramite deducitur. Matth. 1. dicitur: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Romano. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Hebræo. 7. Manifestum est quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster. Luc. 1. Dabit ei dominus deus thronum Dauid Patris ipsius. Ioannis septimo. Nonne dixit scriptura, quod ex semine Dauid & cætera venit Christus? Sunt & alia innumera testimonia, quibus apertissime conficitur Christum, de semine Dauid fuisse, & de tribu Iuda. Sic enim est illi acclamatum in vrbis Ierusalem ingressu: Hosana filio Dauid: & cæci clamabant, Iesu fili Dauid & cætera. Denique hoc citra controuersiam omnibus fuit persuasum. Habuit quidem Maria Elizabeth cognatam Aharonitici generis Lucæ primo. sed inde non conficitur Christi genus fuisse permixtum, si quispiam de tribu Iuda duxisset Aharonitidem, aut vice versa: qua de re consule doctorum commentaria Lucæ primo.

Superest tertia controuersia, nempe Christum nullo pacto fuisse cooptatum in numerum sacerdotum legaliũ: quod sic colligitur. Aharoniticum sacerdotium solis posteris Aharon debebatur, vt in primæ particulæ confutatione probauimus: quare nulli dabatur qui recta ex tribu Iuda & genere Dauid prognatus esset. Adhuc. 2. Paralip. 26. quum rex Ozias de tribu Iuda & semine Dauid ortus, eam functionem occupare voluisset, probibitus est à sacerdote summo, aliisque octoginta, orta quoque diuinitus in eius fronte subita lepra: quod illa solis Aharoniticis esset debita. Præterea si sacerdos fuit Christus, quo pacto à se sanatos ad sa-

cerdotes mittit, iuxta Mosi præscriptum Matth.8.Marci.1. Lucæ.5? Adde quod quum abusus templi castigare voluisset, quæ functio plane sacerdotum esse videbatur, ab his reclamatum est qui aderant dicentibus, In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi potestatem hanc? Matth.21.Mar.11. Lucæ.20. Turba etiam miratur illius doctrinæ genus, quod non ita doceat vt scribæ & pharisæi, sed tanquam autoritatem habens. Quod si sacerdos fuit, quando quæso hostias obtulit? thus adoleuit? panes comedit propositionis? Sed de his satis. Pauli solum testimonium in medium adferam, qui hac de re accurate satis disputat Hebræo.7. cuius verba hæc sunt. Nam his de quo hæc dicuntur (Christus nempe) de alia tribu fuit (hoc est Iuda) de qua nullus altario præsto fuit: ac mox subiungit: Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus statuit Moses. Contendit etiam ibidem deberi legem transferri, nouamque institui, quum translatum sit sacerdotium, nempe Leuiticum in eum qui est iuxta ritum Melchisedec: quæ Pauli doctrina plane diluta esset, si Christus esset Aharoniticus sacerdos. Adde quum Psalm.109. scriptum sit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, quæ verba Paulus Hebræo.1. de Christo interpretatur, plane liquet sacerdotium Christi non fuisse Aharoniticum. Itaque perspicuum est Iudaicam esse impostura, quòd Christus in numerum sacerdotum fuerit cooptatus.

Transeo multa quæ aut pro certis asserit, quum incerta sint, imo coniecturas habeant in contrarium, vt quum ait Ioseph ante inchoatum à Christo prædicandi munus è viuis discessisse, aut falsa potius pro veris, vt quum Mariam subornat testes producentem viros ac mulieres, qui sibi parienti adfuerint. Rursumque postmodum ait non defuisse mulieres quæ in partu adfuerant, & parientem viderant: ac si virgo more aliarum peperisset, ac obstetricum opera fuisset vsa: vel in plurium comitatu ibi ea nocte fuisset: quum Lucas secundo capite dicat ipsam virginem, suum infantem, statim vt ædidit, pannis inuoluisse, & in præsepe reclinasse: isque recensens quos viderint ibi comites ipsi pastores, Inuenerunt inquit Ioseph & Mariam, & infantem positum in præse-